XXIII. 16.14.

M. TVLLII

CICERONIS OPERVM

TOMVS. QVARTVS

Continens

Orationum Volumen Secundum.

&

In ipſum Paulli Manutij Commentarium.

AD. ILLVSTRISSIMVM. PRINCIPEM

ALOYSIVM. ESTENSEM

CARDINALEM. AMPLISSIMVM



CVM. PRIVILEGIIS

VENETIIS. CIƆ IƆ XXCIII

Apud Aldum.

INDEX ORATIONVM quae hoc volumine continentur.

XIII.	*Pro lege Manilia, ad Populum.*	2
XIV.	*Pro A. Cluentio Habito.*	20
XV.	*De lege Agraria, contra P. Seruiliū Rullum, trib. pl. in ſenatu.*	64
XVI.	*De lege Agraria, contra Rullum, trib. pl. ad Populum.*	73
XVII.	*De lege Agraria, contra Rullum, trib. pl. ad Populum.*	98
XIIX.	*Pro C. Rabirio, perduellionis reo, ad Quirites.*	102
XIX.	*In L. Catilinam, in ſenatu.*	114
XX.	*In L. Catilinam, ad Quirites*	122
XXI.	*In L. Catilinam, ad Quirites.*	128
XXII.	*In L. Catilinam, in ſenatu.*	341
XXIII.	*Pro L. Murena*	141
XXIV.	*Pro L. Flacco.*	165
XXV.	*Pro P. Sulla.*	187
XXVI.	*Pro A. Licinio Archia poeta.*	204
XXVII.	*Poſt reditum ſuum, ad Quirites.*	221
XXIIX.	*Poſt reditum, in ſenatu.*	228
XXIX.	*Pro domo ſua, ad Pontifices.*	242
XXX.	*De haruſpicum reſponſis, in ſenatu.*	273
XXXI.	*Pro Cn. Plancio.*	289

IN · ORATIONEM · CICERONIS
PRO . LEGE . MANILIA
PAVLLI . MANVTII
COMMENTARIVS

BIBLIOTECA NAZ.

ARGVMENTVM

QVi Latini ſermonis elegantiore copia delectantur, ij, ſe plus uni Ciceroni, quam ceteris omnibus, debere fateantur, neceſſe eſt. pauci enim in uno ſcribendi genere, ille in omnibus excelluit: ut, cum liberalium diſciplinarum gloriam Graecis concedere cogamur, in hac tamen ornate ſcribendi laude non dicam equidem illos vincere, ſed certe dubia cum illis palma certare videamus. Nec vero Latinam linguam verbis tantũ Cicero locupletauit, ſed rebus etiam, vel ingenio quaeſitis, vel a doctrina ſumptis, vehementer auxit. & ut alia praetermittam, ita ſcripta, ut unus maxime de ijs, qui Romanam eloquentiam colunt, meritus optime ſit: ille ſummum oratorem tribus libris, ille praeſtantem ciuem ſex de rep. ille optimum virũ tribus de officijs formauit, atque finxit: in hac autem oratione, cum eam legem, quam C. Manilius tribunus pl. de Pompeio, maritimi belli reliquias tum in Cilicia perſequente, contra Mithridatem mittendo promulgauerat, prætor ſuaderet, in perſona Pompeij, qualis eſſe debeat optimus imperator, oſtendit. atque ipſam quidem orationem in duas partes diſtribuit. quarum prior παρασκευὴ quaedam eſt ad ſecundam. nam & de bello diſputat, & de belli duce deligendo. Bellum eſſe dicit eiuſmodi, quod cõtemni non poſſit: agi enim populi Romani gloriam, ſalutem ſociorum, vectigalia certiſſima, & maxima, bona multorum ciuium: ducem, ſi ſciẽtia rei militaris, ſi virtus, ſi auctoritas, ſi felicitas denique ſpectetur, unum omnib. Pompeium eſſe praeferendum. Quæ cũ partim vere diceret, partim exornaret, ac perpoliret eloquentia, facile cõſecutus eſt, ut populus, quãquam diſſuadentibus conſularib. viris Q. Catulo, & Q. Hortenſio, rogationẽ acciperet, abſentiq. Pompeio Mithridatici belli curã, multo maiore, quã Lucullus habuerat, imperio mãdaret. Habita oratio eſt Lepido & Tullo cos. quo anno præturã, auctore Pediano in Corneliana Cicero geſſit.

M. TVLLII. CICERONIS

PRO. LEGE. MANILIA

AD. POPVLVM

ORATIO. XXIII.

QVAMQVAM mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo iucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, ſed meae vitae rationes, ab ineunte aetate ſuſceptae prohibuerunt. nam, cum antea per aetate nondum huius auctoritatem loci contingere auderem; ſtatueremq. nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putaui. ita neque hic locus vacuus vnquam ab iis, qui veſtram cauſſam defenderent: & meus labor, in priuatorum periculis caſte integreq. verſatus, ex veſtro iudicio fructum eſt ampliſſimum conſecutus. nam cum propter dilationem comitiorum ter praetor primus centuriis cunctis renunciatus ſum, facile intellexi, Quirites, & quid de me iudicaretis, & quid aliis praeſcriberetis. nam, cum & auctoritatis in me tantum ſit, quantum vos honoribus mandandum eſſe voluiſtis; & ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forenſi vſu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre; certe & , ſi quid etiam dicendo conſequi poſſum, iis oſtendam potiſſimum, qui ei quoque rei fructum ſuo iudicio tribuendum eſſe cenſuerunt. atque illud in primis mihi laetandum iure video, quod in hac inſolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, cauſſa talis oblata eſt, in qua oratio nemini deeſſe poteſt: dicendum eſt enim de Cn. Pompeii ſingulari eximiaque virtute: huius autem orationis difficilius eſt exitum, quam principium, inuenire: itaque non mihi tam copia, quam modus in dicendo quaerendus eſt.

EXPLANATIO

QVAMQVAM *mibi ſemper*] orditur a modeſtia ſua: quod beneuolentiam conciliat: & ſuperioris vitę rationem exponit: ne ſerius fortaſſe, quam deceret, coepiſſe de Roſtris verba facere videatur. HIC *autem locus,*] ipſa Roſtra, ex quibus tunc primum concionabatur, Maniliam legem ſuadens. AD *agendum,*] de lege aliqua, id enim eſt agere cum populo. Gellius ex Meſſalla. AMPLISSIMVS,] cum in eo, qui de Roſtris cum populo agat, auctoritas maxima ſit. AD *dicendum ornatiſſimus,*] cum dicenti plurimum afferat ornamenti. Diſtinguit, agere, & dicere. illud ad rem, quae agitur, hoc ad eius, qui agit, orationem pertinet. OPTIMO *cuique*] vel magiſtratum gerenti, vel priuato, data a magiſtratu concione. MEAE *vitae rationes,*] quia me totum ab ineunte aetate, omiſſa rerum publicarum cura, ad agendas cauſſas contuli. planius hoc infra: Omne meum tempus amicorum temporib. tranſmittendum putaui. AB *ineunte aetate*] non pueritiā, ſed adoleſcentiam ſignificat: adoleſcēs enim, natus annos XXVI, Decula & Dolabella cos. priuatā pro P. Quinctio cauſſam egit, publicam anno ſequenti, pro Roſcio Amerino, Sulla & Metello cos. PROHIBVERVNT:] quamquam enim & quaeſtor, & ædilis fuerat, de Roſtris tamen nondum dixerat. PER *aetatem,*] grauiſſimis tantum viris patere aditum ad hunc locum exiſtimabam. STATVEREMQ] tertia cauſſa, cur antea Roſtra non aſcenderit. Prohibuit vitę ratio, ab ineunte ætate ſuſcepta: Pudor deterruit: iudicium non permiſit: cum ſtatuerē, nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, afferri oportere. PERFECTVM *ingenio, elaboratum induſtria,*] ingenio res inuentas perficit, induſtria. AMICORVM *temporibus,*] ita meum tempus traducendum putaui, vt amicorum tempora tulerunt, cauſſas eorum egi, laborantibus opem tuli. TRANSMITTENDVM] traducendum. ſic enim accipio: vt auferendi caſu, Temporibus, dictum ſit. QVI *veſtram cauſſam defenderent:*] Roſtra enim nemo, niſi pro populo dicturus, aſcendit. CASTE, *integreq*] ita multos defendi, vt me numquam pecunia corruperit, numquam a veritate & innocentia deflexerim. Vel, Caſte, nulla lege violata: Integre, recto animi ſenſu. EX *veſtru indicio,*] quod in preatore me cunctis centuriis renunciando declaraſtis. PROPTER *dilationem comitiorum,*] cum ea, quaſi vitium aliquod obueniſſet, irrita putarentur, ideoq. ſemel & iterum inſtaurata eſſent. PRAETOR *primus,*] quod etiā in Bruto gloriatur: Et praetor, inquit, primus, & incredibili populari voluntate ſum factus. Praetor autem primus, quia plures, quam ceteri, centurias tuliſſet. QVID *aliis praeſcriberetis.*] quid hoc ſcilicet, vt ita viuerent, quemadmodum ego vixi, ſuumq. tempus amicorum temporib. tranſmitterēt. HONORIBVS] praeſertim praetura, qui magiſtratus maior eſt. MANDANDVM] tribuendum. CERTE, ET,] Et, ex antiquo libro delendum puto. haec .n. concluſio eſt, e duabus nata ſuperioribus cauſſis. IIS] vobis. EI *quoque rei*] induſtriae, quae ponitur in amicis defendendis.

FRVCTVM]

FRVCTVM] fructus praetura fuit. SVO *indicio*] mandandis honoribus: quo facile poſſum de me quid indiceтis intelligere. DE *Cn. Pompeij*] vis eſt in nomine. iam enim ex rebus geſtis Magnus appellabatur. EXITVM] propter copiam rerum, quae de illius virtute dici poſſunt.

ORATIO

ATQVE, vt inde oratio mea proficiſcatur, vnde haec omnis cauſſa ducitur: bellum graue, & periculoſum veſtris vectigalibus, atque ſocijs a duobus potentiſſimis regibus infertur, Mithridate, & Tigrane: quorum alter relictus, alter laceſſitus, occaſionem ſibi ad occupandam Aſiam oblatam eſſe arbitratur. equitibus R. honeſtiſſimis viris, afferuntur ex Aſia quotidie litterae, quorum magnae res aguntur, in veſtris vectigalibus exercendis occupatae: qui ad me, pro neceſſitudine, quae mihi eſt cum illo ordine, cauſſam reip. periculaq. rerum ſuarum detulerunt: Bithyniae, quae nunc veſtra prouincia eſt, vicos exuſtos eſſe complures: regnum Ariobarzanis; quod finitimum eſt veſtris vectigalibus, totum eſſe in hoſtium poteſtate. Lucullum, magnis rebus geſtis, ab eo bello diſcedere: huic qui ſuccurrerit, non ſatis eſſe paratum ad tantum bellum adminiſtrandum: vnum ab omnibus ſocijs, & ciuibus ad id bellum imperatorem depoſci, atque expeti: eundem hunc vnum ab hoſtibus metui, praeterea neminem.

EXPLANATIO

ATQVE *vt inde*] narrationis initium ſumit a tribus cauſſis, a bello, a damno, ab hoſte. de bello quid eſt, quod ad populũ commouendũ dici poſſit? graue, & periculoſum eſſe de damno? calamitatẽ inferri vectigalibus populi Romani. de hoſte? non vnũ eſſe hoſtẽ, ſed duos, & duos reges, & reges potentiſſimos. ATQVE *ſocijs*] hoc & reges nomine continentur. infra: Regno expulſus eſt Ariobarzanes rex, ſocius populi Romani, atque amicus. TIGRANE:] Mithridatis genero, Armeniae rege. ALTER *relictus, alter laceſſitus,*] relictus Mithridates a Lucullo victore: de quo paullo poſt, Lucullum, magnis rebus geſtis, ab eo bello diſcedere: laceſſitus Tigranes ab eodẽ Lucullo, qui exercitum in Armeniam praeter eius opinionem traiecit. Plutarcus. OCCASIONEM] Lucullo diſcedente. ASIAM] cuius certiſſima & magna vectigalia. EQVITIBVS *Romanis.*] publicanis, qui Aſiae vectigalia de cenſoribus conduxerant OCCVPATAE:] quid ſit Occupatae, fortaſſe non omnes animaduertunt. eſt autẽ, in ijs rebus, vnde lucrũ ſperatur. collocatae. ſic pro Flacco: Pecuniam adoleſcentulo grandi fenore, fiducia tamẽ accepta, collocauiſti Et in Verrẽ lib. 1. Pecunias occuparat apud populos, & ſyngraphas fecerat. Nonius etiam ſic interpretatur. AD ME,] non vt principem ciuitatis, ſed vt ad hominem cõiunctiſſimum. ideo ſubiungit, Pro neceſſitudine, quae mihi eſt cum illo ordine. PRO *neceſſitudine*] plus eſt, quam amicitia neceſſitudinis autem cauſſa quod Cicero patre natus equite Romano CAVSSAM *reip. periculaq. rerum ſuarum*] cum priuata cauſſa publicã coniungit: ne de ſolis equitibus, ordine ſibi cõiunctiſſimo, laborare videatur. NVNC] paullo enim ante regnum fuerat. reliquit eam populo Romano Nicomedes rex Octauio & Cotta cos. Eutropio teſte. VESTRA *prouincia*] hoc non diceret in ſenatu, dicit autem in Roſtris, quia publicae res non cuiuis de populo notae erant. REGNVM *Ariobarzanis;*] Cappadociam. Falluntur, qui putant hunc eum eſſe, quẽ bis antea pulſum, & reſtitutum. tertio pulſum Pompeius reſtituit. hic enim rex eſt Cicerone praetore, quo haec anno habita oratio eſt: quem vero Pompeius reſtituit, eum ſenatus Cicerone conſule regem appellauit: vt ep. 17. lib 2. ad Caninium quem filium eius fuiſſe, qui hic nominatur licet intelligere cum ex eadem epiſtola, tum ex lib. xv. ad Catonem QVOD *finitimum eſt veſtris vectigalibus,*] itaque celeritatem auxilij res deſiderat. HVIC *qui ſuccurrerit,*] pro, ſucceſſerit. ſucceſſerat autem M Acilius Glabrio, ſuperioris anni conſul. nam ei Bithynia prouincia cũ bello Mithridatico contigit. Plutarchus in Pompeio, Dio lib. xxxv.

ORATIO

CAVSSA quae ſit, videtis: nunc, quid agendum ſit, conſiderate. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo eſſe dicendum. Genus eſt enim eiuſmodi, quod maxime veſtros animos excitare, atque inflammare debet: in quo agitur populi R. gloria, quae vobis a maioribus cum magna in rebus omnibus, tum ſumma in re militari tradita eſt: agitur ſalus ſociorum, atque amicorum, pro qua multa maiores veſtri magna & grauia bella geſſerunt. aguntur certiſſima populi R. vectigalia, & maxima; quibus amiſſis, & pacis ornamenta, & ſubſidia belli requiretis: aguntur bona multorũ ciuiũ quibus eſt & a vobis, & a moderatoribus reip. cõſulendum. Et quoniam ſemper appetentes gloriae praeter ceteras gentes, atque auidi laudis fuiſtis; delenda eſt vobis illa macula, Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta, quae penitus iam inſedit, atque inueterauit in populi R. nomine, quod is, qui vna die tota Aſia, tot in ciuitatibus, vno nuncio, atque vna litterarum ſignificatione ciues R. necandos, trucidandosq. denotauit, non modo adhuc poenam nullam ſuo dignam ſcelere ſuſcepit, ſed ab illo tempore annum iam tertium & vigeſimum regnat, & ita regnat, ut

ſe non Ponto, neque Cappadociae latebris occultare velit, ſed emergere e patrio regno, atque in veſtris vectigalibus, hoc eſt in Aſiae luce verſari. etenim adhuc ita veſtri cum illo rege contenderũt imperatores, ut ab illo inſignia victoriae, non victoriam reportarent. triumphauit L. Sulla, triũphauit L. Murena de Mithridate, duo fortiſſimi viri, & ſummi imperatores, ſed ita triũpharunt, ut ille pulſus, ſuperatusq. regnaret. verumtamen illis imperatoribus laus eſt tribuenda, quod egerunt; venia danda, quod reliquerunt: propterea quod ab eo bello Sullam in Italiam reſp. Murenam Sulla reuocauit. Mithridates autem omne reliquum tempus non ad obliuionem veteris belli, ſed ad comparationem noui contulit: qui poſtea quam maximas aedificaſſet, ornaſſetq. claſſes; exercitusq. permagnos, quibuſcumque ex gentibus potuiſſet, comparaſſet; Boſporanis, finitimis ſuis, bellum inferre ſimulaſſet; vſque in Hiſpaniam legatos, & litteras miſit ad eos duces, quibuſcum tum bellum gerebamus: ut, cum duobus in locis diſiunctiſſimis, maximeq. diuerſis, vno conſilio, ab vnis hoſtium copijs, bellum terra, mariq. gereretur, vos ancipiti contentione diſtracti de imperio dimicaretis. ſed tamen alterius partis periculum Sertorianae, atque Hiſpanienſis, quae multo plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompeij diuino conſilio, ac ſingulari uirtute depulſum eſt: in altera parte ita res a L. Lucullo, ſummo uiro, eſt adminiſtrata, ut initia illa geſtarum rerum, magna, atque praeclara, non felicitati eius, ſed uirtuti, haec autem extrema, quae nuper acciderunt, non culpae, ſed fortunae tribuenda eſſe videantur. ſed de Lucullo dicam alio loco, & ita dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione noſtra, neque falſa afficta eſſe videatur.

EXPLANATIO

CAVSSA *quae ſit videtis:*] quae res agatur, quo in periculo veſtra vectigalia ſint, quis ad bellum imperator depoſcatur, iã videtis. Et, Videtis, dixit quaſi re ante oculos propoſita. quam ſententiam, Intelligitis, aut, Cognoſcitis, non exprimebat. EXCITARE, *atque inflammare*] diuerſa translata: quae ſi vno loco ſint, vitioſum putatur: ſed hic excuſantur, quia, ſicut alia multa, in propriorum naturam, vſu iam trita, tranſierunt. TRADITA *eſt:*] quo turpius videtur amittere. Infra. Videte, ne, vt illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperij gloriã relinquere, ſic vobis turpiſſimũ ſit. illud, quod accepiſtis, tueri, & conſeruare non poſſe. CERTISSIMA] oratoriae ſeruit tempori. nã or. 2. in Rullum negat vllum vectigal eſſe certum excepto Campano. aut, Certiſſima, pacatis tẽporibus, non, vt Campanũ. quouis tempore. dicit enim infra. Ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentũ accipitur: at in vectigalibus non ſolũ aduentus mali, ſed etiã metus ipſe affert calamitatem. ET *pacis ornamenta, & ſubſidia belli*] fructibus enim vectigalium & pax ornatur, & bella ſuſtentantur. Sic in Rullum or. 2. Pacis ornamentũ, ſubſidiũ belli, fundamentum vectigaliũ. Hic vero Infra ſi & belli vtilitatem, inquit, & pacis dignitatem ſuſtinere vultis. REQVIRETIS:] non habebitis. quod enim adeſt non requiritur. MVLTORVM *ciuium,*] equitum Romanorum, quorum res magnas in vectigalibus exercendis occupatas eſſe dixit. ET *a moderatoribus reip.*] a ſenatu. moderari, eſt regere. lib 2 de Nat. de. Rectorem, & moderatorem, & tamquã architectum tanti operis, tantiq. muneris. SEMPER *appetentes gloriae*] quae re militari maxime quaeritur. paullo ante. Agitur populi Romani gloria, quae vobis a maioribus cũ magna in rebus omnibus, tũ ſumma in re militari tradita eſt. VNA *die,*] die, dixit, pro tempore. id enim intra diem trigeſimum fieri Mithridates iuſſit auctore Appiano. quamquam in epitome Liuiana, Vno die, legatur. nos autẽ, quod veri ſimilius eſt, id potius credimus. TOTA *Aſia,*] ea ſcilicet, quae ipſi parebat. nam pars melior, quae infra lux Aſiae vocatur, populi Romani erat. REGNAT, *& ita regnat,*] figura exornandae ſimul & amplificandae orationis, vt infra: De Lucullo dicam alio loco, & ita dicã, Quirites, vt neque vera laus ei detracta oratione noſtra, neque falſa afflicta eſſe videatur. Aliquãto poſt. Quid aut Colophonẽ, aut Samũ nobiliſſimas vrbes, innumerabileſq. alias captas eſſe commemorẽ; cũ veſtros portus, atque eos portus quibus vitã & ſpiritum ducitis, in praedonũ fuiſſe poteſtatẽ ſciatis? In Diuin. Huic ego homini iã ante denuncio, ſi a me cauſſam hanc vos agi volueritis. rationẽ illi defendendi totã eſſe mutandã, & ita tamen mutandã. vt meliore, & honeſtiore condicione ſit, quã ipſe eſſe vult. Pro Rabirio Perd. R. Quid eſt tam veriſimile, quam cariorẽ huic ſororis maritum, quã ſororis filiũ fuiſſe? atque ita cariorem, vt alter vita crudeliſſime priuaretur, cum alteri ad prolationem iudicij biduũ quaereretur? CAPPADOCIAE *latebris*] quia gentium vniuerſarum, quae Pontum accolunt, vna maxime introrſus recedit or. 2. in Rullũ: In Paphlagoniae tenebris, atque in Cappadociae ſolitudine: VESTRI *imperatores*] duo, Sulla, eiuſq. legatus Murena. INSIGNIA *victoriae,*] ſigna & indicia victoriae, vt ad Appium: Inſignia virtutis multi etiam ſine virtute cõſecuti ſunt. Alij, Inſignia victoriae, triumphos, interpretantur: ſed, Ab illo reportarẽt, ad triumphos referri poſſe nõ videtur. non enim a Mithridate triumphũ reportarũt, ſe victoriae ſigna, quae triumphus poſtea eſt conſecutus. LAVS *eſt tribuenda, quod egerunt, venia danda, quod reliquerunt:*] ex eo, quod egerunt, ex eo, quod reliquerunt. hoſtẽ enim ſuperarunt, non omnino ſuſtulerunt. RESP.] optimates, in quibus potius quã in plebe, reſp. ſita eſt. optimates autẽ ĩ Sullae partibus, plebs in Marianis praeſidijs fuit. cumq. a Mario, & Cinna reſp. bellũ Mithridaticũ gerente Sulla, vexaretur: eum in Italiã reuocauit. REVOCAVIT] Decula, & Dolabella coſ. quo primum anno dictaturã Sulla geſſit. OMNE *reliquum tempus*] poſt Murenae diſceſſum. NON *ad obliuionem veteris belli,*] non modo, a duo-

bus

bus imperatoribus victum ſe eſſe, oblitus nõ eſt, ſed etiam, de victoria cogitans, totum ſe ad nouum bellum contulit. ORNASSET Q. *claſſes;*] ornare, pro inſtruere, vt ornare prouincias, ornare prandium vſurpati ſolere plerique ſciunt. IN *Hiſpaniam,*] ad Sertorium, Marianarum partium ducem, bellum, contra remp. gerentem. BOSPORANIS] qui ab ipſo ad Romanos defecerant. SIMVLASSET] vere tamen eis bellum intulit. ſed ſimulaſſet dixit, quia Mithridates nihil ſe praeter Boſporanum bellum cogitare ſimulaſſet, cum tamen ad Sertorium in Hiſpaniam legatos mitteret. Appianus. LEGATOS] L. Magium, & L. Fannium, qui nominantur lib. 1. in Verrem. vbi Aſconius, Hi trãsfugae, inquit; facti a Mariano exercitu, apud Mithridatem agentes ab eodem rege ad Sertorium miſſi erant de paciſcenda ſocietate belli aduerſus Romanos: quos in Italia iã poſitos, & ad Sertoriũ feſtinantes, & hoſtes iudicauerat, & inquirendos mandauerat ſenatus. ET, LITTERAS *miſit*] libri veteres quinq., Ecbatanis miſit quod non diſplicet, ac dicam etiam, placet, nam, Et litteras, frigidũ eſt: & cum legatos miſerit Mithridates, de litteris adiũgere minime neceſſariũ videtur. mutationis occaſionẽ dedit ignorãtia vrbis Ecbatanorũ, quae Medici caput imperij fuit, in ditione Tigranis. de Media autem, alijsq. regionibus victis Mithridate & Tigrane, Pompeiũ triumphaſſe, auctor Plutarchus: & quoniã non de Ecbatanis, ſed de Sinope. Ponti vrbe regia, mẽtionem Cicero facit, cum ait de Magio, & Fãnio: Hoc illi nauigio ad omnes populi Romani hoſtes vſque ab Dianio, quod in Hiſpania eſt, ad Sinopem quae in Ponto eſt, nauigauerunt: poteſt oriri dubitatio, quaſi mendoſum ſit, Ecbatanis, cũ Cicero de Sinope loquatur. in quo primũ illud reſpondeo, Magium, & Fanniũ Ecbatanis profectos eſſe a Mithridate ad Sertorium, rurſus a Sertorio ad Mithridatem Sinopem veniſſe. deinde fieri poteſt, vt amplificãdi cauſſa in hac oratione Ecbatana potius, quam Sinopẽ, nominare voluerit, vt eam vrbẽ, quo longius ab Hiſpania diſtaret nec tamen impedio quin, vtrũ malit, lector ſequatur. mihi quidẽ illud, Et litteras, vt dixi, languidum, & otioſum videtur Ecbatana autẽ, vt omittam, quod antiquorum librorum teſtimonio comprobatur, ea quoque ratione placet, vt duo diſiũctiſſima loca nominẽtur, Hiſpania, & Ecbatana: quemadmodum duo quoque nominantur lib. 1. in Verrem, Ab Diano ad Sinopem. AB. VNIS *hoſtium copijs,*] ſi ſententiã conſideres, ſi veteres libros inſpicias, non, Ab vnis, ſed, A binis legendum eſſe mecum ſenties. quo modo autem, Ab vnis cũ nõ vnus, ſed hoſtes duo populi Romani, Mithridates, & Sertorius, nec vno loco, ſed duobus diſiũctiſſimis bellum gererẽt? & ſentẽtiae non modo vis, verum etiã venuſtas quaedam tamquam ex oppoſitis acquiritur, Vno conſilio, a binis hoſtium copijs. ALTERIVS *partis periculum, Sertorianae, atque Hiſpanienſis,*] quis non videt, Sertorianae, atq. Hiſpanienſis, gloſſema eſſe? cum loquatur Cicero de notiſſimis rebus. QVAE *multo plus firmamenti, ac roboris habebat*] vel ita ſentit, vel Pompeio gratificatur, praeſertim in comparatione Luculli. HAEC *autem extrema*] quod Mithridates nõ modo regnum ſuum Pontum, diſcedente Lucullo, recuperauerit, verum etiam in populi Romani prouinciam irruperit, victiſque vna & altera pugna Romanis copijs, quibus legati a Lucullo relicti praeerant, magnã Aſiae partem occupauit. qua de re infra, & apud Plutarchum, Appianum, alios NON *culpae, ſed fortunae tribuenda eſſe videantur.*] non enim affuit Lucullus, cum accepta calamitas eſt, & excuſatur infra his verbis. Veſtro iuſſu coactus quod imperij diuturnitati modum ſtatuendum, veteri exemplo, putauiſtis, partem militum, qui iam ſtipendijs confectis erant, dimiſit, partem Glabrioni tradidit.

ORATIO

SED pro veſtri imperij dignitate, atque gloria, quoniam is eſt exorſus orationis meae, videte, quem vobis animum ſuſcipiendum puteti. Maiores veſtri ſaepe, mercatoribus, ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis, bella geſſerunt: vos, tot ciuiũ R. millibus vno nuncio, atq. vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati quod erant appellati ſuperbius, Corinthum patres veſtri totius Graeciae lumen, exſtinctum eſſe voluerunt: vos eum regem inultum eſſe patiemini, qui legatum populi R. conſularem, vinculis ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necauit? Illi libertatem ciuium R. imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? ius legationis, verbo violatum, illi perſecuti ſunt: uos legatum populi R. omni ſupplicio interfectum, inultum relinquetis? uidete, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam nobis imperij gloriam relinquere, ſic nobis turpiſſimum ſit, illud, quod accepiſtis pueri & conſeruare non poſſe. Quid, quod ſalus ſociorum ſummum in periculum ac diſcrimen uocatur? regno expulſus eſt Ariobarzanes rex, ſocius populi Rom. atque amicus: imminent duo reges toti Aſiae non ſolum nobis inimiciſſimi, ſed etiam ueſtris ſocijs, atque amicis: ciuitates autem omnes cuncta Aſia, atque Graecia ueſtrum auxilium exſpectare propter periculi magnitudinem coguntur; imperatorem a uobis certum depoſcere, cũ praeſertim uos alium miſeritis, neque audent, neque ſe id facere ſummo ſine periculo poſſe arbitrantur. uident, & ſentiunt hoc idem, quod & uos, unum uirum eſſe, in quo ſumma ſint omnia, & eum prope eſſe, quo etiam carent agrius: cuius aduentu ipſo, atque nomine, tametſi ille ad maritimum bellum uenerit, tamen impetus hoſtium repreſſos eſſe intelligunt, ac retardatos. hi uos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogant, ut ſe quoque, ſicut certarum prouinciarum ſocios, dignes exiſtimetis, quorum ſalutem tali uiro commendetis, atque hoc etiam magis, quam ceteros, quod eiuſmodi in prouinciam homines cum imperio mittimus, ut, etiam ſi ab hoſte defendant, tamen ipſorum aduentus in urbes ſociorum non multum ab hoſtili expugnatione differant. hunc audiebãt antea, nunc praeſentem uident, tanta temperantia, tanta manſuetudine, tanta humanitate, ut ij beatiſſimi eſſe uideantur, apud quos ille diutiſſime commoratur. Quare, ſi

propter

propter ſocios, nulla ipſi iniuria laceſſiti, maiores veſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Poenis bella geſſerunt: quanto vos ſtudio conuenit iniurijs prouocatos, ſociorum ſalutem vna cum imperij veſtri dignitate defendere, praeſertim cum de veſtris maximis vectigalibus agatur? nam ceterarum prouinciarum vectigalia Quirites, tanta ſunt, vt his ad ipſas prouincias tutandas vix contenti eſſe poſſimus: Aſia vero tam opima eſt & fertilis, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat. itaque haec vobis prouincia, Quirites, ſi & belli vtilitatem & pacis dignitatem ſuſtinere vultis, non modo a calamitate, ſed etiam a metu calamitatis eſt defendenda. nam ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in vectigalibus non ſolum aduentus mali, ſed etiam metus ipſe affert calamitatem. nam, cum hoſtium copiae non longe abſunt; etiam ſi irruptio facta nulla ſit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit. ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura vectigal conſeruari poteſt. quare ſaepe totius anni fructus vno rumore periculi, atque vno belli terrore amittitur. Quo tandem animo eſſe exiſtimatis aut eos, qui uectigalia uobis penſitant, aut eos, qui exercent, atque exigunt; cum duo reges cum maximis copijs prope adſint? cum vna excurſio equitatus per breui tempore totius anni uectigal auferre poſſit? cum publicani familias maximas, quas in ſalictis habent, quas in agris, quas in portubus, atque cuſtodijs, magno periculo ſe habere arbitrentur? putatis ne, uos illis rebus frui poſſe, niſi eos, qui uobis fructuoſi ſunt, conſeruaueritis. non ſolum, vt antea dixi, calamitate, ſed etiam calamitatis formidine liberatos? Ac ne illud quidem vobis negligendum eſt, quod mihi ego extremum propoſueram, cum eſſem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona ciuium Rom. pertinet: quorum vobis, pro veſtra ſapientia, Quirites, habenda eſt ratio diligenter. nam & publicani, homines & honeſtiſſimi, & ornatiſſimi, ſuas rationes, & copias in illam prouinciam contulerunt: quorum ipſorum pro ſe res, & fortunae curae vobis eſſe debent. etenim, ſi vectigalia neruos eſſe reipub. ſemper duximus; eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum recte eſſe dicemus. deinde ceteris ex ordinibus homines naui, & induſtrij partim in Aſia negotiantur, quibus vos abſentibus conſulere debetis; partim ſuas, & ſuorum in ea prouincia pecunias magnas collocatas habent. Erit igitur humanitatis veſtrae, magnum eorum ciuium numerum calamitate prohibere; ſapientiae, videre, multorum ciuium calamitatem a repub. ſeiunctam eſſe non poſſe. Etenim illud primum parui refert, vos publicanis amiſſa uectigalia poſtea uictoria recuperare. neque enim iiſdem redimendi facultas erit, propter calamitatem; neque alijs uoluntas, propter timorem. deinde, quod nos eadem Aſia, atque idem iſte Mithridates initio belli Aſiatici docuit, id certe, calamitate docti, memoria retinere debemus. nam tum, cum in Aſia res magnas permulti amiſerunt, ſcimus Romae, ſolutione impedita, fidem concidiſſe. non enim poſſunt una in ciuitate multi rem, atque fortunas amittere, at plures ſecum in eandem calamitatem trahant. a quo periculo prohibete remp. & mihi credite id, quod ipſi uidetis: haec fides, atque haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro verſatur, implicita eſt cum illis pecunijs Aſiaticis, & cohaeret. ruere illa non poſſunt, ut haec non, eodem labefactata motu, concidant. Quare uidete, num dubitandum uobis ſit, omni ſtudio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis ueſtri, ſalus ſociorum, uectigalia maxima, fortunae plurimorum ciuium cum rep. defenduntur.

EXPLANATIO

MAIORES *ueſtri*] cohortatio per cōparationem: vt ex eodē fonte ſumitur accuſatio. quo de genere diximus in eo loco lib. v. in Verrem. Vide, quid interſit inter vnā libidinē, maiorumq. auctoritatem; inter amorem, furoremq. tuum, & illorum conſilium, atque prudentiā. Illi aditū litoris Syracuſanis ademerunt: tu maritimū imperiū conceſſiſti. Illi habere in eo loco Syracuſanū, quo naues accedere poſſent, noluerūt: tu claſſi, & nauibus Syracuſanum præeſſe voluiſti. Quib. illi vrbis ſuae partem ademerunt, ijs tu noſtri imperij partē dediſti. Et ora. 2. in Rullū. Videte, quid interſit inter Cn. Domitiū, tribunum pl. hominem nobiliſſimum, & P. Rullum: qui tentauit, vt opinor, patientiam veſtrā, cum ſe nobilē eſſe diceret. Domitius, quod per cærimonias populi fieri non poterat, ratione aſſecutus eſt, vt id, quoad poſſet, quoad fas eſſet, quoad liceret, populo ad partes daret: hic, qđ populi propriū ſemper fuit, quod nemo imminuit, nemo immutauit, quin ij, qui populo agros eſsēt aſſignaturi, ante acciperēt a populo beneficium, quā darēt, id totum eripere vobis, atq. e manib. extorquere conatus eſt. Ille, quod dari populo nullo modo poterat, tamen quodā modo dedit: hic, qđ adimi nullo pacto poterat poteſtate, quadam ratione eripere conatur. MERCATORIBVS] lib. v. in Verrem. INIVRIOSIVS *tractatis,*] leuiter offenſis. nam, Iniurioſius, minus eſt, quā Iniurioſe. TOT *ciuium Romanorum millibus*] centum quinquaginta millib. auctore Plutarcho. APPELLATI *superbius,*] ſordes in eo eos de tectis iniectas, ait Strabo, pulſatos, Liuius, & Aſconius. Cicero neutrū dicit, ſed, Appellati ſuperbius, vt oratorie rē minuat: quo magis populus Rom. in Mithridatē incendatur, qui legatum cōſularem, vinculis, ac verberibus, atq. omni ſupplicio excruciatū, necauerat. Legatorum autem, item vt tribunorum pl. ſacroſancta corpora putabantur. LEGATVM *populi Romani conſularem,*] M'Aquillium, qui ſeruos in Sicilia deuicerat, conſul autē cū C. Mario fuerat. Epitome Liuiana 77. & 78. VERBO *uiolatum,*] quod legari ſuperbius erant appellati. VIDETE, *ne,*] proponit infamiā, vt agraria 2. in Rullum. Vt nunc vos de maioribus veſtris prædicatis; hunc agrū nobis maiores noſtri reliquerunt: ſic veſtri poſteri de vobis prædicabunt, hunc agrū patres noſtri, acceptum a patribus ſuis, perdiderunt. REGNO *expulſus eſt Ariobarzanes rex,*] pater eius, quem Pompeius poſtea reſtituit.

ſtituit. atque hunc per inſidias necatũ Cicero videtur indicare, cũ ait in ep. ad Catonẽ: Amicoſq. in patris eius fide, atque iudicio probatos hortatus ſũ, regis ſui vitã, docti caſu acerbiſſimo patris eius, omni cura, cuſtodiaq. defenderent. EXSPECTARE] cum ipſi e ſuis viribus hoſti occurrere potentiſſimo non audeant. ALIVM] M Acilium Glabrionem, ſuperioris anni conſulem. SVMMO *ſine periculo*] propter Acilij Glabrionis imperium. QVOD *& vos*] callide: ne quod alij vident & ſentiunt, populus Romanus ignorare videatur. VNVM *virum eſſe.*] Pompeij laudem cum quadã aliorum contumelia coniungit. IN QVO *ſumma ſunt omnia,*] ſcientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas. PROPE *eſt,*] piraticũ enim bellũ gerebat, & milites, & legiones in Aſiã in hiberna deduxerat. infra: Hic miramur, hunc hominẽ tantũ excellere ceteris, cuius legiones ſic in Aſiã peruenerunt, vt nõ modo manus tanti exercitus, ſed ne veſtigiũ quidẽ cuiquã pacato nocuiſſe dicatur: Iam vero, quemadmodũ milites hibernent, quotidie ſermones, ac litterae perferũtur. Nec multo poſt. Accepta in Ponto calamitate ex eo proelio, de quo vos paullo ante inuitus admonui, cũ ſocij pertimuiſſent hoſtium opes, animiq. creuiſſent; cũ ſatis firmũ praeſidiũ prouincia nõ haberet; amiſiſſetis Aſiã, Quirites, niſi ipſũ id temporis diuinitus Cn. Pompeiũ ad eas regiones fortuna populi R. attuliſſet. huius aduẽtus Mithridatẽ, inſolita inflammatum victoria cõtinuit, & Tigranẽ, magnis copijs minitantẽ Aſiae, retardauit. QVO *etiam carent aegrius:*] minus enim quod ſperatur, id minus etiã expetitur. minus autẽ ſperatur, quod longe diſtat, quam quod prope eſt: & contra. HOSTIVM *impetus repreſſos eſſe*] ſiue hoc ita eſſet, ſiue ſecus, oratorie ad Pompeij laudẽ refert: vt in ſeruili quoque bello: quod cũ M Craſſus, abſente Pompeio, cõfeciſſet, exſpectatione tamen Pompeij attenuatũ, atque imminutũ aduẽtu ſublatum, ac ſepultum, infra dicit. QVONIAM *libere loqui non licet.*] metu proconſulis Acilij. SICVT *ceterarum prouinciarum ſocios.*] quibus opem iuſſu veſtro Pompeius tulit. NON *multum ab hoſtili expugnatione differat.*] ob rapinas. NVNC *audiebant antea,*] cum in Italia, Africa, Gallia, Hiſpania bellum gereret. TANTA *temperantia.*] hanc virtutem primã nominat, vt opponat aliorum libidini, & rapacitati; quorum aduentũ in vrbes ſociorũ non multũ ab hoſtili expugnatione differre, proxime dixit. PROPTER *ſocios,*] cum Antiocho, & Aetolis propter foederatas Graeciae ciuitates, cũ Philippo propter Athenienſes, cũ Poenis primo bello propter Meſſanã, Siciliae vrbẽ, altero propter Saguntum. Temporũ autẽ ratio poſtulare videbatur prius vt Philippus quã Antiochus, nominaretur, vt or. 2. in Rullum: Multa poſtea bella geſta cũ regibus, Philippo, Antiocho, Perſa. TANTA *ſunt.*] Tanta, minuit, nõ auget, vt ad Caſſium. ſi quae ſunt onera tuorum, ſi tanta ſunt, vt ea ſuſtinere poſſis; nihil tibi erit lautius, nihil glorioſius. ſin maiora; conſidera, ne in alieniſſimũ tẽpus cadat aduentus tuus. Coelius ad Ciceronem. Sin antẽ aut non erit iſtic bellum, aut tantũ erit vt vos, aut ſucceſſores, paruis additi copijs, ſuſtinere poſſitis: Curionẽ video ſe dupliciter iactaturũ. Sic & Caeſar lib. VI. bel. Gal. Huc omnes ſuas fortunas exercitus Romanorũ contulit: praeſidij tantũ eſt, vt ne murus quidẽ cingi poſſit, nec quiſquã egredi extra munitiones audeat. Et lib. III. bel. ci. Tantũ nauiũ reperit, vt anguſte XV. millia legionariorum militum, & quingẽtos equites tranſportari poſſent. ET VBERTATE *agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis & multitudine earum rerum, quae exportantur,*] tria commemorat, vnde capitur vectigal, vnum, Et vbertate agrorum; quã infra agriculturã, & decumas vocat: alterũ, Et magnitudine paſtionis, quod infra & pecus & ſcripturã appellat: tertium, Et magnitudine earum rerũ, quae exportantur; quã partẽ infra & mercatorũ nauigationẽ, & portum nominat: Illud, Varietate fructuum, de omni frugũ genere dictum eſt; ſicut, Vbertate agrorum, proprie de frumentis, quorum decumae ſoluuntur. ET BELLI *vtilitatem, & pacis dignitatem,*] ſupra, Et pacis ornamenta, & ſubſidia belli. PECORA *relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit*] tribus igitur ex rebus vectigal capitur: ex mercatorũ nauigatione, ideſt ex portu, vnde portitores publicani sũt appellati: ex agricultura, ideſt ex decumis, vnde decumani: ex pecore, ideſt ex paſcuis publicis, vnde pecuarij: quã partẽ Cicero, ſingula ſingulis reddẽs, appellat ſcripturã: vt in oratione etiã pro Flacco: ſcriptura, decumae, portoriũ. & Feſtus agrũ vocat ſcripturariũ, in quo vt pecora paſcantur, certum aes eſt: quod publicanus ſcribẽdo conficit rationẽ cum paſtore. Aſconius autẽ non ad vnã partẽ, ſed ad vniuerſam publicanorum rationẽ ſcripturae nomen videtur adiũgere. Mãcipes, inquit, ſunt publicanorũ principes, Romani homines: qui, quaeſtus ſui cauſſã, ſi decumas redimũt decumani appellãtur; ſi portũ, aut paſcua publica; portitores, aut pecuarij. quorũ ratio ſcriptura dicitur. Cum quo lib. 2. in Verrẽ ſentire videtur ipſe Cicero: ait enim: In ſcriptura Siciliae pro magiſtro eſt quidã L. Carpinatius. Et infra, eodẽ ſenſu: Portũ, & ſcripturãs eadẽ ſocietas habebat. Vbi, ſcripturas, dicit de paſcuis, & decumis, nõ, vt hic, de ſolis paſcuis. Nonius quoque, & Feſtus eos appellant ſcriptutarios qui mancipũ rationes faciebãt. Quae quaſi cõtrouerſia tollitur, ſi ſcripturae nomẽ ita generale putemus vt idẽ ſingulis partibus aſſignari poſſit. IN *ſalictis*] in paſcuis, vbi ſalices. NAM *& publicani.*] requiritur alterum, &: ſed eius loco ſubijcitur Deinde. nec vitioſum eſt. habetur enim ratio ſententiae potius quã verborum: vt cum, praepoſiti, primũ, interdum non ſubiicitur, deinde. cuius generis exempla non deſunt. HONESTISSIMI, *& ornatiſſimi,*] primum ad exiſtimationem, alterum ad rem familiarem refertur. SVAS *rationes, & copias*] quod ſtatim dicit, Res & fortunae. CETERIS *ex ordinibus,*] exceptis ſenatoribus quibus negotiari non licebat. ETENIM *illud primum parui refert.*] occurrit tacitae cogitationi: poſſet enim aliquis dicere: ſi vectigalia nunc amitterẽtur, victoria tamẽ poſtea recuperabuntur. Parui, inquit, hoc refert: & cur parui referat, ſtatim cauſſam ſubiungit. INITIO *belli Aſiatici,*] annis ante XXIII. FIDEM

concidiſſe.

concidiſſe.] cũ pecuniae creditae non ſoluuntur fides concidiſſe dicitur. or. 2. in Rullum: ſublata erat de foro fides. Caeſar lib. III bel ci. Cum fides tota Italia eſſet anguſtior. V I D E T E, *num dubitandum vobis ſit*] in, Videte, cohortatio quaedam liberior eſt, ex auctoritate dicentis, praeſertim ad populũ: nã in ſenatu, Videte, ſine arrogãtiae culpa nemo diceret. eadẽ licentia ſupra cognoſcitur in eo: ſed pro veſtri imperij dignitate, atque gloria, videte, quem vobis animũ ſuſcipiendũ putetis. Illa vero et iam aliquanto maior. Videte, ne, vt illis pulchertimum fuit, tantã vobis imperij gloriã relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit, illud, quod accepiſtis, tueri, & conſeruare non poſſe,

O R A T I O

QVONIAM de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Poteſt enim hoc dici; belli genus eſſe ita neceſſarium, vt ſit gerendum, non eſſe ita magnum, vt ſit pertimeſcendum. in quo maxime laborandum eſt, ne forte a vobis, quae diligentiſſime prouidenda ſunt, contemptu eſſe videantur. Atque, vt omnes intelligant, me L. Lucullo tantum impertiri laudis, quantum forti viro, & ſapientiſſimo homini & magno imperatori debeatur: dico, eius aduentu maximas Mithridatis copias, omnibus rebus ornatas, atque inſtructas, eſſe deletas; vrbemq. Aſiae clariſſimã, nobiſq. amiciſſimam, Cyzicenorum, obſeſſam ab ipſo rege maxima multitudine, & oppugnatam vehementiſſime, L. Luculli virtute, aſſiduitate, conſilio, ſummis obſidionis periculis liberatam: ab eodem imperatore claſſem magnam, & ornatam, quae ducibus Sertorianis, ad Italiam ſtudio inflammato raperetur, ſuperatam eſſe atque depreſſam: magnas hoſtiũ praeterea copias multis proeliјs eſſe deletas: pateſfactumq. noſtris legionibus eſſe Põtum, qui ante populo R. ex omni aditu clauſus eſſet: Sinopem, atque Amiſum, quibus in opidis erant domicilia regis, omnibus rebus ornata, atque referta, ceteraſq. vrbes Ponti, & Cappadociae permultas vno aditu, atque aduentu eſſe captas: regem, ſpoliatũ regno patrio, atque auito, ad alios ſe regẽs, atque alias gentes ſupplicem contuliſſe: atque haec omnia, ſaluis populi R. ſocijs, atque integris vectigalibus, eſſe geſta. Satis opinor hoc eſſe laudis; atque ita reputo, vt hoc vos intelligatis, a nullo iſtorum, qui huic obtrectant legi, atque cauſſae, L. Lucullum ſimiliter ex hoc loco eſſe laudatum. Requiretur fortaſſe nunc, quemadmodum, cum haec ita ſint, reliquum poſſit eſſe magnum bellum. cognoſcite, Quirites: non enim ſine cauſſa quaeri videtur. Primum, ex ſuo regno ſic Mithridates profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiſſe dicitur: quam praedicant in fuga fratris ſui membra in ijs locis, qua ſe parens perſequeretur, diſſipauiſſe; vt eorum collectio diſperſa, maerorq. patrius celeritatem perſequẽdi retardaret. ſic Mithridates fugiens, maximã vim auri, atque argenti, pulcherrimarumq. rerum omnium, quas & a maioribus acceperat, & ipſe bello ſuperiore ex tota Aſia direptas in ſuum regnum congeſſerat, in Ponto omnem reliquit. haec dum noſtri colligunt omnia diligentius, rex ipſe e manibus effugit. ita illum in perſequendi ſtudio maeror, hos laetitia tardauit. Hunc in illo timore, & fuga Tigranes, rex Armenius, excepit, diffidentemq. rebus ſuis confirmauit, & afflictum erexit, perditumq. recreauit. cuius in regnum poſtea quam L. Lucullus cum exercitu venit; plures etiam gentes contra imperatorem noſtrum concitatae ſunt. erat enim metus iniectus ijs, nationibus quas numquam populus R. neque laceſſendas bello, neque tentandas putauit. erat etiam alia grauis, atque vehemens opinio, quae per animos gentium barbarorũ peruaſerat, fani locupletiſſimi, & religioſiſſimi diripiẽdi cauſſa in eas oras noſtrum exercitum eſſe adductum. ita nationes multae, atque magnae nouo quodam terrore ac metu concitabantur. noſter autem exercitus, etſi vrbem ex Tigranis regno ceperat, & proelijs vſus erat ſecundis, tamen nimia longinquitate locorum, ac deſiderio ſuorum commouebatur. Hic iam plura non dicam, fuit enim illud extremum, vt ex ijs locis a militibus noſtris reditus magis maturus, quam proceſſus longior, quaereretur. Mithridates autem & ſuam manum iam confirmarat, & eorum, qui ſe ex eius regno collegerant, & magnis aduenticijs multorum regum, & nationum copijs iuuabatur. hoc iam fere ſic fieri ſolere accepimus, vt regum afflictae fortunae facile multorum opes alliciant ad miſericordiam, maximeq. eorum, qui aut reges ſunt, aut viuunt in regno; quod regale ijs nomen magnum, & ſanctum eſſe videatur. itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis numquam eſt auſus optare. nam, cum ſe in regnum recepiſſet ſuum, non fuit eo contentus, quod ei praeter ſpem acciderat, vt illam, poſtea quam pulſus erat, terram numquam attingeret; ſed in exercitum veſtrum, clarum, atque victorem, impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites, ſicut poetae ſolent, qui res Romanas ſcribunt, praeterire me veſtram calamitatẽ; quae tanta fuit, vt eam ad aures L. Luculli non ex proelio nuncius, ſed ex ſermone rumor afferret. Hic in ipſo illo malo, grauiſſimaq. belli offenſione L. Lucullus, qui tamẽ aliqua ex parte ijs incommodis mederi fortaſſe potuiſſet, veſtro iuſſu coactus, quod imperij diuturnitati modum ſtatuendum, veteri exemplo, putauiſtis, partem militum, qui iam ſtipẽdijs confectis erant, dimiſit, partẽ Glabrioni tradidit; Multa praetereo conſulto, ſed ea vos coniectura perſpicitis, quantum illud bellum futurum putetis, quod coniungant reges potentiſſimi, renouent agitatae nationes, ſuſcipiant integrae gentes, nouus imperator veſter accipiat, vetere expulſo exercitu.

E X P L A N A T I O

CYZICENORVM,] pro Murena, pro Archia, Tacitus, Plutarchus, Appianus. C L A S S E M *magnam*] cũ qua Lucullus apud Tenedũ pugnauit, auctore Cicerone pro Murena, pro Archia; vel apud Lemnum, non longe a Tenedo, teſtibus Plutarcho, & Appiano. D V C I B V S *Sertorianis,*] a Sertorio

a Sertorio ad Mithridatem miſſis. amplificat plures ſignificans, cum vnus in ea pugna Sertorij dux fuerit. Plutarchus, Appianus. AD *Italiam ſtudio inflammato raperetur,*] quod pro Murena dixit: Cum contento curſu, acerrimis ducibus, hoſtiũ claſſis Italiam, ſpe, atque animis inflata, peteret. PATEFACTVMQ.] Mithridate pulſo. pro Archia: Populus Romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum, & regijs quondam opibus, & ipſa natura regionis vallatum. Quod hic dicit, Omni aditu clauſus. AD *alios reges*] ad generum Tigranem Armeniae regem. ISTORVM,] Catulum, & Hortenſium praecipue ſignificat. QVI *huic obtrectant legi, atque cauſſae,*] Lucullo fauentes: cuius gloriam Pompeius, confecto Mithridatico bello, imminuit. SIMILITER] vt intelligatur, ſuadere me Maniliam legem reip. cauſſa, non, quo Luculli gloriae, partae maximis rebus geſtis, detractum quidquam velim. EX *hoc loco eſſe laudatum.*] occaſione legis a C. Manilio promulgatae, Lucullum ex Roſtris optimates, duo potiſſimum a nobis appellari, laudauerant, legem vero diſſuaſerant infra. EX *eodem Ponto Medea*] peruulgatas fabulas recitare, conſilij, & inſtituti noſtri non eſt. FRATRIS *ſui*] Abſyrti. ILLVM] Aeetam, Medeae patrem. FANI] Comana, Bellonae templum, ſignificat, cuius ſacerdos maieſtate, imperio, potentia ſecundus a rege, conſenſu illius gentis habebatur; vt ait Hirtius de bello Alexandrino, Appianus in fine Mithridatici: quod Cicero etiam oſtendit ep. ad Catonem. Strabo duo Comana, eodem & vrbis, & templi nomine, eidem deae dicata in Ponto, & in maiore Cappadocia fuiſſe narrat lib. XII. id ſi ita eſt, de Pontico fano locutum hic eſſe Ciceronem crediderim. cum dicat, In eas oras, tamquam hoſtiles, & barbaras: nam Cappadocia Ariobarzani regi ſocio, atque amico parebat. VRBEM *ex Tigranis regno*] Tigranocerta. Plutarchus. MATVRIVS,] citius, quam oportuit. IN *exercitum noſtrum*] a Lucullo diſcedente relictum, legati commendatum, vt Mithridati iam victo, ſi quid conaretur, obſiſterent. SICVT *poetae ſolent,*] Naeuius, qui primum Punicum bellum, Ennius, qui ſecundum verſibus perſecutus eſt. Poetas Cicero nominat ex more potius, quam e ſententia Ariſtotelis, qui poetam negat eſſe, qui non fingit Naeuio autem, & Ennio in rerum Romanarum hiſtoria fingere nihil licuit. ita nec Empedocles, phyſica ſcribens, Ariſtoteli poeta videtur. NON *ex praelio nuncius,*] ὑπερβολικῶς. nam infra, expulſum dicit exercitum Romanum, non omnino deletum. VESTRO *iuſſu coactus*] abrogato a vobis imperio. Appianus. STIPENDIIS *confectis*] cum annos iam decem militaſſent. GLABRIONI] quem ſucceſſiſſe Lucullo iam diximus. INTEGRAE] neque laceſſitae bello, neque tentatae. ſupra: cuius in regnum poſtea quam Lucullus venit, plures etiam gentes contra imperatorem noſtrum concitatae ſunt. NOVVS] nõ belli peritus, vt Lucullus, qui ſeptem iam annos in Aſia bellum geſſerat. VETERE *expulſo exercitu.*] de quo dixit: Sinite hoc loco, Quirites, praeterire me veſtram calamitatem.

O R A T I O

Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, magnitudine periculoſum. reſtat, vt de imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus praeficiendo, dicendum eſſe videatur. Vtinam, Quirites, virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberetis, vt haec vobis deliberatio difficilis eſſet, quemnam potiſſimum tantis rebus, ac tanto bello praeficiendum putaretis. nunc vero, cum ſit vnus Cn. Pompeius, qui non modo eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam virtute ſuperarit: quae res eſt, quae cuiuſquam animum in hac cauſſa dubium facere poſſit? ego enim ſic exiſtimo, in ſummo imperatore quattuor has res ineſſe oportere, ſciẽtiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine ſcientior vmquam aut fuit, aut eſſe debuit? qui e ludo, atque pueritiae diſciplina, bello maximo, atque acerrimis hoſtibus, ad patris exercitum, atque in militiae diſciplinam profectus eſt: qui extrema pueritia miles fuit ſummi imperatoris, ineunte adoleſcẽtia maximi ipſe exercitus imperator: qui ſaepius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertauit: plura bella geſſit, quam ceteri legerunt: plures prouincias confecit, quam alij concupiuerunt: cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris nõ alienis praeceptis ſed ſuis imperijs, non offenſionibus belli, ſed victorijs, nõ ſtipendijs, ſed triumphis eſt traducta. quod denique genus belli eſſe poteſt, in quo illum non exercuerit fortuna reip.? ciuile, Africanum, tranſalpinũ, Hiſpanienſe miſtum ex ciuitatibus, atque ex bellicoſiſſimis nationibus, ſeruile, nauale, varia & diuerſa genera & bellorum & hoſtium, non ſolum geſta ab hoc vno, ſed etiam confecta, nullam rem eſſe declarant in vſu militari poſitam, quae huius viri ſcientiam fugere poſſit. Iam vero virtuti Cn. Pompeii quae poteſt par oratio inueniri? quid eſt, quod quiſquam aut dignum illo, aut vobis nouum, aut cuiquam inauditum poſſit afferre? non enim illae ſunt ſolae virtutes imperatoriae, quae vulgo exiſtimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo: quae tanta ſunt in hoc viro, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audiuimus, non fuerunt. teſtis eſt Italia, quam ille victor L. Sulla huius virtute, & conſilio confeſſus eſt liberatam. teſtis eſt Sicilia, quam multis undique cinctam periculis; non terrore belli, ſed celeritate conſilii explicauit. teſtis eſt Africa, quae magnis oppreſſa hoſtium copiis eorum ipſorum ſanguine redundauit. teſtis eſt Gallia, per quã legionibus noſtris in Hiſpaniã iter, Gallorum internecione, patefactum eſt. teſtis eſt Hiſpania, quae ſaepiſſime plurimos hoſtes ab hoc ſuperatos proſtratoſq. conſpexit. teſtis eſt iterum, & ſaepius Italia, quae cum ſeruili bello taetro perículoſoq. premeretur, ab hoc auxilium abſente expetiuit: quod bellũ exſpectatione Pompeii attenuatum, atque imminutum eſt, aduentu ſublatum, ac ſepultum. teſtes vero iam omnes orae, atque omnes exterae gẽtes, ac nationes: denique

maria omnia tum vniuerſa, tum in ſingulis oris omnes ſinus, atque portus. quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit praeſidium, ut tutus eſſet; aut tam fuit abditus, vt lateret? quis nauigauit, qui non ſe aut mortis, aut ſeruitutis periculo committeret? cum aut hieme, aut referto praedonum mari nauigaretur. hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam late diuiſum, atque diſperſum, quis vnquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus vno anno, aut omnibus annis ab vno imperatore confici poſſe? quam prouinciam tenuiſtis a praedonibus liberam per hoſce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem ſocium defendiſtis? cui praeſidio claſſibus veſtris fuiſtis? quam multas exiſtimatis inſulas eſſe deſertas? quam multas aut metu relictas, aut a praedonibus captas vrbes eſſe ſociorum? Sed, quid ego longinqua commemoro? fuit hoc quondam, fuit proprium populi R. longe a domo bellare, & propugnaculis imperij ſociorum fortunas non ſua tecta, defendere. Socijs veſtris ego mare clauſum per hoſce annos dicam fuiſſe; cum exercitus noſtri Brundiſio numquam, niſi ſumma hieme, tranſmiſerint? Quid, ad nos cum ab exteris nationibus venirent, captos querar, cum legati populi R. redempti ſint? Mercatoribus tutum mare non fuiſſe dicam; cum duodecim ſecures in praedonum poteſtate peruenerint? Quid aut Colophonē, aut Samum, nobiliſſimas vrbes innumerabileſq. alias captas eſſe commemorem; cum veſtros portus, atque eos portus, quibus vitam, & ſpiritum ducitis, in praedonum fuiſſe poteſtatem ſciatis? an vero ignoratis, portum Caietae celeberrimum, atque pleniſſimum nauiū, inſpectante praetore, a praedonibus eſſe direptum? ex Miſeno autem, eius ipſius liberos, qui cum praedonibus antea ibi bellum geſſerat, a praedonibus eſſe ſublatos: nam quid ego Hoſtienſe incōmodum, atque illam labē, atque ignominiam reip. quaerar, cum, prope inſpectantibus vobis, claſſis ea, cui conſul populi R. praepoſitus eſſet, a praedonibus capta, atque oppreſſa eſt? Pro dij immortales, tantam ne vnius hominis incredibilis ac diuina virtus, tam breui tempore, lucem afferre reip. potuit, vt vos, qui modo ante oſtium Tiberinum claſſem hoſtium videbatis, ij nunc nullam intra Oceani oſtium praedonum nauem eſſe audiatis? Atque haec qua celeritate geſta ſint, quamquam videtis, tamen a me in dicendo praetereunda non ſunt. Quis enim vnquam, aut obeundi negotij, aut conſequēdi quaeſtus ſtudio, tam breui tempore, tot loca adire, tantos curſus conficere potuit, quā celeriter, Cn. Pompeio duce, belli impetus nauigauit? qui Siciliam adijt, Africam explorauit, inde Sardiniam cū claſſe venit, nōdum tempeſtiuo ad nauigandum mari: atque haec tria frumentaria ſubſidia reip. firmiſſimis praeſidijs, claſſibuſq. muniuit. inde ſe cum in Italiam recepiſſet, duabus Hiſpanijs, & Gallia ciſalpina praeſidijs, ac nauibus cōfirmata, miſſis item in oram Illyrici maris, & in Achaiam, omnemq. Graeciam nauibus, Italiae duo maria maximis claſſibus, firmiſſimiſq. praeſidijs adornauit: ipſe autem, vt a Brundiſio profectus eſt, vnde quinquageſimo die totam ad imperium populi R. Ciliciam adiunxit: omnes, qui vbique praedones fuerunt, partim capti, interfectiq. ſunt, partim vnius huius imperio, ac poteſtati ſe dediderunt. Idem Cretenſibus, cum ad eum vſque in Pamphiliam legatos, deprecatoreſq. miſiſſent, ſpem deditionis non ademit, obſideſq. imperauit. ita tātum bellum, tam diuturnum, tam longe lateq. diſperſum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme apparauit, ineunte vere ſuſcepit, media aeſtate confecit.

EXPLANATIO

EGo *enim ſic exiſtimo, in ſummo imperatore quattuor has res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.*]loci communes, quales hi ſunt, orationem ab eo, qui rhetoricam artem doceat prolixiorem, ab interprete breuiorem requirunt. Itaque memor inſtituti, muneriſq. mei, moderabor ſic, vt neque nihil omnino, neque pauciora, quam res poſtulet, attingam. SCIENTIAM *rei militaris*]diuturna militia partam. quamquam nonnulli, legendis libris, aut percunctando a peritis, cum ignari bellorum eſſent, praeclari duces euaſerunt. non enim omnes, qui bellica laude excelluerunt, ab ineunte aetate, aut a iuuentute in caſtris educati. contigerit hoc Alexandro magno, qui tot bella duce Philippo patre cognouit, tot victorias vidit: Hannibali cuius primam pueritiam pater Hamilcar Hiſpanienſibus bellis erudiuit: C. Mario, qui ad Numantiam Africano imperatore adoleſcens militiam exercuit: ipſi Cn. Pompeio, qui eludo atque pueritiae diſciplina, bello maximo, atque acerrimis hoſtibus ad patris exercitum, atque in militiae diſciplinam profectus eſt. Alij vero, cum ante virilem aetatem aut nunquā, aut perquā raro bellis gerendis interfuiſſent, obſeruatione tamen earum rerū, quas a ſummis ducibus geſtas excellentis ingenij doctrinaeq. viri ſcriptis expreſſas reliquerant, tantum in otio profecerunt, vt praeſtantiſſimorum poſtea ducum bellicam gloriā aſſecuti ſint talem Cicero L. Lucullū deſcribit: cuius ingenio memoriae, virtuti praeclarum illud Acad. lib. 2. teſtimonium dedit. Ad Mithridaticum bellum miſſus a ſenatu, non modo opinionem vicit omnium, quae de virtute eius erat, ſed etiam gloriam ſuperiorū. idq. eo fuit admirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum exſpectabatur, qui adoleſcentiam in forenſi opera, quaeſturae diuturnum tempus in Aſiae pace conſumpſerat. ſed incredibilis quaedā ingenij magnitudo nō deſiderauit indocilem vſus diſciplinam. itaque. cum totum iter, & nauigationem conſumpſiſſet partim in percunctando a peritis, partim rebus geſtis legendis, in Aſiam factus imperator venit, cū eſſet Roma profectus rei militaris rudis, habuit enim diuinam quandā memoriā rerū. VIRTVTEM,]quam in duo genera diuidit, vnum, quod ad bella proprie pertinet, de quo paullo poſt: Non enim illae ſunt ſolae virtutes imperatoriae, quae vulgo exiſtimantur, labor in negotijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo conſilium in prouidendo Alterum, quod in moribus cōſideratur; cuius partes ſunt, innocentia, tēperantia, fides facilitas, ingeniū, humanitas: de quibus aliquāto poſt. Vtroque virtutū genere qui excelluerint, perquā pauci ī omni aetate ſunt inuēti.

exemplis

exemplis vna tantũ Roma priſcis temporibus cum aberat omnis luxus,& corruptrix illa animorũ, corporumq. voluptas,ita floruit,vt plures propemodũ præſtãtes omni laude viros, vel ex vna familia numerare liceat,quam quos multis ſæculis reliquæ ſimul oẽs prouinciæ tulerint. in Græcia quidem,tot celebrata ingenijs,præter Thebanum Epaminondã,Ageſilaum Spartiatem,Themiſtoclẽ Athenienſem,paucos prætetea,qui cũ fortitudine iuſtitiã,integritatemq. coniunxerint quos habemus? Magna igitur Pompeij laus,qui talis,ac tantus exſtitetit:ſingularis autem in commemorandis eius virtutib. Ciceronis eloquentia: vt vere dixerit illud in quadam ad Atticũ epiſtola: Omnib.a me pictũ,& expolitum artis colorib. AVCTORITATEM,] virtute partam,felicitate auctam.infra. Vehementer pertinere ad bella adminiſtranda, quid hoſtes,quid ſocij de imperatorib.veſtris exiſtiment, quis ignorat? cũ ſciamus,homines in tantis rebus,vt aut contemnant,aut metuant,aut oderint,aut ament; opinione non minus famæ,quã aliqua certa ratione,cõmoueri. Africanus quidẽ ille maior, (vt illius omittã) Hãnibale ſuperato,auctoritate tantũ valuit,vt,cum L.Scipio,frater eius, cũ C. Lælio conſul eſſet,agereturq. in ſenatu de Aſia prouincia alterutri mandãda, in qua bellũ cum Antiocho opulentiſſimo rege,& cũ Hannibale duce gerendum eſſe putabatur,inclinante ad Lęliũ ſenatu,ſurrexerit,& ſe cum fratre legatũ iturũ eſſe dixerit.qua voce ſenatus commotus L.Scipioni Aſiã tradidit,in Africano prorſus omni rerum ſecundarũ ſpe collocata. FELICITATEM,] fortunę donũ, cuius eſt cum in omni re,tũ in re militari poteſtas maxima.fortuna vero a Dijs immortalib.pendet: quo pluris etiam æſtimanda.propterea diuinam Cicero ſortem appellat Phil.3. & hic infra in hanc ſententiam egregie diſputat. Nec ſine cauſſa,cum de Pompeio deligẽdo loqueretur,ad ceteras res, quæ in imperatore neceſſario requiruntur, hanc addendam putauit,ſaepe enim praeſtantib. viris, cum cetera quibus magnæ tes praeclare geruntur,adeſſent omnia,hæc vna defuit,adeoq. curſum virtutis impedijt,nihil vt proſpete ſuccederet. inde illa ad filium Aeneae vox apud Virgilium:

Diſce puer virtutem ex me, verumq. laborem,
Fortunam ex alijs.
Et illa,item ad filium, Aiacis apud Sophoclem;

ὦ παῖ· γένοιο μὲν πατρὸς εὐτυχέστερος,
τὰ δ᾽ ἄλλ᾽ ὅμοιος, καὶ γένοι᾽ ἂν οὐ κακός.

Iam Demoſthenes ἐν τῷ περὶ τῆς εἰρήνης non dubitat humanae ſapientiae felicitatem præferre. ἣν συμπάσης, inquit, ἐγὼ τῆς ἐν ἀνθρώποις οὔσης δεινότητος, κυριωτέρας ὁρῶ κρατοῦσαν. BELLO *maximo*,] ſociali. EXTREMA *pueritia*] pro Balbo. Qui pueritiae tempus extremum principium habuit bellorum,atque imperiorum maximorum. MILES *fuit ſummi imperatoris*,] patris eius,non Sullae. dux enim, non miles,ad Sullam profectus eſt. MAXIMI *exercitus*,] trium legionum. Plutarchus. QVI *ſaepius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertauit: plura bella geſſit,quam ceteri legerunt: plures prouincias confecit,quam ceteri concupiuerunt:*] egregius laudandi modus ex comparatione. ſimiliter pro Marcello. Nec vero diſiũctiſſimas terras citius cuiuſquam paſſibus potuiſſe peragrari, quã tuis non dicam curſib. ſed victorijs luſtratae ſunt. CONCERTAVIT:] verbis. nam,confligere,eſt armis contendere, vnde illud ad Att.lib.III. Quia nunquam accidit, vt cum eo verbo vno concertarem. CONFECIT,] adminiſtrauit. quamquam,conficere,plus quiddam eſt: nam exitum rei ſignificat. ad Att.lib.IV. Confecta Britannia,obſidibus acceptis. TRIVMPHIS] triumphauerat adhuc eques Romanus ex Africa de Hiarba,Numidię rege,& ex Hiſpania debellatis hoſtib. reip. Sertorianis ducib. Plutarchus,& alij. CIVILE,] Marianum AFRICANVM] quo Cn.Domitium,& Hiarbam deuicit, TRANSALPINVM,] Gallicum: quod quale fuerit,paullo poſt oſtenditur. Et in ipſius Pompeij epiſtola ad ſenatum,quæ legitur inter fragmenta Salluſtij,ſcripta ſunt hæc. Nomine modo imperij a vobis accepto, diebus XL. exercitum paraui: hoſteſq. in ceruicibus Italiæ iam agentes,ab Alpibus in Hiſpaniam ſummoui: per eas iter aliud,atq. Hannibal,nobis oportunius pateſeci; recepi Galliam, Pyrenæum. Appianus autem hoc amplius,iter ab eo patefactum in Alpibus,inter Padi & Rhodani fontes. MIXTVM *ex ciuitatibus*,] qua e a populo Romano ad Sertorium defecerant. EX *bellicoſiſſimis nationibus*,] Hiſpanis,& Luſitanis. SERVILE] a Spartaco gladiatore excitatum: cuius tamen confecti laus ad M.Craſſum proprie pertinet. Et hic Pompeio gratificatur, Craſſi laudem cum eo communicans. TESTIS *eſt Italia*,] ciuili bello liberata. SICILIA] in qua Marianatum partium ducem Cn. Carbonem oppreſſit. Plutarchus, Appianus. AFRICA,] in qua dixi iam ab eo deuictos eſſe Domitium,& Hiarbam regem. PER *quam legionibus noſtris in Hiſpaniam iter, Gallorum internecione, patefactum eſt.*] inter Padi, & Rhodani fontes, Romanis opportunius, quam quod Hannibal aperuerat. HISPANIA] in qua ſępe cum Sertorio primum, deinde cum eius ducib. pugnauit. ITERVM] ciuili bello primum,deinde ſeruili EXPETIVIT.] oratorie. confecto.n. Hiſpanienſi bello, Põpeius in Italiam redibat,non quod ab eo abſente auxilium Italia expeteret. Plutarchus tamen, deletas a Põpeio ſeruorum reliquias, auctor eſt. TAM *vetus*,] ortum ante annos viginti, Appiano teſte. NISI *ſumma hieme*,] piratarum metu. TRANSMISERINT] in Græciam, aut ipſam Aſiam, contra Mithridatem. DVODECIM *ſecures*,] duos praetores,Sextilium & Bilenum, vt ait Plutarchus, in prouinciam euntes. nam ſenis faſcibus in prouincijs praetores vtebantur, binis in vrbe. Polybius, Cicero agr.2. Cenſorinus. VESTROS *portus,atque eos portus*.] iterato verbo, portus, efficitur illa figura, de qua ſupra diximus in eo loco, Annum iam tertium & vigeſimum regnat, & ita regnat, vt ſe non Ponto, &c. QVIBVS *vitam, & ſpiritum ducitis*,] propter ea, quæ victus gratia in vrbem aſſidue

inuehuntur. IN *praedonum fuiſſe poteſtatem*,] pro poteſtate. de quo genere ſermonis diximus in ea pro Quinctio ad illum locum, Res eſſe in vadimonium coepit. INSPECTANTE *praetore*,] ignotum prætoris nomen. Sed hic prætor Caietae quid agerer. cum prętores in magiſtratu diſcedere non ſolerẽt, diuinare nõ poſſum: miſſum tamẽ a ſenatu ſuſpicor, vt piratas a Caietano litore arceret. quod factum non eſt. & ad eius prætoris contumeliam, Inſpectante prætore, dicitur. LIBEROS,] ſic veteres, licet de vno tantum, loquebantur exempla duo ſunt in Cluentiana, vnum: Fratris liberos prius vita priuanit, quam illi hanc ab natura propriam lucem accipere potuerunt. Alterum. Cuius filium faceret heredẽ, eum tutorẽ liberis non adſcripſit. In ea de Prou. Si ad iucundiſſimos liberos, ſi ad clariſſimũ generũ redire properaret. Loquitur de C. Cæſare, qui vnã filiã Iuliam, Põpeij Magni vxorẽ, habebat. Et Phil. 1. per liberos eius, dixit, vnũ Antonij filium ſignificãs. Hic autẽ, cum air Eius ipſius liberos, de vna loquitur M. Antonij oratoris filia, auctore Plntarco in Pompeio. CONSVL *populi Romani*,] vitat, omiſſo nomine, contumeliam. IAM *breui tempore*,] vnde quinquageſimo die: vt infra. alij. piratas omnes quadraginta diebus a Pompeio deletos eſſe prodiderunt INTRA *Oceani oſtium*] intra fretum Herculeum. BELLI *impetus nauigauit*?] poetice: vt illud infra: Venti, tempeſtateſq. obſecũdarint. Et pro Coelio: Ex hac igitur domo progreſſa iſta mulier de veneni celeritate dicere audebit? nonne ipſa domũ metuet, ne quam vocẽ eliciat? non parietes conſcios non noctẽ illã funeſtã, & luctuoſam perhorreſcit? Et pro Marcello: Parietes mediusfidius, C. Caeſar, vt mihi videtur huius curiae tibi gratias agere geſtiunt. Quib. in locis, cum ſenſus tribuatur inanimis rebus, exſiſtit quidã orationis decor, & quædã poetarum propria venuſtas, oratori nonnumquã, pręſertim in laudando, conceſſa. INDE *Sardiniam cum claſſe uenit*,] in Sardiniam, vel Inde in Sardiniam, videtur eſſe rectius. cum Sardinia non ſit proprium loci nomen. & ſubiungitur, Inde ſe cum in Italiam recepiſſet Duo *maria*] ſuperum, & inferum. CRETENSIBVS,] cum quibus bellum gerebat Q. Metellus, cui poſtea cognomen ex victoria fuit Cretico. VSQVE *in Pamphiliam*] quod infra dicit, In vltimas prope terras. Cretenſium, inquit, legati. cum in eorum inſula noſter imperator, exercituſque eſſet, ad Cn. Pompeium in vltimas terras venerunt, eiq. ſe omnes Cretenſium ciuitates dedere velle dixerunt.

O R A T I O

EST haec diuina atque incredibilis uirtus imperatoris: quid ceterae, quas paullo ante commemorare coeperam, quanto, ante quam multae ſunt? non enim ſolum bellandi uirtus in ſummo atque perfecto imperatore quaerenda eſt, ſed multae ſunt artes eximiae huius adminiſtrae comitesque uirtutis. Ac primum, quanta innocentia debent eſſe imperatores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia? quanta fide? quanta facilitate? quanto ingenio? quanta humanitate? quae, breuiter, quanta ſint in Cn. Pompeio, conſideremus ſumma enim omnia ſunt, Quirites; ſed ea magis ex aliorum contentione, quam ipſa per ſeſe, cognoſci, atque intelligi poſſunt. Quem enim poſſumus imperatorem aliquo in numero putare, cuius in exercitu ueneant centuriatus, atque uenerint? quid hunc hominem magnum, aut amplum de rep. cogitare, qui pecuniam, ex aerario deprompram ad bellum adminiſtrandum, aut, propter cupiditatem prouinciae, magiſtratibus diuiſerit, aut, propter auaritiam, Romae in quaeſtu reliquerit? Veſtra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoſcere uideamini, qui haec fecerint. ego autem neminem nomino quare iraſci mihi nemo poterit, niſi qui ante de ſe uoluerit confiteri. itaque propter hanc auaritiam imperatorũ quantas calamitates, quocumque uentum ſit, noſtri exercitus ferant, quis ignorat? itinera, quae per hoſce annos in Italia per agros, atque opida ciuium Rom. noſtri imperatores fecerunt, recordamini: tum facilius ſtatuetis quid apud exteras nationes fieri exiſtimetis. utrum plures arbitramini per hoſce annos militum noſtrorum armis hoſtium urbes, an hibernis ſociorum ciuitates eſſe deletas? neque enim poteſt exercitum is continere imperator, qui ſe ipſum non continet; neque ſeuerus eſſe in iudicando, qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices nõ uult. Hic miramur hunc hominem tantum excellere ceteris, cuius legiones ſic in Aſiam peruenerunt, ut non modo manus tanti exercitus, ſed ne ueſtigium quidem cuiquam pacato nocuiſſe dicatur? Iam uero; quemadmodum milites hibernent, quotidie ſermones ac litteras perferuntur: non modo, ut ſumptum faciat in militem, nemini uis affertur, ſed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. hiemis enim, nõ auaritiae, perfugium maiores noſtri in ſociorum, atque amicorum tectis eſſe uoluerunt.

E X P L A N A T I O

QVAS *paullo ante commemorare coeperam*,] coepit in eo loco Non. n. illæ ſunt ſolae virtutes imperatoriæ. quæ vulgo exiſtimãtur. Quamquã, interpoſita virtutum illarũ narratione, mentionem earum, quæ ad mores pertinent, hucuſq. diſtulit. HVIVS *adminiſtrae, comiteſque uirtutis*.] quia victoriam adiuuant. populi enim. harum virtutum fama cõmoti, tali ſe tantoq. viro libenter dedunt. QVANTA *innocentia*] iure orditur ab ea virtute, quæ reliquis antecellit, & quaſi familiam ducit. nam vt ceteræ ſint virtutes, ipſa præſtat. CONTENTIONE,] comparatione. nam, contendere, interdum eſt comparare. or. 2. in Rullum. Opidorum autem finitimorum illam copiam cũ hac per riſum. ac per o cum contendent. CVIVS *in exercitu ueneant centuriatus, atque uenierint*?] non arbitror hæc in Lucullum conferri, quẽ haud multo ante magnifice laudauit. & Lucullus ante aliquot annos contra Mithridatem

thridatem

thridatẽ profectus erat. hic autẽ, quẽ Cicero deſcribit, paulloante profectus videtur. ſubiũgit enim: Quid hunc hominẽ magnũ, & amplum de rep. cogitare, qui pecuniã, ex aerario depromptã ad bellum adminiſtrandũ, aut, propter cupiditatẽ prouinciæ, magiſtratibus diuiſerit, aut, propter auaritiã Romae in quaeſtu reliquerit? Eodemq. pertinet, quod ſtatim ſequitur. Veſtra admurmuratio facit, Quirites. vt agnoſcere videamini qui haec fecerint. Sed multo apertius aliquanto poſt: Difficile eſt dictu, Quirites, quanto in odio ſimus apud exteras nationes, propter eorũ, quos ad eos hoc anno cũ imperio miſimus iniurias, ac libidines. Potius igitur indicari crediderim Aciliũ Glabrionẽ; cui partẽ militũ, ſucceſſori ſuo, a Lucullo iam eſſe traditam, ſupra dixit. Centuriatus ordo militiae fuit, quo centuriones, meritis inſignes ornabantur. MAGISTRATIBVS *diuiſerit.*] quo diutius, ipſis cõcedentibus, aut etiã adiuuantibus adminiſtrare prouinciã poſſet. iam enim increbuerat imperij prorogandi cõſuetudo. ROMAE *in quaeſtu reliquerit?*] idẽ obijcit Piſoni his verbis: Nonne ſeſtertiũ cẽties & octogies, quod quaſi vaſarij nomine, in venditionẽ ei capitis adſcripſeras, ex aerario tibi attributum, Romae in quaeſtu reliquiſti? SIC *in Aſiam peruenerunt.*] piratico bello. hibernandũ enim fuit ĩcõtinẽti.

O R A T I O

Age vero, ceteris in rebus quali ſit temperantia, conſiderate. Vnde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem curſum inuentum putatis? non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quaedam gubernandi, aut venti aliqui noui tam celeriter in vltimas terras pertulerunt; ſed hae res, quae ceteros remorari ſolent, non retardarunt: non auaritia ab inſtituto curſu ad praedam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem: poſtremo ſigna, & tabulas, ceteraq. ornamenta Graecorum oppidorum, quae ceteri tollenda eſſe arbitrantur, ea ſibi ille ne viſenda quidem exiſtimauit. itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium, ſicut aliquem non ex hac vrbe miſſum, ſed de caelo delapſum, intuentur. nunc denique incipiunt credere fuiſſe homines Romanos hac quondam abſtinentia: quod iam nationibus exteris incredibile, ac falſo memoriae proditum videbatur. nunc imperij noſtri ſplendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt, non ſine cauſſa maiores ſuos tum, cum hac temperantia magiſtratus habebamus, ſeruire populo R. quam imperare aliis, maluiſſe. Iam vero ita faciles aditus ad eum priuatorum, ita liberae querimoniae de aliorum iniuriis eſſe dicuntur, vt is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis eſſe videatur. Iam, quantum conſilio, quantum dicendi grauitate, & copia valeat, in quo ipſo ineſt quaedam dignitas imperatoria. vos, Quirites, hoc ipſo in loco saepe cognoſtis. Fidem vero eius inter ſocios quantum exiſtimari putatis, quam hoſtes omnium gentium ſanctiſſimam eſſe iudicarint? Humanitate iam tanta eſt, vt difficile dictu ſit, vtrum hoſtes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an manſuetudinem victi dilexerint. Et quiſquam dubitabit, quin huic tantum bellum hoc tranſmittendum ſit, qui ad omnia veſtrae memoriae bella conficienda diuino quodam conſilio natus eſſe videatur? Et, quoniam auctoritas multum in bellis quoque adminiſtrandis, atque imperio militari valet: certe nemini dubium eſt, quin ea in re idem ille imperator plurimum poſſit. vehementer autem pertinere ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocij de imperatoribus veſtris exiſtiment, quis ignorat, cum ſciamus, homines in tantis rebus, vt aut contemnant, aut metuant; aut oderint, aut ament; opinione non minus famae, quam aliqua certa ratione, commoueri? Quod igitur nomen vmquam in orbe terrarum clarius fuit? cuius res geſtae pares? de quo homine vos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta, & tam praeclara iudicia feciſtis? an vero vllam vſquam eſſe oram tam deſertam putatis quo non illius diei fama peruaſerit, cum vniuerſus populus R. referto foro, repletisq. omnibus templis, ex quibus hic locus conſpici poteſt, vnum ſibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depopoſcit? itaque, vt plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum huius auctoritas valeat in bello; ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla ſumantur: qui quo die a vobis maritimo bello praepoſitus eſt imperator, tanta repente vilitas annonae ex ſumma inopia, & caritate rei frumentariae conſecuta eſt vnius ſpe, & nomine, quantam vix ex ſumma vbertate agrorum diuturna pax efficere potuiſſet. Iam vero, accepta in Ponto calamitate ex eo proelio, de quo vos paullo ante inuitus admonui, cum ſocij pertimuiſſent, hoſtium opes, animiq. creuiſſent; cum ſatis firmum praeſidium prouincia non haberet; amiſiſſetis Aſiam, Quirites, niſi ipſum id temporis diuinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi R. attuliſſet. huius aduentus Mithridatem, inſolita inflammatum victoria, continuit, & Tigranem, magnis copijs minitantem Aſiae, retardauit. Et quiſquam dubitabit, quid virtute profecturus ſit, qui tantum auctoritate profecerit? aut quam facile imperio, atque exercitu ſocios, & vectigalia conſeruaturus ſit, qui ipſo nomine, ac rumore defenderit? Age vero, illa res quantam declarat eiuſdem hominis apud hoſtes populi R. auctoritatem, quod ex locis tam longinquis, tamq. diuerſis, tam breui tempore omnes vni huic ſe dediderunt? quod Cretenſium legati, cum in eorum inſula noſter imperator exercitusq. eſſet, ad Cn. Pompeium in vltimas prope terras venerunt, eiq. ſe omnes Cretenſium ciuitates dedere velle dixerunt? Quid? idẽ ipſe Mithridates nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum vſque in Hiſpaniam miſit? eumq. Pompeius legatum ſemper iudicauit; ij quibus ſemper erat moleſtum ad eum potiſſimum eſſe miſſum, ſpeculatorẽ, quam legatum, iudicare maluerunt. Poteſtis igitur iam conſtituere, Quirites, hanc auctoritatem, multis poſtea rebus geſtis, magnisq. veſtris iudiciis amplificatã, quantum apud illos reges, quantum apud exteras nationes valituram eſſe exiſtimetis.

EXPLA-

EXPLANATIO

IN VLTIMAS *terras*] in Phamphiliam, de qua infra dicit, In vltimas prope terras. NON *auaritia*] & Plutarchus, & alij, hoc eum vitio liberant. tantum enim abfuit a continuandae poſſeſſionis cupiditate, vt nullum vnquam fundum a vicinis emere voluerit. NVNC *denique incipiunt credere*,] credimus enim cognita re potius, quam audita. ILLIS *gentibus lucet*] obſcuratus intermiſſione virtutum. IAM *uero ita faciles ad eum priuatorum*,] ſi propoſitus earum artium ordo, quae, praeter bellandi virtutem, in ſummo imperatore ſunt quaerendae, ſeruandus eſt: non hic facilitatis, verum fidei laudandae locus erat. QVANTVM *conſilio*,] conſilium hic appellat, quod ſupra ingenium. grauitas enim, & copia dicendi, ab ingenio maxime proficiſcitur. Sed quia ſine conſilio, atque prudentia nihil fit, ideo conſilium vocauit ad maiorem Pompeij laudem. ingenium enim naturae bonum eſt, non voluntatis, & induſtriae. HOC *ipſo in loco ſaepe cognoſtis*.] cum eum de Roſtris concionantem audiretis. HOSTES *omnium gentium*,] piratae, qui cum omnibus gentibus bellum gerunt. praedam vndecumque capientes. Itaque paullo poſt, communne omnium gentium bellum appellat. SANCTISSIMAM *eſſe iudicarint?*] quia ſe illi tradiderunt, hoſtile nihil timentes. VIRTVTEM *eius*] bellandi virtutem ſignificat: manſuetudinem autem vt artem huius adminiſtram, comitemq. virtutis agnoſcit. ET *quiſquã dubitabit*,] pro, dubitandum non eſt. vt paullo poſt: Et quiſquam dubitabit, quid virtute profecturus ſit, qui tantum auctoritate profecerit? TRANSMITTENDVM *ſit*,] deferendum ſit. hoc verbo fortaſſe vſus eſt, habita abſentis Pompeij ratione, cui quaſi mitti bellum oportet. IN *bellis quoque adminiſtrandis*,] non ſolum in vrbe. TANTA, *& tam praeclara iudicia feciſtis?*] delatis ad eum ſummis imperijs, in quibus maritimi belli cura fuit. ILLIVS *diei*] quo legem de Pompeio contra piratas mittendo A. Gabinius tribunus pl. tulit. HIC *locus*] Roſtra. COMMVNE *omnium gentium bellum*] piraticum. INVITVS *admonui*,] non diſſerui multis verbis, ne veſtram vobis calamitatem ante oculos ponerem, ſed paucis admonui: ne quid ſcilicet eiuſmodi, vobis cauentibus, in poſterum poſſet accidere. ſupra: Sinite hoc loco, Quirites, ſicut poetae ſolent, qui res Romanas ſcribunt, praeterire me veſtram calamitatem; quae tanta fuit vt eam ad aures L. Luculli non ex proelio nuncius, ſed ex ſermone rumor afferret. NON *haberet*;] diſcedente Lucullo iuſſu veſtro. IPSVM *id temporis*] eo ipſo tempore. DIVINITVS] non humano conſilio. non enim Aſiae Pompeio, ſed maritimi belli adminiſtratio tradita fuerat. FORTVNA *populi Romani*] & hic ſatis conſtat, cum dixerit, Diuinitus, poteſtatis deorum immortalium fortunam eſſe. ATTVLISSET] actionem fortunae dat, vt animatae rei. ſic pro Milone. Dura mihi medius fidius fortuna populi Romani, & crudelis videbatur, quae tot annos illum in hanc remp. inſultare videret, & pateretur. INSOLITA] cum antea victus eſſet a Sulla, a Murena, a Lucullo. CONTINVIT,] hoc eſt quod ſupra dicit: Cuius aduentu ipſo, atque nomine, tametſi illum ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hoſtium repreſſos eſſe intelligunt, ac retardatos. RETARDAVIT.] continuit, de propinquo hoſte Mithridate dixit: Retardauit, de Tigrane, qui longius aberat. Mithridatis enim, non Tigranis, illa victoria fuit. ET *quiſquam dubitabit, quid uirtute profecturus ſit, qui tantum auctoritate profecerit?*] optima ratio. nam ſi auctoritas, virtute iam parta, aliquid prodeſt: quis dubitet, quin ipſa virtus profutura multum ſit? NOSTER *imperator*,] Q. Metellus. IN *ultimas prope terras*] in Phamphiliam. AD *eum potiſſimum*] cum tamen ſimul cum eo Q. Metellus Pius imperio pari contra Sertorium bellum gereret. POSTEA] poſt Hiſpanienſe bellum. REBVS *geſtis*] contra piratas. VESTRIS *iudicijs*] & hoc referri neceſſe eſt ad maritimum bellum, populi ſuffragijs ei mandatum Gabinia lege.

ORATIO

RELIQVVM eſt, vt de felicitate, quam praeſtare de ſe ipſo nemo poteſt, meminiſſe & commemorare de altero poſſumus, ſicut aequum eſt homini de poteſtate deorum, timide, & pauca dicamus. Ego enim ſic exiſtimo, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & ceteris magnis imperatoribus, non ſolũ propter virtutem, ſed etiam propter fortunã ſaepius imperia mandata, atque exercitus eſſe commiſſos. fuit enim profecto quibuſdam ſummis uiris quaedam ad amplitudinem, & gloriam, et ad res magnas bene gerendas diuinitus adiuncta fortuna. de huius autem hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac vtar moderatione dicendi; non vt in illius poteſtate fortunam poſitam eſſe dicam; ſed vt praeterita meminiſſe, reliqua ſperare videamur: ne aut inuiſa dijs immortalibus oratio noſtra, aut ingrata eſſe videatur. itaque non ſum praedicaturus, Quirites, quantas ille res domi, militiaeque, terra, marique, quantaq. felicitate geſſerit; vt eius ſemper voluntatibus non modo ciues aſſenſerint, ſocij obtemperarint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti tempeſtatesq. obſecundarint: hoc breuiſſime dicã, neminem umquam tam impudentem fuiſſe, qui a diis immortalibus tot & tãtas res tacitus auderet optare, quot & quantas dii immortales ad Cn. Pompeium detulerũt. quod vt illi proprium, ac perpetuum ſit, Quirites, cum cõmunis ſalutis, atque imperii, tum ipſius hominis cauſa, ſicuti facitis, velle, & optare debetis. Quare, cum & bellum ita neceſſarium ſit, vt negligi non poſſit; ita magnum, vt accuratiſſime ſit adminiſtrandum; & eum ei imperatorem praeficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſciẽtia, ſingularis virtus, clariſſima auctoritas, egregia fortuna;

tuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod a dijs immortalibus oblatum, & datum eſt, in remp. conſeruandam atque amplificandam conferatis? Quod ſi Romae Cn. Pompeius priuatus eſſet hoc tempora, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus. nunc, cum ad ceteras ſummas vtilitates haec quoque opportunitas adiungatur; vt in ijs ipſis locis adſit; vt habeat exercitum; vt ab ijs, qui habent, accipere ſtatim poſſit: quid exſpectamus? aut cur non, ducibus dijs immortalibus, eidem, cui cetera ſumma cum ſalute reipub. commiſſa ſunt, hoc quoque bellum regium committimus?

EXPLANATIO

QVAM *praeſtare de ſe ipſo nemo poteſt.*] nemo ſibi poteſt felicitatem conficere: non eſt in cuiuſquam hominis poteſtate felicitas: pendet enim a dijs immortalibus, & in eorum poteſtate ſita eſt. nam & ſæpe recte ac prudenter agentibus euenta parum proſpere ſuccedunt: & contra, qui conſilio ac prudentia minus valent, ijs interdum ſecunda ſunt omnia. quo probatur, neminem a ſe ipſo felicitatem præſtare poſſe idq. deorum eſſe bonum, & ab ijs vel dari vel auferri. TIMIDE,] ne, quod eſt deorum homini tribuiſſe videar. PAVCA] ideo pauca, quia timide. MAXIMO, *Marcello, Scipioni.*] Q. Fabio Maximo Cunctatori: M. Claudio Marcello, qui primus docuit Hannibalem poſſe vinci: P. Cornelio Scipioni, Paulli filio: hunc enim potius, quam ſuperiorem, ſignificari puto. INVISA] ſi fortunam in Pompeij poteſtate poſitam fuiſſe dicam, quæ deorum in poteſtate poſita eſt. INGRATA] ſi nec praeterita meminiſſe, nec reliqua ſperare videamur. VENTI, *tempeſtatisq. obſecundarint:*] & hoc poeticum, vt illud ſupra, Belli impetus nauigauit. SICVTI *factus,*] quod imperia, ad illum a vobis extra ordinem delata, declarant.

ORATIO

AT enim vir clariſſimus, reipub. & veſtris beneficijs ampliſſimis affectus, Q. Catulus, itemque ſummis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenij praeditus Q. Hortenſius, ab hac ratione diſſentiunt. quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuiſſe, & valere oportere confiteor: ſed in hac cauſſa, tametſi cognoſcitis auctoritates contrarias fortiſſimorũ virorum, & clariſſimorum, tamen omiſſis auctoritatibus, ipſa re & ratione exquirere poſſumus veritatem, atque hoc facilius, quod ea omnia, quae adhuc a me dicta ſunt, ijdem iſti vera eſſe concedunt; & neceſſarium bellum eſſe, & magnum, & in vno Cn. Pompeio ſumma eſſe omnia. Quid igitur ait Hortenſius? ſi vni omnia tribuenda ſunt, vnum digniſſimum eſſe Pompeium; ſed ad vnum tamen omnia deferri non oportere. Obſoleuit iam iſta oratio, re multo magis, quam verbis, refutata. nam tu idem, Q. Hortenſi, multa, pro tua ſumma copia, ac ſingulari facultate dicendi, & in ſenatu contra virum fortem A. Gabinium grauiter, ornateque dixiſti, cum is de vno imperatore contra praedones conſtituendo legem promulgaſſet: & ex hoc ipſo loco permulta idem contra legem verba feciſti. quid tum, per deos immortales, ſi plus apud populum Rom. auctoritas tua, quam ipſius populi Ro. ſalus, & vera cauſſa valuiſſet, hodie hanc gloriam, atque hoc orbis terrae imperium teneremus? an tibi tum imperium eſſe hoc videbatur, cum populi Rom. legati, praetores, quaeſtoresque capiebantur? cum ex omnibus prouincijs commeatu & priuato, & publico prohibebamur? cum ita clauſa erant nobis omnia maria, vt neque priuatam rem maritimã, neque publicam iam obire poſſemus? quae ciuitas antea numquam fuit, non dico Athenienſium, quae ſatis late quondam mare tenuiſſe dicitur; non Carthaginienſium, qui permultum claſſe, maritimisq. rebus valuerunt, non Rhodiorum, quorum uſque ad noſtram memoriam diſciplina naualis, & gloria remanſit; quae ciuitas antea vnquam tam tenuis, quae tam parua inſula fuit, quae non portus ſuos, & agros, & aliquam partem regionis, atque orae maritimae per ſe ipſa defenderet? At hercle aliquot annos continuos ante legem Gabiniam, ille populus Rom. cuius vſque ad noſtram memoriam nomen inuictum in naualibus pugnis permanſerat, magna, ac multo maxima parte non modo vtilitatis, ſed dignitatis, atque imperij caruit. nos, quorum maiores Antiochum regem claſſe, Perſenque ſuperarunt, omnibus naualibus pugnis Carthaginiẽſes, homines in maritimis reb. exercitatiſſimos, paratiſſimosq. vicerunt, ij nullo in loco iam praedonibus pares eſſe poteramus. nos quoque, qui antea non modo Italiam tutam habebamus, ſed omnes ſocios in vltimis oris auctoritate noſtri imperij ſaluos praeſtare poteramus, tum cum inſula Delos, tam procul a nobis in Aegaeo mari poſita, quo omnes vndiq. cum mercibus atque onerib. commeabant, referta diuitiis, parua, ſine muro, nihil timebat: iidem non modo prouinciis, atque oris Italiae maritimis, ac portubus noſtris, ſed etiã Appia iam via carebamus. & his temporibus non pudebat magiſtratus populi R. in hũc ipſum locum adſcendere, cum eum vobis maiores veſtri exſuuiis nauticis, & claſſium ſpoliis ornatum reliquiſſent. Bono te animo tum, Q. Hortenſi, populus Rom. & ceteros, qui erant in eadem ſententia, dicere, exiſtimauit ea, quae ſentiebatis, ſed tamen in ſalute communi idem populus Rom. dolori ſuo maluit, quam auctoritati veſtrae, obtemperare. itaque vna lex, vnus vir, vnus annus non modo nos illa miſeria, ac turpitudine liberauit, ſed etiam effecit, vt aliquando videremur omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperare. Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum eſſe adhuc, Gabinio dicam, an ne Pompeio, an vtrique? id quod eſt verius. ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio expetenti, ac poſtulanti? vtrum, ille, qui poſtulat legatum ad tantum bellum, quem velit, idoneus non eſt, qui impetret, cum ceteri ad expilandos ſocios, diripiendasq. prouincias, quos voluerunt, legatos eduxerint: an ipſe, cuius lege ſalus ac dignitas populo Ro. atque omnibus gentibus conſtituta eſt, expers eſſe debet gloriae eius imperatoris, atque

eius

eius exercitus, qui conſilio ipſius, atque periculo eſt conſtitutus? an C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Coelius Latinienſis, Cn. Lentulus, quos omnes honoris cauſſa nomino, cum tribuni pl. fuiſſent, anno proximo legati eſſe, potuerunt: in hoc vno Gabinio ſunt tam diligentes? qui in hoc bello, quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore, atq. exercitu, quem per ſe ipſe conſtituit, etiam præcipuo iure eſſe deberet. de quo legando ſpero conſules ad ſenatum relaturos. qui ſi dubitabunt, aut grauabuntur: ego me profiteor relaturum: neq. me impediet cuiuſquam, Quirites, inimicum edictum, quo minus, fretus vobis, veſtrum ius, beneficiumq. defendam: neq. præter interceßionẽ, quicquam audiam: de qua, vt arbitror, iſti ipſi, qui minãtur, etiam atq. etiam, quid liceat, conſiderabunt. mea quidem ſententia, Quirites, vnus A. Gabinius, belli maritimi, rerumq. geſtarum auctor, comes Cn. Põpeius adſcribitur; propterea quod alter vni id bellum ſuſcipiendum veſtris ſuffragiis detulit: alter delatum, ſuſceptumq. confecit,

E X P L A N A T I O

FORTVNAE,] propter nobilitatem. VIRTVTIS,] propter integritatem, & prudentiam. INGENII,] propter eloquentiam. OBSOLEVIT] iam non valet, iam locum non habet. RE] exemplis. LEGATI. *praetores,*] de quibus ſupra. NIHIL *timebat;*] opibus freta populi Romani. APPIA *nia*] quae cum ſit propinqua mari, per eam iter habere, piratis mare tenentibus, ſine periculo non dicebat. DOLORI *ſuo*] propter incommoda a praedonibus accepta. ESSE *potuerunt;*] contra morem. TAM *diligentes?*] negant enim anno poſt tribunatum proximo tribunum pl. eſſe poſſe. INIMICVM *edictum,*] ſi quis edixerit, ne quis ad ſenatum, præter conſules, referre poſſit. VESTRVM *ius, beneficiumq.*] in lege Gabinia ſcriptum arbitror fuiſſe, vt Pompeius, quos ipſe vellet legatos poſtularet. PRAETER *interceßionem,*] blanditur populo, cum ſe ſolis tribunis pl. intercedẽtibus ceſſurum eſſe dicit. QVI *minantur,*] ſe interceſſuros, aut, alij vt intercedant, operam daturos. QVID *liceat,*] contra ius, beneficiumq. veſtrum.

O R A T I O

REliquum eſt, vt de Q. Catuli auctoritate, & ſententia dicendum eſſe videatur. qui cum ex vobis quæreret, ſi in vno Cn. Pompeio omnia poneretis, ſi quid de eo factum eſſet, in quo ſpem eſſetis habituri; cepit magnum ſuæ virtutis fructum, ac dignitatis, cum omnes prope vna voce, in eo ipſo vos ſpẽ habituros eſſe, dixiſtis. etenim talis eſt vir, vt nulla res tãta ſit, ac tam difficilis, quã ille nõ & cõſilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere poſſit. ſed in hoc ipſo ab eo vehemẽtiſſime diſſentio, quod, quo minus certa eſt hominũ, ac minus diuturna vita, hoc magis reſp. dũ per deos immortales licet, frui debet ſummi hominis vita atq. virtute. At enim nihil noui fiat contra exẽpla, atq. inſtituta maiorũ. Non dico hoc loco, maiores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati paruiſſe, ſemper ad nouos caſus temporum, nouorum conſiliorum rationes accõmodaße: non dicam, duo bella maxima, Punicum, & Hiſpanienſe, ab vno imperatore eſſe confecta, duas vrbes potentiſſimas, quæ huic imperio maxime minabantur, Carthaginem, atq. Numantiam, ab eodem Scipione eſſe deletas: non cõmemorabo, nuper ita vobis patribusq. veſtris eſſe viſum, vt in vno C. Mario ſpes imperii poneretur, vt idem cum Iugurtha, idem cũ Cimbris, idem cum Theutonis bellum adminiſtraret: in ipſo Cn. Põpeio, in quo noui conſtitui nihil vult Q. Catulus, quam multa ſint noua, ſummaq. Catuli voluntate conſtituta, recordamini. quid tã nouum, quam, adoleſcentulũ priuatum, exercitum difficili reip. tẽpore conficere? confecit: huic præeſſe? præfuit: rem optime ductu ſuo gerere? geſſit. Quid tã præter conſuetudinem, quam, homini peradoleſcenti, cuius a ſenatorio gradu aetas longe abeſſet, imperium, atq. exercitum dari? Siciliã permitti, atq. Africã, bellumq in ea adminiſtrandum? fuit in his prouinciis ſingulari innocentia, grauitate, virtute: bellũ in Africa maximũ confecit: victorem exercitum deportauit. Quid vero tam inauditum, quam equitem R. triumphare? at eam quoq. rem populus R. non modo vidit, ſed etiã ſtudio omni viſendam putauit. Quid tã inuſitatũ, quam vt, cum duo cõſules clariſſimi, fortißimiq. eſſent, eques R. ad bellum maximum, formidoloſiſſimumq. pro conſule mitteretur? miſſus eſt. quo quidem tempore, cum eſſet nõ nemo in ſenatu, qui diceret, non oportere mitti hominem priuatũ pro conſule; L. Philippus dixiße dicitur, nõ ſe illum ſua ſententia pro conſule, ſed pro conſulibus mittere. tanta in eo reip. bene gerendæ ſpes cõſtituebatur, vt duorum conſulum munus vnius adoleſcentis virtuti committeretur. Quid tam ſingulare, quam vt ex S. C. legibus ſolutus, cõſul ante fieret, quam vllum aliũ magiſtratum per leges capere licuiſſet? Quid iam incredibile, quam vt iterum eques R. ex S. C. triumpharet? Quæ in omnib. hominib. noua, poſt hominum memoriã conſtituta ſunt, ea tã multa non ſunt, quã hæc, quæ in hoc uno homine uidimus. Atque hæc tot exẽpla, tãta, ac tam noua, profecta ſunt in eundem hominem a Q. Catulo, atque a ceterorũ eiuſdem dignitatis ampliſſimorum hominũ auctoritate. Quare videant, ne ſit periniquum, & non ferendum, illorum auctoritatem de Cn. Pompeii dignitate a uobis comprobatam ſemper eſſe, veſtrum ab illis de eorum homine iudicium, populiq. R. auctoritatẽ improbari: præſertim cum iã ſuo iure populus R. in hoc homine ſuam auctoritatem uel cõtra oẽs, qui diſſentiunt, poſſit defendere: propterea quod, iſtis reclamantibus, uos unum illum ex omnib. delegiſtis, quem bello prædonum præponeretis. hoc ſi uos temere feciſtis, & reip. parum conſuluiſtis: recte iſti ſtudia ueſtra ſuis conſiliis regere conantur. ſin autem uos plus tum in rep. uidiſtis: uos, his repugnantibus, per uoſmetipſos dignitatem huic imperio, ſalutem orbi terrarum attuliſtis: aliquando iſti principes & ſibi, & ceteris populi R. uniuerſi auctoritati parendum eſſe fateantur. Atque in hoc bello Aſiatico, & regio non ſolum militaris illa uirtus, quæ eſt in Cn. Pompeio ſingularis, ſed aliae quoque uir-

tutes

tutes animi multae, & magnae requiruntur. Difficile eſt, in Aſia, Cilicia, Lycia, Syria, regnisq. exterarum nationum ita verſari veſtrũ imperatorem, vt nihil aliud, quam de hoſte, ac de laude, cogitet. deinde, etiam, ſi qui ſunt, pudore, ac temperantia, moderatiores, tamen, eos eſſe tales, propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur. Difficile eſt dictu, Quirites, quanto in odio ſimus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas hoc anno cum imperio miſimus. iniurias, ac libidines. quod enim fanum putatis in illis terris, noſtris magiſtratibus religioſum, quam ciuitatem ſanctam, quam domum ſatis clauſam, ac munitam fuiſſe? vrbes iam locupletes, ac copioſae requiruntur, quibus cauſſa belli, propter diripiendi cupiditatem, inferatur. Libenter haec coram Q. Catulo, & Q. Hortenſio diſputarem, ſummis, & clariſſimis viris. nouerunt enim ſociorum vulnera: vident eorum calamitates, querimonias audiunt. Pro ſocijs vos contra hoſtes exercitum mittere putatis, an, hoſtium ſimulatione, contra ſocios, atque amicos? quae ciuitas eſt in Aſia, quae non modo vnius imperatoris, aut legati, ſed vnius tribuni mil. animos, ac ſpiritus capere poſſit? Quare, etiam ſi quem habetis, qui collatis ſignis exercitus regios ſuperare poſſe videatur: tamen, niſi erit idem, qui ſe a pecunijs ſociorum, qui ab eorum coniugibus, ac liberis, qui ab auro, gazaq. regia manus, oculos, animum cohibere poſſit, non erit idoneus, qui ad bellum Aſiaticum, regiumq. mittatur. ecquam putatis ciuitatem pacatam fuiſſe, quae locuples ſit? ecquam eſſe locupletem, quae iſtis pacata eſſe videatur? ora maritima, Quirites, Cn. Pompeium, non ſolum propter rei militaris gloriam, ſed etiam propter animi continentiam, requiſiuit. videbat enim populus R. non locupletari quotannis pecunia publica, praeter paucos, neque eos quidquam aliud aſſequi claſſium nomine, niſi vt, detrimentis accipiendis, maiore affici turpitudine videremur. nunc qua cupiditate homines in prouincias, quibus iacturis, quibus condicionibus proficiſcantur, ignorant videlicet iſti, qui ad vnum deferenda eſſe omnia nõ arbitrantur. quaſi vero Cn. Pompeium non eum ſuis virtutibus, tum etiam alienis vitijs magnum eſſe videamus. Quare nolite dubitare, quin huic vni credatis omnia, qui, inter annos tot, vnus inuentus ſit, quem ſocij in urbes ſuas cum exercitu veniſſe gaudeant. Quod ſi auctoritatibus hanc cauſſam, Quirites, confirmandam putatis; eſt vobis auctor, vir bellorum omnium, maximarumq. rerum peritiſſimus, P. Seruilius; cuius tantae res geſtae terra, mariq. extiterunt, ut, cum de bello deliberetis, auctor vobis grauior eſſe nemo debeat: eſt C. Curio, ſummis veſtris beneficijs, maximisq. rebus geſtis, ſummo ingenio, & prudentia praeditus: eſt Cn. Lentulus, in quo omnes, pro ampliſſimis veſtris honoribus, ſummum conſilium, ſummam grauitatem eſſe cognoſcitis: eſt C. Caſſius, integritate, virtute, conſtantia ſingulari. Quare videte, num horum auctoritatibus illorum orationi, qui diſſentiunt, reſpondere poſſe videamur.

EXPLANATIO

SI QVID *de eo factum eſſet,*] ſi quid humanitus ei cõtigiſſet: ſi obijſſet. ominis cauſſa, mortis mentionem vitauit. IN. EO *ipſo*] idem Valerius Max. & Plutarchus. NON *dico hoc loco.*] figura beneuolum, promiſſa breuitate, auditorem reddens, & eadem attentum, quia maius aliquid, quã quod omittit, pollicetur. huius generis illud eſt or. I. in Rullum. Non queror diminutionẽ vectigaliũ, non flagitiũ huius iacturae, atque damni: praetermitto illa. quae, nemo eſt, quin grauiſſime & veriſſime conqueri poſſit, nos caput patrimonij publici. pulcherrimam populi Romani poſſeſſionem, ſubſidium annonae, horreũ belli, ſub ſigno, clauſtrisq reip. poſitum vectigal ſeruare nõ potuiſſe; eũ denique nos agrũ P. Rullo conceſſiſſe, qui ager ipſe per ſeſe & Sullanae dominationi, & Gracchorũ largitioni reſtitiſſet: non dico, ſolũ hoc in rep. vectigal eſſe, quod, amiſſis alijs, remaneat, intermiſſis non cõquieſcat; in pace niteat, in bello nõ obſoleſcat; militẽ ſuſtenet, hoſtem non pertimeſcat: praetermitto omnẽ hanc orationẽ & cõcioni reſeruo: de periculo ſalutis, ac libertatis loquor. PVNICVM, *& Hiſpanienſe,*] quorum altero Carthaginem ipſam, altero Numantiã Africanus, Paulli filius, deleuit: cũ ei ſemel ante tempus, vetere lege praeſcriptum, aedilitatẽ petenti, conſulatus mandatus eſſet; iterũ autem contra eam legem, quae vetabat quemquam iterum conſulem fieri. NVPER] Nuper dicit, cum de patrum aetate loquatur. BELLVM *adminiſtraret*] continuatis in eo contra legem conſulatibus. ADOLESCENTVLVM *priuatum,*] annos natum vigintitres. Plutarchus. EXERCITVM] legiones tres. DIFFICILI *reip. tempore*] Italico bello, periclitante rep. CVIVS *a Senatorio gradu aetas longe abeſſet,*] ante annum aetatis XXIV. multos enim menſes in bello conſumpſit, modo victus, modo victor. triumphauit autem anno XXIV. vt in Epitome & Eutropio legitur IMPERIVM. *& exercitum dari?*] vt in Sicilia contra Carbonem, in Africa contra Domitium, & Hiarbam, Numidiae regem, bellum gereret. EQVITEM *Romanum triumphare?*] Ex Africa, de Hiarba rege, L. Sulla dictatore, qui reuertenti ad vrbem obuiam prodiit. & magnum appellauit. Plinius lib. VII. Pompeius, Sicilia recuperata, Africa tota ſubacta, Magniq nomen ſpolio inde capto eques Romanus, id quod ante nemo, curru triumphali praeuectus eſt. SED *etiam ſtudio omni viſendam putauit.*] arbitror hoc dici, quia triumphus ei extra ordinem datus eſt, cum eſſet adoleſcentulus, nondum ſenator DVO *conſules*] D. Brutus, & Mam. Aemilius. AD *bellum maximum*] Sertorianum, cui dux vnus ſufficere Q. Metellus Pius non videbatur PROCONSVLE] proconſulari imperio, vt Metello par eſſet. MITTERETVR.] a ſenatu nam a populo. imperium non accepit Phil. 2 Sertorianum bellum a ſenatu priuato datum eſt quia conſules recuſabant: cum L. Philippus pro conſulibus ſe eum mittere dixit, non pro conſule. Hoc eſt, cur ipſe ad ſenatum ſcripſerit: Nomine modo imperij a vobis accepto, diebus XL. exercitum paraui. Ex, *S. C. legibus ſolutus*] decem enim annis ante quam ei per leges liceret, quaeſtura nondum geſta, ex equite Romano conſul factus eſt. QVAM *vllum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet:*] nullũ enim antea

magiſtratum, ne quaeſturam quidem, neque ceperat, neque per leges ei capere licuerat. Vt *iterum eques Romanus ex. S.C. triumpharet?*] ex Hiſpania, cum antea triumphaſſet ex Africa. Ex S. C. autem, quia miſſus eſt in Hiſpaniā a ſenatu, non a populo. Post *hominum memoriam*] omnibus ſaeculis. A Q. Catvlo,] qui nunc Maniliam legem diſſuadet. Aliae *quoque virtutes animi multae,*] vt temperantia. artes appellauit ſupra, non virtutes. Hoc *anno*] omiſſo nomine, Glabrionem carpit. Videbat *enim populus Romanus non locupletari quotannis pecunia publica, praeter paucos,*] de mendo conuenit inter omnes: correctio non eadem omnibus arridet. mihi quidem haec, vel ideo fortaſſe, quia noſtra, vel quod optimam habere ſententiam, nec tamen a litterarum ſimilitudine longius diſcedere videtur, minime diſplicet. Videbat enim, populi Romani nomine locupletari quotannis pecunia publica praetores paucos. Vt ita dicat, populi Romani nomine, quemadmodum ſtatim, claſſium nomine. aut, ſi quem offendit iteratio eiuſdem verbi: cuius tamen generis exempla ſaepe occurrunt: conſideret, an hoc ſit rectius: Videbat enim praetores noſtros locupletari quotannis pecunia publica, praeter paucos Quae non ita magna mutatio eſt. nā & populus Romanus, P.R. & praetor, P R. duabus litteris aeque ſcribebatur. Videbat, certe ad oram maritimam potius, quā ad populū Romanū, referri decet. Qvibvs *inſtituis,*] empta prouincia. quod ſequenti verbo, cōdicionibus comprobatur. Ignorant *videlicet iſti,*] ironia. dixit enim paullo ante: Nouerunt ſociorum vulnera: vident eorum calamitates, querimonias audiunt Qvi *ad vnum deferenda eſſe omnia non arbitrantur.*] hoc ſupra tribuit Hortenſio, P. servilivs] Iſauricus, ab Iſauris in Cilicia deuictis. nota hiſtoria. C. cvrio] qui de Dardanis ex Macedonia triumphauit In Piſonem. Frontinus, Florus, alij Cn. lentvlvs,] Clodianus, qui conſul fuerat cum L. Gellio, C. cassivs,] is, opinor, qui ante Lentulum anno proximo conſul fuit: vt tres conſulares nominet, quorum auctoritas in lege ſuadenda magni apud populum Romanum debet eſſe ponderis quamquam, vt Lentulo praeponeretur, temporis ratio poſtulauit. ſed hoc ſupra quoque notauimus. in facilitate contra propoſitum ordinē fidei praepoſita.

ORATIO

Qvae cum ita ſint, C. Manili; primum iſtam tuam & legem, & voluntatem, & ſententiam laudo, vehementiſſimeq. comprobo: deinde te hortor, vt, auctore populo R. maneas in ſententia, ne ve cuiuſquam vim, aut minas pertimeſcas. primum in te ſatis eſſe animi, conſtantiaeq. arbitror: deinde, cum tantam multitudinem, cum tanto ſtudio adeſſe videamus, quantam non iterum in eodem homine praeficiendo vidimus; quid eſt, quod aut de re, aut de perficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid in me eſt ſtudij, conſilij, laboris, ingenij; quidquid hoc beneficio populi R. atque hac poteſtate praetoria, quidquid auctoritate, fide, conſtantia poſſum; id omne ad hanc rem conficiendam tibi, & populo R. polliceor, & defero: teſtorq. omnes deos, & eos maxime, qui huic loco temploq. praeſideat, qui omnium mentes eorum, qui ad remp. adeunt, maxime perſpiciunt, me hoc neque rogatu facere cuiuſquam, neque quo Cn. Pompeij gratiam mihi per hanc cauſſam conciliari putem, aeque quo mihi ex cuiuſquam amplitudine aut praeſidia periculis, aut adiumenta honoribus quaeram: propterea quod pericula facile, ut hominem praeſtare oportet, innocentia tecti pellimus; honores autem neque ab vno, neque ex hoc loco, ſed eadem noſtra illa laborioſiſſima ratione vitae, ſi veſtra voluntas feret, conſequemur. Quamobrem, quidquid in hac cauſſa mihi ſuſceptum eſt, Quirites, id omne me reip. cauſſa ſuſcepiſſe confirmo: tantumq abeſt, ut aliquam bonā gratiam mihi quaeſiſſe videar: ut multas etiam ſimultates, partim obſcuras, partim apertas, intelligam, mihi non neceſſarias, vobis non inutiles, ſuſcepiſſe. ſed ego me, hoc honore praeditū, tantis veſtris beneficijs affectum, ſtatui, Quirites, veſtrā voluntatem, & reip. dignitatem, & ſalutem prouinciarū, atque ſociorum meis omnib. cōmodis, & rationibus praeferre oportere.

EXPLANATO

C. Manilij] de cuius lege, & eo, poſt tribunatū ſtatim accuſato, Aſconius in Corneliana. Qvantvm *non iterum in eodem homine praeficiendo vidimus:*] in omnibus antiquis libris eſt, Non: in nullo, Vidimus ſed, Videremus; quod mendoſum eſſe conſtat: aut, Viderimus; quod placet. Cum, inquit, magnam in maritimi belli cura ad Pompeium deferenda multitudinē viderimus populi Romani: maiorem tamen nunc videmus. qua ſententia Non, retineo a b alijs improbatum De. re,] de tanto viro deligendo. De *perficiendi facultate*] cum e ſumma populi Romani frequentia, ſummoq. ſtudio quid de promulgata lege ſentiat, facile cognoſcatur. Hvic *loco,*] multa enim circa forum templa, Iouis, Caſtoris, Concordiae, alia. Temploq.] Roſtra templum vocat, vt pro Sextio, in Vatinium, Rogatv] Pompeij abſentis, aut eius amicorum. Sic or. 2. in Rullum de eodem Pompeio. Feci adhuc, quae potui, neque familiaritate illius adductus, nec ſpe honoris, atque ampliſſimae dignitatis. Vt *hominem praeſtare oportet,*] quatenus praeſtare homo debet, innocentiae praeſidio. Eadem *noſtra illa*] illa, quam ab ineunte aetate ſuſcepimus: de qua in exordio. Si *veſtra volnatas feret,*] honores enim veſtra beneficia ſunt. Mihi *non neceſſarias*] nam, quod ad me attinet, ſimultatibus his carere potui. Vobis *non inutiles.*] perſpecta enim ciuium voluntate, facile bonos a malis diſtinguetis. Rationibvs] latius patet, quam, Commodis. omnes enim res dicit, quae ad ipſum pertineant. Vestram *voluntatem*] multis de Pompeio iudicijs patefactam. Reip. *dignitatem,*] agitur enim populi Romani gloria: quae cum ei magna in rebus omnibus, tum ſumma a maioribus in re militari tradita eſt. Provinciarvm,] in qua vectigalia veſtra ſunt. Sociorvm] & populorum, & regum. Praeferre *oportere.*] ſi gratus erga vos, ſi bonus in rep. ciuis eſſe volo.

IN ORA-

IN · ORATIONEM · CICERONIS
PRO · A · CLVENTIO · HABITO
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

*SAſſia quędam, Cluentij mater, improbi mulier ingenij, li-
bidinis effranatę poſt binas nuptias, vnas patris Cluentij,
alteras A. Aurij Melini, generi ſui, quem cum filia diuor-
tium facere coegit, poſtremo nupſit Statio Albio Oppianico,
qui Melinum, eius virum, occiderat. hic cum intelligeret,
Cluentium nondum teſtamẽtum feciſſe, eoq. mortuo bona eius omnia ad
matrem eſſe ventura: incẽſus auaritia, veneno eum tollere decreuit. ea re
cognita, duobusq. pręiudicijs iã probata, primum Scamandri damnatio-
ne, cuius in manib. venenum deprehenſum fuerat, deinde C. Fabritij, qui
Cleophanti, quo Cluentius medico vtebatur, ſeruũ Diogenem ad venenũ
dandũ ſpe, & pręmio ſollicitauerat: Oppianicum Cluentius de veneficio
accuſauit: qui cum dãnatus eſſet, defenſor Oppianici L. Quinctius tribu-
nus pl. quotidianis concionibus rem in inuidiã adduxit, cum diceret pecu-
niam in iudicio verſatã: & cum incertũ eſſet, ex qua parte eſſet profecta,
populus Romanus nõ credidit ab Oppianico datam, quia dãnatus erat: &
errore multorum in falſo crimine Cluentius fuit: cũ Oppianicus C. Aelio
Staleno DC millia H-S pro numero iudicũ, qui corrũpendi eſſet, dediſſet.
quo poſtea crimine, & Stalenus ipſe, & cum eo Bulbus, Gutta, Popillius,
alijq. eiuſdem affines culpę iudices damnati ſunt. Annis quinq. poſt dam-
nationem cũ Oppianicus in exſulio perijſſet, vxor Saſſia moliri coepit inſi-
dias filio, quod eius cõſilio diceret per M. Aſellium quendã viro ſuo vene-
num in pane datum. & cũ de ſeruis quaeſtione habita, nihil eſſet repertũ:
rurſus eadem, triennio poſt, adoleſcẽti Oppianico filia collocata, impulit eũ
ad filium de veneficio accuſaudum. is actore vſus eſt L. Attio Piſaurenſi:
cõtra quem prętor Cicero Cluentium defendit. Acta cauſſa eſt ad Q. Vo-
conium Naſonem, qui de veneficijs prętor quęſiuit, Lepido & Tullo cos.*

M · TVLLII · CICERONIS
PRO · A · CLVENTIO · HABITO
ORATIO · XIV ·

ANIMADVERTI, iudices, omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes: quarum altera mihi niti, & magnopere confidere videbatur inuidia iam inueterata iudicij Iuniani; altera, tantummodo conſuetudinis cauſſa, timide, & diffidenter attingere rationem veneficij criminum: qua de re lege eſt haec queſtio conſtituta. itaque mihi certum eſt hanc eandem diſtributionem, inuidiae, & criminum, ſic in defenſione ſeruare, vt omnes intelligant, nihil me nec ſubterfugere voluiſſe reticendo, nec obſcurare dicendo. ſed, cum conſidero, quo modo mihi in vtraque re ſit elaborandum: altera pars, ea, quae propria eſt iudicij veſtri, & legitimae veneficij quaeſtionis, per mihi breuis, & non magnae in dicendo contentionis fore videtur: altera autem: quae procul a iudicio remota eſt, quae concionibus ſeditioſe concitatis accommodatior eſt, quam tranquillis, moderatisq. iudicijs, proſpicio quantum in agendo difficultatis, & quantum laboris ſit habitura. Sed in hac tanta difficultate illa me res tamen, iudices, conſolatur, quod vos de criminibus ſic audire conſueuiſtis, vt eorum omnem diſſolutionem ab oratore quaeratis; vt non exiſtimetis plus vos ad ſalutem reo largiri oportere, quam quantum defenſor purgandis criminibus conſequi, & dicendo probare potuerit. de inuidia autem ſic inter nos diſceptare debetis, vt, nunquid dicatur a nobis, ſed quid oporteat dici, conſideretis. agitur enim in criminibus, A. Cluentij proprium periculum; in inuidia, cauſſa communis. quamobrem alteram partem cauſſae ſic agemus, vt vos doceamus; alteram ſic, vt oremus. in altera diligentia veſtra nobis adiungenda eſt, in altera fides imploranda. nemo eſt .n. qui inuidiae, ſine veſtro ac ſine talium virorum ſubſidio, poſſit reſiſtere. Equidem, quod ad me attinet, quo me vertam, neſcio. negem fuiſſe illam infamiam iudicij corrupti? negem illam rem agitatam in cõcionibus? iactatam in iudicijs? commemoratam in ſenatu? euellam ex animis hominum tantam opinionem? tam penitus inſitam? tam vetuſtam? non eſt noſtri ingenij. veſtri auxilij eſt, iudices, huius innocentiae ſic in hac calamitoſa fama, quaſi in aliqua pernicioſiſſima flamma, atque in communi incendio, ſubuenire. etenim, ſicut alijs in locis parum firmamenti, & parum virium veritas habet: ſic in hoc loco falſa inuidia imbecilla eſſe debet. dominetur in concionibus; iaceat in iudicijs: valeat in opinionibus ac ſermonibus imperitorum; ab ingenijs prudentium repudietur: vehementes habeat repentinos impetus; ſpatio interpoſito, & cauſſa cognita, conſeneſcat: denique illa definitio iudiciorum aequorum, quae nobis a maioribus tradita eſt, retineatur, vt in iudicijs & ſine inuidia culpa plectatur, & ſine culpa inuidia ponatur. Quãobrem a vobis, iudices, antequam de ipſa cauſſa dicere incipio, hoc poſtulo: primum id, quod aequiſſimum eſt, vt ne quid huc praeiudicati afferatis. etenim non modo auctoritatem, ſed etiam nomen iudicum amittemus, niſi hic ex ipſis cauſſis iudicabimus, ac ſi de cauſſas iudicia iam facta domo deferemus. deinde, ſi quam opinionem iam veſtris mentibus comprehendiſtis; ſi eam ratio conuellet, ſi ratio labefactabit, ſi denique veritas extorquebit; ne repugnetis, eamq. animis veſtris aut libentibus, aut aequis remittatis: tum autem, cum ego vnaquaque de re dicam, & diluam, ne ipſi, quae contraria ſunt, taciti cogitationi veſtrae ſubijciatis; ſed ad extremum exſpectetis, & me meum dicendi ordinem ſeruare patiamini: cum peroraro, tum, ſi quid erit praeteritum, a me requiratis. Ego me, iudices, ad eam cauſſam accedere, quae iam per annos octo continuos ex contraria parte audiatur, atque, ipſa opinione hominum tacita, prope conuicta, atque damnata ſit, facile intelligo: ſed, ſi quis mihi deus veſtram ad me audiẽdam beneuolentiam conciliarit; efficiam profecto, vt intelligatis, nihil eſſe homini tam timendum, quam inuidiam; nihil innocenti, ſuſcepta inuidia, tam optandũ, quam aequum iudicium; quod in hoc vno denique falſae infamiae finis aliquis, atque exitus reperiatur. quamobrem magna me ſpes tenet, ſi ea, quae ſunt in cauſſa, explicare, atque omnia dicendo conſequi potuero, hunc locum, conſeſſumque veſtrum, quem illi horribilem A. Cluentio ac formidoloſum fore putauerunt, eum tandem eius fortunae miſerae, multumq. iactatae portum ac perfugium futurum. tametſi permulta ſunt, quae mihi, ante quam de cauſſa dicam, de communibus inuidiae periculis dicẽda eſſe videantur: tamen, ne diutius oratione mea ſuſpenſa exſpectatio veſtra teneatur, aggrediar ad crimen, cum illa deprecatione, iudices, qua mihi ſaepius vtendum eſſe intelligo; ſic vt me audiatis, quaſi hoc tempore haec cauſſa primum dicatur, ſicuti dicitur; non quaſi ſaepe iam dicta, & numquam probata ſit. hodierno enim die primum veteris iſtius criminis diluendi poteſtas eſt data: ante hoc tempus error in hac cauſſa, atque inuidia verſata eſt. quamobream, dum multorum annorum accuſationi breuiter, dilucideq. reſpondeo, quaeſo vt me, iudices, ſicuti facere inſtituiſtis, benigne, attenteq. audiatis.

EXPLANATIO

PRO. *A. Cluentio Habito.*] Cluentij cognomen ex ignoratione veteris orthographiae ſuſpicor eſſe deprauatum. quod enim conſtat ex antiquis monumentis, B pro V ſcribi ſolebat. inde factum eſt Habitus pro Auitus. nam, cum, Abitus, mendoſum putaretur, Auitus autem differret ab Abitus: bonam correctionem librarij, aut homines imperiti exiſtimarunt, ſi

Habitus,

Habitus,tamquam vſitatum verbum,reponeretur in quo repugnat veterum exemplorum obſeruatio.nam ſaepe Auiti cognomen reperitur,Habiti numquam. Vibium Auitum nominat Plinius lib. XXXIV.c.7. & Tacitus lib. XIII. Accedunt lapidum antiquorum teſtimonia, in domo Caeſia Romae. CLODIAE. AVITAE in domo Arberinorum. CLAVDIVS. AVITVS in hortis Io. Georgij Caeſarini. BAEBIO. AVITO Lubiani in Germania. DVRIVS. AVITVS Neapoli. AVR. ABITVS Id ſenſiſſe videtur.aut ratione ductus,aut antiqui exemplaris auctoritatem ſecutus, Tryphonius iuriſconſultus; qui cum huius orationis teſtimonio vtitur. A Cluētium Auitū appellat. ACCVSATORIS] T Attij Piſaurenſis, infra nominati. NITI, *& magnopere confidere*] incipit ex ipſo accuſatoris iudicio innocentiam Cluentij iudicibus oſtendere. INVIDIA *iam inuetera-ta*] infamia illius iudicij quo Oppianicus accuſante Cluentio,iudice quaeſtionis C. Iunio, ante annos octo condemnatus erat quā infamiā nō dubia corrupti iudicij fama pepererat, & quia damnatus erat Oppianicus,accuſatoris in eo potius,quā rei,culpā fuiſſe,veriſimile videbatur. CONSVETVDINIS *cauſſa*,] quo enim de crimine quis accuſat,id ſi argumētis probare non poteſt,aliquid tamē dicere conſueuit. TIMIDE,] cum augere veritas animum ſoleat. ATTINGERE] proprio timentis,& diffidentis verbo vſus eſt. CRIMINVM] tria veneficij crimina obijciebat accuſator, vnum, quod C Vibiū Capacē veneno ſuſtuliſſet: alterum.quod eius cōſilio adoleſcenti Oppianico paratū venenum fuiſſet, quod cum Balbutius quidam interceptū bibiſſet ſtatim eſſe mortuū: tertiū, quod patrē Oppianicū,veneno per Atellium quendā in pane dato necaſſet infra quoque: Agitur in criminibus A Cluentij periculum. LEGE] Cornelia, L. Sullae dictatoris. infra SVBTERFVGERE] hoc ad inuidiā pertinet iudicij Iuniani quod vero ſubiūgitur, Obſcurare,ad crimina veneficij QVANTVM *in agendo difficultatis,*] inſitam enim corrupti iudicij opinionē ex animis euellere,perdifficile videtur itaque non tam ego multa poſſum dicere,quam dici intelligo oportere. PVRGANDIS *criminibus*] hoc dicit,vt cauſſae confidere videatur. INTER *vos diſceptare*] inter vos iudicare. pro Milone. Iſti & praepoſitus quaeſtioni,qui haec iuſte,ſapienterq diſceptet Pro Deiotaro: Si hanc cauſſā in foro dicerem,eodem audiente, & diſceptante te. IN *inuidia cauſſis communis.*] nam ſi propter inuidiā condemnetur Cluentius;quis eſt, cui nō idē periculū impendeat? Paullo poſt ſubiungitur, In communi incendio. *Vereremus.*] tota enim haec pars veſtrae voluntatis eſt: docere vos, & purgare crimina non oportet. DILIGENTIA *veſtra*] in audiendo, & cognoſcendo. FIDES] integritas ea,quā praeſtare iurati iudices debent. ne hominē falſa inuidia circumuentū opprimi ſinatis. AGITATAM *in concionibus?*] accuſatam a tribuno pl. L Quintio Oppianici patrono. Exagitare,eodē ſenſu dixit in ep.ad Lētulū: Vt in rebus multo ante, quā tu profectus es,clā exulceratis deinde a conſularibus palam exagitatis. IACTATAM *in iudicijs.*] quibus damnati ſunt iudices illi,qui pecuniam acceperant. IN *communi incendio*] agitur enim cauſſa communis ALTIS *in locis*] ſequitur ſtatim interpretatio, Dominetur in concionibus. REPENTINOS *impetus*;] plebis imperitae. CONSENESCAT:] langueat,tamquam ſenectus impetu vacet. SINE *inuidia*] nulla inuidiae ratione habita. SINE *culpa*] cum abeſt culpa. NE QVID *huc praeiudicati afferatis.*] huc illud pertinet infra dictum: Aggrediar ad crimē,cū illa deprecatione,iudices qua mihi ſaepius vtēdū eſſe intelligo; ſic vt me audiatis,quaſi hoc tēpore haec cauſſa primū dicatur,ſicuti dicitur nō quaſi ſaepe iā dicta, & numquā probata ſit. Et aliquāto poſt: Praeſertī,iudices,cū a vobis quoque ipſis hoc impetrare ſit aequiſſimū, quod ego & ab initio petiui, & nunc peto,vt ſi quā huc grauiorē de illo iudicio opinionē attuliſtis, hanc. cauſſa perſpecta atque omni veritate cognita,deponatis. PER *octo annos*] ab Oppianici condemnatione infra Anni ſunt octo,cū iſta cauſſa in iſta meditatione verſatur. Et aliquāto poſt: Habetis,iudices,quae in totā vitam de moribus A. Cluentij, quē illi inuidioſum reum volunt eſſe, annos octo meditati accuſatores collegerūt. Hic locus vt opinor,annū indicat,quo damnatus eſt Oppianicus ſic enī ratiocinor. Anni ſunt octo ab Oppianici damnatione ad conſulatū Lepidi, & Tulli, quo anno hāc Cicero praetor cauſſā egit,vt ipſa docet oratio quod ſi ita eſt: cauſſā dixit Oppianicus L. Lucullo, M. Cotta cos. ab his enim ad Lepidū, & Tullū anni numerātur octo. quod ne quis in dubiū reuocet, ſumamus ab hiſtoria teſtimoniū,quod refelli nō poſſit Defenſus eſt Oppianicus a L. Quinctio tribuno pl quod haec oratio declarat: is autē tribunus pl. fuit L. Lucullo cōſule. cognoſcitur ex Marci tribuni pl. cōcione, quae legitur inter fragmēta Salluſtij. in ea quattuor deinceps anni commemorantur, primus, Lepido & Catulo cos. alter Bruto & M. merco; tertius, Octauio, & Curione; quartus Lucullo, & Cotta. vexatū autē a Lucullo cōſule Quinctiū tribunū pl. ea ē cōcio ſignificat his verbis: Lucullus ſuperiore anno quātis animis erit in L. Quinctiū, vidiſtis. Sed quid ambigua quęrimus? ipſe Cicero, L. Quinctiū L. Lucullo cōſule tribunū pl fuiſſe, infra declarat his verbis. At enī ſenatus vniuerſus iudicauit illud corruptū eſſe iudiciū quo modo? ſuſcepit cauſſā. an potuit rē delatā eiuſmodi repudiare? cum tribunus pl. populo cōcitato rem paene ad arma reuocaſſet. Aperte de Quinctio loquitur & ſubiūgit paullo poſt de Lucullo. Sed quaero a vobis,nū iſtā legē ex iſto S.C L. Lucullus cōſul,homo ſapiētiſſimus,tulerit,nū anno poſt. M. Lucullus & C. Caſſius Si Quinctius igitur tribunatū geſſit. L. Lucullo cōſule & idē tribunicia poteſtate praeditus, Oppianicū defendit; ſequitur,vt octo annorum primus L. Lucullo conſule fuerit. Ex *contraria parte auditur,*] propter ſermones ab aduerſarijs Cluentij diſſeminatos. SI QVIS *Deus*] confugit ad Deum,non vt iudicibus diffidere,ſed vt vehementer optare videatur. optare autē ad audiendū beneuolentiā iudicū eſt, cauſſae confidere. EXPLICARE,] tacite rogat,vt cauſſam patrono,meliorem putent. DE *communis inuidiae*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

inuidiae periculis] quae vobis, iudices, cauẽda ſunt. cauebitis autẽ abſolutione Cluentii, falſi criminis inuidia laborantis. ſupra: Agitur enim in criminibus, A. Cluentij periculum; in inuidia, cauſſa communis AD. CRIMEN,] vetus crimen, obiectum iam antea Cluentio, corrupti iudicij, quo damnatus eſt Oppianicus. SAEPE *iam dicta*,] cum ij damnati ſunt, qui de Oppianico iudicauerant. non enim ea quaſi praeiudicia contra Cluentium facta ſequi debetis. ſupra: Ne quid huc praeiudicati afferatis. NVMQVAM *probata*] contra Cluentium, licet probata contra iudices illos. MVLTORVM *annorum accuſationi*] octo annorum, poſt Oppianici damnationem: non quod in iudicio Cluentius eſſet accuſatus: ſed accuſationem Cicero vocat ea, quae in Cluentium eius aduerſarij de corrupto Oppianici iudicio coniecerant. neque nunc de illo iudicio, ſed de veneficio Cluentius reus eſt: eius tamen iudicij inueterata opinione laborabat. quod Cicero in ipſo orationis exordio attigit his verbis. Animaduerti, iudices, omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes: quarum altera mihi niti, & magnopere confidere videbatur inuidia iam inueterata iudicij Iuniani; altera, &c. BREVITER, *dilucideq.*] quo nihil iudici gratius. & hoc promittit orator, vt beneuolentiam ad audiendum concilict. BENIGNE, *attenteq.*] quorum alterum boni viri, alterum boni iudicis eſt.

O R A T I O

CORRVPISSE dicitur A. Cluentius iudicium pecunia, quo inimicum ſuum innocentem Statium Albium condemnaret. oſtendam, iudices primum, quoniam caput illius atrocitatis atque inuidiae fuit, innocentem pecunia circumuentum, neminem vnquam maioribus criminibus, grauioribus teſtibus eſſe in iudiciũ vocatum; deinde, ea de eo praeiudicia eſſe facta ab ipſis iudicibus, a quibus condemnatus eſt, vt non modo ab iiſdem, ſed ne ab alijs quidem vllis abſolui vllo modo poſſet. cum haec docuero, tum illud oſtendam, quod maxime requiri intelligo, iudicium illud pecunia eſſet tentatum, non a Cluentio, ſed contra Cluentium: faciãque, vt intelligatis, in tota illa cauſſa quid res ipſa tulerit, quid error affinxerit, quid inuidia conflarit. Primum igitur illud eſt, ex quo intelligi poſſit, debuiſſe Cluentium magnopere cauſſae confidere, quod certiſſimis criminibus, & teſtibus fretus ad accuſandum deſcenderit. hoc loco faciendum mihi, iudices, eſt, ut vobis breuiter illa, quibus Albius condemnatus eſt, crimina exponam. Abs te peto, Oppianice, vt me inuitum de patris tui cauſſa dicere exiſtimes, adductum fide, atque officio defenſionis. etenim, tibi ſi in praeſentia ſatisfacere non potuero, tamen multae mihi ad ſatisfaciendum reliquo tempore facultates dabuntur: Cluentio niſi nunc ſatisfecero, poſtea mihi ſatisfaciendi poteſtas non erit. ſimul & illud, quis eſt, qui dubitare debeat, contra damnatum, & mortuum pro incolumi, & viuo dicere? cum illi, in quem dicitur, damnatio omne ignominiae periculum iam abſtulerit, mors vero etiam doloris; huic autem, pro quo dicitur, nihil poſſit offenſionis accedere ſine acerbiſſimo animi ſenſu ac dolore, & ſine ſummo dedecore vitae, ac turpitudine. Atque, vt intelligatis, Cluentium non accuſatorio animo, non oſtentatione aliqua, aut gloria adductum, ſed nefarijs iniurijs, quotidianis inſidijs, propoſito ante oculos vitae periculo, nomen Oppianici detuliſſe; paullo longius exordium rei demonſtrandae repetam. quod, quaeſo, iudices, ne moleſte patiamini: principijs enim cognitis, multo facilius extrema intelligetis.

E X P L A N A T I O

CORRVPISSE *dicitur A. Cluentius iudicium pecunia;*] ne parum attentus lector varietate perturbetur, intelligat, narrationis hic quidẽ initiũ eſſe, nõ eius tamen, quã veneficij crimina, de quibus iurati iudices ſedent, neceſſario poſtulant. ſunt enĩ & in hac oratione, & in alijs narrationũ duo genera, vnũ in cauſſa, alterũ extra cauſſam, quod tamen ad cauſſam pertineat. extra cauſã poſſunt eſſe narrationes multae, in cauſſa, ſi crimen vnũ obijcitur, vna tantũ requiritur; ſi plura pluribus vti licet. Conferuntur in Cluentiũ tria veneficij crimina, vnũ de C. Vibio Capace, alterũ de Oppianico adoleſcente, tertium de Oppianico ſene: tres igitur narrationes neceſſariae ſunt. Extra cauſã autẽ haec prima eſt: Corrupiſſe dicitur A. Cluẽtius iudiciũ pecunia: agit enĩ nõ de veneficio, ſed de vita, & moribus Oppianici: vt in eo iudicio, quo Oppianicus accuſãte Cluentio damnatus eſt, vter pecuniã dederit, ab antecedẽtibus arguatur, nã Oppianico in infamiã adducto, Cluentio ſuſpicione culpae liberato, vſurũ ſe Cicero ſperat aequioribus iudicib. in hoc toto veneficij crimine cognoſcẽdo. Sequuntur aliae tres eiuſdẽ generis vna de Scamãdro altera de C. Fabricio, eius patrono, cõdemnatis, quod, eorũ opera Cluentio venenũ ab Oppianico paratũ eſſe, probatũ in iudicio ſit. quibus duobus praeiudicijs adductus, ad eũ accuſandũ Cluẽtius deſcendit. Quarta narratio, quo modo, & per quos corruptũ illud iudiciũ fuerit, ita docet, vt remotã a Cluẽtio culpã in ipſũ Oppianicũ totã trãsferat. His abſolutis, hac quaſi praemunitione ad ipſã cauſſã aggreditur; & quoniã, vt diximus, obiecta Cluẽtio tria ſunt veneficij crimina, ad ſingula ſingulis narrationibus vtitur. INIMICVM *ſuum innocentem*] ex perſona accuſatorũ ILLIVS *atrocitatis*] infamiae contra Cluentium excitatae. EA *de eo praeiudicia eſſe facta*] Scamandri, & Fabricij damnatione. QVID *res ipſa tulerit,*] tulit enim, vt corrupti ab Albio iudices eum tamen damnauerint. QVID *error affinxerit.*] errore creditum eſt, cum in iudicio verſata pecunia eſſet, non ab eo datã, qui damnatus eſt, ſed ab eo, qui accuſauit. QVID *inuidia conflarit.*] ex illo errore orta infamia eſt, ex infamia Cluentij periculum. AD *accuſandum deſcenderit.*]

derit.] deſcendere in forum, & in campum, vſitatum eſt: quia ſuperioribus locis honeſtiores, plebs infima humilioribus habitabat. in Diuin. Si quis veſtrum iudices, aut eorum, qui adſunt, forte miratur, me, qui tot annos in cauſſis, iudicijsq. publicis ita ſim verſatus, vt defenderim multos, laeſerim neminem, ſubito nunc mutata voluntate ad accuſandum deſcendere. Quo loco plura. P R O *incolumi. & vivo*] incolumis opponitur damnato: vnde pro Archia: Cum Gabinij, quam diu incolumis fuit, leuitas, poſt damnationem calamitas omnem tabularum fidem reſignaſſet. I G N O M I N I A E *periculum*] quod ab ignominia periculum naſci poteſt. A B S T V L E R I T,] damnatus enim nullum praeterea periculum exſpectat. O S T E N T A T I O N E] vt ingenium oſtentaret. G L O R I A] gloriae cupiditate: quae multos ad accuſandum impulit.

O R A T I O

A. Cluentius Habitus fuit, pater huiuſce, iudices, homo non ſolum municipij Larinatis, ex quo erat, ſed etiam regionis illius, & vicinitatis virtute, exiſtimatione, nobilitate facile princeps. is cum eſſet mortuus, Sulla & Pompeio coſ. reliquit hunc annos XV natum, grandem autem, & nubilem filiam: quae, breui tempore poſt patris mortem, nupſit A. Aurio Melino, conſobrino ſuo, adoleſcenti in primis, vt tum habebatur, inter ſuos honeſto, & nobili. cum eſſent hae nuptiae plenae dignitatis. plenae concordiae, repente eſt exorta mulieris importunae nefaria libido: non ſolum dedecore, verum etiam ſcelere coniuncta. nam Saſſia, mater huius Habiti; (mater enim a me nominis cauſſa, tametſi in hunc hoſtili odio, & crudelitate eſt, mater, inquam, appellabitur: neque vmquam illa ita de ſuo ſcelere, & immanitate audiet, vt naturae nomen amittat: quo enim eſt ipſum nomen amantius, indulgentiusq. maternum, hoc illius matris, quae multos iam annos, & nunc cum maxime filium interfectum cupit, ſingulare ſcelus maiore odio dignum eſſe ducetis) ea igitur mater Habiti, Melini illius adoleſcentis, generi ſui, contra quam fas erat, amore capta, primo, neque id ipſum diu, quoquo modo poterat, in illa cupiditate continebatur; deinde ita flagrare coepit amentia, ſic inflammata ferri libidine, vt eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiae, non hominum fama, non filij dolor, non filiae maeror a cupiditate reuocaret. animum adoleſcentis, nondum conſilio, ac ratione firmatum, pellexit ijs omnibus rebus, quibus illa aetas capi ac deliniri poteſt: filia, quae non ſolum illo communi dolore muliebri in eiuſmodi viri iniurijs angeretur, ſed nefarium matris pellicatum ferre non poſſet, de quo ne queri quidem ſine ſcelere ſe poſſe arbitraretur, ceteros ſui tanti mali ignaros eſſe cupiebat, in huius amantiſſimi ſui fratris manibus, & gremio, maerore, & lacrumis conſeneſcebat. Ecce autem ſubitum diuortium, quod ſolatium malorum omnium fore videbatur. diſcedit a Melino Cluentia; vt in tantis iniurijs, non inuita, vt a viro, non libenter. tum vero illa egregia, ac praeclara mater palam exſultare laetitia, ac triumphare gaudio coepit, victrix filiae, non libidinis. itaque diutius ſuſpicionibus obſcuris laedi famam ſuam noluit; lectum illum genialem, quem biennio ante filiae ſuae nubenti ſtrauerat, in eadem domo ſibi ornari, & ſterni, expulſa, atque exturbata filia, iubet. nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus, funeſtis omnibus omnium. O mulieris ſcelus incredibile, & praeter hanc vnam in omni vita inauditum: o libidinem effrenatam, & indomitam: o audaciam ſingularem. non timuiſſe, ſi minus vim deorum, hominumq. famam, at illam ipſam noctem, facesq. illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiae? non parietes denique ipſos, ſuperiorum teſtes nuptiarum? perfregit, ac proſtrauit omnia cupiditate, ac furore: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. tulit hoc commune dedecus iam familiae, cognationis, nominis grauiter filius, augebatur autem eius moleſtia quotidianis querimonijs, & aſſiduo fletu ſororis. ſtatuit tamen, nihil ſibi in tantis iniurijs, ac tanto ſcelere matris grauius faciendum, quam vt illa matre ne vteretur: ne, quam videre ſine ſummo animi dolore non poterat, ea ſi matre vteretur, non ſolum videre, ſed etiam probare ſuo iudicio putaretur. Initium quod huic cum matre fuerit ſimultatis, audiuiſtis: pertinuiſſe hoc ad cauſſam, tunc, cum reliqua cognoueritis, intelligetis. nam illud me non praeterit; cuiuſmodicumque mater ſit, tamen in iudicio filij de turpitudine parentis dici vix oportere. non eſſem ad vllam cauſſam idoneus, iudices, ſi hoc, quod in communibus hominum ſenſibus, atque in ipſa natura poſitum, atque infixum eſt, id ego, cum ad amici pericula depellenda adhiberer, non viderem. facile intelligo, non modo reticere homines parentum iniurias, ſed etiam animo aequo ferre oportere. ſed ego ea, quae ferri poſſunt, ferenda, quae taceri, tacenda eſſe arbitror. nihil in vita vidit calamitatis A. Cluentius, nullum periculum mortis adijt, nihil mali timuit, quod non totum a matre eſſet conflatum, & perfectum. quae hoc tempore ſileret omnia, atque ea, ſi obliuione non poſſet, tamen taciturnitate ſua tecta eſſe pateretur: ſed ea vero ſic agit, vt proſus reticere nullo modo poſſit. hoc enim ipſum iudicium, hoc periculum, illa accuſatio, omnis teſtium copia, quae futura eſt, a matre initio eſt adornata, a matre hoc tempore inſtruitur, atque omnibus eius opibus, & copijs comparatur. ipſa denique nuper Larino huius opprimendi cauſſa Romam aduolauit: praeſto eſt mulier audax, pecunioſa, crudelis: inſtruit accuſatores: inſtruit teſtes: ſqualore huius, & ſordibus laetatur: exitium exoptat: ſanguinem ſuum profundere omnem cupit, dummodo profuſum huius ante videat. haec niſi omnia perſpexeritis in cauſſa, temere a nobis illam appellari putatote. ſin autem erunt & aperta, & nefaria: Cluentio ignoſcere debetis, quod haec a me dici patiatur: mihi ignoſcere non deberetis, ſi tacerem.

EXPLA-

EXPLANATIO

A. Clventivs *Habitus fuit, pater huiusce.*] non, Fuit pater huiuſce, ſed cum diſtinctionis nota, Fuit, pater huiuſce atque hoc ſaepe modo narrare Cicero incipit. infra. Larinas quaedam fuit Dinea. ſocrus Oppianici. Et aliquanto poſt: Fuit Ajulius quidam Larinas. In Diuin. Agonis eſt quedam Lilybaetana, liberta Veneris Erycinae. In Verrem lib. IV. C. Heius eſt Mamertinus, omnibus rebus in illa ciuitate ornatiſſimus Et in ep. ad Acilium: L. Manlius eſt Soſis. Virtvte,]probitate, & animi praeſtantia. non enim hoc nomen doctrinam neceſſario complectitur. Annos. XV. *natum,*] annos natus eſt quindecim, & annũ agit decimum quinctum, proprie Latine dicitur: at recentiores multi (nominibus meo more parco) perturbãt, & annum natus eſt decimum quinctũ, annos agit quindecim, contra veterem conſuetudinem dicunt. Honesto, *& nobili,*] bonæ exiſtimationis, claris maioribus. nam Honeſto, ad ipſum, Nobili, ad familiam refertur. Non *pudor non pudicitia,*] pudor animi, pudicitia corporis. Illo *communi dolore muliebri*] qui ex pellicatu ſuſcipitur. De *quo ne queri quidem ſine ſcelere ſe poſſe arbitraretur,*]matrem enim de tanto ſcelere accuſare, ſcelus eſt. Simile illud ad Att. lib. 2. Eo ſum miſerior, quod mihi non modo iraſci, grauiſſima iniuria accepta, ſed ne dolere quidem impune liceat. Solativm *malorum omnium*] pellicem matrem non videre, ſolatium eſt. Vt *in tantis inuitus, non inuita; ut a uiro non libenter.*] miram habet haec figura venuſtatem. Sumit enim ornamentum a ſententia pariter, & ſermonis elegantia. Sic ad Att lib. IV Ita ſunt res noſtræ; vt in ſecũdis, fluxæ: vt in aduerſis. bonae. Ad M. Brutũ: Huius belli fortuna, vt in ſecundis, fluxa; vt in aduerſis, bona. O mvlieris *ſcelus incredibile*] dixi alio loco, narratione abſoluta; exclamationem ſubijci; ad iudices inflammãdos. Vicit *pudorem libido,*]reuocat pudor ab inhoneſta, turpiq. cupiditate: timor, propoſita poena vel infamia, deterret: ratio diſſuadet. haec vbi contẽnuntur omnia. ſcelus emergit omnium grauiſſimum. Pertinvisse *hoc ad cauſſam,*] vt a me exponeretur. non enim hoc temere dixi, ſed vt, ea cur filium oderit, intelligatis. Nihil *in uita uidit calamitatis*] Vidit, pro tulit. Qvae *hoc tempore fieret omnia,*] Si'et omnino reus: ſed loqui videtur, cum loquitur is, qui cauſſam eius agit. propterea infra ſubiungitur: Cluentio ignoſcere debetis, quod hæc a me dici patiatur. Sed *ea vero ſic agit,*] ad ornatum aliquid ad ſententiam, Vero, nihil affert. ſic in Verrem lib v. O praeclarum imperatorem, nec iam cum M'Aquillio. fortiſſimo viro, ſed vero cum Paullis, Scipionibus conferendum. Curtius lib. III. Semper quidẽ ſpiritus meus ex te pependit, ſed nunc vero ſacro, & venerabili ore trahitur. Sed autem, eiuſdẽ generis eſt apud Plautũ in Rud. Sed autẽ quid ſi hanc hinc abſtulerit quiſpiã, Sacram vrnam Veneris? eodem modo & ſimpliciter, at, & cum, vero, interdum vſurpatur, vt lib. I. de Or. At vero filij eius diſerti. In ep. ad Paetũ: At vero Piſo ille frugi. Pro Marcello: At vero hęc tua iuſtitia. Virg. lib. x. At vero vt vultum vidit morientis, & ora. Illa *accuſatio,*] cur non, hæc, potius quam; illa? quia digito accuſatores oſtendit, vt infra: Is fecit heredem illum adoleſcentem Oppianicum, ſororis ſuae filium. Et aliquanto poſt: Auunculus illius adoleſcentis Oppianici. In or. pro Flacco: Tmolites ille vicanus, homo nõ modo nobis, ſed ne inter ſuos quidem notus. vos docebit, qualis ſit L. Flaccus? Pro Scauro: Vndiq. mihi ſuppeditat, quod pro M. Scauro dicã, quocumq. non modo mens, verum etiam oculi inciderint. curia illa de grauiſſimo principatu patris, fortiſſimoq. teſtatur. Et ſubiungit de templo Caſtoris, & Pollucis L. ipſe Metellus, auus huius, ſanctiſſimos deos illo conſtituiſſe in templo videtur in veſtro conſpectu iudices, vt ſalutem a vobis nepotis ſui deprecarentur.

ORATIO

NVnc iam ſummatim exponam, quibus criminibus Oppianicus damnatus ſit: vt & conſtantiam A. Cluentij, & rationem accuſationis perſpicere poſſitis. Ac primum, cauſſa accuſandi quae fuerit, oſtendam; vt id ipſum A. Cluentium vi & neceſſitate coactum feciſſe videatis. Cum manifeſto venenum deprehendiſſet, quod vir matris Oppianicus ei parauiſſet; & res non coniectura, ſed oculis, ac manibus teneretur; neque in cauſſa vlla dubitatio poſſet eſſe: accuſauit Oppianicum; quam conſtanter, & quam diligenter, poſtea dicam: nunc hoc ſcire vos volui, nullam huic aliam accuſandi cauſſam fuiſſe, niſi vti propoſitum vitae periculum, & quotidianas capitis inſidias hac una ratione uitaret. Atque, ut intelligatis, iis accuſatum eſſe criminibus Oppianicum, ut neque accuſator timere, neque reus ſperare debuerit, pauca uobis illius iudicij crimina exponam: quibus cognitis, nemo ueſtrum mirabitur, illum, diffidentem rebus ſuis, ad Staienum, atque ad pecuniam confugiſſe. Larinas quaedam fuit Dinea, ſocrus Oppianici, quae filios habuit M. & Numerium Aurios, & Cn. Magium, & filiam Magiam, nuptam Oppianico. M. Aurius adoleſcentulus, bello Italico captus apud Aſculum, in Q. Sergij ſenatoris, eius, qui inter ſicarios damnatus eſt, manus incidit, & apud eum fuit in ergaſtulo. Numerius autem Aurius frater mortuus eſt, heredemque Cn. Magium, fratrem ſuum, reliquit. poſtea Magia, uxor Oppianici, mortua eſt. poſtremo unus qui reliquus erat Dineae filius, Cn. Magius eſt mortuus. is fecit heredem illum adoleſcentẽ Oppianicum, ſororis ſuae filium, eumque partiri cum Dinea matre iuſſit. interim uenit index ad Dineam neque obſcurus, neque incertus, qui nunciaret ei, filium eius M. Aurium uiuere, & in agro Gallico eſſe in ſeruitute. mulier, amiſſis liberis, cum unius filij recuperandi ſpes eſſet oſtentata, omnes ſuos propinquos,

filijq.

filijq. ſui neceſſarios conuocauit, & ab his flens petiuit, vt negotium ſuſciperent, adoleſcentem inueſtigarent, ſibi reſtituerent eum filium, quem tantum vnum ex multis fortuna reliquum eſſe voluiſſet. haec cum agere inſtituiſſet, oppreſſa morbo eſt. itaque teſtamentum fecit eiuſmodi, vt illi filios H-S CD millia legaret; heredem inſtitueret eundem illum Oppianicum, nepotem ſuum: atque ijs diebus paucis eſt mortua. propinqui tamen illi, quemadmodum viua Dinea inſtituerant, ita, mortua illa, ad inueſtigandum Aurium cum eodem illo indice in agrum Gallicum profecti ſunt. interim Oppianicus, vt erat, ſicut multis ex rebus reperietis, ſingulari ſcelere, & audacia, per quendam Gallicanum familiarem ſuum, primum illum indicem pecunia corrupit, deinde ipſum Aurium, non magna iactura facta, tollendum interficiendumque curauit. illi autem, qui erant ad propinquum inueſtigandum, & recuperandum profecti, litteras Larinas ad Aurios illius adoleſcentis propinquos, ſuoſq. neceſſarios mittunt, ſibi difficilem eſſe inueſtigandi rationem, quod intelligerent indicem ab Oppianico eſſe corruptum. quas litteras A. Aurius, uir fortis, & experiens, & domi nobilis, M. illius Aurij propinquus, in foro palam, multis audientibus, cum adeſſet Oppianicus, recitat, & clariſſima uoce, ſe nomen Oppianici, ſi interfectum M. Aurium comperiſſet, delaturum eſſe teſtatur. Interim breui tempore, illi, qui erant in agrum Gallicum profecti, Larinum reuertuntur, interfectum eſſe M. Aurium renunciant. animi non ſolum propinquorum, ſed etiam omnium Larinatium odio Oppianici, & iſtius adoleſcentis miſericordia commouentur. itaque, cum A. Aurius, qui antea denunciarat, clamore hominem, ac minis inſequi coepiſſet, Larino profugit, & ſe in caſtra clariſſimi viri Q. Metelli contulit. poſt illam fugam, & ſceleris, & côſcientiae teſtem, numquam ſe iudicijs, numquam legibus, numquam inermem inimicis committere auſus eſt: ſed per illam L. Sullae vim, atque victoriam Larinum, in ſummo timore omnium, cum armatis aduolauit: quattuor uiros, quos municipes fecerant, ſuſtulit: ſe a Sulla, & alios praeterea tres factos eſſe dixit, & ab eodem ſibi eſſe impetratum, ut Aurium illum, qui ſibi delationem nominis, & capitis periculum oſtentarat, & alterum Aurium, & eius C. filium, & Sex. Virbium, quo ſequeſtre in illo indice corrumpendo dicebatur eſſe vſus, proſcribendos, interficiendoſque curaret. itaque, illis crudeliſſime interfectis, non mediocri ab eo ceteri proſcriptionis, & mortis metu terrebantur. His rebus in cauſſa iudicioq. patefactis, quis eſt, qui illum abſolui potuiſſe arbitraretur? atque haec parua ſunt; cognoſcite reliqua; ut non aliquando condemnatum eſſe Oppianicum, ſed aliquandiu incolumem fuiſſe miremini. Primum uidete hominis audaciam, Saſſiam in matrimonium ducere, Habiti matrem, illam, cuius uirum A. Aurium occiderat, concupiuit. utrum impudentior hic, qui poſtulet; an crudelior illa, ſi nubat? difficile dictu eſt. ſed tamen utriuſque humanitatem, conſtantiamque cognoſcite. Petit Oppianicus, vt ſibi Saſſia nubat, & id magnopere contendit. illa autem non admiratur audaciam, non impudentiam aſpernatur, nõ denique illam Oppianici dexteram, uiri ſui ſanguine redundantem, reformidat; ſed, quod haberet tres ille filios, idcirco ſe ab his nuptijs abhorrere reſpondit. Oppianicus, qui pecuniam Saſſiae concupiuiſſet, domo ſibi quaerendum remedium exiſtimauit ad eam moram, quae nuptijs afferebatur. nam, cum haberet ex Nouia infantem filium; alter autem eius filius, Papia natus, Theani Apuli, quod abeſt a Larino decem & octo millia paſſuum, apud matrem educaretur; arcerſit ſubito ſine cauſſa puerum Theano, quod facere, niſi ludis publicis, aut feſtis diebus, antea non ſolebat. mater, nihil mali miſera ſuſpicans, mittit. ille ſe Tarentum proficiſci cum ſimulaſſet, eo ipſo die puer, cum hora undecima in publico ualens uiſus eſſet, ante noctem mortuus, & poſtridie, ante quam luceret, combuſtus eſt. atque hunc tantum maerorem matri prius hominum rumor, quam quiſquã ex Oppianici familia, renunciauit. illa, cum uno tempore audiſſet, ſibi non ſolum filium, ſed etiam exſequiarum munus ereptum, Larinum confeſtim examinata uenit, & ibi de integro funus iam ſepulto filio fecit. dies nondum decem interceſſerant, cum ille alter filius infans necatur. itaque nubit Oppianico continuo Saſſia, laetanti iam animo, & ſpe optima confirmata: nec mirum, quae ſe non nuptialibus donis, ſed filiorum funeribus delenitam uideret. itaque, quod ceteri propter liberos pecuniae cupidiores ſolent eſſe, ille propter pecuniam liberos amittere iucundum eſſe duxit.

EXPLANATIO

QVIBVS *criminibus Oppianicus damnatus ſit:*] multis eum veneficij criminibus accuſauit Cluentius, quae infra narrantur, de duobus filijs, de vxore Cluentia, de fratris vxore grauida, de Socru Dinea: quos omnes Oppianicus ipſe veneno ſuſtulit. ideo crimina, non crimen, appellantur: & ſubijcitur, Ijs accuſatum eſſe criminibus Oppianicum: non, Eo accuſatum eſſe crimine Oppianicũ. CONSTANTIAM *A. Cluentij.*] qui, cognitis, & patefactis Oppianici inſidijs, non tamen eum ſtatim reum fecit. aut, Conſtãtiam, in accuſando. ſequitur autem paullo poſt: Accuſauit Oppianicum. quã conſtanter & quam diligenter, poſtea dicam. RATIONEM *accuſationis*] cauſſam, cur accuſauerit. DEPREHENDISSET,] in Scamandri manibus, qui propterea damnatus eſt. QVAM *conſtanter, & quam diligenter,*] vt iudices ab eo corrumpi neceſſe non fuerit. AD *Stalenum,*] iudicem, quem primũ corrupit. CN. *Magium, & filiam Magiam,*] ex alio viro: vt Aurij ex Aurio, Magij ex Magio naſcantur. BELLO *Italico captus*] Larinatibus contra Romanos pugnantibus. INTER *Sicarios*] dicebant, crimen veneficij, maieſtatis, repetundarum, & ſimilia, non tamen Sicariatus, ſed, inter Sicarios, aut, de Sicarijs. infra. Quid ergo eſt? haec quaeſtio ſola ita gubernatur? quid M. Plaetorij & C. Flaminij inter Sicarios? Pro Sex. Roſcio. Qui inter Sicarios, & de veneficijs accuſabant. In orat. De Sicarijs, de veneficijs, de peculatu, infitiari neceſſe eſt. ILLVM *adoleſcentem Oppianicum.*] intento ad eum digito, dixit, Illum, vt infra, Auunculus illius adoleſcentis Oppianici. ESSE *in ſeruitute.*] in ergaſtulo, apud

lo, apud Q. Sergium. A. AVRIVS.] opinor nunc eſſe Melinum illum, cui Saſſia, expulſa filia, nupſerat. nam & eum ab Oppianico interfectum eſſe, infra dicitur: & alium A. Aurium, pręter hunc, non video nominari. H-S CD *millia*] ſcutatorum duodecim millia. GALLICANVM,] qui primum Gallus fuerat, deinde, cum in Italiam habitatum veniſſet, non amplius Gallus, ſed Gallicanus eſſe coepit: quemadmodum de auo Piſonis materno dixit Cicero: Prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo Semiplacentinus haberi coeptus eſt. NON *magna iactura facta*,] non magno pretio. DENVNCIARAT,] praedixerat: vt pro Murena Cum ille M. Catoni, iudicium minitanti, ac denuncianti, reſpondiſſet, ſi quid eſſet in ſuas fortunas incendium excitatum id ſe non aqua, ſed ruina reſtincturum. Q. METELLI] Pij, qui contra Italos, in illa ſociorum pęne omnium, defectione pro rep. pugnabat. FACTOS *eſſe*] quattuoruiros. SEX. *Virbium*,] vltimum de quattuorviris: tres enim reliqui Aurij fuere. QVI *poſtulet*;] vt ea ſibi nubat, cuius virum occiderat. VTRIVSQVE *humanitatem, conſtantiamque*] quae ſunt nomina virtutum, ea vitijs tribuit per ironiam. non enim vterque humanus, & conſtans, ſed vterque inhumanus, vterque pertinax in ea cupiditate, quae ad exitum perduci ſine ſcelere non poſſet. TRES *filios*,] quorum duos pater Oppianicus necauit. tertium ſibi ſeruauit, eum, qui nunc, a ſocru Saſſia impulſus Cluentium accuſat. HORA *vndecima*] dixi iam, quocumque anni tempore duodecim horarum ciuiles dies fuiſſe, totidemq. noctes; eas autem horas aeſtate longiores, hiemę contra. NEC *mirum*,] acerba ironia.

O R A T I O

SEntio, iudices, uos pro veſtra humanitate his tantis ſceleribus, breuiter a me demonſtratis, vehementer eſſe commotos. quo tandem igitur animo fuiſſe illos arbitramini, quibus his de rebus non modo audiendum fuit, verum etiam iudicandum? vos auditis de eo, in quem iudices non eſtis; de eo, quem non videtis; de eo, quem odiſſe iam non poteſtis; de eo, qui & naturae, & legibus ſatisfecit: quem leges exſulio, natura morte multauit: auditis non ab inimico: auditis ſine teſtibus: auditis, cum ea, quae copioſiſſime dici poſſunt, breuiter a me ſtrictimq. dicuntur; illi audiebant de eo, de quo iurati ſententias ferre debebant; de eo, cuius praeſentis nefarium, & conſceleratum vultum intuebantur, de eo, quem oderant propter audaciam; de eo, quem omni ſupplicio dignum eſſe ducebant: audiebāt ab accuſatoribus: audiebant verba multorum teſtium: audiebant, cum vnaquaque de re a P. Cannutio, homine eloquentiſſimo, grauiter, & diu diceretur. Et eſt quiſquam, qui, cum haec cognouerit, ſuſpicari poſſit Oppianicum iudicio oppreſſum, & circumuentum eſſe innocentem? Aceruatim iam reliqua, iudices, dicam, ut ad ea, quae propiora huius cauſſae, & adiunctiora ſunt, perueniam. vos quaeſo, memoria teneatis, non mihi hoc eſſe propoſitum, ut accuſem Oppianicum mortuum; ſed, cum hoc perſuadere vobis velim, iudicium ab hoc non eſſe corruptum hoc vti initio ac fundamento defenſionis, Oppianicum, hominem ſceleratiſſimum, & nocentiſſimum, eſſe damnatum, qui uxori ſuae Cluentiae, quae amita huius Habiti fuit, cum ipſe poculum dediſſet, ſubito illa in media potione exclamauit, ſe maximo cum dolore mori. nec diutius vixit, quam locuta eſt: nam in ipſo ſermone hoc, & vociferatione mortua eſt. & ad hanc mortem tam repentinam, vocemq. morientis, omnia praeterea, quae ſolent eſſe indicia, & veſtigia veneni, in illius mortuae corpore fuerunt, eodemque veneno C. Oppianicum fratrem necauit. neque eſt hoc ſatis: tametſi in ipſo fraterno parricidio nullum ſcelus praetermiſſum videtur, tamē, vt ad hoc nefarium facinus accederet, aditum ſibi alijs ſceleribus ante muniuit. nam, cum eſſet grauida Auria, fratris uxor, & iam appropinquare partus videretur; mulierem veneno interfecit; vt vna illa, & quod erat fratre cōceptum, necaretur; poſtea fratrem aggreſſus eſt: qui ſero, iam exhauſto illo poculo mortis, cum & de ſuo, & de vxoris interitu clamaret, teſtamentumque mutare cuperet, in ipſa ſignificatione huius voluntatis eſt mortuus. ita mulierem, ne, partu eius, ab hereditate fraterna excluderetur, necauit: fratris autem liberos prius uita priuauit, quam illi hanc ab natura propriam lucem accipere potuerunt: vt omnes intelligerent, nihil ei clauſum, nihil ſanctum eſſe poſſe; cuius ab audacia fratris liberos ne materni quidem corporis cuſtodia tegere potuiſſet. Memoria teneo, Mileſiam quandam mulierem, cum eſſem in Aſia, quod ab heredibus ſecundis accepta pecunia, partum ſibi ipſa medicamentis abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam: neque iniuria: quae ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, heredem familiae, deſignatum reip. ciuem ſuſtuliſſet. quāto eſt Oppianicus in eadem iniuria maiore ſupplicio dignus? ſiquidem illa, cum ſuo corpori vim attuliſſet, ſe ipſam cruciauit: hic autem idem illud effecit per alieni corporis mortem, atque cruciatum. ceteri non videntur in ſingulis hominibus multa parricidia ſuſcipere poſſe; Oppianicus inuentus eſt, qui in uno corpore plures necaret. itaque cum hanc eius conſuetudinem audaciamq. cognoſceret auunculus illius adoleſcentis Oppianici, Cn. Magius; isq. graui morbo affectus eſſet, & heredem illū ſororis ſuae filium faceret: amicis adhibitis, praeſertim matre ſua Dinaea, uxorem ſuam interrogauit, eſſet ne praegnans. quae cum ſe eſſe reſpondiſſet; ab ea petiuit, vt, ſe mortuo, apud Dinaeam, quae tum ei mulieri ſocrus erat, quoad pareret, habitaret; diligentiamq. adhiberet, ut id, quod conceperat, ſeruaret, vt ſaluum parere poſſet. itaque ei teſtamento legat grandem pecuniā a filio, ſi qui natus eſſet; ab ſecundo herede nihil legat. quid de Oppianico ſuſpicatus ſit, uidetis: quid iudicarit, obſcurum non eſt. nam, cuius filium faceret heredem, eum tutorem liberis non adſcripſit. quid Oppianicus fecerit, cognoſcite; vt illum Magium intelligatis longe animo proſpexiſſe morientem. Quae pecunia mulieri legata erat a filio, ſi qui natus eſſet, eam praeſentem Oppianicus, non debitam, mulieri ſoluit: ſi haec ſolutio legatorum, & non merces abortionis appellanda eſt: quo illa pretio accepta, multiſq. praeterea muneribus, quae tum ex tabulis Oppianici recitabantur, ſpem illā, quam

in aluo commendatam a viro, continebat, victa auaritia, ſceleri Oppianici vendidit. Nihil poſſe iam ad hanc improbitatem addi videtur. attendite exitum. Quae mulier, obteſtatione viri, decem illis menſibus ne domum quidem vllam, niſi ſoceri ſuae, noſſe debuit, haec quinto menſe poſt viri mortem ipſi Oppianico nupſit. quae nuptiae non diuturnae fuerunt: erant enim non matrimonij dignitate, ſed ſceleris ſocietate coniunctae. Quid illa caedes Aſinij Larinatis, adoleſcentis pecunioſi, quam clara tum recens fuit, quam omnium ſermone celebrata? Fuit, Auilius quidam Larinas, perdita nequitia, & ſumma egeſtate, arte quadam praeditus ad libidines adoleſcentulorum excitandas accommodata: qui vt ſe blanditijs, & aſſentationibus in Aſinij conſuetudinem penitus immerſit, Oppianicus continuo ſperare coepit, hoc ſe Auilio, tamquã aliqua machina admota, capere Aſinij adoleſcentiã, & fortunas eius patrias expugnare poſſe. ratio excogitata Larini eſt, res tranſlata Romam. inire enim id cõſiliũ facilius in ſolitudine, perficere rem eiuſmodi commodius in turba poſſe arbitrati ſunt. Aſinius cũ Auilo Romam eſt profectus. hos veſtigijs Oppianicus conſecutus eſt. iam, vt Romae vixerunt, quibus conuiuijs, quibus flagitijs, quantis, & quam profuſis ſumptibus, non modo conſcio, ſed etiam conuiua, & adiutore Oppianico, longum eſt mihi dicere, praeſertim ad alia properanti. exitum huius aſſimulatae familiaritatis cognoſcite. Cum eſſet adoleſcens apud mulierculam quandam, atque ibi pernoctaret, & ibi diem poſterum commoraretur; Auilius, vt erat conſtitutum, ſimulat ſe aegrotare, & teſtamentum facere velle. Oppianicus obſignatores ad eum, qui neque Aſinium, neque Auilium noſſent, adducit, & illum Aſinium appellat: ipſe, teſtamẽto Aſinij nomine obſignato, diſcedit: Auilius illico conualeſcit. Aſinius autem breui illo tempore, quaſi in hortulos iret, in arenarias quaſdam extra portam Eſquilinam perductus, occiditur. qui cum vnum iam, & alterum diem deſideraretur; neque in ijs locis, vbi ex conſuetudine quaerebatur, inueniretur; & Oppianicus in foro Larinatium dictitaret, nuper ſe, & ſuos amicos teſtamentum eius obſignaſſe: liberti Aſinij, & nõnulli amici quod eo die, quo poſtremum Aſinius viſus erat, Auilium cum eo fuiſſe, & a multis viſum eſſe conſtabat, in eum inuadunt, & hominem ante pedes Q. Manilij, qui tum erat triumuir, conſtituunt. atque ille continuo, nullo teſte, nullo indice, recentis maleficij conſcientia perterritus, omnia, vt a me paullo ante dicta ſunt, exponit, Aſiniumq. ab ſe, conſilio Oppianici, interfectum fatetur. Extrahitur domo latitans Oppianicus a Manlio: index Auilius ex altera parte coram tenetur. hic iam quid reliqua quaeritis? Manilium plerique noratis. non ille honorem a pueritia, non ſtudia virtutis, non vllum exiſtimationis bonae fructum vmquam cogitarat, ſed ex petulanti, atque improbo ſcurra, in diſcordijs ciuitatis, ad eam columnam, ad quam multorum ſaepe conuicijs perductus erat, cum ſuffragijs populi peruenerat. itaque rem cum Oppianico tranſigit: pecuniam ab eo accipit: cauſſam & ſuſceptam, & manifeſtam, reliquit. ac tum in Oppianici cauſſa crimen hoc Aſinianum cum teſtibus multis, tum vero indicio Auilij probabatur: in quo inter allegatos Oppianici nomen primum eſſe conſtabat, eius, quem vos miſerum, atque innocentem falſo iudicio circumuentum eſſe dicitis. Quid? auiam tuam, Oppianice, Dineam, cui tu es heres, pater tuus nõ manifeſto necauit? ad quam cum adduxiſſet medicum illum ſuum iam cognitum, & ſaepe victorem, per quem interfecerat plurimos, mulier exclamat, ſe ab eo nullo modo velle curari, quo curante ſuos omnes perdidiſſet. tum repente Anconitanum quendam L. Clodium, pharmacopolam circumforaneum, qui caſu tum Larinum veniſſet, aggreditur, & cum eo H-S quadringentis, id quod ipſius tabulis tum eſt demonſtratum, tranſigit. L. Clodius, qui properaret, cui fori multa reſtarent, ſimul atque introductus eſt, rem confecit; prima potione mulierem ſuſtulit. neque poſtea Larini punctum eſt temporis commoratus. Eadem hac Dinea teſtamentum faciente, cum tabulas prehendiſſet Oppianicus, qui gener eius fuiſſet, digito legata deleuit, & cum id multis locis feciſſet, poſt mortem eius, ne litteris coargui poſſet, teſtamentum, in alias tabulas tranſcriptum, ſignis adulterinis obſignauit.

EXPLANATIO

ILLOS] qui Oppianicum, accuſante Cluentio, damnarunt. QVEM *odiſſe non poteſtis;*] mortuũ enim non odimus: cum ſit odium, nocendi cupiditas; nocere autem ei, qui ſenſu caret, nemo poſſit. ET. EST *quiſquam,*] turpis rei narrationem ſequitur exclamatio, interrogatione ſubiecta, vt hic, & infra: Pro dij immortales, Oppianicũ quiſquam, his rebus cognitis circumuẽtum dicit eſſe? Simile illud ſupra: His rebus in cauſſa iudicioq. patefactis, quis eſt, qui illum abſolui potuiſſe arbitraretur? CIRCVMVENTVM *eſſe innocentem?*] vnde orta in Cluentium accuſatorem inuidia. RELIQVA,] de vxore Oppianici Cluẽtia, de fratre, de fratris vxore grauida, veneno necatis. CVM *eſſem in Aſia,*] quo iuit, habita oratione pro Roſcio Amerino, metu Sullae dictatoris. quem offendiſſe videbatur, quod in eius libertũ Chryſogonũ in ea oratione liberius eſſet inuectus. Hoc Plutarchus, & opinor, vere. ipſe tamen in Bruto aliã cauſſam affert in Aſiã proficiſcendi. Erat inquit, eo tẽpore in nobis ſumma gracilitas & infirmitas corporis, procerũ & tenue collũ: qui habitus, & quae figura nõ procul abeſſe putatur a vitae periculo, ſi accedit labor, & laterũ magna contentio. eoq. magis hoc eos, quibus erã carus commouebat, quod omnia ſine remiſſione, ſine varietate, in ſumma vocis, & totius corporis cõtentione, dicebã. itaque cũ me & amici, & medici hortarentur, vt cauſſas agere deſiſterẽ; quoduis potius periculũ mihi adeundũ, quã a ſperata dicendi gloria diſcedendum putaui. ſed cũ cenſerẽ, remiſſione & moderatione vocis, & commutato genere dicendi, & periculũ vitare poſſe, & temperatius dicere; vt conſuetudinẽ dicendi mutarẽ, ea cauſſa mihi in Aſiã proficiſcendi fuit. Et ſubiungit. Poſt a me Aſia tota peragrata eſt cũ ſummis quidẽ oratoribus quibuſcũ exercebar, ipſis lubẽtibus: quorũ erat princeps Menippus Stratonicẽſis, meo iudicio tota Aſia illis tẽporibus diſertiſſimus: &,

ſi, nihil habere moleſtiarũ, nec ineptiarũ, Atticorũ eſt, hic orator in illis numerari recte poteſt. Aſsiduiſſime autẽ mecũ fuit Dionyſius Magnes, erat etiã Aechylus, Gnidius, Adramitenus Xenocles. hi tum in Aſia rhetorum principes numerabantur. Illivs *adoleſcentis Oppianici*] oſtendebat eũ iudicibus vt ſupra, cum dixit, Is fecit heredem illum adoleſcentem Oppianicum. Heredem] ſecundũ. nam primus in vtero matris erat. Et *teſtamento legat grandem pecuniam a filio,*] modus loquendi, vt in Topicis: Pater familias vxori ancillarum vſumfructum legauit a filio. Similiter. ſoluere ab aliquo, dicebãt, vt ep. 17. lib. vii Quinctus frater laborat, vt tibi, quod debet, ab Egnatio ſoluat. At *ſecundo herede*] a ſororis ſuae filio. Nihil *legat.*] ne ſibi ipſa fortaſſe partũ medicamentis abigeret, ab Oppianico corrupta. Liberis] liberis, de vno filio dixit: vt pro lege Manilia: Ex Miſeno autem eius ipſius liberos qui cum praedonibus antea ibi bellum geſſerat, a praedonibus eſſe ſublatos? Cum vnã tamen M. Antonij filiã ſignificet. Et Phil. 1. Pax denique per eum, & per liberos eius cum praeſtantiſſimis ciuibus confirmata eſt. obſidem autẽ Bruto & Caſſio M. Antonius vnicũ filium dederat. Perdita *nequitia, & ſumma egeſtate,*] apte coniunguntur. nequitiã enim, ideſt ſumptus immoderatos, breui ſequitur egeſtas. Insolitvdine.] vt Larini: quod municipium ſi cum vrbe Roma conferretur, ſolitudo fuit. Ad *alia properanti.*] ad ea, quae propiora Cluentij cauſſae, & adiunctiora ſunt id enim ſupra dixit. Obsignato,] ſeptem ſignis, de more. In *diſcordijs ciuitatis,*] cum alij Sullam, alij Mariũ, Marianosve ſequerentur. Ad. eam *columnam*] ius dicebat, opinor, ad columnam Maeniam: ad quam debitores, fures, & ſerui fugitiui accuſabantur. eius mentio fit in Diuin. in orat. pro Sextio, apud Aſconium. Mvltorvm] petentium, quod ſibi Manlius debebat. de leuioribus autem ſummis triumuiri ſedentes ad columnam Maeniam, Aſconio auctore, iudicabant. Conviciis] aſſiduis, moleſtisq. petitionibus. id enim nonnumquam valet conuicium. aut dic, conuicijs. cum conuicio petentium. Ac *tum*] cum eſt accuſatus a Cluentio Oppianicus. Inter *allegatos*] cum ſubiungat, Oppianici nomen primum eſſe conſtabat: neceſſe eſt, vt, qui allegati dicuntur, nocẽtes ipſi quoque ſint: in quibus ideo nomen Oppianici primum fuerit, quod eius in primis opera Aſinius eſſet interfectus. Eodem ſenſu illud accipio in ep. 3 lib 2. ad Q. fr. Nerius index edidit ad allegatos Cn. Lentulum Vatiam, & C. Cornelium. Evs,] cum amara ironia dictum. Vos] qui Cluentium accuſatis. Miservm, *atque innocentem*] accuſatorum verba ad iudices commouendos. Qvid?] modus tranſeundi ad aliam rem, vt paullo ante, Quid illa caedes Aſinij Larinatis? Cvi *in es heres*] ſuſpicioſa verba nam quod heres, ideo videtur illa ab heredis patre necata. Svos *omnes*] qui heredes ei eſſe potuiſſent. Perdidisset.] non culpa, ſed inſcientia. L. Clodivm,] libertum. nam ingenuus operam tam ſordido quaeſtui non dediſſet. H-S *quadringentis,*] ſcutatis duodecim. qua mercede vix arbitror de tanto ſcelere Clodium cum Oppianico tranſegiſſe. quae ſi cui non abſurda ſuſpicio videtur, conſideret, an ſit rectius H S quadraginta: vt ſubaudiatur, millibus. ita ſcutati erunt mille ducenti. niſi tamen haec quoque ſumma, praeſertim pharmacopolae circũforaneo data, nimia eſt. Sed quae dicimus, dubitantes dicimus, non affirmantes dubitatio autem veritatem ſaepe parit. Ipsivs *tabulis*] in quas retulit, ſe dediſſe L. Clodio, vt ſocrum ſuam Dineam curaret, H-S quadringẽtos, vel, quod potius exiſtimo, quadraginta. Tvm in eo iudicio, quo damnatus eſt Oppianicus. Fore *multa*] obeunda: vt ſua pharmaca diuerſis locis venderet. Prima *potione*] praeſenti veneno vſus. Neqve *poſtea Larini punctum eſt temporis commoratus*] ne, ſuo ſcelere per corporis notas patefacto, poenas daret. Faciente,] non, dum faceret, ſed, quo tempore fecit. Prehendisset,] furtim. Digito] cur, digito, potius, quam calamo? quia ceratis in tabulis teſtamentum de more ſcriptum erat: vnde illud In ima cera Legata *deleuit:*] vt ſolus heres eſſet, eius filius Oppianicus. Mvltis *locis*] vbicumque aliquid legabatur. In. alias *tabulas*] ceratas.

ORATIO

MVlta praetereo conſulto: etenim vereor, ne haec ipſa nimium multa eſſe videantur: vos tamen eum ſimilem ſui fuiſſe in ceteris vitae partibus exiſtimare debetis. Illum tabulas publicas Larini cenſorias corrupiſſe, decuriones vniuerſi iudicauerunt: cum illo iam nemo rationem, nemo rem vllam contrahebat: nemo illum ex tam multis cognatis, & affinibus tutorem vmquam liberis ſuis ſcripſit: nemo illum aditu, nemo congreſſione, nemo ſermone, nemo conuiuio dignum iudicabat: omnes aſpernabantur, omnes abhorrebant, omnes, vt aliquam immanem, ac pernicioſam beſtiam, peſtemq. fugiebant. Hunc tamen hominem, tam audacem, tam nefarium, tam nocentem, numquam accuſaſſet Habitus, iudices, ſi id praetermittere ſaluo capite ſuo potuiſſet. erat huic inimicus Oppianicus, erat, ſed tamen erat vitricus: crudelis, & huic infeſta mater, attamen mater: poſtremo nihil tam remotum ab accuſatione, quam Cluentius, & natura, & voluntate, & inſtituta ratione vitae. ſed, cum eſſet haec illi propoſita conditio, vt aut iuſte, pieq. accuſaret, aut acerbe, indigneq. moreretur; accuſare, quoquo modo poſſet, quam illo modo emori maluit. atque, vt haec ita eſſe perſpicere poſſitis, exponam vobis Oppianici facinus, manifeſto compertum, atque deprehenſum: ex quo ſimul vtrumque, & huic accuſare, & illum condemnari neceſſe fuiſſe intelligatis. Martiales quidã Larini appellabantur, miniſtri publici Martis, atque ei deo veteribus inſtitutis religionibusq. Larinatium conſecrati. quorum cum ſatis magnus numerus eſſet; cumq. item, vt in Sicilia permulti Venerei ſunt, ſic illi Larini in Martis familia numerarentur. repente Oppianicus, eos omnes liberos eſſe, ciueſq. Romanos, coepit defendere grauiter id decurio-

nis.

nes Larinatium, cunctiq. municipes tulerunt: itaque ab Habito petiuerunt, vt eam cauſſam ſuſciperet, publiceq. defenderet. Habitus, cum ſe ab omni eiuſmodi negotio remouiſſet, tamen pro loco, pro antiquitate generis ſui, pro eo quod ſe non ſolum ſuis commodis, ſed etiam ſuorum municipum, ceterorumq. neceſſariorum natum eſſe arbitrabatur, tantae voluntati vniuerſorum Larinatium deeſſe noluit. ſuſcepta cauſſa, Romamq. delata, magnae quotidie contentiones inter Habitum & Oppianicum ex vtriuſque ſtudio defenſionis excitabantur. erat ipſe immani acerbaq. natura Oppianicus: incēdebat eius amentiam infeſta, atque inimica filio mater Habiti. magni autem illi ſua intereſſe arbitrabantur, hunc a cauſſa Martialium dimouere. ſuberat etiā alia cauſſa maior quae Oppianici, hominis auariſsimi, atque audaciſſimi, mentem maxime commouebat. nam Habitus vſque ad illius iudicij tempus nullum teſtamentum vnquam fecerat. neque enim, legare eiuſmodi matri, poterat in animum inducere, neque teſtamento nomen omnino praetermittere parentis. id cum Oppianicus ſciret, (neque enim erat obſcurum) intelligebat, Habito mortuo, bona eius omnia ad matrem eſſe ventura: quae ab ſeſe poſtea, aucta pecunia, maiore praemio, orbata filio, minore periculo necaretur. itaque, his rebus incenſus, qua ratione Habitum veneno tollere conatus ſit, cognoſcite.

E X P L A N A T I O

CENSORIAS] in municipijs quoque cenſores erant, qui, cenſu peracto, in tabulas diligenter omnia referrent. DECVRIONES. VNIVERSI] ſenatus vniuerſus IVDICAVERVNT:] decreto publico. RATIONEM,] rei pecuniariae. AFFINIBVS] exemplum iam attulit Cn. Magij: qui cum frater eſſet vxoris Oppianici, eiusque filium faceret heredem, Oppianicum tamen patrem filio ſuo poſtumo tutorem non adſcripſit. ADITV,] ad quem adiretur. CONGRESSIONE,] congreſſum omnes vitabant. ET. NATVRA, *& voluntate, & inſtituta ratione vitae.*] actionum humanarum initia primum a natura proficiſcuntur: deinde voluntas, niſi malis artibus abducatur, naturam ſequitur: ex vtraque ſtudium oritur, & conſuetudo. hæc vbi coniunguntur omnia, non facile quiſquam ab inſtituta vitae ratione ad noua cōſilia deflectit omnia tamen interdum neceſſitas vincit, vt in Cluentio; qui Oppianicum nūquam accuſaſſet, ſi id prætermittere. ſaluo capite ſuo potuiſſet. Refertur ad hūc locum id, quod ſupra dictum eſt: Ac primum, accuſandi cauſſa quae fuerit, oſtendam, vt id ipſum A. Cluentium vi & neceſſitate coactum feciſſe videatis. Et infra: Quis eſt, qui dubitet, quin, hac re cōperta, manifeſtoq. deprehenſa, aut obeunda mors Cluentio, aut ſuſcipienda accuſatio fuerit? IVSTE,] propter Oppianicum inſidiantem vitae ſuae. PIEQ.] erga ſe ipſum. eſt. n. pietas, a ſe ipſo mortem depellere. ACERBE,] per vim a vitrico illatam. INDIGNEQ.] nullo ſuo merito. QVOQVO *modo poſset.*] eo magis, cum iuſte, pieq. poſſet. ILLO *modo*] acerbe, indigneq. quod proxime dixit. opponuntur autem, Quoquo modo, Illo modo, cum aliqua venuſtate. IN. *Martis familia*] quae libera non eſt. ſerui enim, familia, dicuntur. CIVESQ. *Romanos.*] vt ceteros Larinates. municipes enim erant AB *omni eiuſmodi negotio*] vt quemquam accuſaret. REMOVISSET,] natura, voluntate, inſtituta ratione vitae. PRO *loco,*] quem obtinebat honoris, & dignitatis. ad Terentiam: Vos videre, quid aliae faciant iſto loco faeminae. PVBLICEQ. *defenderet.*] publico nomine, tamquam actor cauſſae publicæ. PRO *antiquitate generis ſui,*] quæ ciues ei ſuos commendare videretur. nouus enim ciuis reliquos minus amat. NATVM *eſſe*] e ſententia Platonis, qui in epiſtola ad Archytam naſci nos patriæ, parentibus, amicis dixit. quem locum ita Cicero conuertit Off. lib. 1. Sed quoniam, vt praeclare ſcriptum eſt a Platone, non nobis ſolum nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria, partem parentes vim dicant, partem amici. &c. TANTAE *voluntati vniuerſorum Larinatium*] grauiter enim eam rem & decuriones ipſi, & cuncti municipes tulerunt. EX *vtriuſque ſtudio defenſionis*] non, vtriuſqne defenſionis, ſed vtriuſque, Cluentii, & Oppianici: quorum alter Martiales, alter cauſſam publicam defendebat. ERAT *ipſe*] ipſe per ſe, vel ſi non incenderetur ab vxore. MATER *Habiti.*] addere nomen Habiti, neceſſe non videtur: cum dixerit, Inimica filio: itaque gloſſema puto. HVNC] Cluentium. A CAVSSA *Martialium*] quam pro Larinatibus contra Martiales Cluentius agebat. ILLIVS *iudicij*] quo Oppianicum de veneno Cluentius accuſauit. EIVSMODI *matri,*] quae primum genero ſuo Aurio Melino, deinde Oppianico, qui Melinum occiderat, nupſiſſet, poſtremo quæ ſibi infeſta vehementer eſſet. ID *cum Oppianicus ſciret. (neque enim erat obſcurum)*] ſimiliter in ep. ad Lentulum: Quae cum viderem, (neque enim erant obſcura) Pro Sextio Haec ego cum viderem, (neque enim erant occulta,) In Rullum orat. 2. Quae cum ego non ſolum ſuſpicarer, ſed plane cernerem; (neque enim obſcure gerebantur) ex Demoſthene fortaſſe ſumptum; cuius eſt hoc in oratione περὶ τῦ ςεφάνε: ταῦτα δ' ὁρῶν ὁ Φίλιππος: (οὐ γὰρ ἦν ἀφανῆ.)

O R A T I O

C. Et L. Fabricij fratres gemini fuerunt. ex municipio Aletrinate, homines inter ſe cum forma, tum moribus ſimiles, municipum autem ſuorum diſſimillimi: in quibus quantus ſplendor ſit, quam prope aequabilis, quam fere omnium conſtans, & moderata ratio vitae, nemo veſtrum, vt mea fert opinio, ignorat. his Fabricijs ſemper vſus eſt Oppianicus familiariſſime. iam hoc fere, ſcitis omnes, quantum vim habeat ad coniungendas

iungendas amicitias ſtudiorum ac naturae ſimilitudo. cum illi ita viuerent, vt nullum quaeſtum turpem eſſe arbitrarentur; cum omnis ab his fraus, omnes inſidiae, circumſcriptioneſque adoleſcentium naſcerentur; cumque eſſent vitijs, atque improbitate omnibus noti: ſtudioſe, vt dixi, ad eorum ſe familiaritatem multis iam ante annis Oppianicus applicarat, itaque tunc ſic ſtatuit, per C. Fabricium (nam L. erat mortuus) inſidias Habito comparare. erat illo tempore infirma valetudine Habitus, vtebatur autem medico ignobili, ſed ſpectato homine, Cleophanto: cuius ſeruum Diogenem Fabricius ad venenum Habito dandum ſpe & pretio ſolicitare cœpit. ſeruus non incallidus, ſed, vt ipſa res declarauit frugi, atque integer, ſermonem Fabricij non eſt aſpernatus: rem ad dominum detulit: Cleophantus autem cum Habito eſt locutus: Habitus autem ſtatim cum M. Bebrio ſenatori, familiariſſimo ſuo communicauit: qui qua fide, qua prudentia, qua dignitate fuerit, meminiſſe vos arbitror. ei placuit, vt Diogenem Habitus emeret a Cleophanto, quo facilius aut comprehenderetur res eius indicio, aut falſa eſſe cognoſceretur. ne multis, Diogenes emitur: venenum diebus paucis, multi viri boni cum ex occulto interueniſſent, pecuniaq. obſignata, quae ad eam rem dabatur, in manibus Scamandri, liberti Fabriciorum, deprehenditur. Pro dij immortales, Oppianicum quiſquam, his rebus cognitis, circumuentum dicit eſſe? quis vnquam audacior? quis nocentior? quis apertior in iudicium adductus eſt? quod ingenium, quae facultas dicendi, quae a quoquam excogitata defenſio huic vni crimini potuit obſiſtere? ſimul & illud quis eſt, qui dubitet, quin, hac re comperta, manifeſtoque deprehenſa, aut obeunda mors Cluentio, aut ſuſcipienda accuſatio fuerit? Satis eſſe arbitror demonſtratum, iudices, ijs criminibus accuſatum eſſe Oppianicum, vt honeſte abſolui nullo modo potuerit. cognoſcite nunc, ita reum citatum eſſe illum, vt, re ſemel atque iterum praeiudicata, condemnatus in iudicium venerit. Nam Cluentius, iudices, primum nomen eius detulit, cuius in manibus venenum deprehenderat. is erat libertus Fabriciorum Scamãder. integrum conſilium, iudicij corrupti nulla ſuſpicio: ſimplex in iudicium cauſſa, certa res, verum crimen allatum eſt. hic tum Fabricius, is, de quo ante dixi, qui, liberto damnato, ſibi illud impendere periculum videret, quod mihi cum Aletrinatibus vicinitatem, & cum pleriſque eorum magnum vſum eſſe ſciebat, frequentes eos ad me domum adduxit. qui quamquam de homine, ſicut neceſſe erat exiſtimabant: tamen, quod erat ex eodem municipio, ſuae dignitatis eſſe arbitrabantur, eum, quibus rebus poſſent, defendere: idque, a me, vt facerem, & vt cauſſam Scamandri ſuſciperem, petebant, in qua cauſſa patroni omne periculum continebatur. ego, qui neque illis talibus viris, ac tam amantibus mei, rem poſſem vllam negare; neque illud crimen tantum, ac tam manifeſtum eſſe arbitrarer; ſicut nec illi quidem ipſi, qui mihi tum illam cauſſam commendabant, arbitrabantur; pollicitus ijs ſum, me omnia, quae vellent, eſſe facturum. Res agi coepta eſt: citatus eſt Scamander reus: accuſabat P. Canutius, homo in primis ingenioſus, & in dicendo exercitatus: accuſabat autẽ ille quidem Scamandrum verbis tribus, Venenum eſſe deprehenſum. omnia tela totius accuſationis in Oppianicum conijciebantur. aperiebatur cauſſa inſidiarum: Fabriciorum familiaritas commemorabatur: hominis vita, & audacia proferebantur: denique omnis accuſatio, varie, grauiterq. tractata, ad extremum manifeſta veneni deprehẽſione concluſa eſt. Hic ego cum ad reſpondendum ſurrexi, qua cura, dij immortales, qua ſollicitudine animi, quo timore. ſemper equidem magno cum metu incipio dicere: quotieſcumque dico, toties mihi videor in iudicium venire non ingenij ſolum, ſed etiam virtutis, atque officij: ne aut id profiteri videar, quod non poſſim implere, quod eſt impudentiae; aut id non efficere, quod poſſim, quod eſt aut perfidiae, aut negligentiae. tum vero ita ſum perturbatus, vt omnia timerem; ſi nihil dixiſſem, ne infantiſſimus; ſi multa in eiuſmodi cauſſa dixiſſem, ne impudentiſſimus exiſtimarer. collegi me aliquando, & ita conſtitui, fortiter eſſe agendum; illi aetati, qua tum eram, ſolere laudi dari, etiam ſi in minus firmis cauſſis hominum periculis non defuiſſem. itaque feci: ſic pugnaui, ſic omni ratione contendi, ſic omnia ad confugi, quantum ego aſſequi potui, remedia, ac perfugia cauſſarum, vt hoc, quod timide dicam, conſecutus ſim, ne quis illi cauſſae patronum defuiſſe arbitraretur. ſed, vt quidquid ego apprehẽderã, ſtatim accuſator extorquebat e manibus. ſi quaeſieram, an inimicitias Scamandro cum Habito: fatebatur, nullas fuiſſe; ſed Oppianicum, cuius ille miniſter fuiſſet, huic inimiciſſimum fuiſſe, atque eſſe dicebat. ſin autem illud egeram, nullum ad Scamandrum morte Habiti venturum emolumentum fuiſſe: concedebat; ſed ad vxorem Oppianici, hominis in vxoribus necandis exercitati, omnia bona Habiti ventura eſſe dicebat. cum illa defenſione vſus eſſem, quae in libertinorum cauſſis honeſtiſſima ſemper exiſtimata eſt, Scamandrum patrono eſſe probatum; fatebatur, ſed quaerebat, cui probatus eſſet ipſe patronus. cum ego pluribus verbis in eo commoratus eſſem, Scamandro factas inſidias eſſe per Diogenem, conſtitutumq. inter eos de re alia fuiſſe; ut medicamentum, non uenenum, Diogenes afferret; hoc cuiuis uſu uenire poſſe: quaerebat, cur in eiuſmodi locum, tam abditum, cur ſolus, cur cum obſignata pecunia veniſſet; denique hoc loco cauſſa teſtibus honeſtiſſimis hominibus premebatur. M. Bebrius de ſuo conſilio Diogenem emptum, ſe praeſente Scamandrum cum veneno, pecuniaque deprehenſum eſſe dicebat. P. Quinctius Varus, homo ſumma religione, & ſumma auctoritate praeditus, de inſidijs, quae fierent Habito, & de ſollicitatione Diogenis, recenti re, ſeruum Cleophantum locutum eſſe dicebat. Atque in illo iudicio, cum Scamandrum nos defendere uideremur, uerbo ille reus erat, re quidem uera, & periculo, & tota accuſatione Oppianicus: neque id obſcure ferebat, nec diſſimulare ullo modo poterat: aderat frequens, aduocabat; omni ſtudio, gratiaq. pugnabat; poſtremo, id quod maximo malo illi cauſſae fuit; hoc ipſo loco, quaſi reus ipſe eſſet, ſedebat. oculi omnium iudicum non in Scamandrum, ſed in Oppianicum conijciebãtur: timor eius, perturbatio, ſuſpenſus, incertuſque vultus, crebra coloris mutatio: quae erant antea ſuſpicioſa, haec aperta, ac manifeſta faciebant. Cum in conſilium iri oporteret, quaeſiuit ab reo C. Iunius Quaeſitor ex lege illa Cornelia, quae tum erat, clam an palam de ſe ſententiam ferri vellet? de Oppianici ſententia reſponſum eſt, quod is Habiti familiarem Iunium eſſe dicebat, clam velle ferri. itũ eſt in conſilium: omnibus ſententijs, praeter unam, quam ſuã Staienus eſſe dicebat, Scamander prima actione condemnatus eſt. quis tum erat omnium, qui, Scamandro condem-

condemnato, non iudicium de Oppianico factum eſſe arbitraretur? quid eſt illa damnatioñe iudicatum, niſi venenum id, quod Habito daretur, eſſe quaeſitum? quae porro tenuiſſima ſuſpicio collata in Scamandrum eſt, aut conferri potuit, vt is ſua ſponte necare voluiße Habitũ putaretur? atque, hoc tum iudicio facto, & Oppianico re, & exiſtimatione iam, lege, & pronanciatione nõdum condemnato, tamen Habitus Oppianicum reum ſtatim non fecit: voluit cognoſcere, vtrum iudices in eos ſolos eſſent ſeveri, quos venenum habuiſſe ipſos comperißent; an etiam conſilia, conſcientiasq. eiuſmodi facinorum ſupplicio dignas iudicarent. itaque C. Fabricium, quem propter familiaritatem Oppianici conſciũ illi facinori fuiſſe arbitrabatur, reum ſtatim fecit: vtq. ei locus primus conſtitueretur, propter cauſſae coniunctionem impetrauit. Hic tum Fabricius non modo ad me meos vicinos, & amicos Aletrinates nõ adduxit, ſed ipſe ijs neque defenſoribus vti poſtea, neque laudatoribus potuit. rem enim integram hominis non alieni, quamuis ſuſpicioſam defendere, humanitatis eſſe putabamus; iudicatam labe factare conari impudentiae. itaque tum ille, inopia & neceſſitate coactus, ĩ cauſſa eiuſmodi ad Cepaſios fratres confugit, homines induſtrios, atque eo animo, vt, quaecumque dicendi poteſtas eßet data, in honore, atque in beneficio ponerent. Iam, hoc quoque prope iniquiſſime comparatum eſt; quod in morbis corporis, vt quiſque eſt difficillimus; ita medicus nobiliſſimus, atque optimus quaeritur; in periculis capitis, vt quaeque cauſſa difficillima eſt, ita deterrimus, obſcuriſſimusq. patronus adhibetur. niſi forte haec cauſſa eſt quod medici nihil praeter artificium, oratores etiam auctoritatem praeſtare debent. Citatur reus: agitur cauſſa: paucis verbis accuſat, vt de re iudicata, Canutius. incipit, longo, & alte petito prooemio, reſpondere maior Cepaſius. primo attente auditur eius oratio. erigebat animum iam demiſſum, & oppreſſum Oppianicus: gaudebat ipſe Fabricius: non intelligebat, animos iudicum non illius eloquentia, ſed defenſionis impudentia commoveri. poſtea quam de re coepit dicere, ad ea, quae erant in cauſſa, addebat etiam ipſe noua quaedam vulnera. hoc quamquam ſedulo faciebat, tamen interdum non defendere, ſed praeuaricari accuſationi videbatur. itaque, cum calidiſſime ſe dicere putaret; & cum illa verba grauiſſima ex intimo artificio deprompſißet, Reſpicite iudices hominum fortunas, reſpicite dubios, variosq caſus, reſpicite C. Fabricij ſenectutem; cum hoc, Reſpicite, ornandae orationis cauſſa, ſaepe dixiſſet, reſpexit ipſe: at C. Fabricius a ſubſellijs demiſſo capite diſceſſerat. hic iudices ridere; ſtomachari atque acerbe ferre patronus cauſſam ſibi eripi, & ſe cetera de illo loco, Reſpicite iudices, non poſſe dicere; nec quidquam propius eſt factum, quam vt illum perſequeretur, & collo obtorto ad ſubſellia reduceret, ut reliqua poſſet perorare. Iam tum Fabricius primum ſuo iudicio, quod eſt grauiſſimum, deinde legis vi, & ſententijs iudicum eſt condemnatus.

E X P L A N A T I O

QVANTVS *ſplendor*] & habent copias, & ſplendide vtuntur. PROPE *aequabilis*] pari fere omnium probitate. STVDIORVM] cum eaſdem res & ijdem probant, &, quae expetantur, dignas iudicant. NATVRAE] cum ad eaſdẽ res ijdem natura feruntur. CIRCVMSCRIPTIONESQ. *adoleſcentium*] adoleſcentes, aetate incauti, facile in fraudem inducuntur. inde natum eſt verbum, circumſcribere, pro decipere: vt Phil 14 Aut eijciunt vicinos, aut adoleſcentulos circumſcribunt. Pro Q. Roſcio: Dic nunc te ab Roſcio H S ɔɔɔ circumſcriptum eſſe. Circumſcriptor, in Catil. orat 2 Quis teſtamentorum ſubiector, quis circumſcriptor, quis ganeo? Circumſcriptio. lib. III Off. Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus, vt tutela XII. tabulis, & circumſcriptio adoleſcentium lege Plaetoria. CLEOPHANTO:] Graeco: nam Romanis medicina in artium liberalium numero non erat. FRVGI,] proprie de ſeruo dicitur, qui rem domini diligenter cuſtodiat: ſed ad probitatem ſaepe transfertur, vt hic & lib III. in Verrem Frugi, & ſobrij homines Nam vt nequitiam multa vitia, ſic frugalitatem virtutes comitantur multae. NON *eſt aſpernatus*:] aures dedit, quaſi condicionem non recuſans. QVA *fide*] in amicitijs tuendis, & in colenda iuſtitia. QVA *prudentia*.] in cognoſcendis, iudicandisq. rebus. QVA *dignitate*] & quod ſenator, & quod virtute praeditus. PRO *dij immortales*,] exclamatio narrationi ſubiecta, vt ſupra. Et eſt quiſquam, qui, cum haec cognouerit, ſuſpicari poſſit Oppianicum iudicio oppreſſum & circumuentum eſſe innocentem? Infra, poſt Scamandrum prima actione condemnatum: Quis tum erat omnium, qui Scamandro condemnato, non iudicium de Oppianico factum eſſe arbitraretur? QVIS *vmquam audacior*?] argumentum a ſuperiore vita. QVIS *nocentior*?] a crimine veneficij. QVIS *apertior*] a comperta re manifeſtoq. deprehenſa. QVOD *ingenium, quae facultas dicendi*] ſic in Verrem act. I. Quod eſt ingenium tantum, quae tanta facultas dicendi & copia, quae iſtius vitam, tot vitijs flagitijſq. conuictam, iampridem omnium voluntate iudicioq. damnatam, aliqua ex parte poſſit defendere: HVIC *vni crimini*] de veneficio, cuius eum Cluentius accuſauit. OBEVNDA *mors*] exitum illi parante Oppianico, qui ſuum ſcelus, veneno in Scamandri manibus deprehenſo, patefactũ videret. RE *ſemel atque iterum praeiudicata*,] damnatione Scamandri, & Fabricij. VICENITATEM] vicini enim Arpinatibus. SICVT *neceſſe erat*.] peſſime ſcilicet, ob improbitatem vitae. ſupra PATRONI] C Fabricij; cuius libertum Scamandrum fuiſſe, paullo ante dictum eſt. NEQVE *illud tantum*] excuſatio. nam orator, cum vir bonus definiatur, bonas recipere cauſſas debet, malas reijcere. SICVT *nec illi quidem ipſi*,] altera excuſatio: ne impudentes fuiſſe videantur Aletrinates, qui tã turpẽ cauſſam commendauerint. CAVSSA *inſidiarum*:] quod Oppianicus Habitũ ideo veneno tollendũ curaſſet, vt eo mortuo, qui teſtamentũ adhuc nullũ fecerat, bona eius omnia ad matrem venirẽt; quae ab ſeſe poſtea, aucta pecunia, maiore praemio, orbata filio, mi-

minore

nore periculo necaretur. MAGNO *cũ meiu incipio dicere:*] quod eſt hominis de ingenij fama. & de officio ſuo laborantis. in Diuin. Ita Deos mihi velim propitios, vt, cum illius diei mihi venit in mentẽ, quo die, citato reo, mihi dicendum ſit, non ſolum commoueor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco. De Orat. lib 1. Mihi quique optime dicunt, quique id facillime, atque ornatiſſime facere poſſunt; tamen, niſi timide ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, paene impudentes videntur, tametſi id non accidere, non poteſt, vt enim quiſque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatẽ, varioſq. euentus orationis, hominumq iudicia pertimeſcit. VIRTVTIS,] probitatis non enim hoc ad eloquentiam refertur: cũ de ingenio ſeparatim iam dixerit. QVA *tum etam.*] octo annis ante, cum Cicero annos 32. natus eſſet. hanc enim orationem annis octo poſt Oppianici damnationem praetor habuit. Oppianici autem iudicium Scamandri Fabricijq damnationem nullo fere temporis interuallo ſecutum eſt, cum L Quinctius, Oppianici defenſor, tribunus pl. eſſet, L. Lucullo, M. Cotta cos. IN *minus firmis cauſſis*] minus bonis: in quibus pro reo quod diceret, defenſor inuenire vix poſſet. QVOD *timide dicam,*] ne mihi ipſe arrogaſſe nimium videar VT *quidquid*] quidquid pro quidque, & quiſquis pro quiſque vſitatum Ciceroni, & Lucretio. CVR *ſolus*] Scamander, SVMMA *religiones,*] qui falſum nõ diceret: cuius animus ab omni fraude, mendacioq. abhorreret. SVMMA *auctoritate*] grauis auctor. vt eius teſtimonio fidem abrogare non liceat. RE *quidem vera,*] apparebat enim, venenum illud eius conſilio paratum. PERICVLO,] quod ei, Scamandro condemnato, certum impendebat, TOTA *accuſatione*] ſupra: Omnia tela accuſationis in Oppianicum conijciebantur. ADVOCABAT;] aduocatus interdum eſt, qui praeſens reo fauet. inde aduocare, eodem ſenſu. ILLI *cauſſae*] Scamandri. HOC *ipſo loco.*] in ſubſellijs reorum: ex quibus Cicero Cluentij cauſſam agebat. IN *conſilium iri*] ſententias ferri. id eſt enim, in conſilium ire. infra: In conſilium ituri iudices triginta duo: pro, ſententias laturi. QVAESITOR] quaeſtioni praeerat, non tamen praetor erat. interdum tamen, atque adeo ſaepe praetor idem & quaeſitor. Ex *lege illa Cornelia*,] quam L. Cornelius Sulla tulerat, vt ſententiae clam aut palam ex rei voluntate ferrentur. QVAE *tum erat,*] aliquid igitur poſtea mutatum videtur in illa lege, & opinor hoc ipſum de ſententijs ferendis. ITVM *eſt in conſilium:*] ſententiae latae ſunt. STALENVS] ab Oppianico corruptus, vt idem mox in ipſius Oppianici iudicio. DICEBAT,] peccato improbus, confeſſione impudens. PRIMA *actione*] ampliandi poteſtatem lege permittente. ESSE *quaeſitum?*] eſſe comparatum. SVA *ſponte*] non alieno conſilio. RE,] cum is damnatus eſſet. cuius in iudicio ſcelus Oppianici patefactum iam eſſet. LEGE,] quae iudicum ſententijs reum condemnat. PRONVNCIATIONE] ſententijs iudicum. infra: Placuit, repente iudices pronunciare. iudices, ſe id velle, dixerunt. VTQ. *ei locus primus conſtitueretur,*] vt eius cauſſa, quod cum Scamandri cauſſa coniuncta eſſet, ſtatim ageretur. ſic Oppianico poſt damnatum Fabricium locus primus eſt conſtitutus. infra. REM. ENIM *integram*] nullo dum iudicio damnatam. REM *enim integram*] cauſſam Scamandri, nullo antea praeiudicio damnatam. HOMINIS *non alieni*] ipſius Fabricij, pro Scamandro rogantis, vt periculum a ſe remoueret. DEFENDERE,] quam defenderat Cicero, rogatus ab Aletrinatibus. LABEFACTARE] immutare, reſcindere. eadem enim erat Fabricij, Scamandriq cauſſa. AD *Cepaſios fratres*] de quibus in Bruto: C. & L. Cepaſij fratres fuerunt: qui multa opera, ignoti homines, & repentini, quaeſtores celeriter facti ſunt, opidano quodam & inconditо genere dicendi. QVAECVMQVE *dicendi poteſtas eſſet data,*] vel in cauſſa peſſima: quod eſt impudentiae. NISI *forte haec cauſſa eſt,*] niſi forte deterrimus, & obſcuriſſimus patronus ideo adhibetur, quod ab oratore auctoritas etiam requiritur. ironia. non enim haec eſt cauſſa: nam ſi eſſet. optimus, & clariſſimus adhiberetur. quid igitur eſt cauſſae, cur deterrimus & obſcuriſſimus adhibeatur? quia nocentis rei defenſionem optimus orator non ſuſcipit ita neceſſario ad deterrimum confugitur. ARTIFICIVM,] vt in curando non peccent: auctoritas is ijs non requiritur. ETIAM *auctoritatem*] vt etiam boni viri putentur. ERIGEBAT *animum*] cum attente audiri videret orationem Cepaſij, quaſi capitis illius eloquentia iudicibus. DE REI] abſoluto praemio. QVAE *erant in cauſſa,*] contra Fabricium. NOVA *quaedam vulnera.*] per imprudentiam dicebat ea, quae Fabricio nocerent. SEDVLO] ſtudioſe, ex animo, non vulnera putans, ſed remedia. Notatur imprudentia Cepaſij. qui ſe prodeſſe cauſſae arbitraretur, in quo, noceret. CALLIDISSIME] pro Fabricio, quae contra Fabricium erant. PVTARET,] quod idem ceteri non putabant. ILLA *uerba grauiſſima*] ironia. EX *intimo artificio*] quod intimum erat Cepaſio. nam reuera artificium in ijs verbis nullum erat. RESPEXIT *ipſe:*] ad reum, & a ſubſellijs diſcedentem vidit. DISCESSERAT.] abſolutione deſperata, ex infantia, & imprudentia defenſoris ſui, quem videret ad ea, quae erant in cauſſa, addere noua quaedam vulnera.

ORATIO

QVID eſt, quod iam de Oppianici cauſſa plura dicamus? apud eoſdem iudices reus eſt factus, cum is duobus praeiudicijs iam damnatus eſſet: ab ijſdem autem iudicibus, qui Fabriciorum damnatione de Oppianico iudicarant, locus ei primus eſt conſtitutus: accuſatus eſt criminibus grauiſſimis, ijs, quae a me breuiter dicta ſunt, & praeterea multis, quae ego omnia nunc omitto: accuſatus eſt apud eos, qui & Scamandrum miniſtrum Oppianici, & Fabricium, conſciũ maleficij, condemnarant. Vtrum, per deos immortales,

magis

magis eſt mirandum, quod is condemnatus eſt, an quod omnino reſpondere auſus eſt? quid enim illi iudices facere potuerunt? qui ſi innocentes Fabricios condemnaſſent, tamen in Oppianico ſibi conſtare, & ſuperioribus conſentire iudicijs debuerunt. an vero illi ſua per ſe iudicia reſcinderent, cum ceteri ſoleant in iudicando, ne ab aliorum iudicijs diſcrepent, prouidere? & illi, qui Fabricij libertum, quia miniſter in maleficio fuerat; patronum, quia conſcius, cõdemnaſſent; ipſum principem, atque architectum ſceleris abſoluerent? & qui ceteros, nullo praeiudicio facto, tamen ex ipſa cauſſa condemnaſſent; hunc, quem bis condemnatum iam acceperant, liberarent? tum vero illa iudicia ſenatoria non falſa inuidia, ſed vera atque inſigni turpitudine notata, atque operta dedecore, & infamia, defenſioni locum nullum reliquiſſent. quid enim tandem illi iudices reſponderent, ſi quis ab iis quaereret; condemnaſtis Scamandrum; quo crimine? nempe, quod Habitum per ſeruum medici veneno necare voluiſſet. quid Habiti morte Scamãder cõſequebatur? nihil; ſed adminiſter erat Oppianici. condemnaſtis C. Fabricium; quid ita? quia, cum ipſe familiariſſime Oppianico vſus; libertus autem eius in maleficio deprehenſus eſſet, illum expertem eius conſiliũ fuiſſe non probabatur. Si igitur ipſum Oppianicum, bis ſuis iudicijs condemnatum, abſoluiſſent; quis tantam turpitudinem iudiciorum, quis tantam inconſtãtiam rerum iudicatarũ, quis tãtam libidinem iudicũ ferre potuiſſet? Quod ſi hoc videtis, quod iam omni oratione patefactum eſt, illo iudicio reum condemnari, praeſertim ab iiſdem iudicibus, qui dua praeiudicia feciſſent, neceſſe fuiſſe: ſimul illud videatis, neceſſe eſt, nullam accuſatori cauſſam eſſe potuiſſe, cur iudicium vellet corrumpere. Quaero enim abs te, T. Atti, relictis iam ceteris argumentis omnibus, num Fabricios quoque innocentes condemnatos exiſtimes? num etiam illa iudicia pecunia corrupta eſſe dicas, quibus iudicijs alter a Staieno ſolo abſolutus eſt, alter etiam ipſe ſe condemnauit? age; ſi nocentes, cuius maleficij? numquid, praeter venenum quaeſitum, quo Habitus necaretur, obiectum eſt? numquid aliud in illis iudicijs verſatum eſt, praeter haſce inſidias Habito ab Oppianico per Fabricios factas? nihil, inquam, aliud, iudices, reperietis. exſtat memoria: ſunt tabulae publicae: redargue me, ſi mentior: teſtium dicta recita: doce, in illorum iudicijs quid, praeter venenum Oppianici, nõ modo in criminis ſed in maledicti loco ſit obiectũ. Multa dici poſſunt, quare ita neceſſe fuerit iudicari: ſed ego occurram exſpectationi veſtrae, iudices. nam, etſi a vobis ſic audior, vt numquam benignius, neque attentius quemquam auditum putem: tamen vocat me alio iamdudum tacita veſtra exſpectatio, quae mihi obloqui videtur: Quid ergo? negas ne illud iudicium eſſe corruptum? non nego: ſed, ab hoc corruptum non eſſe, confirmo. a quo igitur eſt corruptum? opinor, primum, ſi incertum fuiſſet, quiſnam exitus illius iudicii futurus eſſet, veriſimilius tamen eſſet, eum potius corrupiſſe, qui metuiſſet, ne ipſe condemnaretur, quam illum, qui veritus eſſet, ne alter abſolueretur: deinde, cum eſſet nemini dubium, quid iudicari neceſſe eſſet, eum certe potius, qui ſibi aliqua ratione diffideret, quam eum, qui omni ratione confideret: poſtremo, certe potius illum, qui bis apud eos iudices offendiſſet, quam illum, qui bis cauſſam iis probauiſſet. vnum quidem certe, nemo erit tam iniquus Cluentio, qui mihi non concedat, ſi conſtet corruptum illud eſſe iudicium, aut ab Habito, aut ab Oppianico eſſe corruptum. ſi doceo, non ab Habito, vinco, ab Oppianico: ſi oſtendo ab Oppianico, purgo Habitum. quare, etſi ſatis docui, rationem nullam huic corrumpendi fuiſſe, ex quo intelligitur ab Oppianico eſſe corruptum: tamen de illo ipſo ſeparatim cognoſcite.

E X P L A N A T I O

LOCVS *ei primus eſt conſtitutus:*] propter coniunctionem cauſſæ, vt Fabricio poſt damnationem Scamandri. FABRICIOS] de vno Fabricio nominatim locutus eſt: ſed Fabricius quoque Scamander fuit, cũ Fabriciorũ eſſet libertus. patet infra. ALTER] Scamander. IPSE *ſe condemnauit?*] Fabricius, a ſubſellijs diſcedens ante perorationem cauſſæ. ILLA *iudicia ſenatoria*] quæ tum per ſolos adminiſtrabantur ſenatores: poſtea communicata ſunt Aurelia legis tribus ordinibus, Pompeio & Craſſo cos. NON *falſa inuidia,*] quam tamen in Verrinis orationibus verum eſſe dixit, vt iudices a corruptela deterreret. SVIS] ipſorum iudicum. T. ATTI,] hic eſt T. Attius Piſaurenſis, de quo in Bruto: T. Attiũ Piſaurenſem, cuius accuſationi reſpõdi pro A. Cluentio: qui & accurate dicebat, & ſatis copioſe, eratq. præterea doctus Hermagoræ præceptis: quibus etſi ornamenta non ſatis opima dicendi, tamen vt haſtæ velitibus amẽtatae, ſic apta quædam & parata ſingulis cauſſarum generib. argumenta traduntur. Attius, gemina T. ex antiquioribus libris Graeca ſcriptura, lapidibus malo ſcribere quã Accius vel Atius: quãquam dixerit Virgilius, Parmis Atis. genus vnde Atij duxere coloni: demente litteram poetica licẽtia. OCCVRRAM *exſpectationi veſtrae,*] omittam, quæ dici poſſunt: veniam ſtatim ad id, quod exſpectatis, id eſt ad ipſam illius iudicij, quo Oppianicus damnatus eſt, corruptionem. ſupra: Aceruatim iam reliqua, iudices, dicam; vt ad ea, quę propiora huius cauſſę & adiunctiora ſunt, perueniam. EVM *potius*] maior enim metus in eo, qui de ſua ſalute periclitatur, quam in eo, qui alteri perniciem quærit. DE *illo ipſo*] de corrupto ab Oppianico iudicio.

O R A T I O

ATque ego illa non argumentabor, quae ſunt grauia vehementer: eum corrupiſſe, qui in periculo fuerit; eum, qui metuerit; eum, qui ſpem ſalutis in alia ratione non habuerit; eum, qui ſemper ſingulari fuerit audacia. multa ſunt eiuſmodi: verum, cum habeam rem non dubiam ſed apertam, atque manifeſtam, enu-

mei atiu ſingulorum argumentorum non eſt neceſſaria. Dico, C. Aelio Staleno iudici pecuniam grãdem Statiũ Albium ad corrumpendum iudicium dediſſe. num quis negat? te appello, Oppianice, te T. Atti: quorum alter eloquẽtiam damnationem illam, alter tacite pietate deplorat. audete negare, ab Oppianico Staleno iudici pecuniam datam; negate, negate, inquam, in eo loco. quid reticetis? at negare non poteſtis, quod repetiſtis, quod confeſſi eſtis, quod abſtuliſtis. quo tandem igitur ore mentionem corrupti iudicij facitis, cum ab iſta parte iudici pecuniam ante iudicium datam, poſt iudicium ereptam eſſe fateamini? Quoniam igitur haec modo geſta ſunt? repetam paullo altius, iudices: & omnia, quae in diuturna obſcuritate latuerunt, ſic aperiam, vt ea cernere oculis videamini, vos quaeſo, vt adhuc me attente audiſtis, item, quae reliqua ſunt, audiatis: profecto nihil a me dicetur, quod non dignum hoc conuentu & ſilentio, dignum veſtris ſtudijs, atque auribus eſſe videatur. Nam vt primum Oppianicus ex eo, quod Scamander reus erat factus, quid ſibi impenderet, coepit ſuſpicari; ſtatim ſe ad hominis egentis, audacis, in iudicijs corrumpendis exercitati, tum autem iudicis, Staleni familiaritatem applicauit. ac primum, Scamandro reo, tantum donis datis muneribus, profecerat, vt eo auctore vteretur cupidiore, quam fides iudicis poſtulabat. poſt autem, cum eſſet Scamander vnius Staleni ſententia abſolutus, patronus autem Scamandri ne ſua quidem ſententia liberatus; acrioribus ſaluti ſuae remediis ſubueniendum putauit. tum a Staleno, ſicut ab homine ad excogitandum acutiſſimo, ad audiendum impudentiſſimo, ad efficiẽdum acerrimo, (haec enim ille & aliqua ex parte habebat, & maiore ex parte ſe habere ſimulabat) auxilium capiti & fortunis ſuis petere coepit. Iam hoc non ignoratis, iudices, vt etiam beſtiae, fame dominante, plerumque ad eum locum, vbi paſtae aliquando ſint, reuertuntur. Stalenus ille biennio ante, cum cauſſam bonorum Safinij Atellae recepiſſes, D C nummum ſe iudicium corrupturum eſſe dixerat. quae cum accepiſſet a pupillo, ſuppreſſit, iudicioq. facto, nec Safinio, nec bonorum emptoribus reddidit. quam cum pecuniam profudiſſet, & ſibi nihil non modo ad cupiditates ſuas, ſed ne ad neceſſitatẽ quidem reliquiſſet; ſtatuit ad eaſdem ſibi praedas, ac ſuppreſſiones iudiciales reuertendum. itaque, cum Oppianicum iam perditum, & duobus iugulatum praeiudiciis videret, promiſſis eum ſuis excitauit abiectum, & ſimul ſaluti deſperari vetuit. Oppianicus orare hominem coepit, vt ſibi rationem oſtenderet iudicii corrumpendi. ille autem, quemadmodum ex ipſo Oppianico poſtea eſt auditum, negauit quemquam eſſe in ciuitate, praeter ſe, qui id efficere poſſet: ſed primo grauari coepit, quod aedilitatem ſe petere cum hominibus nobiliſſimis, & inuidiam, atque offenſionem timere dicebat; poſt exoratus, initio permagnam pecuniam popoſcit, deinde ad id peruenit, quod confici potuit, & H-S DCXL deferri ad ſe domum iuſſit. quae pecunia ſimul atque ad eum delata eſt, homo impuriſſimus ſtatim cœpit in eiuſmodi mente, & cogitatione verſari: nihil eſſe ſuis rationibus vtilius, quam Oppianicum condemnari: illo abſoluto, pecuniam illam aut iudicibus diſpertiendam, aut ipſi eſſe reddendam; damnato, repetiturum eſſe neminem. itaque rem excogitat ſingularem. Atque haec, iudices, quae vere dicuntur a nobis, facilius credetis, ſi cura animis veſtris longo interuallo recordari C. Staleni vitam, & naturam volueritis. nam, perinde ut opinio eſt de cuiuſque moribus, ita, quid ab eo factum, & non factum ſit, exiſtimari poteſt. Cum eſſet egens, ſumptuoſus, audax, callidus, perfidioſus; & cum domi ſuae, miſerrimus, & inaniſſimus, tantum nummorum poſitum videret; ad omnem malitiam, & fraudem verſare mentem ſuam, haec ſecum cogitans, coepit: Dem ne iudicibus? mihi igitur ipſi, praeter periculum, & infamiam, quid quaeretur? nihil excogitem, quamobrem Oppianico damnari neceſſe ſit? quid tandem, (nihil enim eſt, quod fieri non poſſit) ſi quis eum forte caſus ex periculo eripuerit; nam ne reddendum eſt? praecipitantem igitur impellamus, inquit, & perditum proſternamus. capit hoc conſilium, vt pecuniam quibuſdam iudicibus leuiſſimis polliceatur, deinde eam poſtea ſupprimat: vt, quoniam graues homines ſua ſponte ſeuere iudicaturos putabat, hos, qui leuiores erant, deſtitutione iratos Oppianico redderet. itaque, vt erat ſemper praepoſterus, atque peruerſus, initium facit a Bulbo. & eum, quod iamdiu nihil quaeſierat, triſtem, atque oſcitantem, leuiter impellit. quid tu, inquit? ecquid me adiuuas, Bulbe, ne gratis reip. ſeruiamus? ille vero, ſimul atque hoc audiuit; Ne gratis: quo voles, inquit, ſequar: ſed quid affers? tum ei quadraginta millia, ſi eſſet abſolutus Oppianicus, pollicetur, & eum, vt ceteros appellet, quibuſcum loqui conſueſſet, rogat: atque etiam ipſe, conditor totius negotij, Guttam adſpergit huic Bulbo. itaque minime amarus is viſus eſt, qui aliquid ex eius ſermone ſpeculae deguſtarat: vnus & alter dies interceſſerat, cum res parum certa videbatur: ſequeſter, & confirmator pecuniae deſiderabatur. tum appellat hilari vultu hominem Bulbus, vt blandiſſime poteſt; quid tu, inquit, Paete? (hoc enim Stalenus cognomen ex imaginibus Aeliorum delegerat; ne, ſi ſe Ligurem feciſſet, nationis magis ſuae, quam generis, vti cognomine videretur) qua de re mecũ locutus es, quaerunt a me vbi ſit pecunia. hic ille planus, improbiſſimus, quaeſtu iudiciario paſtus, qui illi pecuniae, quam condiderat, ſpe iam atque animo incubaret, contrahit frõtem, (recordamini faciem, atque illos eius fictos ſimulatosq. vultus) queritur ſe ab Oppianico deſtitutum: & qui eſſet totus ex fraude & mendacio factus quique ea vitia, quae a natura habebat, etiam ſtudio, atque artificio quodam malitiae condiuiſſet, pulchre aſſeuerat, ſe ab Oppianico deſtitutum: atque hoc addit teſtimonij ſua illum ſententia, quam palam omnes laturi eſſent, condemnatum iri. manarat ſermo in conſilio, pecuniae quandam mentionem inter iudices eſſe verſatam; res neque tam fuerat occulta, quam erat occultanda; neque tam erat aperta, quam reipub. cauſſa aperienda. in ea obſcuritate, ac dubitatione omnium, Canutio, perito homini, qui quodam odore ſuſpicionis Stalenum corruptũ eſſe ſenſiſſet, neque dum rem profectam arbitraretur, placuit, repente iudices pronunciare. iudices, ſe id velle, dixerunt. hic tum Oppianicus non magnopere pertimuit: rẽ a Staleno perfectam eſſe arbitrabatur, in conſilium erant ituri iudices triginta & duo: ſententijs decem & ſex abſolutio confici poterat: H·S XL, in ſingulos iudices diſtributa, eum numerum ſententiarum conficere debebant; vt ad cumulum, ſpe maiorum praemiorum, ipſius Staleni ſententia ſeptimadecima accederet. atque etiam caſu tum, quod illud repente erat factum, Stalenus ipſe non aderat; cauſſam neſcio quam apud iudicem defendebat. facile hoc Habitus patiebatur,

tiebatur, facile Cluentius, at non Oppianicus, neque patronus eius L. Quinctius: qui cum eſſet eo tempore tribunus pl. conuicium C. Iunio, iudici quaeſtionis, maximum fecit, vt ne ſine Staleno in conſilium iretur: cumq. id ei per viatores conſulto negligentius agi videretur, ipſe a publico iudicio ad priuatum Staleni iudicium profectus eſt, & illud pro poteſtate dimitti iuſſit; Stalenum ipſe ad ſubſellia adduxit. conſurgitur in conſilium, cum ſententias Oppianicus, quae tum erat poteſtas, palam ferri velle dixiſſet, vt Stalenus ſcire poſſet, quid cuique deberetur. varia iudicum genera; nummarij pauci, ſed omnes irati. vt enim, qui accipere in campo conſueuerunt, ijs candidatis, quorum nummos ſuppreſſos eſſe putant, inimiciſſimi ſolent eſſe; ſic eiuſmodi iudices infeſti tum reo venerant: ceteri nocentiſſimum eſſe arbitrabantur: ſed ſpectabant ſententias eorum, quos corruptos putabant; vt ex ijs conſtituerent, a quo iudicium corruptum videretur. ecce tibi eiuſmodi ſortitio, vt in primis Balbo, & Staleno, & Guttae eſſet iudicandum. ſumma omnium exſpectatio, quidnam ſententiae ferrent leues, ac nummarij iudices. atque illi omnes ſine vlla dubitatione condemnant. hic tum iniectus eſt hominibus ſcrupulus, & quaedam dubitatio, quidnam eſſet actum. deinde homines ſapientes, ex vetere illa diſciplina iudiciorum, qui neque abſoluere hominem nocentiſſimum poſſent; neque eum, de quo eſſet orta ſuſpicio, pecunia oppugnatum, re illa incognita primo condemnare vellent; Non liquere, dixerunt. nonnulli autem, ſeueri homines, hoc ſtatuerunt, quo quiſque animo quid faceret, ſpectari oportere: &, ſi alij pecunia accepta verum iudicabant, tamen nihilo minus ſe ſuperioribus ſuis iudicijs conſtare putabant oportere; itaque damnarunt. quinque omnino fuerunt, qui illum veſtrum innocentem Oppianicum, ſiue imprudentia, ſiue miſericordia, ſiue aliqua ſuſpicione, ſiue ambitione adducti, abſoluerent. Condemnato Oppianico, ſtatim L. Quinctius, homo maxime popularis, qui omnes rumorum, & concionum ventos colligere conſueſſet, oblatam ſibi facultatem putauit, vt ex inuidia ſenatoria poſſet creſcere, quod eius ordinis iudicia minus iam probari populo arbitrabatur. habetur vna atque altera concio vehemens, & grauis: accepiſſe pecuniam iudices, vt innocentem reum condemnarent, tribunus pl. clamitabat: agi fortunas omnium dicebat: nulla eſſe iudicia; qui pecunioſum inimicum haberet, incolumem eſſe neminem poſſe. homines totius ignari negotij, qui Oppianicum numquam vidiſſent, virum optimum, & hominem prudentiſsimum, pecunia oppreſſum arbitrarentur, incenſi ſuſpicione rem in medium vocare coeperant, & cauſſam illam totam depoſcere.

EXPLANATIO

C. AELIO *Staleno*] quid ſi, Staieno, nõ Staleno, legatur? vt e Staiena gente per adoptionẽ in Aeliã tranſierit, aſſumpto, vt infra patet, Paeti cognomine. nam in Bruto, C. Stalenus, inquit, qui ſe ipſe adoptauerat & de Staleno Aelium fecerat. De quo ſubiungit: Feruido quodam, & petulanti, & furioſo genere dicendi: quod quia multis gratũ erat & probabatur, adſcendiſſet ad honores, niſi in facinore manifeſto deprehẽſus, poenas legibus, & iudicio dediſſet. Facinus autẽ illud fuit, accepta ab Oppianico pecunia ad corrũpendũ iudicium. TACITA *pietate*] erga patrẽ damnatũ. Oppianici adoleſcentis inſantiã infra quoque notat his verbis. Quid autẽ magnopere Oppianicũ metuebat? cũ ille verbum omnino in hac ipſa cauſſa nullũ facere potuerit, huic autem accuſatores, matre viua, deeſſe nõ poſſent. IN *eo loco*] in ſubſellijs accuſatorum nam etſi, me dicente, poteſtatem non habetis interpellandi: ego tamen vobis eam poteſtatẽ remitto; &, vt negetis ab Oppianico Staleno iudici pecuniam datam, concedo. negate, negate, inquã. in eo loco: quid reticetis? Similiter pro Sex. Roſcio. Non quaero abs te, quare patrem Sex. Roſcius occiderit, quo modo occiderit. ita quaero abs te, L. Eruti, quo modo, & ſic tecum agam, vt in eo loco vel reſpondendi, vel interpellandi poteſtatẽ faciã. REPETISTIS,] a Staleno qui cum pecuniam pro abſolutione Oppianici accepiſſet, eum cõdemnauit: itaque reddenda pecunia fuit. ABSTVLISTIS.] iudicio populi, agente tribuno pl. Quintio. infra. TANTVM *donis datis, muneribuſq. profecerat.*] Vlpianus ita diſtinguit donũ a munere, vt genus a ſpecie: quia donum a donando dictum, ſit, munus autem cum cauſſa donetur, vt natalitium, nuptialitiũ. coniunguntur igitur diſtinctionis gratia, vt pro Archia: Iure ſuo noſter ille Ennius ſanctos appellat poetas quod quaſi deorũ aliquo dono, atque munere commendati nobis eſſe videantur. Et lib. 2. de Or. M. Cincius, quo die legẽ de donis, & muneribus tulit. Cõfunduntur tamen interdũ. PROFECERAT,] corruptus enim in Scamandri iudicio Stalenus ab Oppianico, ſententia ſua Scamandrũ vnus abſoluerat. ſupra Omnibus ſententijs, praeter vnã, quã ſuam Stalenus eſſe dicebat, prima actione cõdemnatus eſt. PATRONVS] Fabricius. NE *ſua quidem ſententia liberatus*;] quia, cauſsã illius agente Cepaſio a ſubſellijs demiſſo capite diſceſſerat. ſupra: Nũ etiã illa iudicia pecunia corrupta eſſe dicas, quibus iudicijs alter a Staleno ſolo abſolutus eſt, alter etiã ipſe ſe cõdemnauit? BONORVM *Safinii Atellae*] cũ Safinius Atella pupillus bona ſua iudicio repeteret ab ijs, qui male empta poſſidebant. DC *millia nummum*.] ſcutatorũ XVIII. millia. SVPPRESSIT,] nõ dedit iudicibus, ipſe clam retinuit. NEC *Safinio*,] qui cauſſa cecidit. NEC *bonorum emptoribus*] vtrique parti reddenda non fuit. cũ ab vno Stalenus eã accepiſſet. hoc tamẽ Cicero dicit, vt pecuniã ſibi habuiſſe Stalenũ oſtendat, cũ nemini omnino reddiderit, quae reddenda certe fuit alterutri parti, ideſt ei, quae, cum dediſſet, condemnata tamẽ eſſet. Simile illud paullo poſt: Illo abſoluto pecuniam illam aut iudicibus diſpertiendam, aut ipſi eſſe reddendam. EX *ipſo Oppianico*] a Staleno ſe proditum querente. GRAVARI *coepit*,] quo ſe, ſuamq. operam pluris venderet. QVOD *confici potuit*,] quod obtinere potuit ab Oppianico. HS DCXL] ſcutatorum XIX millia, ducẽtos. NON *ne reddendum eſt?*] repetet enim ſuam pecuniam: dicet ſe nõ opera

mea,ſed propter innocentiam ſuam abſolutum. INITIVM *facit a Bulbo,*] feſtiue admodum.nam cũ initium cenae a Bulbo fieri non ſoleat,Stalenus tamen a Bulbo iudice initium fecit iudicij corrumpendi ideo vocauit eum Cicero praepoſterũ,atque peruerſum,in ambiguo iocum quaerens. CONDITOR *totius negotij,Guttam aſpergit huic Bulbo.*]mirũ Ciceronis ingeniũ in lepore dictorum. Iudex eſt Bulbus, iudex & Gutta. rurſus, bulbus eſt cibus: gutta, liquor, qua conditur bulbus ex ambiguo igitur ſumpſit occaſionem iocandi conditur enim Bulbus adſperſa gutta. IS] Bulbus iudex facilẽ ſe praebuit adiuncto Gutta iudice: vt bulbus cibus, adſperſa liquoris gutta, conditur, & amarũ ſaporẽ amittit. DEGVSTARAT,] non diſcedit a tranſlatione.nam condire bulbum gutta,deguſtare aliquid ſpeculae,ſimilitudinem habent. SEQVESTER,] cuius in manu pecunia deponeretur. CONFIRMATOR *pecuniae*]qui de pecunia ſponderet a Staleno promiſſa,quaſi euictionis nomine,vt iuriſconſulti loquuntur.ſic venditionis confirmatorem Iulianus vocat eum,qui ſecundus auctor eſt.nam primus auctor,ipſe venditor. HOMINEM]Stalenum. EX *imaginibus Aeliorum*]Aeliae enim gentis cognomen Paetus,vt in faſtis,anno vrbis DLII.P.Aelius Paetus. DELEGERAT;] arbitratu ſuo:qui etiam ſe ipſe adoptaſſet, Aeliumq.de Staleno feciſſet. SI *ſe Ligurem feciſſet.*] ſi Liguris cognomen ex imaginibus Aeliorum ſumpſiſſet.fuerant enim & Aelij Paeti, & Aelij Ligures, vt in faſtis. NATIONIS *magis ſuae,*]quia natus,vel ortus ex Liguria. GENERIS] Aelij.celandam igitur Stalenus in cognomine patriam putauit:Romanus omnino videri voluit,ex antiqua Aeliorum gente. PLANVS]deceptor. graecum verbum. Horatius lib.I. ep. Fracto crure planum. Plinius lib.xxxv.c.10. Agnoſcente vultum plani rege. QVAM *palam omnes lauti eſſent.*]ex lege Cornelia;quae poteſtatem reo dabat,vt ſententiae vel clam,vel palam ferrentur.reus enim Oppianicus, qui Staleno pecuniam ad corrumpendũ iudicium dediſſet quin palã ſententias ferri vellet, vt in eo Staleni fidem noſſet,minime dubium erat.ſupra:Quaeſiuit ab reo C.Iunius quaeſitor ex lege illa Cornelia,quae tũ erat, clã an palã de ſe ſententiam ferri vellet.Infra.Cum ſententias Oppianicus,quae tum erat poteſtas, palam ferri velle dixiſſet. PLACVIT,]potuit iterum cauſſam agere: ſed, ne perfici res a Staleno poſſet, ſententias ferri ſtatim voluit. REPENTE] antequam res a Staleno perfici poſſet PRONVNCIARE.]ſententias ferre,de reo iudicare.ſupra:Oppianico re,& exiſtimatione iam,lege,& pronunciatione nondũ condemnato. TRIGINTA *& duo*] praeter Stalenum. EVM *numerum ſententiarum conficere debebant;*] XL nummorum millibus,ideſt ſcutatis MCC.in ſingulos iudices diſpertitis: SEPTIMADECIMA] iudices igitur omnino XXXIII. NVMMARII]quibus a Staleno promiſſa,nec tamen data pecunia eſſet,vt Bulbus,& Gutta,ſupra nominati. OMNES *irati.*] cur irati,ſtatim cauſſa ſubijcitur. IN *campo*] futuris comitijs. EIVSMODI *iudices*] qui pecuniam accipere conſueſſent. CETERI] integri, & iuſti. SORTITIO] ſortiebantur iudices ex lege illa Cornelia de ferendarum ſententiarum loco BVLBO, *& Staleno, & Guttae*] quos ceteri iudices corruptos putabant. PRIMO *condemnare*] actione prima; cum eundem paullo poſterius, patefactare, condemnare mallent. NON *liquere dixerant.*] ijfuere nouem iudices,quorum nomina infra ponuntur.quinque autem Oppianicum abſoluerunt,reliqui XIX.condemnarunt.omnes enim iudices,adiuncto Staleno XXXIII.fuere. SI *alij,*] Bulbus,Stalenus,Gutta,alij nonnulli. VERVM *iudicabant.*] reo damnato.Verum pro aequum, vt alibi. SVPERIORIBVS *ſuis iudicijs*] de Scamandro, & Fabricio. ILLVM *veſtrum innocentem Oppianicum*]ironia.nam ſi innocens,vt vos clamatis;cur eum quinque tantum abſoluerunt? ALIQVA *ſuſpicione*] corrupti a Cluentio iudicij. AMBITIONE] vt boni viri viderentur, diſſimiles Bulbo, Staleno, Guttae, qui iam reum damnarant. infra: O innocentiam Oppianici ſingularem: quo in reo, qui abſoluit, ambitioſus: qui diſtulit, cautus; qui condemnauit, conſtans exiſtimatur.

ORATIO

ATque illo ipſo tempore in aedes T. Annij, hominis honeſtiſſimi, neceſſarij, & amici mei, noctu Stalenus,accerſitus ab Oppianico,venit.iam cetera nota ſunt omnibus: vt cum illo Oppianicus egerit de pecunia: vt ille ſe redditurum eſſe dixerit: vt eorum ſermonem omnem audierint viri boni, qui tum conſulto prope in occulto ſtetiſſent; vt res patefacta atque in forum prolata, & pecunia omnis a Staleno extorta, atque erepta ſit. huius Staleni perſona, populo iam nota, atque perſpecta, ab nulla turpi ſuſpicione abhorrebat: ſuppreſſam eſſe ab eo pecuniam, quam pro reo pronunciaſſet, qui erant in concione, non intelligebant: neque enim docebantur: verſatam eſſe in iudicio mentionem pecuniae ſentiebant: innocentem reum cõdemnatum eſſe audiebant: Staleni ſententia condemnatum videbant: non gratis id ab eo factum eſſe, quod hominem norant, iudicabant. ſimilis in Bulbo, in Gutta, in alijs nonnullis ſupicio conſiſtebat. itaque confiteor, (licet enim iam impune, hoc praeſertim in loco, confiteri) quod Oppianici non modo vita, ſed etiam nomen ante illud tempus populo ignotum fuiſſet; indigniſſimum porro videretur, circumuentum eſſe innocentem pecunia; hanc deinde ſuſpicionem augeret Staleni improbitas; & nonnullorum eius ſimilium iudicum turpitudo; cauſſam autem ageret L. Quinctius, homo cum ſumma poteſtate praeditus, tum ad inflammandos animos multitudinis accommodatus; ſummam illi iudicio inuidiam, infamiamq. eſſe conflatam. atque in hãc flammam recentem C. Iunium, qui illi quaeſtioni praefuerat, iniectum eſſe memini, & illum, hominem aedilicium, iam praetorem opinionibus hominum conſtitutum, non diſceptatione dicendi, ſed clamore hominum de foro, atque adeo de ciuitate eſſe ſublatum: neque me paenitet, hoc potius tempore, quam illo, cauſſam A. Cluentij defendere. cauſa enim manet eadem,

quae mutari nullo modo poteſt: temporis iniquitas, atque inuidia receſſit: vt, quod in tempore mali fuit, nihil obſit; quod in cauſſa boni fuit, proſit. itaque nunc quemadmodum audiar, ſentio, non modo ab iis, quorum iudicium, atque poteſtas eſt, ſed etiam ab illis, quorum tantùm eſt exiſtimatio. at, tum ſi dicerem, non audirer; non quod alia res eſſet: immo eadem, ſed tempus aliud. id adeo ſic cognoſcite. Quis tum auderet dicere, nocentem condemnatum eſſe Oppianicum? quis nunc audet negare? quis tum poſſet arguere, ab Oppianico tētatum eſſe iudicium pecunia? quis in hoc tempore infitiari poteſt? cui tam liceret docere, Oppianicum reum factum eſſe tum denique, cum, duobus proximis praeiudiciis, condemnatus eſſet? quis eſt, qui id hoc tempore infirmare conetur? Quare, inuidia remota, quam dies mitigauit, oratio mea deprecata eſt, veſtra fides, atque aequitas a veritatis diſceptatione reiecit, quid eſt praeterea, quod in cauſſa relinquatur? verſatam eſſe in iudicio pecuniam conſtat: ea, quaeritur, unde profecta ſit, ab accuſatore, an ab reo. Accuſator dicit haec: primum, grauiſſimis criminibus accuſabam, ut nihil opus eſſet pecunia: deinde, condemnatum adducebam, ut ne eripi quidem pecunia poſſet: poſtremo, etiam ſi abſolutus eſſet, mearum tamen omnium fortunarum ſtatus incolumis maneret. Quid contra reus? primum, ipſam multitudinem & atrocitatem criminum pertimeſcebam: deinde, Fabriciis propter conſcientiam mei ſceleris condemnatis, me eſſe condemnatum ſentiebam: poſtremo, in eum caſum veneram, ut omnis mearum fortunarum ſtatus unius iudicii periculo contineretur.

EXPLANATIO

IN *forum prolata,*] agente tribuno pl. Quinctio. AD *inflammandos animos multitudinis accommodatus;*] in Bruto: Cn. Carbonem, M. Marium, aptiſſimos cognoui turbulentis concionibus. quo in genere nuper L. Quinctius fuit. AB IIS.] a iudicibus. AB *illis,*] a populo circumaudiente. ID ADEO *ſic cognoſcite.*] familiare Ciceroni genus loquendi, vt in Verrem lib. IV. Id adeo, iudices, vt mihi ab illis demonſtratum eſt, ſic vos ex me cognoſcite. Pro Caecina: Id adeo, ſi placet, conſiderate. Eſt.n. in iis locis, adeo, quaſi rogantis. DISCEPTATIONE] conſideratione. TUM] in illa temporis iniquitate, atque inuidia. CONDEMNATUM] duobus praeiudiciis. PROPTER *conſcientiam mei ſceleris*] quia mei ſceleris eſſent conſcii.

ORATIO

AGe, quoniam corrumpendi iudicii cauſſas ille multas, & graues habuit, hic nullam; profectio ipſius pecuniae requiratur. Confecit tabulas diligentiſſime Cluentius. haec autem res habet hoc certe, vt nihil poſſit, neque additum, neque detractum de re familiari, latere. anni ſunt octo, cum iſta cauſſa in iſta meditatione verſatur: cum omnia, quae nunc ad eam rem pertinent, & ex huius, & ex aliorum tabulis agitatis, tractatis, inquiritis: cum interea Cluentianae pecuniae veſtigium nullum inuenitis. Quid? Albiana pecunia veſtigiis ne vobis odoranda eſt, an ad ipſam cubile vobis ducibus venire poſſumus? tenetur vno in loco HS DCXL: tenentur apud hominem audaciſſimum: tenentur apud iudicem. quid vultis amplius? At enim Stalenus non fuit ab Oppianico, ſed a Cluentio ad iudicium corrumpendum conſtitutus. Cur enim, cum in conſilium iretur, Cluentius, & Canutius abeſſe patiebantur? cum in conſilium mittebant, Stalenum iudicem, cui pecuniam dederant, non requirebant? Oppianicus quaerebat? Quinctius flagitabat? ſine Staleno ne in conſilium iretur, tribunicia poteſtate perfectum eſt? At condemnauit. Hanc enim damnationem dederat obſidem Bulbo, & ceteris, vt deſtitutus ab Oppianico videretur. Quare ſi iſtinc cauſſa corrumpendi iudicii, iſtinc pecunia, iſtinc Stalenus, iſtinc denique omnis fraus & audacia eſt; hinc pudor, honeſta vita, & nulla ſuſpicio pecuniae, nulla corrumpendi iudicii cauſſa: patiamini, veritate patefacta, atque omni errore ſublato, eo tranſire illius turpitudinis infamiam, vbi cetera maleficia conſiſtunt, ab eo inuidiam diſcedere aliquando, ad quem numquam acceſſiſſe culpam videtis. At enim pecuniam Staleno dedit Oppianicus non ad corrumpendum iudicium, ſed ad conciliationem gratiae. Te ne hoc, Atti, dicere, tali prudentia, etiam vſu atque exercitatione praeditum? ſapientiſſimum eſſe dicunt eum, cui, quod opus ſit, ipſi veniat in mentem; proxime accedere illum, qui alterius bene inuentis obtemperet. in ſtultitia contra eſt. minus enim ſtultus eſt is, cui nihil in mentem venit, quam ille, qui, quod ſtulte alteri venit in mentem, comprobat. iſtam conciliationem gratiae Stalenus tum recenti re, cum faucibus premeretur, excogitauit; ſiue, vt homines tum loquebantur, a P. Cethego admonitus, iſtam dedit conciliationis & gratiae fabulam. nam fuiſſe hunc hominum ſermonem recordari poteſtis, Cethegum, quod hominem odiſſet, & quod eius improbitatem verſari in repub. nollet, & quod videret eum, qui ſe ab reo pecuniam, cum iudex eſſet, clā atque extra ordinem accepiſſe confeſſus eſſet, ſaluum eſſe non poſſe, minus ei fidele conſilium dediſſe. in hoc ſi improbus Cethegus fuit; videtur mihi aduerſarium remouere voluiſſe. ſin erat eiuſmodi cauſſa, vt Stalenus, nummos ſe accepiſſe, negare non poſſet; nihil autem erat periculoſius, nec turpius, quam, ad quam rem accepiſſet, confiteri: non eſt conſilium Cethegi reprehendendum. Verum alia cauſſa tum Staleni fuit, alia nunc, Atti, tua eſt. ille, cum re premeretur, quodcumque diceret, honeſtius diceret, quam ſi, quod erat factum, fateretur: te vero illud idem, quod tum exploſum & eiectum eſt, nunc retuliſſe demiror. qui enim poterat tum in gratiam redire cum Oppianico Cluentius? qui cum matre habebat ſimultates: haerebat in tabulis publicis reus, & accuſator: condemnati erant Fabricii: nec elabi, alio accuſatore, poterat Albius, nec ſine ignominia calumniae relinquere accuſationem Cluentius. An, vt praeuaricaretur? Iam id quoque ad corrumpen-

dum

dum iudicium pertinet. ſed quid opus erat ad eam rem iudice ſequeſtre? & omnino, quamobrem tota iſta res per Stalenum potius, hominem ab vtroque alieniſſimum, ſordidiſſimum; turpiſſimum, quam per bonum aliquem virum, ageretur, & amicum, neceſſariumque communem? Sed, quid ego haec pluribus, quaſi de re obſcura, diſputo? cum ipſa pecunia, quae Staleno data eſt, numero ac ſumma ſua non modo quanta fuerit, ſed etiam ad quam rem data fuerit, oſtendat. ſexdecim dico iudices, vt Oppianicus abſolueretur, corrumpendos fuiſſe; ad Stalenum DCXL *nummum eſſe delata: ſi, vt tu dicis, gratiae conciliandae cauſſa; quadraginta iſtorum acceſſio millium quid valet? ſin, vt nos dicimus, vt* DCXL *nummum ſexdecim iudicibus darentur; non Archimedes melius potuit deſcribere. At enim iudicia facta permulta ſunt, a Cluentio iudicium eſſe corruptum. immo vero ante hoc tempus omnino iſta ipſa res ſuo nomine in iudicium numquā eſt vocata, ita multa agitata, ita diu iactata iſta res eſt, vt hodierno die primum cauſſa illa defenſa ſit, hodierno die primum veritas vocem contra inuidiam, his iudicibus freta, miſerit. verumtamen multa iſta iudicia quae ſunt? ego enim me ad omnia confirmaui, & ſic paraui, vt docerem, quae facta poſtea iudicia de illo iudicio dicerentur, partim ruinae ſimiliora, aut tempeſtati, quam iudicio, & diſceptationi fuiſſe; partim nihil contra Habitum valere; partim etiam pro hoc eſſe; partim eſſe eiuſmodi, vt neque appellata vmquam iudicia ſint, neq. exiſtimata. Hic ego, magis vt conſuetudinem ſeruem, quam quod vos non veſtra hoc ſponte faciatis, petam a vobis, vt me, dum de his ſingulis diſputo iudiciis, attente audiatis. Condemnatus eſt C. Iunius, qui ei quaeſtioni praefuerat. Adde etiam illud, ſi placet: tum eſt condemnatus, cum eſſet iudex quaeſtionis. non modo cauſſae, ſed ne legi quidem quidquam per tribunum pl. laxamenti datum eſt. quo tempore illum a quaeſtione ad nullum aliud reipub. munus adduci licebat, eo tempore ad quaeſtionem ipſe abreptus eſt. at quam quaeſtionem? vultus enim ueſtri iudices, me inuitant, vt, quae reticenda putaram libeat iam libere dicere. Quid? illa tandem quaeſtio, aut diſceptatio, aut iudicium fuit? putabo fuiſſe. dicat, qui vult, hodie, de illo populo concitato, cui tum mos geſtus eſt, qua de re Iunius cauſſam dixerit. quemcumque rogaris, hoc reſpondebit, quod pecuniam acceperit, quod innocentem circumuenerit. eſt haec opinio at, ſi ita eſſet, hac lege accuſatum eſſe oportuit, qua accuſatur Habitus. at ipſe ea lege quaerebat. Paucos dies exſpectaſſet Quinctius. at neque priuatus accuſare, nec ſedata iam inuidia, volebat. Videtis igitur, non in cauſſa, ſed in tempore, ac poteſtate ſpem omnem accuſatoris fuiſſe. Multam petiuit: qua lege? quod in legem non iuraſſet; quae res nemini vmquam fraudi fuit: & quod C. Verres, prætor vrbanus, homo ſanctus, & diligens, ſubſortitionem eius in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur. His de cauſſis C. Iunius condemnatus eſt, iudices, leuiſſimis & infirmiſſimis, quas omnino in iudicium afferri non oportuit; itaque oppreſſus eſt non cauſſa, ſed tempore. Hoc vos Cluentio iudicium putatis obeſſe oportere? quam ob cauſſam? ſi ex lege ſubſortitus non erat Iunius aut ſi in legem aliquando non iurauerat, iccirco illius damnatione aliquid de Cluentio iudicabatur? nō, inquit: ſed ille iccirco his legibus condemnatus eſt, quod contra aliam legem commiſerat. qui hoc confitentur, poſſunt, illud idem iudicium non fuiſſe, defendere. ergo iccirco, inquit, infeſtus tum praetor Iunio fuit, quod illud iudicium corruptum per eum putabatur. Num igitur hoc tempore cauſſa mutata eſt? num alia res, alia ratio illius iudicij, alia natura totius negotij nunc eſt, ac tum fuit? non opinor ex ijs rebus, quae geſtae ſunt, rem vllam potuiſſe mutari. quid ergo eſt cauſſae, quod nunc noſtra defenſio audiatur tanto ſilentio, tunc Iunio defendendi ſui poteſtas erepta ſit? quia tum in cauſſa nihil praeter inuidiam, errorem, ſuſpicionem, conciones quotidianas, ſeditioſe ac populariter concitatas, accuſabat tribunus pleb. idem in concionibus idem ad ſubſellia; ad iudicium non modo de concione, ſed etiam cum ipſa concione veniebat. gradus illi Aurelij, tum noui, quaſi pro theatro illi iudicio aedificati videbantur: quos vbi accuſator concitatis hominibus complerat, non modo dicendi ab reo, ſed ne ſurgendi quidem poteſtas erat.*

EXPLANATIO

ANNI *ſunt octo,*] poſt Oppianicum damnatum. CLVENTIVS, *& Canutius*] accuſatores Oppianici. EO *tranſire*] Lepida tranſlatio in tribus verbis, tranſire, diſcedere, acceſſiſſe. AD *conciliationem gratiae.*] vt ſecum in gratiam Cluentius opera Staleni rediret. infra: Qui .n. poterat tum in gratiam redire cum Oppianico Cluentius? CVM *faucibus premeretur,*] cū reus eſſet; cum ſalutem ſuam in ſummum diſcrimen adductam videret; cum neceſſitas cogeret. quod paullo poſt dixit, Cum re premeretur. CONCILIATIONIS *& gratiae*] lego inducta copula, conciliationis gratiae: pro conciliatae gratiae. AB *reo*] ab Oppianico. CONFESSVS *eſſet,*] in aedibus T. Annij, bonis viris in occulto audientibus. MINVS *fidele*] aſtu: cum ſciret exploſum iri, vt inane, commentum illud conciliationis gratiae. NON *eſt conſilium Cethegi repudiandum.*] minus fidele fuiſſe non eſt putandum. CVM *se premeretur,*] cum eſſet in diſcrimine. paullo ante: cum faucibus premeretur. HAEREBAT] ſcriptus, vt tolli non poſſet. REVS, *& accuſator:*] reus Oppianicus: accuſator, Cluentius: vt nec Oppianicus effugere poſſet, quin ab aliquo, vel ſi cum Cluentio in gratiam rediret, accuſaretur: (elabi autē quouis accuſante non poterat) nec ipſe Cluentius ab accuſando deſiſtere, quin calumniae ſubiret infamiam AD *corrumpendum iudicium pertinet.*] hoc ſi verum eſſet; corruptum ab Oppianico iudiciū per ſequeſtrē Stalenum, dici poſſet. nam accuſatorē a ſuſcepta cauſſa remouere, corrupti iudicij genus eſt. verū aliter ſe res hēt. data Staleno pecunia eſt, non vt p̄uaricaretur Cluentius, verum vt iudices ipſi corrumperentur. IVDICIBVS *darentur;*] XL. millia in ſingulos. IVDICIA *facta permulta ſunt,*] quinque condemnatis, tamquam nummarijs iudicibus, (id enim obijciebat Cluētij accuſator Attius) Iunio quaeſitore, Bulbo, Popillio, Gutta, Staleno: nam Falcula eſt abſolutus.

lutus. ideo iudicium eius ab accuſatore commemoratum non arbitror; cum ex eo capere argumentum iudicij a Cluentio corrupti non poſſet. SVO *nomine*] nemo enim ante hoc tempus in iudiciũ eſt vocatus quod a Cluentio pecuniam propter Oppianici damnationem accepiſſet. Loquitur hic Cicero de ijs tantum iudicibus, qui damnati ſunt: quorum nemo, quod a Cluentio pecuniam accepiſſet, accuſatus eſt ſed Iunius quod in legem non iuraſſet, & quod ex lege ſubſortitus non eſſet; Bulbus, & Stalenus maieſtatis; Popillius, & Gutta de ambitu. itaque, quod ad hos quinque, qui damnati ſunt, attinet, res illa in iudicium vocata non eſt. Falcula vero bis cauſſam dixit, ſemel, quod non ſuae decuriae munere, neque ex lege ſediſſet: iterum quod a Cluentio pecuniam accepiſſet: & vtroque iudicio eſt abſolutus, itaque pertinere ad hunc illa verba non poſſunt, Ante hoc tempus omnino iſta ipſa res ſuo nomine in iudicium numquam eſt vocata. DE ILLO *iudicio*] de pecunia in Oppianici iudicio accepta. DICERENTVR,] non reuera eſſent, ſed ab accuſatore dicerentur. RVINAE *ſimiliora*.] vt illud, quo Iunius damnatus eſt propter ſeditionem & turbam. NIHIL *contra Habitum valere*;] vt Bulbi, Popillij Guttae. PRO *hoc eſſe*;] vt Staleni, & Falculae, de quibus infra. VT *neque appellata vmquam iudicia ſint*] & hoc proprie de Iunii iudicio dicitur; vt illud, Ruinae ſimiliora, aut tempeſtati quam iudicio, & tempeſtati. de quo infra. Ergo adhuc Iunij iudicium video eſſe eiuſmodi, vt incurſionem potius ſeditionis, vim multitudinis, impetum tribunicium. quam iudicium, appellandum putem. NON *modo cauſſae*,] tempus aliquod poſcenti. NE *legi quidem*] quae iudicem quaeſtionis abduci a ſuo munere vetabat. AD *quaeſtionem*] vt de ipſo quaeſitore quaereretur. quaeſiuit autem infeſtus ei praetor quod Oppianici iudicium corruptum per eũ putabatur. DISCEPTATIO,] dictum eſt ſaepe, diſceptationem eſſe conſiderationem eorum, qui iudicant. PAVCOS *dies*] donec Iunius quaerere deſiiſſet. PRIVATVS] perfunctus tribunatu pl. QVOD *in legem non iuraſſet*;] in quam iurare iudices ſolent. Hic locus oſtendit, differre iudicem quaeſtionis a praetore praetor enim non iurat. HOMO *ſanctus & diligens*,] ironia. iam enim de repetundis, ipſo Cicerone Siciliae nomine accuſante, damnatus Verres exſulabat. Hac de re ſic act. 1. in Verrem. Inuenti ſunt ſenatores, qui. C. Verre praetore vrbano ſortiente exirent in eum reum, quem incognita cauſſa condemnarent. SVBSORTITIONEM *eius*] prima ſortitio erat ex vniuerſo iudicum numero, per praetorem vrbanum: altera reiectis ab reo & accuſatore iudicibus, in locum reiectorum, quae fiebat per quaeſitorem. lib. 1. in Verrem. De ſubſortitione illa Iuniana, iudices, nihil dico. Vbi Pediani diligentiam requiro. putat enim non Iunium, ſed praetorem ipſum Verrem ſubſortitum eſſe. nec tamen in eo ſibi conſtat; nam ſubiicit. Q. Curtius, iudex quaeſtionis, ſubſortiebatur in locum reiectorum. INTERLITVS] trãsfert a Iunio culpam in Verrem, qui codicem ſuum corruperit, vt damnaretur Iunius: quod alij ſententiam iudices de Oppianico tuliſſent, alij ſcripti eſsent in ſuo codice. Aſconius tamen Verrem excuſat, eaq. de re Ciceronem inuidioſe magis quam vere, locutum dicit. SI EX *lege ſubſortitus non erat Iunius*,] quia falſos iudices ſuppoſuiſset: cum alij eſsent in Verris codice. Non dicit, ſubſortitum non eſse Iunium, ſed, ex lege ſubſortitum non eſse: quod, ſimulata ſubſortitione, corruptos iudices contra legem ſuppoſuiſset. HIS *legibus*] haec igitur duo crimina, vnum omiſſi a Iunio iuriſiurandi, alterum, quod ex lege ſubſortitus non eſset, duabus legibus vindicabantur. QVOD *contra aliam legem commiſerat*.] quod contra legem Corneliam de veneficijs Oppianicum, iudicio corrupto. damnauerat. itaque Iunij damnatio praeiudiciũ in Cluentium fuit. Hoc ex perſona accuſatoris. QVI *hoc confitentur*,] reſponſio Ciceronis: in qua verbũ Confitentur, iniquã rem ſignificat, quod, quibus criminibus a Iunio petita multa eſset, quod in legẽ ſcilicet non iuraſset, quod ex lege ſubſortitus nõ eſset, eorũ criminũ legibus damnatus quidem eſset, verũ non propter ipſa crimina, ſed quia contra legẽ aliã commiſiſset, quod qui confitentur, iidem, iniuſte damnatum eſse Iuniũ, ſimul confitentur. hoc quaſi κατὰ παρένθεσιν pronunciatur. ſi qui, inquit, ideo damnatũ fatentur Iuniũ ijs legibus, non quod aduerſus eas. verum quia contra aliam legem, ideſt contra legem de corruptis iudicijs, commiſerit; iidẽ quod nos dicimus, poſsunt defendere, idem illud iudiciũ, quo damnatus eſt Iunius. iudiciũ nõ fuiſse. ita noſtram cauſsam agent. Poſsunt, inquit, ideſt, licet eis defendere, id quod a nobis defenditur, iudicium illud non fuiſse. POSSVNT *defendere*,] idem faciunt ac ſi defenderent: imprudentes defendunt. PRAETOR] quo quaerente de corruptis iudicijs, damnatus eſt Iunius. REM *vllam potuiſſe mutari*.] aut eadem nunc valere debent, ſi recta: aut, ſi haec recta, illa mutari quae tum geſta ſunt. AD *ſubſellia*:] iudicum, quaerente praetore. ILLI] quos digito oſtendebat. erant enim in foro, aduerſum iudicia. QVASI *pro theatro*] cuius in gradibus quamplurimi ſedent.

O R A T I O

NVPER apud C. Orchinium, collegam meum, locus ab iudicibus Fauſto Sullae de pecunijs reſiduis non conſtitutus: non quo illi aut ex legem eſſe Sullam, aut cauſſam pecuniae publicae contemptam atque abiectam putarent: ſed quod, accuſante tribuno pl. condicione aequa diſceptari poſſe non putauerunt. quid? conferam Sullam ne cum Iunio, an hunc tribunum pl. cum Quinctio, an vero tempus cum tempore? Sulla maximis opibus, cognatis, affinibus, neceſſarijs, clientibus plurimis: haec autem apud Iunium parua, & infirma, & ipſius labore quaeſita, atque collecta. hic tribunus pl. modeſtus, pudens, non modo non ſeditioſus, ſed etiam ſeditioſis aduerſarius: ille autem acerbus, criminoſus, popularis homo, ac turbulentus. tempus hoc tranquillum, ac pacatum: illud omnibus inuidiae tempeſtatibus concitatum. quae cum ita eſſent, in Fauſto tamen illi

indices

iudices ſtatuerunt, iniqua condicione reum cauſſam dicere, cum aduerſario eius ad ius accuſationis ſumma vis poteſtatis accederet. quam quidem rationem vos, iudices, diligenter pro veſtra ſapientia, & humanitate cogitare, & penitus perſpicere debetis, quid mali, quantum periculi vnicuique noſtrum inferre poſſit vis tribunicia, conflata praeſertim inuidia, & concionibus ſeditioſe concitatis. Optimis herele temporibus, tum cum homines ſe non iactatione populari, ſed dignitate, atque innocentia tuebantur, tamen nec C. Popillius, nec Q. Metellus, clariſſimi, atque ampliſſimi viri, vim tribuniciam ſuſtinere potuerunt: nedum, his temporibus, his moribus, his magiſtratibus, ſine veſtra ſapientia, ac iudiciorum remedijs ſalui eſſe poſſimus. Non fuit igitur illud iudicium iudicij ſimile, iudices, non fuit; in quo non modus eſt adhibitus, non mos conſuetudoq. ſeruata, non cauſſa defenſa. vis illa fuit, &, vt ſaepe iam dixi, ruina quaedam, atque tempeſtas, & quiduis potius, quam iudicium, aut diſceptatio, aut quaeſtio. Quod ſi quis eſt, qui illud iudicium fuiſſe arbitretur, & qui his rebus iudicatis ſtandum putet: is tamē hanc cauſſam ab illa debet ſeiungere. ab illo enim, ſiue quod in legem non iuraſſet, ſiue quod ex lege ſubſortitus iudicem non eſſet, multa petita eſſe dicitur: Cluentij autem ratio cum illis legibus, quibus ab Iunio multa petita eſt, nulla poteſt ex parte eſſe coniuncta. At etiam Bulbus eſt condemnatus. adde, maieſtatis: ut intelligas hoc iudicium cum illo non eſſe coniunctum. At eſt hoc illi crimen obiectum. Fateor: ſed etiam, legionem eſſe ab eo ſollicitatam in Illyrico, Coſconij litteris, & multorum teſtimonijs planum factum eſt: quod crimen erat proprium illius quaeſtionis, & quae res lege maieſtatis tenebatur. At hoc obfuit ei maxime. Iam iſta diuinatio eſt: quaſi vti licet, vide ne mea coniectura multo ſis verior. ego enim ſic arbitror, Bulbum, quod homo nequam, turpis, improbus multis flagitijs contaminatus in iudicium ſit adductus, iccirco facilius eſſe damnatum. tu mihi ex tota cauſſa Bulbi, quod tibi commodum eſt, eligis, vt id eſſe ſecutos iudices dicas. quapropter hoc Bulbi iudicium non plus obeſſe huic cauſſae debet, quam illa, quae commemorata ſunt ab accuſatore, duo iudicia, P. Popillij, & T. Guttae, qui cauſſam de ambitu dixerunt, qui accuſati ſunt ab ijs, qui erant ipſi ambitus condemnati: quos ego non iccirco eſſe arbitror in integrū reſtitutos, quod planum fecerint, illos ob rem iudicandam pecuniam accepiſſe; ſed quod iudicibus probarint, quod in eodem genere, in quo ipſi offendiſſent, alios reprehēdiſſent, ſe ad praemia legis venire oportere. quapropter neminē dubitare exiſtimo, quin illa damnatio ambitus nulla ex parte cum cauſſa Cluētij, veſtroq. iudicio coniuncta eſſe poſſit. Quid, quod Stalenus eſt condemnatus? Non dico hoc tempore, iudices, id quod neſcio an dici oporteat, illum maieſtatis eſſe damnatum. non recita teſtimonia hominum honeſtiſſimorum, quae in Stalenū ſunt dicta ab ijs, qui M. Aemilio, clariſſimo viro, legati, & praefecti, & tribuni militares fuerunt: quorum teſtimonijs planum factum eſt, maxime eius opera, cum quaeſtor eſſet, in exercitu ſeditionem eſſe conflatam. ne illa quidem teſtimonia recito, quae dicta ſunt de H-S D C millibus: quae ille cum accepiſſet nomine iudicij Safiniani, ſicut in Oppianici iudicio, poſtea retinuit, atque ſuppreſſit. omitto & haec, & alia permulta, quae illo iudicio in Stalenum dicta ſunt. hoc dico, eandem tum fuiſſe P. & L. Cominijs, equitibus R. honeſtiſſimis hominibus, & diſertis, cōtrouerſiam cum Staleno, quem accuſabant, quae nunc mihi eſt cū Attia. Cominii dicebant idem, quod ego dico; Stalenum ab Oppianico pecuniam accepiſſe, vt iudicium corrumperet. Stalenus cōciliandae gratiae cauſſa ſe accepiſſe dicebat. inridebatur haec illius reconciliatio, & perſona viri boni ſuſcepta, ſicut in ſtatuis inauratis, quas poſuit ad Iuturnae: quibus ſubſcripſit, reges ab ſe in gratiam eſſe reductos: exagitabantur omnes eius fraudes, atque fallaciae: tota vita in eiuſmodi ratione verſata aperiebatur: egeſtas domeſtica, quaeſtus forenſis in medium proferebatur: nummarius interpres pacis & concordiae non probatur: itaque tum Stalenus, cum idem defenderet quod Attius, condemnatus eſt: Cominii, cum hoc agerent, quod nos in tota cauſſa egimus, probauerunt. Quamobrem ſi, Staleni damnatione, Oppianicum iudicium corrumpere voluiſſe, Oppianicum iudici ad emendas ſententias dediſſe pecuniam, iudicatum eſt; cum ita conſtitutum ſit, vti in illa culpa aut Cluentius ſit, aut Oppianicus: Cluentii nummus nullus iudici datus vllo veſtigio reperitur; Oppianici pecunia poſt iudicium factum a iudice ablata eſt: poteſt eſſe dubium, quin illa damnatio Staleni non modo non ſit contra Cluentium, ſed maxime noſtram cauſſam defenſionemq. confirmet? Ergo adhuc Iunii iudiciū video eſſe eiuſmodi, vt incurſionem potius ſeditionis, vim multitudinis, impetū tribunicium, quam iudicium, appellandum putem. quod ſi quis illud iudicium appellet, tamen hoc confiteatur neceſſe eſt, nullo modo illam multam, quae a Iunio petita ſit, cum Cluentii cauſſa poſſe coniungi. illud igitur Iunianū per uim factum eſt; Bulbi, & Popilli, & Guttae contra Cluentium non eſt; Staleni etiam pro Cluentio. Videamus, ecquod aliud iudicium, quod pro Cluentio ſit, proferre poſſimus. Dixit ne tandem cauſſam C. Fidiculanius Falcula? qui Oppianicum condemnarat: cum praeſertim, id quod fuit in illo iudicio inuidioſiſſimum, poſt paucos dies ex ſubſortitione ſediſſet. dixit, & bis quidem dixit: in ſummam enim L. Quinctius inuidiam concionibus cum quotidianis, ſeditioſis, & turbulentis adduxerat. vno iudicio multa eſt ab eo petita, ſicut ab Iunio, quod non ſuae decuriae munere, neque ex lege ſediſſet. paullo ſedatiore tempore eſt accuſatus, quam Iunius, ſed eadem fere lege, & crimine. quia nulla in iudicio ſeditio, neque turba verſata eſt, prima actione facillime eſt abſolutus. Non numero hanc abſolutionem. nihilominus enim poteſt, vt illam multam non commiſerit, accepiſſe tamen ob rem iudicandam pecuniam, quam captam nuſquam Stalenus eadem lege dixit. proprium crimen illud quaeſtionis eius non fuit. Fidiculanius quid feciſſe dicebatur? accepiſſe a Cluentio H-S CCCC. cuius erat ordinis? ſenatorii. qua lege in eo genere a ſenatore ratio repeti ſolet, de pecuniis repetundis, ea lege accuſatus, honeſtiſſime eſt abſolutus. acta eſt enim cauſſa more maiorum, ſine vi, ſine metu, ſine periculo: dicta, & expoſita, & demonſtrata ſunt omnia: adducti iudices ſunt, non modo potuiſſe honeſte ab eo reum condemnari, qui non perpetuo ſediſſet, ſed, ſi aliud is iudex nihil ſciſſet, niſi quae praeiudicia de eo facta eſſe cōſtaret, audire praeterea nihil debuiſſe. tum etiam illi quinque, qui, imperitorum hominū rumuſculos aucupati, tum illum abſoluerunt, iu ſuam clementiā laudari magnopere nolebant. a quibus ſi qui quaereret ſediſſent ne iudices in C. Fabricium: ſediſſe ſe dicerent. ſi interrogarentur, num quo crimine is eſ-

ſet accu-

& accuſatus, praeterquam veneni eius, quod quaeſitum Habito diceretur: negarent. ſi deinde eſſent rogati, quid iudicaſſent: condemnaſſe ſe dicerent: nemo enim abſoluit. eodem modo quaeſitum ſi eſſet de Scamandro, certe idem reſpondiſſent: tametſi illa vna ſententia eſt abſolutus: ſed illam vnam nemo tum iſtorum ſuam dici vellet. vter igitur facilius ſuae ſententiae rationem redderet? iſne, qui ſe & ſibi, & rei iudicatae conſtitiſſe dicit; an ille, qui ſe in principem maleficij lenem, in adiutores eius, & conſcios vehementiſſimum eſſe reſpondit? quorum ego de ſententia non debeo diſputare: neque enim dubito, quin ij tales viri, ſuſpicione aliqua perculſi repentina, de ſtatu ſuo declinarent. quare eorum, qui abſoluerunt, miſericordiam non reprehendo: eorum, qui in iudicando ſuperiora iudicia ſecuti ſunt ſua ſponte, non Staleni fraude, conſtantiam comprobo: eorum vero, qui ſibi non liquere dixerunt, ſapientiam laudo: qui abſoluere eum, quem nocentiſſimum cognorāt, & quem ipſi bis iam antea condemnarant, nullo modo poterant; condemnare, cum tanta conſilij infamia, & tam atroci rei ſuſpicio eſſet iniecta, paullo poſterius, patefacta re, maluerunt. ac, ne ex facto ſolum ſapientes illos iudicetis, ſed etiam ex nominibus ipſis, quod ij fecerint, rectiſſime, ac ſapientiſſime factum probetis: quis P. Octauio Balbo ingenio prudentior, iure peritior fide, religione, officio diligentior, aut ſanctior commemorari poteſt? non abſoluit. quis Q. Conſidio conſtantior? quis iudiciorum, atque eius dignitatis, quae in iudicijs publicis verſari debet, peritior? quis virtute, conſilio, auctoritate praeſtantior? ne is quidem abſoluit. longum eſt de ſingulorum virtute ita dicere. quae quia cognita ſunt ab omnibus, verborum ornamenta non quaerunt. qualis vir M. Iuuentius Pedo fuit ex vetere illa iudicū diſciplina? qualis L. Caulius Mergus? M. Baſilius? C. Caudinus? qui omnes in iudicijs publicis iam tum florente rep. floruerunt. ex eodem numero L. Caſſius, Cn. Nacúius, pari & integritate, & prudentia: quorum nullius ſententia eſt Oppianicus abſolutus. atque ex his omnibus natu minimis, ingenio, & diligentia, & religione par ijs, quos antea cōmemoraui, P. Saturius in eadem ſententia fuit. O innocentiam Oppianici ſingularem: quo in reo, qui abſoluit, ambitioſus; qui diſtulit, cautus; qui condemnauit, conſtans exiſtimatur.

E X P L A N A T I O

FAVSTO *Sullae*] Sullae dictatoris filio, Pompeij Magni genero. DE *pecunijs reſiduis*] quae ad peculatum ſpectant. nam Orchinium de peculatu quaeſiſſe, infra legitur. Pecuniae vero reſiduae, quibus accuſari Fauſtū iudices noluerūt, erāt eae, quas ex publica adminiſtratione Sullani homines ipſo Sulla largiente, in vſū priuatū conuerterant. Huc illa pertinent ex Agr. 1. Audire vos, qui ampliſſimo populi, ſenatuſq. iudicio exercitus habuiſtis, & bella geſſiſtis quod ad quemq. peruenit, peruenerit ex praeda, ex manubijs ex auro coronario, quod neq. conſumptu in monumēto, neq. relatum in aerariū ſit, id ad decemuiros referri iubet. hoc capite multa ſperāt: in omnes imperatores, heredeſq. eorū quaeſtionē ſuo iudico cōparant: ſed maximam pecuniā ſe a Fauſto ablaturos arbitrātur. quā cauſsā ſuſcipere iurati iudices noluerunt, hanc decemuiri ſuſcepere. iccirco a iudicibus fortaſſe praetermiſsā eſſe arbitrantur; quod ſit ipſis reſeruata. Et illud pro C. Cornelio. Idē, niſi haec ipſa lex, quā C. Cornelius tulit, obſtitiſſe. decreuiſſē id. quod palā iā iſti defenſores iudiciorū pugnauerunt, ſenatui nō placere id iudiciū de Sullae bonis fieri. quā ego cauſsā longe aliter praetor in concione defendi, cū id dicerē, quod ijdē iudices poſtea ſtatuerunt, iudiciū aequiore tēpore fieri oportere. Quo loco Pedianus. Quia defuerat ſuperioribus tēporibus in aerario pecunia publica, multa & ſaepe eius rei remedia erant quęſita, in quib. hoc quoq. vt pecunię publicę, quę reſiduę apud quēq. eſſent, exigerētur. id autē maxime pertinebat ad Corneliū Fauſtū, dictatoris filiū quia Sulla p multos annos, quib. exercitib. praefuerat, & rēp. tenuerat, ſumpſerat pecunias ex vectigalib. & ex aerario populi Romani: eaq. res ſaepe erat agitata, ſaepe omiſſa, partim propter Sullanarū partiū potentiā, partim quod iniquū videbatur, poſt tot annos, quā quis pecuniā acceperat eius reddere rationē. EXIGEREM] lege ſolutū. ACCVSANTE] apud Orchiniū praetorē. TRIBVNO *pl.*] tribuni pl acceptam a L. Sulla iniuriā vlciſci conabantur in filio. tulerat enī Sulla, vt ijs, qui tribuni pl fuiſſent alios magiſtratus capere non liceret. quā poſtea legem abrogauit C. Cotta conſul. DISCEPTARI] cauſſam agi. QVID? *conferam Sullam ne cum Iunio*,] fortaſſe diſtinguetur melius hoc modo: Quid conferam? Sullā ne cum Iunio, an hunc tribunum pl. cum Quinctio, an vero tempus cum tempore? HVNC *tribunum pl.*] qui Fauſtum de pecunijs reſiduis in iudicium vocanit. CLIENTIBVS *plurimis*:] a patre relictis. POTESTATIS] tribuniciae. NEC *P. Popillius, nec Q. Metellus.*] Popillium C. Gracchus, Metellum L. Saturninus, tribuni pl. expulerūt poſt Reditum ad Quir. in ſen. pro Domo. pro Balbo. ILLVD *iudicium*] quo Iunius damnatus eſt. NON *fuit*;] de hac iterati eiuſdem verbi figura diximus in Verrē: hic tamē exemplum non omittam, quod eſt in agr. 2. Nihil ſibi appetit praecipue Pompeius, nihil. PRAEMIA *legis*] vt integrum reſtituerentur: vt, quo crimine damnati fuerant, abſoluerentur, conuictis eodem crimine ideſt ambitus, accuſatoribus ſuis. exemplum ſimile fuit eodē anno. nā Cotta & Torquatus, damnatis de ambitu Sulla & Autronio cōpetitoribus ſuis, conſulibus deſignatis, ipſi legis praemio cōſules facti ſunt. Eiuſdem generis illud pro Balbo: Obiectū eſt etiā, quod in tribū Cruſtuminā peruenerit: quod hic aſſecutus eſt legis de ambitu praemio, minus inuidioſo, quam qui legū praemijs praetoriam ſententiam, & praetextam togam conſequuntur. MAIESTATIS *eſſe damnatum.*] accuſatus quidem eſt corrupti iudicij nomine, ſed ideo damnatus, quia maieſtatem laeſiſſet. M. AEMILIO, *clariſſimo viro*,] non arbitror ſignificari M. Aemilium Lepidum qui cum Q. Catulo conſul fuit. non enim appellaret clariſſimum virum, qui Sullanarū partiū inimicus, a Catulo collega diſſidēs, ad ex-

tenium infecta patriae ſigna intulit, legendũ igitur, Mam. nõ M. exiſtimo: vt ſit Mam. Aemilius Lepidus, qui cum D. Bruto conſul fuit. IVDICII *Safiniani*.] de quo ſupra. COMINIIS,] fratribus, qui etiam C. Cornelium, quem Cicero defendit, de maieſtate accuſarunt. in Bruto: Ne hos quidem equites Romanos, amicos noſtros, qui nuper mortui ſunt, P. Cominium Spoletinum, quo accuſante defendi C. Cornelium, in quo & compoſitum dicendi genus, & acre, & expeditum fuit: T. Attium. Aſconius pro Cornelio. CONCILIANDAE *gratiae*] inter Cluẽtium, & Oppianicũ. SVSCEPTA,] praeter eius conſuetudinem. AD *Iuturnae*:] templum, viſitatum loquendi genus IN *eiuſmodi ratione*] in pecunijs contra leges captis. INTERPRES] ſequeſter eius pecuniae, quam ſibi non ad corrumpendum iudicium, ſed ad conciliationem gratiae datam ab Oppianico dicebat. NON *probabatur*] non credebatur dicenti ſe pacis & concordiae cauſſa pecuniam illam accepiſſe. POST *iudicium factum*] quo damnatus eſt. ABLATA *eſt*:] quia, quod promiſerat, non praeſtitiſſet. INVIDIOSISSIMVM, ſummae infamiae. POST *paucos dies*] non ſtatim, vt debuit, ſubſortitione facta, vt cauſſam audire poſſet, ſed poſt paucos dies, incognita cauſſa. hanc rem ſic exagitat act. I. in Verrem: Inuẽti ſunt ſenatores, qui, C. Verre praetore vrbano ſortiente, exirent in eum reum, quẽ incognita cauſſa condemnarent. Vbi Pedianus: C. Fidiculanium Falculam ſignificat, qui ad complendam Oppianici damnationem dicebatur eſſe ſuppoſitus. SVAE *decuriae munere*] cum reliquis ſenatoribus, ex ſubſortitione. ſic enim cauſſam ante cognouiſſet, quã reũ damnaret. Decuria ſenatores iudices ſignificat: qui tum ſoli iudicabant ex lege Cornelia lib. I. in Verrem. Ex hac decuria noſtra erepta eſſet facultas bonorum. Et ibi Pedianus: Honeſtiorum decuriae, inferiorum centuriae dicebantur. NEQVE *ex lege*] quae ſententias ferri, niſi cauſſa prius cognita vetabat. VNO *iudicio multa eſt ab eo petita*,] ſed non exacta: eſt enim abſolutus. Alterum iudicium de pecunia ob rem iudicandam accepta, quo etiam eſt abſolutus, infra nominatur. PAVLO *ſedatiore tempore*] cũ tribunus pl. non eſſet L. Quinctius. nam paucis poſt Iunij condemnationẽ diebus e tribunatu exiuit. vnde illud ſupra: Paucos dies exſpectaſſet Quinctius. at neque priuatus accuſare, nec, ſedata iam inuidia, volebat. EADEM *ferre lege, & crimina*] cur addit, Fere? cum dixerit iam: Multa eſt ab eo petita, ſicut ab Iunio, quod nõ ſuae decuriae munere, neque ex lege ſediſſet. Quia Iunius non eſt damnatus, quod non ſuae decuriae munere, neque ex lege ſediſſet verũ, vt ſupra narratur, quia non iuraſſet in legẽ, & quia ex lege ſubſortitus non eſſet. PRIMA *actione*] non ampliata cauſſa NON *numero hanc abſolutionem*] alterã enim oſtendã quae pro Cluentio ſit: nam haec nihil habet cum Cluentij cauſſa coniunctum. VT *illam multam non commiſerit*,] multã committere, eſt multam mereri, committere quod multa dignũ ſit. lib. III. in Verrem, Poenã octupli ſine vlla dubitatione commiſſam QVAM *captam*] a Fidiculanio. EADEM *lege*] cũ eadem lege cauſſam diceret, qua Fidiculanius poſtea eſt accuſatus. de pecunia ſcilicet ob rem iudicandam accepta: quae lex de repetundis fuit. vt infra. QVAESTIONIS *eius*] qua & Iunius damnatus, & Fidiculanius prima actione eſt abſolutus. FIDICVLANIVS *quid feciſſe dicebatur?*] locutus eſt ab vno iudicio, quo abſolutus eſt Fidiculanius: nunc alterũ incipit exponere. quod magis pro Cluentio ſit. H-S CCCC *millia*] ſcutatorũ duodecim millia. QVA *lege in eo genere a ſenatore ratio repeti ſolet*,] hoc dicit, quia lege de repetundis ratio non repetebatur ab equite Romano: quod infra diſputat. DE *pecunijs repetundis*] vna lege de repetundis tenebantur, qui ſocios in prouincijs expilaſſent, & qui pecunias Romae ob rem iudicandam cepiſſent. infra. Quid enim mihi damnatos ambitus colligitis, alia lege, certis criminibus? cum primum illi ipſi debuerint potius accuſari de pecunijs repetundis, quam ambitus. ADDVCTI *iudices ſunt*,] adducti ſunt vt crederent, perſuaſi ſunt QVI *non perpetuo ſediſſet*,] quod obijciebatur Falculae. ſupra: Cum praeſertim, id quod fuit illo iudicio inuidioſiſſimũ, poſt paucos dies ex ſubſortitione ſediſſet. QVAE *praeiudicia*] vnum in Scamandro, alterum in Fabricio. AVDIRE *praeterea nihil debuiſſe*.] cum aliquid tamen audierit Falcula, licet non totã cauſſam cognouerit, quippe qui poſt paucos dies ex ſubſortitione ſederit IMPERITORVM *hominum rumuſculos aucupati*.] ambitione adducti: ne corrupti, vt Bulbus, Stalenus, Gutta, qui iam Oppianicum damnauerant, viderentur. ILLVM *abſoluerunt*,] Oppianicum, a ceteris fere omnibus damnatum. IAM] abſoluto Falcula, quem qui abſoluerunt, Oppianici damnationem probare videbantur. SVAM *clementiam*] in abſoluendo Opianico. LAVDARI *magnopere nolebant*.] paenitebat iam eos clementiae ſuae. VNA *ſententia*] quam ſuam Stalenus eſſe dicebat. VTER] iudex, qui Oppianicum damnauit, an qui abſoluit? SIBI.] ſententiae ſuae. REI *iudicatae*] praeiudicijs de Scamandro & Fabricio factis. IN *principem maleficij*] in Oppianicum. nam Scamander & Fabricius maleficij principes non fuerant, ſed conſcij, & miniſtri. SVPERIORA *iudicia*] de Scamandro, & Fabricio facta. SECVTI *ſunt*] in Oppianico damnando. NON *Staleni fraude*.] vt Bulbus, Gutta, Popillius, a Staleno corrupti. CONSTANTIAM] cum enim Scamandrum & Fabricium damnaſſent, declinare de ſuo ſtatu in Oppianici iudicio noluerunt. PAVLO *poſterius, patefacta re*,] ideo ſibi non liquere dixerunt, vt reum paullo poſt, cauſſa iterum cognita, & re patefacta, condemnaſſent ſupra. PATEFACTA *re*,] vter pecuniam iudicibus dediſſet, Oppianicus an Cluentius. nam ſuſpicio tantum adhuc erat: res ipſa non patebat. EX FACTO] ex damnatione. QVOD *ij fecerint*.] cum ſibi non liquere dixerunt: de iiſdem enim adhuc loquitur. ITA *dicere*.] vt de Octauio, & Conſidio iam dixi. FVIT] obierat. EX *vetere illa iudicium diſciplina?*] nihil muto, ſed, iudiciorum, fortaſſe rectius. nam & ſupra: Homines ſapientes, ex vetere illa iudiciorum diſciplina. FLORENTE *rep*.] poſt obitum Syllae. AMBITIOSVS] ſupra: Quinque omnino fuerunt, qui illum veſtrum innocentem Oppianicum, ſiue imprudentia, ſiue miſericordia, ſine aliqua

ſuſpicione,

ſuſpicione,ſiue ambitione adducti,abſoluerent. Qvi *diſtulit,*] qui ſibi non liquere dixit Cavtvs;] ſupra. Eorum qui ſibi non liquere dixerũt,ſapientiam laudo:qui abſoluere eum, quem nocentiſſimũ cognorant. & quem ſibi bis iam antea condemnarant, nullo modo poterant, condemnare, cum tanta conſilij infamia,& tã atrocis rei ſuſpicio eſſet iniecta paullo poſterius patefacta re, maluerũt.

ORATIO

HAec tum,agit ante Quinctio,neque in concione, neque in iudicio demonſtrata ſunt.neque enim ipſe dici patiebatur; nec per multitudinem concitatam conſiſtere cuiquam in dicendo licebat. itaque ipſe, poſtquam Iunium peruertit, cauſſam totam reliquit: paucis enim diebus illis, & ipſe priuatus eſt factus, & hominum ſtudia deferbuiſſe intelligebat. quod ſi, per quos dict Iunium accuſauit, Fidiculanium accuſare voluiſſet: reſpondendi Fidiculanio poteſtas facta non eſſet. ac primo quidem, omnibus illis iudicibus, qui Oppianicum condemnarant, minabatur. iam inſolentiam noratis hominis; noratis animos eius,ac ſpiritus tribunicios. quod erat odium,dij immortales? quae ſuperbia? quanta ignoratio ſui? quam grauis, atque intolerabilis arrogantia? qui illud etiam ipſum acerbe tulerit, ex quo illa nota ſunt omnia, non ſibi, ac defenſioni ſuae condonatum eſſe Oppianicum: proinde quaſi non ſatis ſigni eſſe debuerit,ab omnibus eum fuiſſe deſertum, qui ſe ad patronum illum contuliſſet. erat enim Romae ſumma copia patronorum, hominum eloquentiſſimorum, atque ampliſſimorum: quorum certe aliquis defendiſſet equitem Ro.in municipio ſuo nobilem, ſi honeſte putaſſet eiuſmodi cauſſam poſſe defendi. nam Quinctius quidem quam cauſſam vnquam antea dixerat,cum annos ad quinquaginta natus eſſet?quis eum vnquam non modo in patroni,ſed in laudatoris,aut aduocati loco viderat? qui, quod Roſtra iamdiu vacua, locumque illum poſt aduentum L.Sullae a tribunicia voce deſertum,oppreſſerat,multitudinemque iam deſuefactam a concionibus ad veteris conſuetudinis ſimilitudinem reuocarat, iccirco cuidam hominum generi paullisper iucundior fuit. atque idem quanto in odio poſtea ſuis illis ipſis fuit, per quos in altiorem locum adſcenderat? neque iniuria. facite enim, vt non ſolum mores eius,& arrogantiam,ſed etiam vultum, atque amictum, atque illam vſque ad talos demiſſam purpuram recordemini. is, quaſi non eſſet vllo modo ferendum,ſe ex iudicio diſceſſiſſe victum,rem ab ſubſellijs in Roſtra detulit. Et iam quaerimur, ſaepe hominibus nouis non ſatis magnos in hac ciuitate eſſe fructus? nego vſquam vnquam fuiſſe maiores. vbi, ſi quis, ignobili loco natus,ita viuat, vt nobilitatis dignitatem virtute tueri poſſe uideatur; uſque eo peruenit, quoad eum induſtria cum innocentia proſecuta eſt. ſi quis autem hoc uno nititur, quod ſit ignobilis; procedit ſaepe longius,quam ſi idem ille eſſet cum iiſdem ſuis uitijs nobiliſſimus. ut, Quinctius (nihil enim dicam de ceteris) ſi fuiſſet homo nobilis quis eum cum illa ſuperbia, atque intolerantia ferre potuiſſet? quod eo loco fuit, ita tulerunt, ut, ſi quid haberet a natura boni, prodeſſe ei putarent oportere; ſuperbiam autem, atque arrogantiam eius deridendam magis arbitrarentur propter humilitatem hominis,quam pertimeſcendam. Sed,ut illuc reuertar: quo tempore Fidiculanius eſt abſolutus, tu, qui ea iudicia facta commemoras, quaero quid tum eſſe exiſtimas iudicatum? certe, gratis iudicaſſe. at condemnarat: at cauſſam totam non audierat: at in concionibus omnibus a L. Quinctio uehementer erat & ſaepe uexatus. illa igitur omnia Quinctiana iniqua, falſa,turbulenta, popularia, ſeditioſa iudicia fuerunt. Eſto, potuit eſſe innocens Falcula; iam ergo aliquis Oppianicum gratis condemnauit: iam non eos Iunius ſubſortitus eſt, qui,pecunia accepta, condemnarent: iam potuit aliquis ab initio non ſediſſe, & tamen Oppianicum gratis condemnaſſe. uerum, ſi innocens Falcula, quaeſo quis nocens? ſi hic gratis condemnauit, quis accepit? nego,rem eſſe ullam in quemquam illorum obiectam, quae Fidiculanio obiecta non ſit: neque aliquid fuiſſe in Fidiculanij cauſſa, quod idem non eſſet in ceterorum. aut hoc iudicium reprehendas tu, cuius accuſatio rebus iudicatis niti uidebatur, neceſſe eſt: aut, ſi hoc uerum eſſe concedis, Oppianicum gratis condemnatum eſſe fateare, quamquam ſatis magno argumento eſſe debet, quod ex tam multis iudicibus, abſoluto Falcula, nemo reus factus eſt.

EXPLANATIO

HAec] quae nũc a me demonſtrãtur.ſupra. Ita multũ agitata,ita diu iactata res eſt,vt hodierno die primũ cauſſa illa defenſa ſit hodierno die primũ veritas vocẽ cõtra inuidiã,his iudicib freta miſerit. In *iudicio*] quo Iunius dãnatus eſt. Privatvs *eſt factus,*] perfunctus tribunatu pl Qvod *erat odium*] quo erat in omnes in odio. Eqvitem *Romanũ*] Oppianicũ. Ad *quinquaginta*] prope quinquaginta. Advocati] qui iudicio adeſſet,reo fauens. A. tribvnicia *voce deſertum,*] viuo Sulla, qui tribunis pl ademit concionandi poteſtatem. Oppreſſerat,] occupauerat primus. nam etſi quadriẽnio ante Sulla deceſſerat:cõcionari tamen ante Quinctiũ nemo tribunus pl. auſus erat. Svis *illis ipſis*] Sullanis.nam L.Luculli exemplũ ſupra attulimus e Salluſtio. Vsqve *ad talos d miſſam purpuram*] refellitur Plutarchus,qui tribunis pl.purpurã adimit,& hoc vtitur argumento vt magiſtratum non fuiſſe tribunatum pl.oſtẽdat.aut nouum hoc in Quinctio propter arrogantiã fuiſſe, exiſtimemus. Qvod *eo loco fuit,*] quod nouus homo fuit. Tv,] T.Atti. Ea *iudicia*] de Iunio, Bulbo, Popillio, Gutta, Staleno: quos accuſator ideo damnatos eſſe dicebat. quod, accepta a Cluentio pecunia.innocentem Oppianicum damnaſſent. Gratis *iudicaſſe.*] Falculam in Oppianici iudicio. Omnia *Quinctiana iudicia*] retorquet argumentum. Nocens Falcula,quia cõdemnarat Op-

 pianicum,

pianicum, quia cauſſam totam non audierat, quia vehementer & ſaepe in concionibus a L. Quinctio vexatus erat. Immo innocens, quia, cũ hæc ita eſſent, abſolutus tamen eſt. Omnia iudicia, Quinctiana vocat, vrgente tribuno pl. Quinctio facta, quibus rei damnati ſunt Iunius, Bulbus, Popillius, Gutta, Stalenus. nam Falcula, cum priuatus eſſet Quinctius accuſatus eſt, & ideo abſolutus, quia nulla in iudicio ſeditio, nulla turba verſata eſt. QVIS *nocens?*] quis, accepto a Cluentio pecunia, Oppianicum damnauit? IN *quemquam illorum*] illorum iudicum, qui damnati ſunt. quo patet, etſi obiecta illis iudicij corruptela ſit, alijs tamen eos criminibus eſſe condemnatos. nam ſi de corrupto iudicio damnati eſſent; damnatus eſſet & Falcula: cum nulla ſit illis obiecta res, quae non obiecta Falculae quoque ſit. ſed Falcula abſolutus vt innocens: ergo innocentes & illi. HOC *iudicium*] quo abſolutus eſt Falcula. REBVS *iudicatis*] qui iudicia facta commemoras: & ex quorundam iudicum damnatione, iudicium a Cluentio corruptum argumentaris.

ORATIO

QVid enim mihi damnatos ambitus colligitis, alia lege, certis criminibus, plurimis teſtibus? cum primum illi ipſi debuerunt potius accuſari de pecunijs repetundis, quam ambitus. nam, ſi in ambitus iudicijs hoc bis obfuit, cum alia lege cauſſam dicerent: certe, ſi propria lege huius peccati adducti eſſent, multo plus obfuiſſet. deinde, ſi tanta vis fuit iſtius criminis, vt, qua quiſque lege ex illis iudicibus reus factus eſſet, tamen hac plaga periret: cur, in tanta multitudine accuſatorum, tantis praemijs, ceteri rei facti non ſunt? Hic profertur id, quod iudicium appellari non oportet, P. Septimio Scaeuolae litem eo nomine eſſe aeſtimatam. cuius rei quae conſuetudo ſit, quoniam apud homines peritiſſimos dico, pluribus verbis docere non debeo. numquam enim ea diligentia, quae ſolet adhiberi in ceteris iudicijs, eadem, reo damnato, adhibita eſt. In litibus aeſtimandis fere iudices aut, quod ſibi eum, quem ſemel condemnarunt, inimicum putant eſſe; ſi qua in eum lis capitis illata eſt, non admittunt: aut, quod ſe perfunctos iam eſſe arbitrãtur, cum de reo iudicarunt, negligentius attendunt cetera. itaque & maieſtatis abſoluti ſunt permulti, quibus damnatis de pecunijs repetundis lites eſſent aeſtimatae: & haec quotidie fieri videmus, vt, reo damnato de pecunijs repetundis, ad quos perueniſſe pecunias in litibus aeſtimandis ſtatutum ſit, eos illi iudices abſoluant. quod cum ſit, non iudicia reſcinduntur, ſed hoc ſtatuitur, aeſtimationem litium non eſſe iudicium. Scaeuola condemnatus eſt alijs criminibus, frequentiſſimis Apuliae teſtibus: omni contentione pugnatum eſt, vt lis haec capitis aeſtimaretur. quae res ſi rei iudicatae pondus habuiſſet, ille poſtea vel iiſdem, vel alijs inimicis reus hac lege ipſa factus eſſet. Sequitur id, quod illi iudicium appellant, maiores autem noſtri numquam neque iudicium nominarunt, neque perinde vt rem iudicatam obſeruauerunt, animaduerſio, atque auctoritas cenſoria. qua de re ante quam dicere incipio, per pauca mihi de meo officio verba facienda ſunt; vt a me cum huiuſce periculi, tum ceterorum quoque officiorum, & amicitiarum ratio conſeruata eſſe videatur. nam mihi cum viris fortibus, qui cenſores proxime fuerunt, ambobus eſt amicitia, cum altero vero, ſicuti & plerique veſtrum ſciunt, magnus vſus, & ſumma vtriuſque officijs conſtituta neceſſitudo eſt. quare, quidquid de ſubſcriptionibus eorum mihi dicendum erit, eo dicam animo, vt omnem orationem meam non de illorum facto, ſed de ratione cenſoria habitam exiſtimari velim. a Lentulo autem, familiari meo, qui a me pro eximia ſua virtute, ſummiſq. honoribus, quos a populo Rom. adeptus eſt, honoris cauſſa nominatur, facile hoc, iudices, impetrabo, vt, quam ipſe adhibere conſueuit in amicorum periculis fidem, & diligentiam, tum vim animi, libertatemq. dicendi, in hac, mihi concedat, vt tantum mihi ſumam, quantum ſine huius periculo praeterire non poſſum. a me tamen, vt aequum eſt, omnia caute, pedetentimq. dicentur; vt neque fides huius defenſionis relicta, neque cuiuſquam aut dignitas laeſa, aut amicitia violata eſſe videatur.

EXPLANATIO

DAMNATOS *ambitus*] vt Popillium, & Guttam. ALIA *lege,*] de ambitu. CERTIS] quæ perſpicuè commiſerant. DE *pecunijs repetundis,*] quo crimine accepta ob rem iudicandã pecunia cõprehendebatur. itaque dixit ſupra: Fidiculanius quid feciſſe dicebatur? accepiſſe a Cluentio H-S cccc millia. cuius erat ordinis? ſenatorij. qua lege in eo genere a ſenatore ratio repeti ſolet, de pecunijs repetundis, is ea lege accuſatus, honeſtiſſime eſt abſolutus. PROPRIA *lege huius peccati*] de pecunijs repetundis. QVA *quiſque lege*] diuerſa enim lege Iunius, Bulbus, Stalenus, Popillius, Gutta, dãnati fuerant. HIC *profertur id, quod iudicium appellari non oportet, P. Septimio Scaeuolae litẽ eo nomine eſſe æſtimatã.*] Præiudicia multum habent ponderis ad eorũ damnationem, qui propter eadem crimina in iudiciũ vocati ſunt. ideo protulerat accuſator Cluentij, litẽ æſtimatam in cauſſa Septimij: quã dicebat æſtimatam, nõ quod eo crimine accuſaretur, (nam alijs flagitijs in Apulia commiſſis reus erat, quib. etiã cõdemnatus eſt, vt infra narratur) ſed vt, cum alijs criminib. damnatus eſſet, plecteretur etiã ob culpam acceptae a Cluẽtio in Oppianici iudicio pecuniæ. Id Cicero nõ negat, fateri etiã videtur, vt ex ijs verbis, quæ aliquanto poſt ſequũtur, conijcere licet Quae res ſi rei iudicatae põdus habuiſſet, ille poſtea reus vel iiſdem, vel alijs inimicis reus hac lege ipſa factus eſſet. Verum id iudicium appellari dicit non oportere nam ſi iudicium eſſet, idem Septimius poſtea lege de captis pecunijs poſtulatus

eſſet;

eue;quoniam eũ ſperare poſſent,ac plane confidere eius inimici condemnatũ iri eo crimine, quo de crimine praeiudiciũ eſſe factum in aeſtimatione litiũ viderent:non igitur,quod in ipſo Septimio iudicium exiſtimatum non eſt,id Cluentio tamquam praeiudiciũ obeſſe debere eoq minus, quod illa litis aeſtimatio extraordinaria fuit in cauſſa Septimij, & expreſſa a iudicibus contentione accuſantium inimicorum: non ſolere enim reos,ſemel damnatos, ſecundis criminibus affigi, ne ſi illa quidem capitalia ſint. Duplex igitur Ciceronis defenſio: tum quod aeſtimatio litis, quae iudicium non ſit, obeſſe Cluentio non debeat. tum etiam,quod iudices illi litem aeſtimauerint præter conſuetudinem aliorum iudicum,contentione accuſatorum adducti. Qvod *iudicium appellari non oportet.*] litis enim aeſtimatio,iudicij ſuperioris appendix eſt,non iudicium. E*o nomine*] quae pecuniam ob rem iudicandam accepiſſet. Adhibita,est.] in eodem reo, iterum alio crimine in iudicium adducto.inuſitata igitur fuit aeſtimatio litis in Septimio iam alijs criminibus damnato.[In *litibus aeſtimandis*] in aeſtimatione litiũ:in quib. iudicijs lites aeſtimantur:quae ſunt iudicia repetundarum.Inimicvm]ideo litem non admittunt,in illum illaram;ne videantur propter inimicitias infenſi. Non *admittunt;*]ne,ſi rurſus eum damnauerint inimicum damnaſſe uideantur Perfvnctos] ſatisfeciſſe iam ſe putant officio ſuo. cum de reo iudicarunt, repetundarum accuſato. quo in crimine lis aeſtimatur.De *reo*] de repetundis accuſato. Attendvnt] cum idem reus alio crimine accuſatur. Lites *eſſent aeſtimatae:*] in cauſſa repetundarum damnationem ſequitur litis aeſtimatio. propterea ſimul vtrumque nominatur. Reo *damnato*] vbi quis de repetundis damnatur, ſequitur eam damnationem litis aeſtimatio: tantum ſcilicet vt ſoluat quantum iudices furtis cognitis, & examinatis,aeſtimarint.Ad *quos perueniſſe pecunias*] haec erat quaſi quaedam appendix cauſſæ de repetundis iudicatae,atque damnatae:cum reus,aeſtimata lite, ſoluendo non erat: tunc enim agebatur in eos,ad quos ea pecunia perueniſſet. vide pro Rabirio Poſtumo, & in epiſtola Coelij ad Ciceronem,quae incipit,Etſi de rep. In *litibus aeſtimandis statutum ſit,*]cum lites aeſtimabantur ſtatuebatur,ſi reus ſoluere non poſſet,vocarentur in iudicium ij,ad quos ea pecunia perueniſſet.Igitur, In l. aeſt.ideſt,cum alicui de repetundis damnato lis aeſtimata eſt:poſt litium aeſtimationem, Non *eſſe iudicium,*] nam ſi eſſet,non abſoluerentur. Aliis *criminibus,*] capitalibus: non hoc,de capta in Oppianici iudicio pecunia,ſequitur enim:Omni contentione pugnatum eſt vt lis haec capitis aeſtimaretur. Apvliae] cui praefuerat. Pvgnatvm.est,] ab accuſatoribus non contentis vnica Septimij damnatione ab ijs qui reo fauebat. Vt *lis haec capitis aeſtimaretur.*] quae lis?non illa,in qua Scaeuolam Apuli accuſauerant:nam aeſtimationem hanc,prolatam ab accuſatore Cluentij,diuerſam eſſe ab ea lite,indicant ſuperiora verba, condemnatus eſt alijs criminibus. Lis igitur haec capitis dixit Cicero pro,lis haec maieſtatis,de corruptis iudicijs,quae nunc in Cluentium intenditur:quae capitis eſt. nam repetundarum crimen capitale non eſt. eam aeſtimationem iudicij loco habendam non eſſe, ijdem illi,qui Scaeuolam accuſarunt ſatis oſtenderunt quia non eundem poſtea hac lege ipſa,qua nunc Cluentius cauſſam dicit,eodem crimine poſtularumt.Igitur, Vt l.h.c. aeſt. ideſt, Vt, quae capitis lis erat, ad pecuniae ſolutionem redigeretur: iudicibus, qui ſe iam perfunctos arbitrarentur, concedentibus. Hac *lege ipſa*] de repetundis, nam litis aeſtimatio ad crimen repetundarum pertinet.Scaeuola enim non hac lege,ſed alijs criminibus & reus factus eſt, & condemnatus, lis autem ei aeſtimata gratiae cauſſa:vt,quod capitale erat,pecunia aeſtimaretur.Hvivsce *periculi,*] ne Cluentio noceat cenſoriae animaduerſionis exemplum. Qvi *cenſores proxime fuerunt,*] infra nominantur,Cn.Lentulus,& L. Gellius. Cvm *altero uero*] opinor hunc eſſe Cn.Lentulum; quem paullo poſt familiarem ſuum vocat. De *ſubſcriptionibus eorum*] cenſores,cum aliquem damnabant, cauſſas, cur damnarent, ſubſcribebant. In *amicorum periculis*] cum eorum cauſſas agit, ſicuti ego nunc Habitum defendo. Dignitas] cenſoria. Amicitia] quae mihi cum ambobus eſt,qui cenſores proxime fuerunt.

ORATIO

Video igitur, iudices, animaduertiſſe cenſores in iudices quoſdam illius conſilij Iuniani, cum iſtam ipſam cauſſam ſubſcriberent. Hic primum illud commune proponam, numquam animaduerſionibus cenſorijs hanc ciuitatem ita contentam, vt rebus iudicatis, fuiſſe. neque in re nota conſumam tempus exemplis: ponam illud vnum; C. Getam, cum a L. Metello, & Cn. Domitio cenſoribus ex ſenatu eiectus eſſet, cenſorem ipſum poſtea eſſe factum; &, cuius mores a cenſoribus erant reprehenſi, hunc poſtea & populi R. & eorum,qui in ipſum animaduerterant, moribus praefuiſſe. quod ſi illud iudicium putaretur; vt ceteri; turpi iudicio damnati; in perpetuum omni honore ac dignitate priuantur, ſic hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditus,neque in curiam reditus eſſet. nunc,ſi quem Cn.Lentuli,aut L.Gellij libertus furti condemnarit, is, omnibus ornamentis amiſſis,numquam vllam honeſtatis ſuae partem recuperabit. quos autem ipſe L. Gellius, & Cn. Lentulus,duo cenſores,clariſſimi viri,ſapientiſſimiq. homines, furti, & captarum pecuniarum nomine notauerunt, ij non modo in ſenatum redierunt, ſed etiam illarum ipſarum rerum iudicijs abſoluti ſunt. Neminem voluerunt maiores noſtri non modo de exiſtimatione cuiuſquam, ſed ne pecuniaria quidem de re minima eſſe iudicem, niſi qui inter aduerſarios conueniſſet. quapropter in omnibus legibus, quibus exceptum eſt, de quibus cauſſis aut magiſtratum capere non licet, aut iudicem legi,aut alterum accuſare, haec ignominiae cauſſa praetermiſſa eſt. timoris enim cauſſam,non uitae poenam,in illa poteſtate eſſe noluerunt. itaque non ſolum, iudices,

illud

illud oſtendam, quod iam videtis, populi R. ſuffragijs ſaepenumero cenſorias ſubſcriptiones eſſe deletas, verum etiam iudicijs eorum, qui iurati ſtatuere maiore cum religione & diligentia debuerunt. Primum iudices, ſenatores, equiteſq. R. in compluribus iam reis, quos contra leges pecunias accepiſſe ſubſcriptum eſt, ſuae potius religioni, quam cenſorum opinioni paruerunt. deinde, praetores vrbani, qui iurati debent optimum quemque in ſelectos iudices referre, numquam ſibi ad eam rem cenſoriam ignominiam impedimento eſſe oportere duxerunt. cenſores denique ipſi ſaepenumero ſuperiorum cenſorum iudicijs (ſi iſta iudicia appellari vultis) non ſteterunt, atque etiam ipſi inter ſe cenſores ſua iudicia tanti eſſe arbitrantur, vt alter alterius iudicium non modo reprehendat, ſed etiam reſcindat; vt alter de ſenatu mouere velit, alter retineat, & ordine ampliſſimo dignum exiſtimet; vt alter in aerarios referri, aut tribu moueri iubeat, alter vetet. Quare, qui vobis in mentem venit, haec appellare iudicia, quae a populo R. reſcindi, ab iuratis iudicibus repudiari, a magiſtratibus negligi, ab ijs, qui eandem poteſtatem adepti ſunt, commutari, inter collegas diſcrepare videatis? Quae cum ita ſint, videamus quid tandem cenſores de illo iudicio corrupto iudicaſſe dicantur. Ac primum illud ſtatuamus, vtrum, quia cenſores ſubſcripſerint, ita ſit, an, quia ita fuerit, illi ſubſcripſerint. ſi idea, quia ſubſcripſerint: videte, quid agatis; ne in vnumquemque noſtrum cenſoribus in poſterum poteſtatem regiam permittatis; ne ſubſcriptio cenſoria non minus calamitatis ciuibus, quam illa acerbiſſima proſcriptio, poſſit afferre; ne cenſorium ſtilum, cuius mucronem multis remedijs maiores noſtri retuderunt, aeque poſthac, atque illum dictatorium gladium, pertimeſcamus. ſin autem, quod ſubſcriptum eſt, quia verum eſt, idcirco graue debet eſſe: hoc quaeramus, verum ſit, an falſum, remoueantur auctoritates cenſoriae; tollatur id ex cauſſa, quod in cauſſa non eſt. doce, quam pecuniam Cluentius dederit, vnde dederit, quemadmodum dederit: vnum denique aliquod a Cluentio profectae pecuniae veſtigium oſtende. vince deinde virum bonum fuiſſe Oppianicum, hominem integrum, nihil de illo vnquam ſecus eſſe exiſtimatum, nihil denique praeiudicatum: tum auctoritatem cenſorum amplexator; tum illorum iudicium cum re coniunctum eſſe defendito. dum vero eum fuiſſe Oppianicum conſtabat, qui tabulas publicas municipij ſui corrupiſſe iudicatus ſit; qui teſtamentum interleuerit; qui, ſuppoſita perſona falſum teſtamentum obſignandum curarit; qui eum, cuius nomine id obſignatum eſt, interfecerit; qui auunculum filij ſui in ſeruitute ac vinculis necarit; qui municipes ſuos proſcribendos, occidendoſq. curarit; qui eius vxorem, quem occiderat, in matrimonium duxerit; qui pecuniam pro abortione dederit; qui ſocrum, qui vxorem, qui vno tempore fratris vxorem, ſperatoſq. liberos, fratremq. ipſum, qui deniq. ſuos liberos interfecerit; qui, cum venenum priuigno ſuo quaereret, manifeſto ſit deprehenſus; cuius miniſtris conſcijſq. damnatis, ipſe adductus in iudicium pecuniam iudici dederit ad ſententias iudicum corrumpendas: dum haec, inquam, de Oppianico conſtabunt, nec vllo argumento Cluentianae pecuniae crimen tenebitur; quid eſt, quod te iſta cenſoria ſiue voluntas, ſiue opinio fuit, adiuuare, aut hunc innocentem opprimere poſſe videatur? Quid igitur cenſores ſecuti ſunt? Ne ipſi quidem, vt grauiſſime dicam, quidquam aliud dicent, praeter ſermonem, atque famam. nihil ſe teſtibus, nihil tabulis, nihil graui aliquo argumento comperiſſe, nihil denique, cauſſa cognita, ſtatuiſſe dicent. quod ſi ita feciſſent; tamen id non ita fixum eſſe deberet, vt conuelli non liceret. non vtar exemplorum copia, quae ſumma eſt. non rem veterem, non hominem potentem aliquem, aut gratioſum proferam. nuper hominem tenuem, ſcribam aedilicium, D. Matrinium cum defendiſſem apud M. Iunium, Q. Publicium praetores; & M. Plaetorium, C. Flaminium aediles curules, perſuaſi ut ſcribam iurati legerent eum, quem ijdem iſti cenſores aerarium reliquiſſent. cum enim in homine nulla culpa reperiretur; quid ille meruiſſet, non quid de eo ſtatutum eſſet, quaerendum eſſe duxerunt. Nam haec quidem, quae de iudicio corrupto ſubſcripſerint, quis eſt, qui ab illis ſatis cognita, & diligenter iudicata arbitretur? in M'. Aquillium, & in T. Guttam uideo eſſe ſubſcriptum. quid eſt hoc? duos eſſe corruptos ſolos pecunia? quid? ceteri uidelicet gratis condemnarunt. non eſt igitur circumuentus, non oppreſſus pecunia, non, ut illae Quinctianae conciones habebantur, omnes, qui Oppianicum condemnarunt, in culpa ſunt, ac ſuſpicione ponendi. duos ſolos uideo auctoritate cenſorum affines ei turpitudini iudicari. Nam, ut illud afferant, nihil eſt; quod de ijs duobus habuerint compertum, de ceteris comperiſſe. nam illud quidem minime probandum eſt, adnotationes auctoritatemq. cenſoriam exemplum illos a conſuetudine militari tranſtuliſſe. ſtatuerunt enim ita maiores noſtri, vt, ſi a multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animaduerteretur: vt metus videlicet ad omnes, poena ad paucos perueniret. quod idem facere cenſores in delectu dignitatis, in iudicio ciuium & in animaduerſione vitiorum, qui conuenit? nam miles, qui locum non tenuit, qui hoſtium impetum, vimq. pertimuit, poteſt idem poſtea & miles eſſe melior, & vir bonus, & ciuis vtilis. quare, ne in bello propter hoſtium metum delinqueret, amplior ei mortis & ſupplicij metus eſt maioribus conſtitutus: ne autem nimium multi poenam capitis ſubirent, idcirco illa ſortitio comparata eſt. hoc tu idem facies cenſor in ſenatu legendo? ſi erunt plures, qui ob innocentem condemnandum pecuniam acceperint; vt non animaduertas in omnes, ſed carpas vt velis, & paucos ex multis ad ignominiam ſortiare? habebit igitur, & ſciente, & vidente, curia ſenatorem, populus R. iudicem, reſp. ciuem ſine ignominia quemquã, qui ad perniciem innocentis fidem ſuam & religionẽ pecunia commutarit? &, qui pretio adductus eripuerit patriam, fortunas, liberos ciui innocenti, is cenſoriae ſeueritatis nota non inuretur? tu es praefectus moribus? tu magiſter veteris diſciplinae, & ſeueritatis, ſi aut retines quemquam ſciens in ſenatu, ſcelere tanto contaminatum; aut ſtatuis, qui in eadem culpa ſit, non eadem poena affici oportere? & quam condicionem ſupplicij maiores in bello timiditati militis propoſitam eſſe voluerunt, eandem tu in pace conſtitues improbitati ſenatoris? quod ſi hoc exemplum ex re militari ad animaduerſionem cenſoriam transferendum fuit, ſortitione id ipſum factum eſſe oportuit. ſin autem ſortiri ad poenam, atque hominum delictum fortunae iudicio committere, minime cenſorium eſt: certe, in multorum peccato, carpi paucos ad ignominiam, & turpitudinem non oportet. Verum omnes intelligimus, in iſtis ſubſcriptionibus uentum quendam popularem eſſe quaeſitum. iactata res

erat

erat in concione a tribuno ſeditioſo: incognita cauſſa probatam illud erat multitudini: illicitum erat contradicere: nemo denique, vt defenderet contrariam partem, laborabat: in inuidiam porro magnam illa iudicia venerant; etenim paucis poſtea menſibus alia vehemens erat in iudicijs ex notatione tabularum inuidia verſata. praetermitti a cenſoribus & negligi macula iudiciorum poſſe non videbatur. homines, quos ceteris vitiis, atque omni dedecore infames videbant, eos hac quoque ſubſcriptione notare voluerunt; & eo magis, quod illo ipſo tempore, illis cenſoribus erant iudicia cum equeſtri ordine communicata; vt viderentur per hominum idoneorum ignominiam ſua auctoritate illa iudicia cum equeſtri ordine reprehendiſſe. quod ſi hanc apud eos ipſos cenſores mihi, aut alij cauſſam agere licuiſſet: hominibus tali prudentia certe probauiſſem, (res enim indicat) nihil ipſos habuiſſe cogniti, nihil comperti, ex tota ipſa ſubſcriptione rumorem quendam & plauſum popularem eſſe quaeſitum. Nam in L. Popillium, qui Oppianicum condemnarat, ſubſcripſit L. Gellius; quod is pecuniam accepiſſet, quo innocentem condemnaret. Iam id ipſum quantae diuinationis eſt, ſcire innocentem fuiſſe reum, quem fortaſſe numquam viderat? cum homines ſapientiſſimi iudices. (vt nihil dicam de iis, qui condemnarunt) cauſſa cognita, ſibi, dixerint, non liquere. Verum eſto, condemnat Popillium Gellius; iudicat accepiſſe a Cluentio pecuniam. negat hoc Lentulus: nam Popillium, quod erat libertini filius, in ſenatum non legit; locum quidem ſenatorium ludis, & cetera ornamenta reliquit; & eum omni ignominia liberat. quod cum facit, iudicat, eius ſententia gratis eſſe Oppianicum condemnatum. & eundem Popillium poſtea Lentulus in ambitus iudicio pro teſtimonio diligentiſſime laudat. Quare ſi neque L. Gellij iudico ſtetit Lentulus; neque Lentuli exiſtimatione contentus fuit Gellius, & ſi vterque cenſor cenſoris opinione ſtandum non putauit: quid eſt, quamobrem quiſquam noſtrum cenſorias ſubſcriptiones omnes fixas, & in perpetuum ratas putat eſſe oportere?

E X P L A N A T I O

Illivs *conſilij Iuniani,*] cum Oppianicus iudice quaeſtionis Iunio, damnatus eſt. C. Getam,] Licinium, qui cenſor fuit cum Q. Fabio Allobrogico, ſeptem annis poſt eos cenſores, a quibus e ſenatu eiectus erat. Valerius Max. & Frontinus de Aquaeduct. Tvrpi *iudicio*] vt furti, & captarum pecuniarum. Illarvm *ipſarum rerum iudicijs*] ſunt enim certa & propria de furto, & de captis pecunijs iudicia. Nisi *qui inter aduerſarios conueniſſet.*] cuius generis cenſores non ſunt. Haec *ignominiae cauſſa*] a cenſoribus illata. Ivdices,] nominandi cauſſa dictum, non vocandi. qui vero iudices, explanat, ſubiungens, ſenatores, equiteſq. R. qui poſt Pompeium & Craſſum conſules Aurelia lege iudicabant Optimvm *quemque*] e ſingulis ordinibus. In *ſelectos iudices*] verbi gratia, qui de repetundis de ambitu, de maieſtate iudicarent. In *aerarios referri,*] ſi quem de plebe cenſores notabant, in aerarios referebant, ideſt, ciuem eo tantum nomine patiebantur eſſe, vt pro capite ſuo tributi nomine aera penderet. Aſconius. Tribv *moueri*] ex ruſtica in vrbanam reijci, aut ex ruſtica nobili in aliam ruſticam minus nobilem, vt Balbus Cruſtuminam eſt adeptus, legis de ambitu praemio. A. Magistratibvs] a praetoribus vrbanis. Illa *acerbiſſima proſcriptio*] Sullana. vnde ſubijcit, Dictatorium gladium. Eſt autem in ſimilitudine nominum quidam lepor: Videte, ne ſubſcriptio proſcriptio ſit. Stylvm] quo ſubſcribebant cenſores. Retvdervnt] ne nocere poſſet. Gladivm] & hic lepor eſt. ſubſcribentis enim ſtylus, proſcribentis gladius. Qvod *in cauſſa non eſt.*] quid enim cenſoribus cum hoc iudicio? Secvs] male. ſic enim interdum accipitur. Testamentvm] ſocrus ſuae Dineae. Qvi *tabulas publicas*] epilogus criminum Oppianici, quae ſupra latius explicata cognoſcuntur. Svpposita *perſona*] Auilio Aſinium ſimulante. Evm,] Aſinium. Avvncvlvm *filij ſui*] M. Aurium, fratris vxoris ſuae. In *ſeruitute,*] in ergaſtulo, apud Q. Sergium ſenatorem, in agro Gallico Proscribendos,] victore Sulla, cuius in partibus fuit. proſcripſit autem, & occidit Larinates quattuor vt ſupra. Eivs *vxorem,*] Saſſiam: Cluentij matrem. Privigno *ſuo*] Cluentio. Sive *voluntas, ſiue opinio fuit.*] carpit in Voluntas, excuſat in Opinio nam voluntas libera eſt, & ab odio interdum proficiſcitur: opinio rationem aliquam ſequitur, & eligit quod rectum eſſe putat: quamquam ſaepe putat, quod non eſt. Cavssa *cognita,*] quam non audierunt. Habebantvr,] quo tempore Quinctius concionabatur. Sortitione *in quoſdam*] vt in decimum quemque ſorte animaduerteretur. Liuius, Tacitus, Polybius, alij. Religionem iuriſiurandi. Illa *iudicia*] facta eo tempore. Ex *notatione tabularum*] diſcoloribus enim ceris notatae ſunt, Hortenſij oratoris, vt creditum eſt, culpa. quod ei Cicero obijcit in Diuin. Homines,] cenſores ſequitur enim paullo poſt, ſua auctoritate. Qvos *ceteris vitijs*] loquitur de ijs iudicibus, qui Oppianicum damnarant. Illis *cenſoribus*] Pompeio conſule, & craſſo. Commvnicata;] Aurelia lege. Aſconius. Hominvm *idoneorum*] qui digni cenſoria notatione viderentur. Illa *iudicia*] ſenatoria. Cvm *equeſtri ordine*] ſimul cum equeſtri ordine, illa iudicia reprehendente: vt legem de communicandis iudicijs neceſſariam fuiſſe oſtenderet. L. Popillivm,] Publium ſupra nominauit. Locvm *ſenatorium ludis,*] vt ſpectaret ludos in orcheſtra: quod ſolis licebat ſenatoribus. Cetera *ornamenta*] vt lati claui tunicam, calceos lunatos: de quibus Phil. 13. Mutauit calceos: repente pater cōſcriptus factus eſt. Feſtus, Iſidorus, Zonara.

ORATIO

AT in ipſum Habitum animaduerterunt. Nullam quidem ob turpitudinem, nullam ob totius vitae, non dicam vitium, ſed erratum. neque enim hoc homine ſanctior, neque probior, neque in omnibus officijs retinendis diligentior eſſe quiſquam poteſt. neque illi aliter dicunt, ſed eandem illam famam iudicij corrupti ſecuti ſunt: neque ipſi ſecus exiſtimant, quam nos exiſtimari volumus, de huius pudore, integritate, virtute; ſed putarunt, praetermitti accuſatorem non potuiſſe, cum animaduerſum eſſet in iudices. qua de re tota ſi vnum factum ex omni antiquitate protulero, plura non dicam: non enim mihi exemplum ſummi & clariſſimi viri P. Africani praetereundum videtur: qui cum eſſet cenſor; & in equitum cenſu C. Licinius Sacerdos prodiſſet; clara voce, vt omnis concio audire poſſet, dixit, ſe ſcire illum verbis conceptis peieraſſe; ſi quis contradicere vellet, vſurum eſſe eum ſuo teſtimonio: deinde, cum contra nemo diceret, iuſſit equum traducere. itaque is, cuius arbitrio & populus Rom. & exterae gentes contentae eſſe conſuerunt, ipſe ſua conſcientia ad ignominiam alterius contentus non fuit. quod ſi Habito facere licuiſſet, facile illis ipſis iudicibus, & falſae ſuſpicioni, & inuidiae populariter excitatae reſtitiſſet. Vnum etiam eſt, quod me maxime conturbat, cui loco reſpondere poſſe vix videor, quod elogium recitaſti de teſtamento Cn. Egnatij patris, hominis honeſtiſſimi videlicet, & ſapientiſſimi, idcirco ſe exheredaſſe filium, quod is ob Oppianici damnationem pecuniam accepiſſet. de cuius hominis leuitate & inconſtantia plura non dicam. hoc teſtamentum ipſum, quod recitas, eiuſmodi eſt, vt ille, cum eum filium exheredaret, quem oderat, ei filio coheredes homines alieniſſimos coniungeret quem diligebat. Sed tu, Atti, conſideres cenſeo diligenter, vtrum cenſorium iudicium graue velis eſſe, an Egnatij. ſi Egnatij leue eſt, quod cenſores de ceteris ſubſcripſerunt: ipſum Egnatium, quem tu grauem eſſe vis, ex ſenatu eiecerunt. ſin autem cenſorium: hunc Egnatium, quem pater cenſoria ſubſcriptione exheredauit, cenſores in ſenatu, cum patrem eijcerent, retinuerunt. At enim ſenatus vniuerſus iudicauit illud corruptum eſſe iudicium quomodo? ſuſcepit cauſſam. an potuit rem delatam eiuſmodi repudiare? cum tribunus pl. populo concitato, rem paene ad manus reuocaſſet; cum vir optimus, & homo innocentiſſimus pecunia circumuentus eſſe diceretur; cum inuidia flagraret ordo ſenatorius; potuit nihil decerni? potuit illa concitatio multitudinis ſine ſummo periculo reipub. repudiari? At quid eſt decretum? quam iuſte? quam ſapienter? quam diligenter? Si. qui. ſunt. quorum. opera. factum. ſit. vt. iudicium. publicum. corrumperetur. Vtrum, videtur ſenatus id factum iudicare, an, ſi factum ſit, moleſte grauiterque ferre? ſi ipſe A. Cluentius ſententiam de iudicijs rogaretur, aliam non diceret, atque ij dixerunt, quorum ſententijs Cluentium condemnatum eſſe dicitis. Sed quaero a vobis, num iſtam legem ex iſto S.C. L. Lucullus conſul, homo ſapientiſſimus, tulerit? num anno poſt M. Lucullus, & C. Caſſius? in quos cum conſules deſignatos idem illud ſenatus decreuerit, non tulerunt: &, quod tu Habiti pecunia factum eſſe arguis, neque id vlla tenuiſſima ſuſpicione confirmas; factum eſt primo illorum aequitate, & ſapientia conſulum, ut id, quod ſenatus decreuerat ad illud inuidiae praeſens incendium reſtinguendum, id poſtea referendum ad populum non arbitrarentur: ipſe deinde populus Rom. qui, L. Quinctij trib. pl. fictis quaerimonijs antea cōcitatus, rem illam, & rogationem flagitarat, idem C. Iunij filij, pueri paruuli, lacrumis commotus, maximo clamore, & concurſu totam illam legem, & quaeſtionem repudiauit. ex quo intelligi potuit id, quod ſaepe dictum eſt; vt mare, quod ſua natura tranquillum ſit, uentorum vi agitari, atque turbari, ſic & populum Rom. ſua ſponte eſſe placatum, hominum ſeditioſorum vocibus, vt violentiſſimis tempeſtatibus concitari.

EXPLANATIO

IN. IPSVM *Habitum*] equitem Romanum. equum publicum cēſores equitibus Romanis adimebant. P. AFRICANI] Paulli filij. CONTRA] contra Sacerdotem. EQVVM *traducere.*] non enim adimere equum voluit, contra quem nemo diceret. FACERE *licuiſſet,*] vt eadem condicione, qua Sacerdos, vteretur: ne ſcilicet in eum ſine teſte aliquo animaduerteretur. FACILE,] teſtis enim contra eum nemo diceret. Illis *ipſis iudicibus,*] ipſorum cenſorum iudicio, qui in eum animaduerterunt. EXCITATAE] turbulentis Quinctij concionibus. ELOGIVM] teſtificationem. VIDELICET,] ad ironiam oſtendendam. QVAM *oderas,*] vt ipſe ais. INVIDIA *flagraret*] in infamia iudiciorum nondum lata lege Aurelia. IVDICIVM *publicum*] quo de veneficijs accuſatus eſt Oppianicus. id autem iudicium publicum eſt. ISTAM *legem*] Iſtam, dicit non quae lata ſit, ſed quae, facto eiuſmodi S. C. ferenda videtur fuiſſe. non eſt autē lata, quia S. C. illud temporis cauſſa factum eſt, non quia iudicium Oppianici corruptum a Cluentio ſenatus iudicaret. propterea ſubijcitur: Factum eſt illorum aequitate, & ſapientia conſulum, vt id, quod ſenatus decreuerat ad illud praeſens incendium reſtinguēdum id poſtea referendum ad populum non arbitrarentur. IN *quos*] corruptum locum ita ſanari poſſe arbitror: Ij, queis tum conſulibus deſignatis idem illud ſenatus decreuerit. REFERENDVM *ad populum*] ferri ad populum, dicitur, non referri. itaque malim hic, Ferendum. REM *illam,*] vt ipſo iudice populo de Oppianici iudicio ageretur. TOTAM *illam legem, & quaeſtionem repudiauit.*] totum conſilium ferendæ legis abiecit, nec apud ſe de C. Iunio quaeri voluit, ſed apud eos iudices, quorum de criminibus illis, quibus accuſatus eſt, quaeſtio legitima erat. QVAM *ego turpiter paene praeterij:*] lepida ironia.

ORATIO

ORATIO

Eſt etiam reliqua permagna auctoritas, quam ego turpiter pæne praeterij: mea enim eſſe dicitur. Recitauit ex oratione neſcio qua Attius, quam meam eſſe dicebat, cohortationem quandam iudicum ad honeſte iudicandum, & commemorationem tum illorum iudiciorum, quae probata non eſſent, tum illius ipſius iudicij Iuniani. perinde quaſi ego non ab initio huius defenſionis dixerim, inuidioſum illud fuiſſe iudicium; aut, cum de infamia iudiciorum diſputarem, potuerim illud, quod tam populare eſſet, in illo tempore praeterire. ego vero, ſi quid eiuſmodi dixi, neque cognitum commemoraui; neque pro teſtimonio dixi; & illa oratio potius temporis mei, quam iudicij, & auctoritatis fuit. cum enim accuſarem, & mihi initio propoſuiſſem, vt animos & populi Rom. & iudicum commouerem; cumque omnes offenſiones iudiciorum, non ex mea opinione, ſed ex hominum rumore proferrem; iſtam rem, quae tam populariter eſſet agitata, praeterire non potui. Sed errat vehementer, ſi quis in orationibus noſtris, quas in iudicijs habuimus, auctoritates noſtras conſignatas ſe habere arbitratur. omnes enim illae orationes cauſſarum, & temporum ſunt non hominum ipſorum, ac patronorum. nam, ſi cauſſae ipſae pro ſe loqui poſſent, nemo adhiberet oratorem: nunc adhibemur, vt ea dicamus, non quae noſtra auctoritate conſtituantur, ſed quae ex re ipſa, cauſſaq. ducantur. hominem ingenioſum, M. Antonium aiunt ſolitum eſſe dicere, idcirco ſe nullam vnquam orationem ſcripſiſſe, vt, ſi quid aliquando, quod non opus eſſet, ab ſe eſſet dictum, poſſet ſe negare dixiſſe. perinde quaſi, quid a nobis dictum, aut actum ſit, id niſi litteris mandauerimus, hominum memoria non comprehendatur. ego vero in iſto genere libentius cum multorum, tum hominis eloquentiſſimi, & ſapientiſſimi, L. Craſſi auctoritatem ſequor: qui cum L. Plancum defenderet, accuſante M. Bruto, homine in dicendo vehementi, & callido; cum Brutus, duobus recitatoribus conſtitutis, ex duabus eius orationibus capita alterna inter ſe contraria recitanda curaſſet, quod in diſſuaſione rogationis eius, quae contra coloniam Narbonenſem ferebatur, quantum poteſt de auctoritate ſenatus detrahit, in ſuaſione legis Seruiliae ſummis ornat ſenatum laudibus; & multa in equites Rom. cum ex ea oratione aſperius dicta recitaſſet, quo animi illorum iudicum in Craſſum incenderentur; aliquantum eſſe commotus dicitur. itaque in reſpondendo primum expoſuit vtriuſque rationem temporis; vt oratio ex re, & cauſſa habita videretur: deinde, vt intelligere poſſet Brutus, quem hominem, & non ſolum qua eloquentia, verum etiam quo lepore, & quibus facetiis praeditum laceſſiſſet, tres & ipſe excitauit recitatores cum ſingulis libellis, quos M. Brutus, pater illius accuſatoris, de iure ciuili reliquit. eorum initia cum recitarentur ea, quae vobis nota eſſe arbitror; (Forte euenit, vt ruri, in Priuernate eſſemus. ego, & Brutus filius;) fundum Priuernatem flagitabat: (In. albano. eramus. ego, & Brutus filius;) Albanum poſcebat: (in Tiburti. forte, cum aſſediſſemus;) Tiburtem fundum requirebat: Brutum autem, hominem ſapientem, quod filii nequitiam videret, quae praedia ei relinqueret, teſtificari dicebat voluiſſe. quod ſi potuiſſet honeſte ſcribere, ſe in balneis cum id aetatis filio fuiſſe; non praeteriiſſet: eas ſe tamen ab eo balneas non ex libris patris, ſed ex tabulis, & ex cenſu quaerere. Craſſus tum ita Brutum vltus eſt, vt illum recitationis ſuae paeniteret. moleſte enim fortaſſe tulerat, ſe in iis orationibus reprehenſum, quas de repub. habuiſſet, in quibus forſitan magis requiratur conſtantia. Ego autem illa recitata eſſe non moleſte fero. neque enim ab illo tempore, quod tum erat, neque ab ea cauſſa, quae tum agebatur, aliena fuerunt. neque mihi quidquam oneris ſuſcepi, cum iſta dixi, quo minus honeſte hanc cauſſam & libere poſſem defendere. quod ſi velim confiteri, me cauſſam A. Cluentii nunc cognoſcere, antea fuiſſe in illa opinioni populari: quis tandem id poſſit reprehendere: praeſertim, iudices, cum a vobis quoq. ipſis hoc impetrare ſit aequiſſimum. quod ego & ab initio petiui, & nunc peto, vt ſi quam huc grauiorem de illo iudicio opinionem attuliſtis, hanc cauſſa perſpecta, atq. omni veritate cognita, deponatis.

EXPLANATIO

Ex *oratione neſcio qua*] ex actione 1. in C. Verrem. nā infra ſubijcitur. Cum accuſatem. Vnum autē accuſauerat Verrem. Oratorie fingit ſe oblitum eſſe, quid aliquādo in iudicio dixerit: quaſi orator, cauſſae ſeruiens, aliud alio tempore dicere cogatur. Qvam *meam eſſe dicebat,*] quod ego neque cōfiteor, neq. nego. Illivs *ipſius iudicii Iuniani.*] ſignificat illa verba, quę ſunt in actione ſupradicta: Quod inuenti ſunt ſenatores, qui, C. Verre prætore vrbano ſortiēte, exirent in eum reū, quem, incognita cauſſa, condemnarent: quod inuētus eſt ſenator, qui cum iudex eſſet, in eodem iudicio ab reo pecuniam acciperet, quam iudicibus diuideret, & ab accuſatore, vt reum dānaret. Et *auctoritatis*] vt mihi fides haberetur: vt auctoritatem haberet oratio mea Popvli *Romani*] circa iudicium ſtantis. Perinde *quaſi*] excuſat conſiliū ſuū de ſcribendis orationibus, & refellit eā rationem, qua ſcribendas non eſſe Antonius iudicabat. In *iſto genere*] in ſcribendis orationib. M. Brvto,] qui male audijt eo nomine, quod induſtriā, operamq. ſuam ad accuſandū contuliſſet itaque in Bruto ait Cicero: In quo magnum fuit Brute, dedecus generi veſtro: qui cum tanto nomine eſſet. patremq. optimū virum habuiſſet, & iuris peritiſſimum, accuſationem factitauerit. In *diſſuaſione*] de qua ſic in eodem libro Voluit adoleſcens in colonia Narbonēſi cauſſæ popularis aliquid attingere, eamq. coloniā, vt fecit, ipſe deducere. exſtat in eam legem ſenior, vt ita dicam, quam illa ætas ferebat, oratio. Sena-

TVS] qui nolebat illam coloniam deduci. LEGIS *Seruiliae*] Q. Seruilius Caepio conſul, cũ equeſter ordo lege C. Gracchi ſine ſenatu iudicaret, legem tulit de iudicijs inter vtrumque ordinem cõmunicandis. quamquam Plutarchus tuliſſe Gracchũ ait, non vt ſoli equites ſed vt cũ ſenatoribus, pari numero, iudicarent. Seruiliam vero legem cũ ſuaderet L. Craſſus, laudaret ſenatum, & equites accuſare eſt coactus. itaque in Bruto, Mihi quidẽ, ait Cicero, a pueritia quaſi magiſtra fuit illa Craſſi in legem Caepionis oratio, in qua auctoritas ornatur ſenatus, quo pro ordine illa dicuntur, & inuĩdia concitatur in iudicum, & accuſatorum factionem, contra quorum potentiam populariter fuit dicendum. Hanc tamen legem vt antiquatam putem, ea ratione adducor, quod eundem Caepionẽ apud ſolos equites, contra Plutarchi teſtimonium, poſtea cauſſam dicere, ſcriptum video lib. 1. de Orat. Animos, inquit, equitum Romanorum apud quos tum iudices cauſſa agebatur, ad Q. Caepionis odium, a quo erant ipſi propter iudicia abalienati, reuocabam. Accedit illud, quod cum legem de communicandis inter tres ordines iudicijs L. Aurelius Cotta praetor tulit, tum ſolos equites iudicaſſe ſatis cõſtat. Iã hic ipſe locus, Quo animi illorũ iudicũ in Craſſum incenderẽtur, ſolos equites iudicaſſe non oſtendit? FLAGITABAT:] Craſſus a Bruto, qui eum poſt obitũ patris nequitia conſumpſerat. EAS *ſe tamen balneas*] dicebat Craſſus eas balneas a Bruto ſe requirere: cum ſignificaret, balneas quoque ab eo ſumptibus immoderatis eſſe diſſipatas. EX *tabulis*] domeſticis, in quas omnia referebantur. CENSV] Bruti pater, cum profiteretur, balneas nominauit. MAGIS] quam in meis, quae de rep. non ſunt. CVM *iſta dixi,*] contra Verrem. Nunc orationem ſuam agnoſcit, & excuſat quae tum dixit. FACTO *eius,*] innocentia.

ORATIO

NVnc, quoniam ad omnia, quae abs te dicta ſunt, T. Atti, de Oppianici damnatione, reſpondi: confiteare, neceſſe eſt, te opinionem multum fefelliſſe, quod exiſtimaris me cauſſam A. Cluentij non facto eius, ſed lege defenſurum. nam hoc perſaepe dixiſti, tibi ſic renunciari, me habere in animo cauſſam hanc praeſidio legis defendere. Ita ne eſt? ab amicis videlicet imprudentes prodimur: & eſt neſcio quis de ijs, quos amicos nobis arbitramur, qui noſtra conſilia ad aduerſarios deferat. quiſnam tibi hoc renunciauit? quis tam improbus fuit? cui ego autem narraui? nemo, vt opinor in culpa eſt: ſed nimirum tibi iſtuc lex ipſa renunciauit. ſed num tibi ita defendiſſe videor, vt tota in cauſſa mentionem vllam fecerim legis? nũ ſecus hanc cauſſam defendiſſe, ac ſi lege Habitus teneretur? certe, vt hominẽ confirmare oportet. nullus eſt locus a me purgandi iſtius inuidioſi criminis praetermiſſus. Quid ergo eſt? quaeret fortaſſe quiſpiam. diſpliceat ne mihi legum praeſidio a capite periculum propulſare? mihi vero iudices non diſplicet: ſed vtor inſtituto meo in hominis honeſti prudentisq. iudicio non ſolum meo conſilio vti conſueui, ſed multum etiam eius, quem defendo, & conſilio & voluntati obtempero. nam, vt haec ad me cauſſa delata eſt, qui leges eas, ad quas adhibemur, & in quibus verſamur, noſſe deberem, dixi Habito ſtatim, de eo, qui coiſſet, quo quis condemnaretur, illum eſſe liberum, teneri autem noſtrum ordinem. atque ille me orare, & obſecrare cepit, vt ne ſeſe lege defenderem, cum ego, quae mihi viderentur, dicerẽ, traduxit me ad ſuam ſententiã. affirmabat enim lacrumans, non ſe cupidiorem eſſe ciuitatis retinendae, quam exiſtimationis. morem homini geſſi: & tamen idcirco feci, (neque enim id ſemper facere debemus) quod videbam per ſe ipſam cauſſam copioſiſſime ſine lege poſſe defendi: videbam in hac defenſione, qua iam ſum vſus, plus dignitatis, in illa, qua me hic vti noluit, minus laboris futurum. quod ſi nihil aliud eſſet actum, niſi vt hanc cauſſam obtinerem: lege recitata, peroraſſem: neque me illa oratio commoueret, quod ait Attius, indignum eſſe facinus, ſi ſenator iudicio quempiam circumuenerit, legibus eum teneri; ſi eques R. hoc idem fecerit, non teneri. Vt tibi concedam hoc indignum eſſe; (quod cuiuſmodi ſit, iam videro) tu mihi concedas neceſſe eſt, multo eſſe indignius, in ea ciuitate, quae legibus teneatur diſcedi a legibus. hoc enim vinculum eſt huius dignitatis qua fruimur in rep. hoc fundamentum libertatis, hic fons aequitatis. mens, & animus, & conſilium, & ſententia ciuitatis poſita eſt in legibus. vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege ſuis partibus, vt neruis ac ſanguine, & membris, vti nõ poteſt. legum miniſtri, magiſtratus: legum interpretes, iudices: legum denique idcirco omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus. Quid eſt, Q. Naſo, cur tu in iſto loco ſedeas? quae vis eſt, qua abs te hi iudices, tali dignitate praediti, coerceantur? vos autem iudices, quamobrem ex tam magna multitudine ciuium tam pauci de hominum fortunis ſententiam fertis? quo iure Attius, quae voluit, dixit? cur mihi tamdiu poteſtas dicendi datur? quid ſibi autem illi ſcribae, quid lictores, quid ceteri, quos apparere huic quaeſtioni video, volunt? opinor, haec omnia lege fieri, totumq. hoc iudicium, vt antea dixi, quaſi mente quadam regi, & adminiſtrari. Quid ergo eſt? haec quaeſtio ſola ita gubernatur? quid M. Plaetorij, & C. Flaminij inter ſicarios? quid C. Orchinij peculatus? quid mea de pecuniis repetundis? quid C. Aquillii, apud quem nunc de ambitu cauſſa dicitur? quid reliquae quaeſtiones circumſpicite. omnes reipub. partes: omnia legum imperio, & praeſcripto fieri videbitis. ſi quis apud me te, T. Atti, reum velit facere, clamet te lege pecuniarum repetundarum non teneri: neque haec tua recuſatio confeſſio ſit captae pecuniae, ſed laboris, ſed periculi non legitimi declinatio. nunc quid agatur, & quid abs te iuris conſtituatur, vide.

EXPLA-

EXPLANATIO

LEGE] qua ſoli ſenatores tenebantur. Habitus autem ſenator non erat. hanc legē Sulla tulerat, & de veneficijs. & ne quis iudicio circumueniretur: quo de crimine propriam legem C. Gracchus antea tulerat. infra. I*ta ne eſt?*] lepida irriſio. de quo loquendi genere plura diximus in ea pro Quinctio. L*ex ipſa*] pro ſe ipſa loquens C*erte*,] ad iudices orationem conuertit. ſequitur .n. Hominem, ideſt accuſatorem. I*nſtituto meo*] nam conſueui non meo ſolum vti conſilio, ſed eius etiam, quem defendo, parere voluntati. H*oneſti*] qui ſuam exiſtimationem minui non vult. nam ſi lege defendatur, cauſſæ diffidere videretur. C*ivitatis retinentiæ*,] exſulium .n. pœna erat de veneficio damnatis infra: Quæ erat, quod Oppianicum pœna affectum pro veneficijs eiectum e ciuitate, quiſquam timeret? Accuſator autem, quo magis iudicum animos e ſuperiore Cluentij vita ad damnandum impelleret, corrupti quoque iudicij crimen in eum conferebat. N*eque enim id ſemper facere debemus*,] non .n. quæ Cluentij eadem omnium innocentia eſt Q*uod aut Attius*,] cum vereretur, ne Cluentium Cicero lege, non facto defenderet. Q. *Naſo*,] quęſtio de veneficijs Q. Voconio Naſoni prætori obtigerat. M. P*laetorii, & C. Flaminii*] miror vnam quaeſtionem duorum prætorum eſſe. ſuſpicari tamen licet ita multos accuſatos eſſe inter Sicarios, vt prætor vnus non ſufficeret. C. O*rchinii*] quem ſupra nominauit M*ea*] prætor igitur Cluentium defendit. D*e pecunijs repetundis?*] quo crimine damnauit C. Licinium Macrum, Calui oratoris patrem. ep. 3. lib 1. ad Att. & Plutarchus. C. A*quillii*,] iuriſconſulti clariſſimi de quo diximus in Quinctiana. De numero praetorum vide quae diximus in eadem: ne ſaepius eadem iterentur. Q*uid reliquæ quæſtiones?*] vt de maieſtate, de vi publica: de quibus criminibus praetores quaerebant,

ORATIO

IVbet lex ea, qua lege haec quaeſtio conſtituta eſt, iudicem quaeſtionis, hoc eſt Q. Voconium, cum ijs iudicibus, qui ei obuenerint, (vos appellat, iudices) quaerere de veneno: in quem quaerere? infinitum eſt. Quicumque. fecerit. vendiderit. emerit Habuerit. dederit. Quid eadem lex ſtatim adiungit? recita. Deque eius. capite. quaerito. Cuius? qui coierit? conuenerit? non ita eſt. quid ergo eſt? dic. Qui. tribunus. mil. legionibus. quattuor. primis. quive. quaeſtor tribunus pleb. Deinceps omnes magiſtratus nominauit. Quive. in. ſenatu. ſententiam. dixit. dixerit. Quid tum? Qui eorum. coit coierit. conuenit conuenerit. quo quis iudicio publico. condemnaretur. Qui eorum? quorum? videlicet, qui ſupra ſcripti ſunt. quid intereſt, vtro modo ſcriptum ſit? ciſi eſt apertum, tamen ipſa lex docet: vbi enim omnes mortales alligat, ita loquitur, Qui. venenum malum. fecit. fecerit. Omnes viri, mulieres, liberi, ſerui in iudicium uocantur. ſi item de coitione voluiſſet, adiunxiſſet, Qui ue coierit: nunc ita eſt: deque eius. capite quaerito. qui. magiſtratum. habuerit. quive. in. ſenatu. ſententiam. dixerit. qui eorum. coit. coierit. Num is eſt Cluentius? certe non eſt. quis ergo eſt Cluentius? qui tamen defendi cauſſam ſuam lege nolit: itaque abijcio legem: morem Cluentio gero. tibi tamen, Atti, pauca, quae ab huius cauſſa ſeiuncta ſunt, reſpondebo. eſt enim quiddam in hac cauſſa, quod Cluentius ad ſe; eſt aliquid, quod ego ad me putem pertinere. hic ſua putat intereſſe, ſe re ipſa, & geſto negotio, non lege, defendi: ego autem mea exiſtimo intereſſe, me nulla in diſputatione ab Attio videri eſſe ſuperatum. non enim mihi haec cauſſa ſola dicenda eſt: omnibus hic labor meus propoſitus eſt, quicumque hac facultate defenſionis contenti eſſe poſſunt. nolo quemquam eorum, qui adſunt, exiſtimare, me, quae de lege ab Attio dicta ſunt, ſi reticuerim, comprobaſſe. quamobrem, Cluenti, de te tibi obſequor; neque ego legem recito; neque hoc loco pro te dico: ſed ea, quae a me deſiderari arbitror, non relinquam.

EXPLANATIO

IVDICEM *quaeſtionis, hoc eſt Q. Voconium*,] prætor igitur, interdū vocabatur iudex quæſtionis: interdum autem, atq. adeo ſæpiſſime, iudex quæſtionis non eſt prętor, vt in cauſſa Verris, & in eo iudicio, quo Opppianicus damnatus eſt. O*bvenerint*,] nam ſorte ducebantur. N*on ita eſt*.] nam ſi ita eſſet, omnes mortales alligaret. ita Cluentius quoq. comprehēderetur. ſed eum hac lege non teneri ipſa legis verba demonſtrant. L*egionibus quattuor primis*,] ordinarijs. nam binas legiones ſinguli conſules habebant. Q*ui eorum coit*,] ipſe ſe ſtatim interptetatur, ſubijciens: Qui eorum? quorum? videlicet, qui ſupra ſcripti ſunt Q*uo quis iudicio publico condemnaretur*.] diuerſis de reb. vna eademq lege caueri, mirum videtur. nam qua lege Voconius quaerit, ea de veneficijs eſt hæc autem verba, quo quis iudicio publico condēnaretur, ad legem de repetundis pertinent, quæ corrupti iudicij crimen complectebatur. itaque tollenda ſuſpicarer, niſi paullo poſt legerem, quæſtionem de corrupris iu-

dicijs, quā C. Graechus propria lege ſanxerat, a L. Sulla conſtitutā eſſe lege de veneficiis qua Cluentius reus factus erat. propterea dicitur infra: Habitus accuſatur ea lege, quę tunc erat Sēpronia, nūc eſt Cornelia. De, te *tibi obſequor:*] facto, non lege, defendi uis. in quo tibi obſequor, neq. praeſidio legis vtor. Hac *facultate defenſionis*] eo, quod in patrocinijs praeſtare ipſe poſſim. Quae *de lege ab Attio dicta ſunt,*] dixerat Attius, iniquum ſibi uideri, non ijſdem legibus omnes teneri.

O R A T I O

INiquum tibi videtur, Atti, eſſe, non ijſdem legibus omnes teneri. Primum, vt id iniquiſſimum eſſe confitear, huiuſmodi eſt, vt commutatis eis opus ſit legibus, non vt ijs, quae ſunt, non pareamus. deinde, quis vmquam hoc ſenator uecuſauit, vt cum altiorem gradum dignitatis beneficio populi R. eſſet conſecutus, eo ſe putaret durioribus legum condicionibus vti non oportere? quam multa ſunt commoda, quibus caremus: quam multa moleſta, ac difficilia, quae ſubimus. atque haec omnia tantum honoris & amplitudinis commodis compenſantur. Conuerte nunc ad equeſtrem ordinem, atque in ceteros ordines: eaſdem vitae condiciones non perferent: putant enim minus multos ſibi laqueos legum, & condicionum, ac iudiciorum propoſitos eſſe oportere, qui in ſummum locum ciuitatis aut non potuerunt adſcendere, aut non petiuerunt. Atque, vt omittam leges alias omnes, quibus nos tenemur, ceteri autem ſunt ordines liberati: hanc ipſam legem, ne quis iudicio circumueniretur, C. Graechus tulit: eam legem pro plebe non in plebem tulit. poſtea L. Sulla, homo a populi cauſſa remotiſſimus, tamen, cum eius rei quaeſtionem hac ipſa lege conſtitueret, qua vos hoc tempore iudicatis, populum R. quem ab hoc genere liberum acceperat, alligare nouo quaeſtionis genere auſus non eſt. quod ſi fieri poſſe exiſtimaſſet, pro illo odio, quod habuit in equeſtrem ordinem, nihil feciſſet libentius, quam omnem illam acerbitatem proſcriptionis ſuae, quaeſtus in veteres iudices, in hanc vnam quaeſtionem contuliſſet. nec nunc quidquam agitur, mihi credite, iudices. & proſpicite id, quod prouidendum eſt, niſi vt equeſter ordo in huiuſce legis periculum includatur: neque hoc agitur ab omnibus, ſed a paucis. nam ij ſenatores, qui ſe facile tuentur integritate, & innocentia, quales, vt vere dicam, vos eſtis, & ceteri, qui ſine cupiditate vixerunt, equites ordini ſenatorio dignitate proximos, concordia coniunctiſſimos eſſe cupiunt: ſed ij, qui ſe volunt poſſe omnia, neque praeterea quidquam eſſe aut in homine vllo, aut in ordine, hoc vno metu ſe putant equites R. in poteſtatem ſuam reducturos, ſi conſtitutum eſt, vt de ijs, qui rem iudicarent, huiuſcemodi iudicia fieri poſſint. vident enim auctoritatem huius ordinis confirmari; vident iudicia comprobari: hoc metu propoſito, euellere ſe aculeum ſeueritatis ueſtrae poſſe confidunt. quis enim de homine audeat paullo maioribus opibus praedito vere & fortiter iudicare, cum videat ſibi de eo, quod coierit, aut conſenſerit, cauſſam eſſe dicendam? o viros fortes equites Rom. qui homini clariſſimo, ac potentiſſimo M. Druſo trib. pleb. reſtiterunt, cum ille nihil aliud ageret, cum illa cuncta, quae tum erat, nobilitate, niſi vti, qui rem iudicaſſent, huiuſcemodi quaeſtionibus in iudicium vocarentur. tunc C. Flauius Puſio, Cn. Titinius, C. Maecenus, illa robora populi Rom. ceterique huiuſmodi ordinis non fecerunt idem, quod nunc Cluentius, ut aliquid culpae ſuſcipere ſe putarent recuſando; ſed apertiſſime repugnarunt, cum haec recuſarēt, & palam fortiſſime atque honeſtiſſime dicerent: ſe potuiſſe iudicio populi R. in ampliſſimum locum peruenire, ſi ſua ſtudia ad honores petendos conferre uoluiſſent: ſe ſe uidiſſe, in ea uita qualis ſplendor ineſſet, quanta ornamenta, quae dignitas: quae ſe non contempſiſſe, ſed ordine ſuo patrumque ſuorum contentos fuiſſe, & uitam illam tranquillam, & quietam, remotam a procellis inuidiarum, & huiuſcemodi iudiciorum ſe fractu, ſequi maluiſſe: aut ſibi ad honores petendos aetatem integram reſtitui oportere; aut, quoniam id non poſſet, eam condicionem uitae, quam ſecuti, petitioni reliquiſſent, manere: iniquum eſſe, eos, qui honorum ornamenta propter periculorum multitudinem praetermiſiſſent, populi beneficijs eſſe priuatos, iudiciorum nouorum periculis non carere; ſenatorem hoc queri non poſſe, propterea quod ea condicione propoſita petere coepiſſet, quodque permulta eſſent ornamēta, quibus eam mitigare moleſtiam poſſet, locus, auctoritas domi ſplendor, apud exteras nationes nomen, & gratia, toga praetexta, ſella curulis, inſignia, faſces, exercitus, imperia, prouinciae: quibus in rebus cum ſummum recte factis maiores noſtri praemium, tum plura peccatis pericula propoſita eſſe uoluerunt. illi non hoc recuſabant, ea ne lege accuſarentur, qua nunc Habitus accuſatur, quae tunc erat Sempronia, nunc eſt Cornelia; intelligebant enim ea lege equeſtrem ordinem non teneri: ſed, ne noua lege alligarentur, laborabant. Habitus ne hoc quidem umquam recuſauit, quo minus uel ea lege rationem uitae ſuae redderet, qua non teneretur. quae ſi uobis condicio placet, omnes id agamus, ut haec quamprimum in omnes ordines quaeſtio perferatur. interea quidem, per deos immortales, quoniam omnia commoda noſtra, iura, libertatem, ſalutem denique legibus obtinemus, a legibus non recedamus: ſimul & illud quam ſit indignum cogitemus, populum R. aliud nunc agere, uobis remp. & fortunas ſuas commiſiſſe, ipſum ſine cura eſſe, non metuere ne lege ea, quam nūquam ipſe iuſſerit, & quaeſtione, qua ſe ſolutum liberumque eſſe arbitretur, per paucos iudices adſtringatur. agit enim ſic cauſſam T. Attius, adoleſcens bonus, & diſertus omnes ciues legibus teneri omnibus: uos attenditis, & auditis ſilentio, ſicut facere debetis. A. Cluentius, eques Ro. cauſſam dicit ea lege, qua lege ſenatores, & ij, qui magiſtratum habuerunt, ſoli tenentur. mihi per eum recuſare, & in arce legis praeſidia conſtituere defenſionis meae non licet: ſi obtinuerit cauſſam Cluentius, ſicuti ueſtra aequitate nixi confidimus: omnes exiſtimabunt id, quod erit, obtinuiſſe propter innocentiam, quoniam ita defenſus ſit; in lege autem, quam attingere noluerit, praeſidij nihil fuiſſe.

EXPLANATIO

CVM *eius rei quaeſtionem hac ipſa lege conſtitueret, qua vos hoc tempore iudicatis.*] cum quaeſtionem de corruptis iudicijs in legem de veneficijs includeret. IN *equeſtrem ordinem.*] MDC equites victor Sulla occidit, quia pro Cinnanis partibus ſteterant id ex Appiani lib. I. notum eſt. Aſconius autem: Equeſter ordo pro Cinnanis partibus contra Sullam ſteterat multaſq pecunias abſtulerant ex quo ſacculari j erant appellati: atque ob eius rei inuidiam poſt Sullanam victoriam erant interfecti. QVAESTVS *in veteres iudices*] lego, diſſentientibus antiquis libris: Qua eſt vſus in veteres iudices. atque hac ego coniectura nec a vetere ſcriptura longius diſcedente, & ſententiā illuſtrante, magnopere delector. quid enim eſt, Queſtus in veteres iudices: quanto autem aptius, Acerbitatem proſcriptionis ſuae, qua eſt vſus in veteres iudices? veteres enim iudices, ideſt equites Romanos, qui lege C Gracchi per annos XL iudicia tenuerant, non modo iudicandi poteſtate victor Sulla priuauit verum etiam proſcripſit. MIHI *credite iudices,*] ad eos iudices haec maxime ſpectant, qui erant ex equeſtri ordine: ad ſenatores autem, quae ſubijciuntur, Quales vt vos eſtis, & ceteri qui ſine cupiditate vixerunt QVIDQVAM *eſse*] aut honorem, aut poteſtatem vllam. QVI *rem iudicarent,*] Iudicarint temporis ratio poſtulat. AVCTORITATEM *huius ordinis confirmari:*] ordinis ſenatorij. confirmari autem ſocietate, & coniunctione equeſtris ordinis. IVDICIA] quae nunc per ſenatores & equites adminiſtrātur. EVELLERE *ſe aculeum ſeueritatis veſtrae poſſe confidunt.*] ſperant fieri poſſe, ne ſeuere iudicetis. Haec autem ad equites dicuntur qui lege non tenebantur. M. DRVSO *tribuno pl. reſtiterunt,*] M. Druſi, qui ſenatus cauſſam contra C. Gracchum defendit, filio. pro Rabirio Poſt. Potentiſſimo, & nobiliſſimo tribuno pl. M. Druſo, vnam in equeſtrem ordinem quaeſtionem ferenti, ſi quis ob rem iudicatam pecuniam cepiſſet, aperte equites Romani reſtiterunt C. MAECENAS] diphtongus in prima ſillaba ponitur, ex antiquis libris e Græca orthographia, ex vetere inſcriptione, q̄ Romæ legitur in ædibus Fuſconū his verbis: LIBERTORVM, ET LIBERTARVM, C. MAECENATIS. L. F. PONT. POSTERISQ. EORVM, ET. QVI. AD. ID. TVENDVM. CONTVLERVNT. CONTVLERINT. Videtur Cilniae gentis fuiſſe, quantum ex antiquis monumentis, aliqua licet ex parte deprauatis, coniicere non difficile eſt. nam Auguſtus in ep. apud Macrobium, eum appellauit Cilneorum ſmaragdum. Silius Italicus lib. VII. Cilnius Arreti Tirrhenis in oris Clarum nomen erat Ortum autem a Tirrhenis regibus docet Horatius Ode I Et, Arretinum fuiſſe, ex eadem Auguſti ep. cognoſcitur, in qua laſer Arretinus appellatur. RECVSANDO] ne lege alligarentur. CVM *haec recuſarent,*] maliam, Cum &. IVDICIO *populi Romani*] mandantis eos magiſtratus, quibus geſtis, aditus in curiam, vel ſine lectione cenſoris, patebat. i qui eſſent, locus his oſtendendi non eſt. LOCVS.] honeſtas, & dignitas ſenatoria, quam rem ſic attingit in ea pro Poſtumo: Delectat ampliſſimus ciuitatis gradus ſella curulis, faſces, imperia, prouinciae, ſacerdotia, triumphi, denique imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita: eſt ſimul etiam ſollicitudo aliqua, & legum, & iudiciorum maior quidam metus. TOGA *praetexta.*] magiſtratus, cuius erat inſigne toga praetexta. SELLA *curulis,*] curules magiſtratus, aedilitas praetura, conſulatus. INSIGNIA,] ſenatoria. nam toga praetexta, ſella curulis, faſces, magiſtratuum, non ſenatorum. inſignia ſunt inſignia vero ſenatorum omnium fuere, latus clauus, calcei lunati. SEMPRONIA,] C Gracchi CORNELIA:] L. Sullae. PER *paucos iudices aſtringatur.*] per vos: qui ſi hac lege Habitum teneri vultis, eandem vniuerſo populo Romano condicionem imponitis. ET. II, *qui magiſtratum habuerunt,*] licet ſenatores non ſint. ſenatores enim dicuntur, quos cenſor in ſenatum legit. multi autem, nondum in ſenatum lecti, magiſtratum gerunt. propterea eſt in lege: Qui tribunus mil. legionibus quattuor primis, qui ve quaeſtor, tribunus pl. qui ve in ſenatu ſententiam dixit dixerit. Et: Qui magiſtratum habuerit qui ve in ſenatu ſententiam dixerit. PER *eum*] vult enim defendi a me facto, non lege. IN *legem autem praeſidij nihil fuiſſe.*] ita videbuntur equites Romani hac lege omnes teneri, & ſi accuſati fuerint, defendi eos oportebit non lege, ſed facto. quod ego ſi permittam, non populo Romano praeſtem id, quod debeo.

ORATIO

HIc nunc eſt quiddam, quod ad me pertineat, de quo ante dixi, quod ego populo R. praeſtare debeam, quoniam is meae vitae ſtatus eſt, vt omnis mihi cura, atque opera poſita ſit, in omnium periculis defendendis. Video, quanta, & quam periculoſa, & quam infinita quaeſtio tentetur ab accuſatoribus, cum eam legem, quae in noſtrum ordinem ſcripta ſit, in populum R. transferre conentur. qua in lege eſt: qui coierit. Quod quam late pateat, videtis. conuenerit. Aeque infinitum, & incertum eſt. conſenſerit. Hoc vero cum incertum, & infinitum, tum obſcurum, & occultum eſt. falſum ne. teſtimonium. dixerit. Quis de plebe Romana teſtimonium dixit vmquam, cui non hoc periculum, T. Attio auctore, paratum eſſe videatis? nam dicturum quidem certe, ſi hoc iudicium plebi Romanae propoſitum ſit, neminem vmquam eſſe confirmo. ſed hoc polliceor omnibus, ſi cui forte hac lege negotium faceſſetur, qui lege non teneatur, ſi is vti me defenſore voluerit, me eius cauſſam legis praeſidio defenſurum, & vel his iudicibus,

tio, quem uidetis. Alterum venefìcii crimen, Oppianico huic adoleſcenti, cum eius in nuptiis more Larinatium multitudo hominum pranderet, uenenum Habiti conſilio paratum: id cum daretur in mulſo, Balbutium quendam, eius familiarem, intercepiſſe, bibiſſe, ſtatimq. eſſe mortuum. Haec ego ſi ſic agerem, tamquam mihi crimen eſſet diluendum; haec pluribus verbis dicerem, quae nunc paucis percurrit oratio mea. Quid vmquam Habitus in ſe admiſit, vt hoc tantum ab eo facinus non abhorrere videatur? Quid autem magnopere Oppianicum metuebat? cum ille verbum omnino in hac ipſa cauſſa nullum facere potuerit, huic autem accuſatores, matre viua, deeſſe non poſſent: quod iam intelligetis. an, vt de cauſſa eius periculi nihili decederet, ad cauſſam nouum crimen accederet? Quod autem tempus veneni dandi illo die? in illa frequentia? per quem porro datum? vnde ſumptum? quae deinde interceptio poculi? cur non de integro autem datum? multa ſunt, quae dici poſſunt: ſed non committam, vt videar non dicendo voluiſſe dicere: res enim iam ſe ipſa defendat. Nego illum adoleſcentem, quem ſtatim, epoto poculo, mortuum eſſe dixiſtis, omnino illo die eſſe mortuum. magnum, & impudens mendacium. perſpicite cetera. Dico illum, cum ad illud prandium crudior veniſſet, &, vt aetas illa fert, ſibi tum non pepercißet, aliquot dies aegrotaſſe, & ita eſſe mortuum. quis huic rei teſtis eſt? idem, qui ſui luctus, pater, pater, inquam, illius adoleſcentis: quem propter animi dolorem pertenuis ſuſpicio potuiſſet ex illo loco teſtem in A. Cluentium conſtituere, is hunc ſuo teſtimonio ſubleuat. quod recita. tu autem, niſi moleſtum eſt, paulliſper exſurge, & perfer hunc dolorem commemorationis neceſſariae: in qua ego diutius non morabor, quoniam, quod fuit viri optimi, feciſti, vt ne cui innocenti maeror tuus calamitatem, & falſum crimen afferret.

E X P L A N A T I O

INTELLIGETIS,] ex iis, quae ſequentur, intelligetis, me pluribus neceſſario verbis egiſſe, quae iam dixerim: agam enim ea breuiſſime, quae paucis demoſtrari poterunt. CALVMNIAM] calumniae accuſabantur qui, contra quem agere ius non erat, eum in iudicium vocabant. HOMINEM *multorum hoſpitum,*] facete dictum ambiguo ſenſu. nam hoſpitem multorum eſſe, laus eſt in nobilibus viris: in caupone, quaeſtus eſt, itaque laude caret. ANNOS *octo*] ab Oppianici iudicio ad hoc tempus, ideſt a L. Lucullo, M. Cotta, ad M. Lepidum, L. Tullum conſules. AD *huius voluntatem maxime,*] vt obiecta refellerem. id enim laborabat Cluentius, etiam ſi ad iudicium, quod erat de criminibus veneni, minime pertinerent. TAMQVAM *mihi crimen eſſet diluendum;*] quod dilui non oportet: quia nihil probat accuſator. QVID *magnopere Oppianicum metuebat?*] non enim metuebat, ne accuſaretur ab eo, cuius infantiam videtis, cum in hac ipſa cauſſa verbum nullum facere potuerit. Eundem, tamquam nulla praeditum dicendi facultate, ſupra carpit his verbis: Te appello, Oppianice, te, T. Atti: quorum alter eloquentia damnationem illam, alter tacita pietate deplorat. CRVDIOR] pridiana cena non concocta. SIBI *tum non pepercißet,*] plus comediſſet, quam debebat.

O R A T I O

TESTIMONIVM

VNum etiam mihi reliquum eiuſmodi crimen eſt, iudices, ex quo illud perſpicere poſſitis, quod a me initio orationis meae dictum eſt; quidquid mali per hos annos A. Cluentius viderit, quid quid hoc tempore habeat ſolicitudinis, ac negotij, id omne a matre eſſe conflatum. Oppianicum veneno necatum eſſe, quod ei datum ſit in pane per M. Aſellium quendam, familiarem illius idq. Habiti conſilio factum eſſe, dicitis. in quo primum illud quaero, quae cauſſa Habito fuerit, cur interficere Oppianicum vellet. inimicitias enim inter ipſos fuiſſe cõfiteor: ſed homines inimicos ſuos morte affici volunt, vel quod metuunt, vel quod oderunt. quo tandem igitur Habitus metu adductus tantum in ſe facinus ſuſcipere conatus eſt? quid erat, quod iam Oppianicum, poena affectũ pro maleficijs, eiectum e ciuitate, quiſquam timeret? quid metuebat? vt oppugnaretur a perdito? an ne accuſaretur a condemnato, an ne exſulis teſtimonio laederetur? ſin autem, quod oderat, Habitus inimico illum vita frui noluit: adeo ne erat ſtultus, vt illam, quam tum ille viuebat, vitam eſſe arbitraretur, damnati exſulis, deſerti ab omnibus, quem propter animi importunitatem nemo recipere tecto, nemo adire, nemo alloqui, nemo reſpicere vellet? huius igitur vitae Habitus inuidebat? hunc ſi acerbe, & penitus oderat, non eum quam diutiſſime viuere velle debebat? huic mortem maturabat inimicus, quod illi vnum in malis perfugium erat calamitatis? qui ſi quid animi ac virtutis habuiſſet, vt multi ſaepe fortes viri in eiuſmodi dolore, mortem ſibi ipſe conſciuiſſet. huic quamobrem id vellet inimicus offerre, quod ipſe ſibi optare deberet? nam nunc quidem quid tandem illi mali mors attulit? niſi forte ineptiis ac fabulis ducimur, vt exiſtimemus illum apud inferos impiorum ſupplicia perferre, ac plures illic offendiſſe inimicos, quam hic reliquiſſe; a ſocrus, ab vxorum, a fratris, a liberũm poenis actum eſſe praecipitem in ſceleratorum ſedem, atque regionem. quae ſi falſa ſunt, id quod omnes intelligunt: quid ei tandem aliud mors eripuit, praeter ſenſum doloris? Age vero, venenum per quem datum? per M. Aſellium. quid huic cum Habito? nihil; atque adeo, quod ille Oppianico familiariſſime eſt vſus, potius etiam contra ſimultas. ei ne igitur, quem ſibi offenſiorem, Oppianico familiariſſimum ſciebat eſſe, potiſſimum & ſuũ ſcelus, & illius periculum committebat? cur deinde tu, qui pietate ad accuſandum excitatus es, hunc Aſellium eſſe inultum tam diu ſinis? cur non Habiti exemplo vſus es, vt per illum, qui attuliſſet venenum, de hoc praeiudicaretur? Iam vero illud quam non probabile, quam inuſitatum, iudices, quam nouum? in pane datum venenum.

facilius

facilius ne potuit, quam in poculo? latentius potuit abditum aliqua in parte panis, quam ſi totum colliquefactum in potione eſſet? celerius potuit comeſum, quam epotum, in uenas, atque in omnes partes corporis permanare? facilius fallere in pane, ſi eßet animaduerſũ; quam in poculo, cum ita confuſum eſſet, ut ſecerni nullo modo poßet? At repentina morte perijt. quod ſi eſſet ita factum, tamen ea res, propter multorum eiuſmodi mortem, ſatis firmam ueneni ſuſpicionem non haberet: ſi eſſet ſuſpicioſum, tamen ad alios potius, quam ad Habitum, pertineret. uerum in eo ipſo homines impudentiſſime mentiuntur. id ut intelligatis, & mortem eius, & quemadmodum poſt mortem in Habitum ſit crimen a matre quaeſitum, cognoſcite. Cum uagus, & exſul erraret, atque undique excluſus Oppianicus in Falernum ſe ad C. Quinctilium contuliſſet, ibi primum in morbum incidit, ac ſatis uehementer, diuq. aegrotauit. cum eſſet una Saſſia; & Statio Albio, quodam colono, homine ualente, qui ſimul eſſe ſolebat, familiarius uteretur, quam uir diſſolutiſſimus incolumi fortuna pati poßet; & ius illud matrimonij, caſtum, atque legitimum, damnatione uiri ſublatum arbitraretur: Nicoſtratus quidam, fidelis Oppianici ſeruulus, percurioſus, & minime mendax, multa dicitur renunciare domino ſolitus eſſe. interea Oppianicus cũ iam conualeſceret, neque in Falerno improbitatem coloni diutius ferre poſset, & huc ad vrbem profectus eſset, (ſolebat enim extra portam aliquid habere conducti) cecidiſſe ex equo dicitur, & homo infirma ualetudine latus, offendiſſe vehementer, &, poſtea quam ad vrbem cũ febri venerit, paucis diebus eſſe mortuus. mortis ratio, iudices, eiuſmodi eſt, vt aut nihil habeat ſuſpicionis, aut, ſi quid habet, id intra parietes in domeſtico ſcelere verſetur. poſt mortem eius Saſſia ſtatim moliri nefaria mulier coepit inſidias filio: quaeſtionem habere de viri morte conſtituit: emit de A. Rupilio, quo erat vſus Oppianicus medico, Stratonem quendam, quaſi vt idẽ faceret, quod Habitus in emendo Diogene fecerat. de hoc Stratone, & de aſſecla quodam, ſeruo ſuo, quaeſituram eſſe dixit. praeterea ſeruum illum Nicoſtratum, quem nimium loquacem fuiße, ac nimium domino fidelem arbitrabatur, ab hoc adoleſcente Oppianico in quaeſtionem poſtulauit. hic cum eſſet illo tempore puer, & illa quaeſtio de patris ſui morte conſtitui diceretur; etſi illum ſeruum & ſibi beneuolum eſſe, & patri fuiſſe arbitrabatur, nihil tamen eſt auſus recuſare. aduocantur amici, & hoſpites Oppianici, et ipſius mulieris, multi homines honeſti, atq. omnibus rebus ornati: tormentis omnibus vehementiſſimis quaeritur. cũ eſſent animi ſeruorum & ſpe, & metu tentati, vt aliquid in quaeſtione dicerent, tamen, vt arbitror, auctoritate aduocatorum, & vi tormentorum adducti, in veritate manſerunt, neque ſe quidquam ſcire dixerunt. quaeſtio illo die de amicorum ſententia dimiſſa eſt. ſatis longo interuallo poſt iterum aduocantur. habetur de integro quaeſtio: nulla vis tormentorum acerrimorum praetermittitur: auerſari aduocati, & iam vix ferre poſſe: furere crudelis, atque importuna mulier, ſibi nequaquam, vt ſperaſſet, ea, quae cogitaſſet, procedere. cum iam tortor, atque eßent tormenta ipſa defeßa, neque tamen illa finem facere vellet: quidam ex aduocatis, homo & honoribus populi ornatus, & ſumma virtute praeditus, intelligere ſe dixit, non id agi, vt verum inueniretur, ſed vt aliquid falſi dicere cogerentur. hoc poſtquam ceteri comprobarant, ex omnium ſententia conſtitutum eſt, ſatis videri eſſe quaeſitum. redditur Oppianico Nicoſtratus: Larinum ipſa proficiſcitur cum ſuis, maerens, quod iam certe incolumem filium fore putabat, ad quem non modo verum crimen, ſed ne ficta quidem ſuſpicio perueniret, & cui non modo aperta inimicorum oppugnatio, ſed ne occultae quidẽ matris inſidiae nocere potuiſſent. Larinum poſtquam venit, quae, a Stratone illo venenum antea viro ſuo datum, ſibi perſuaſum eſſe ſimulaßet, inſtructam ei continuo, & ornatam Larini medicinae exercendae cauſſa tabernam dedit. vnum, alterum, tertium annum Saſſia quieſcebat, vt velle, atque optare aliquid calamitatis filio potius, quam id ſtruere, & moliri videretur. cum interim, Hortenſio, Metello cos. vt hunc Oppianicum, aliud agentem, ac nihil eiuſmodi cogitantem, ad hanc accuſationem detraheret, inuito deſpondit ei filiam ſuam illam, quam ex genero ſuſceperat; vt eum, nuptijs alligatum, ſimul & teſtamenti ſpe deuinctum, poſſet habere in poteſtate. hoc ipſo fere tẽpore Strato ille medicus domi furtum fecit, & caedem eiuſmodi. cum eßet in aedibus armarium, in quo ſciret eſſe nummorum aliquantum, & auri, noctu duos conſeruos dormientes occidit, in piſcinamq. deiecit; ipſe armarij fundum exſecuit, & H-S, & auri quinque pondo abſtulit, vno ex ſeruis, puero non grandi, conſcio. furto poſtridie cognito, omnis ſuſpicio in eos ſeruos, qui non comparebant, commouebatur. cum exſectio illa fundi in armario animaduerteretur, quaerebant homines, quonam modo fieri potuiſſet. quidam ex amicis Saſſiae recordatus eſt, ſe nuper in auctione quadam vidiße in rebus minutis aduncam ex omni parte dentium, & tortuoſam venire ſerrulã, qua illud potuiſſe ita circumſecari videretur. ne multa, perquiritur a coactoribus. inuenitur ea ſerrula ad Stratonem perueniſſe. hoc initio ſuſpicionis orto, & aperte inſimulato Stratone, puer ille conſcius pertimuit, rem omnem dominae indicauit: homines in piſcina inuenti ſunt; Strato in vincula coniectus eſt: atque etiam in taberna eius nummi, nequaquam omnes, reperiuntur. conſtituitur quaeſtio de furto. nam, quid quiſquam ſuſpicari aliud poteſt? an hoc dicitis? armario expilato, pecunia ablata, non omni recuperata, occiſis hominibus, inſtitutam eſſe quaeſtionem de morte Oppianici? cui probatis? quid eſt, quod minus veriſimile proferre potuiſtis? deinde, vt omittam cetera, triennio poſt mortem Oppianici de eius morte quaerebatur. atque etiam incenſa odio priſtino Nicoſtratum eundem illum tum ſine cauſſa in quaeſtionem poſtulauit. Oppianicus primo recuſauit: poſtea quam illa abducturam ſe filiam, mutaturam eſſe teſtamentum minaretur, mulieri crudeliſſimae ſeruum fideliſſimum non in quaeſtionem tulit, ſed plane ad ſupplicium dedit. poſt triennium igitur agitata denique quaeſtio de viri morte habebatur: & de quibus ſeruis habebatur? noua, credo, res obiecta, noui quidam homines in ſuſpicionẽ vocati ſunt: de Stratone, & de Nicoſtrato. quid? Romae quaeſitum de iſtis hominibus non erat? ita ne tandem? mulier, iam non morbo, ſed ſcelere furioſa, cum quaeſtionem habuiſſet Romae, cum de T. Annij, L. Rutilij, P. Saturij, & ceterorum, honeſtiſſimorum virorum, ſententia conſtitutum eſſet, ſatis quaeſitum videri; eadem de re, triennio poſt, iiſdem de hominibus, nullo adhibito, non dicam viro, ne colonum forte affuiſſe dicatis, ſed bono viro, in filij caput quaeſtionem habere conata eſt. an hoc dicitis,

(mihi

mihi enim venit in mentem, quid dici poſſit; tametſi adhuc non eſſet dictum) cum haberetur de furto quaeſtio, Stratonem aliquid de veneno eſſe confeſſum? hoc uno modo, iudices, ſaepe multorum improbitate depreſſa veritas emergit, & innocentiae defenſio interclusa reſpirat; quod aut ij, qui ad fraudem callidi ſunt, non tantum audent, quantum excogitant; aut illi, quorum eminet audacia, atque proiecta eſt, a conſilijs malitiae deſeruntur. quod ſi aut confidens aſtutia, aut callida eſſet audacia; vix vllo obſiſti modo poſſet. Vtrum, furtum factum non eſt? at nihil clarius Larini fuit. an ad Stratonem ſuſpicio non pertinuit? at is & ex ſerula inſimulatus, & a puero conſcio eſt indicatus. an id actum non eſt in quaerendo? quae fuit alia igitur cauſſa quaerendi? an id, quod dicendum vobis eſt, & quod tum Saſſia dictitabat; cum de furto quaereretur, tum Strato iiſdem in tormentis dixit de veneno? en hoc illud eſt, quod ante dixi: mulier abundat audacia, conſilio, & ratione deficitur: nam tabellae quaeſtionis plures proferuntur, quae recitatae, vobiſq. editae ſunt, illae ipſae, quas tum obſignatas eſſe dixi: in quibus tabellis de furto littera nulla inuenitur. non venit in mentem, primam orationem Stratonis conſcribere de furto, poſt aliquid adiungere dictum de veneno, quod non percunctatione quaeſitum, ſed dolore expreſſum videretur. Quaeſtio de furto eſt, veneni iam ſuſpicione ſuperiore quaeſtione ſublata: quod ipſum haec eadem mulier indicarat, quae vt Romae de amicorum ſententia ſtatuerat ſatis eſſe quaeſitum, poſtea per triennium maxime ex omnibus ſeruis Stratonem illum dilexerat, in honore habuerat, commodis omnibus affecerat. Cum igitur de furto quaereretur, & eo furto, quod ille ſine controuerſia fecerat: tum ille de eo, quod quaerebatur, verbum nullum fecit; de veneno ſtatim dixit: de furto, ſi non eo loco, quo debuit, ne in extrema quidem, aut media, aut in aliqua denique parte quaeſtionis verbum fecit vllum? Iam videtis illam nefariam mulierem, iudices, eadem manu, qua, ſi detur poteſtas, interficere filium cupiat, hanc fictam quaeſtionem conſcripſiſſe. Atque iſtam ipſam quaeſtionem, dicite, quis obſignauit? vnum aliquem nominate: Neminem reperietis, niſi forte eiuſmodi hominem, quem ego proferri malim, quam neminem nominari.

E X P L A N A T I O

AB *uxorum*.] quas occidit. Magiam, Dineae filiam, & Cluentiam, Habiti amitam, ſignificat Cvr *deinde tu*,] Oppianice adoleſcens. Habiti *exemplo*] qui Fabricios accuſauit, vt per eos de Oppianico praeiudicaretur. Statio *Albio*,] Oppianici liberto: cũ eius appelletur & praenomine & nomine Valente,] bonorum laterum: vt mulieri libidinoſiſſimae ſatisfacere poſſet. Incolvmi *fortuna*] ſi quis incolumi fortuna eſſet, quãuis ita diſſolutus, vt omnia negligeret, ferre tamẽ eã familiaritatem nõ poſſet. Oppianicus, & afflicta fortuna, & aeger, aliquãdiu ferre coactus eſt. Ad *vrbem*] extra portam. In *emendo Diogene*] ſuperiora iterare non eſt neceſſe. Spe,] libertatis. Metv] tormentorum. Vi *tormentorum*] quae veritatem exprimunt. Avri,] non pecuniae, ſed vaſorum, & ſimilium. H·S*] argenti non multum ſignificari oportet, cum dixerit, Nummorum aliquantum: numerũ autẽ ſeſtertijs addi neceſſe eſt: itaque x. millia, qui ſcutati trecẽti ſunt, legi fortaſſe poſſit: conſtat enim exemplis, ad paruum ſeſtertiorum, numerum ſententiae, ſi nihil addatur, repugnãtem, ſubaudiendum eſſe, millia. Qvinqve *pondo*] ſcutatos quingentos: ſi aurum illud, quod pecunia non erat, in pecuniam redigeretur. Acoactoribvs] ijs, qui cogunt & exigunt pecunias de bonis, quae in auctione venierunt. De *furto*] non de morte Oppianici, vt accuſator dicebat. Morbo,] animi, vt antea. Scelere] quo praeceps agebatur, filio perniciem ſtruens, quem ſuperiore quaeſtione innocentem eſſe cognouiſſet. Affvisse] ſi dicam, nullum adhibitum eſſe virum: vos contra, virum eius, quem illa ſecum habere libidinis cauſſa conſueſſet, affuiſſe dicetis. Iocus eſt ex amphibolia. Qvis *obſignauit?*] nullum enim cum de Stratone loqueretur, affuiſſe bonum virum, ſupra dixit. Qvem *ego proferri malim*,] vt, ei credendum non eſſe, multis argumentis oſtendam.

O R A T I O

QVid ais, T. Atti? tu periculum capitis, tu iudicium ſceleris, tu fortunas alterius, litteris conſcriptis, in iudicium afferas; neque earum auctorem litterarum, neque obſignatorem, neque teſtem vllum nominabis? & quam tu peſtem innocentiſſimo filio ex matris ſinu deprompſeris, hanc hi tales viri comprobabunt? Eſto: in tabellis nihil eſt auctoritatis: quid? ipſa quaeſtio iudicibus, quid? amicis hoſpitibuſq. Oppianici, quos adhibuerat antea, quid? huic tandem ipſi tempori cur non reſeruata eſt? quid iſtis hominibus factum eſt, Stratone, & Nicoſtrato? quaero abs te, Oppianice, ſeruo tuo Nicoſtrato quid factum eſſe dicas? quem tu, cum hunc breui tempore accuſaturus eſſes, Romam deducere, dare poteſtatem iudicandi, incolumem denique ſeruare quaeſtioni, ſeruare his iudicibus, ſeruare huic tempori debuiſti. nam Stratonem quidem, iudices, in crucem actum eſſe exacta ſcitote lingua: quod, nemo, eſt Larinatium, qui neſciat. Timuit mulier amens non ſuam conſcientiam, non odium municipum, non famam omnium, ſed, quaſi non omnes eius ſceleris teſtes eſſent futuri, ſic metuit, ne condemnaretur extrema ſerunli voce morientis: quod hoc portentum, dij immortales? quod tantum monſtrum in vllis locis? quod tam infeſtum ſcelus, & immane, aut vnde natum eſſe dicamus? iam enim videtis profecto, iudices, non ſine neceſſarijs meas maximis cauſſis prĩcipio orationis meae de matre dixiſſe: nihil eſt enim mali, nihil ſceleris, quod illa non ab initio filio voluerit, optauerit, cogitauerit, effecerit. Mitto illam primam libidinis iniuriam: mitto nefarias generi nuptias: mitto cupiditate matris expulſam ex matri-

monioſiliam: quae nondum ad huiuſce vitae periculum, ſed ad commune familiae dedecus pertinebant: nihil de alterius Oppianici nuptijs queror; quarum illa cum obſides filios ab eo mortuos accepiſſet, tum denique in familiae luctum, atque in priuignorum ſuuas nupſit: praetereo, quod Aurium Melinum, cuius illa quondam ſocrus, paullo ante vxor fuiſſet, cum Oppianici eſſe opera proſcriptum, occiſumq. cognoſceret, eam ſibi domum ſedemq. coniugij delegit, in qua quotidie ſuperioris viri mortis indicia, & ſpolia fortunarum videret. illud primum queror, de illo ſcelere, quod nunc denique patefactum eſt, Fabriciani veneni, quod iam tum recens ſuſpicioſum ceteris, huic incredibile, nunc vero apertum iam omnibus, ac manifeſtum videtur; non eſt profecto de illo veneno celata mater; nihil eſt ab Oppianico ſine conſilio mulieris cogitatum. quod niſi eſſet; certe poſtea, deprehenſa re, non illa vt ab improbo viro diſceſſiſſet, ſed vt a crudeliſſimo hoſte fugiſſet, domumq. illam in perpetuum, ſcelere omni affluentem, reliquiſſet. non modo id non fecit, ſed ab illo tempore nullum locum praetermiſit, in quo non inſtrueret inſidias aliquas, ac dies omnes, ac noctes tota mente mater de pernicie filij cogitaret. quae primum vt iſtum confirmaret Oppianicum accuſatorem filio ſuo, donis, muneribus, collocatione filiae, ſpe hereditatibus obſtrinxit. itaque apud ceteros, nouis inter propinquos ſuſceptis inimicitijs, ſaepe fieri diuortia, atque affinitatum diſſidia vidimus: haec mulier ſatis firmum accuſatorem filio ſuo fore neminem putauit, niſi qui in matrimonium ſororem eius ante duxiſſet. Ceteri, nouis affinitatibus adducti, veteres inimicitias ſaepe deponunt: illa ſibi ad confirmandas inimicitias, affinitatis coniunctionem pignori fore putauit. Neque in eo ſolum diligens fuit, vt accuſatorem filio ſuo compararet, ſed etiam cogitauit, quibus eum rebus armaret. Hinc enim illae ſolicitationes ſeruorum & minis, & promiſſis: hinc illae infinitae, crudeliſſimaeq. de morte Oppianici quaeſtiones. quibus finem aliquando non mulieris modus, ſed amicorum auctoritas fecit: ab eodem ſcelere illae triennio poſt habitae Larini quaeſtiones, eiuſdem amentiae falſae conſcriptiones quaeſtionum: ex eodem furore etiam illa conſcelerata exſectio linguae: totius denique huius ab illa eſt & inuenta, & adornata comparatio criminis. atque his rebus cum inſtructum accuſatorem filio ſuo Romam ipſa miſiſſet, paulliſper, conquirendorum, & conducendorum teſtium cauſſa, Larini eſt commorata: poſtea autem, cum appropinquare huius iudicium ei nunciatum eſt, confeſtim huc aduolauit; ne aut accuſatoribus diligentia, aut pecunia teſtibus deeſſet; aut ne forte mater hoc ſibi optatiſſimum ſpectaculum huius ſordium, atque luctus, & tanti ſqualoris amitteret. Iam vero, quod iter Romam eius mulieris fuiſſe exiſtimatis? quod ego, propter vicinitatem Aquinatium, & Venafranorum, ex multis audiui, & comperi: quos concurſus in ijs opidis? quantos & virorum, & mulierum gemitus eſſe factos? mulierem quandam Larino, atque illam vſque a mari ſupero, Romam proficiſci, cum magno comitatu, & pecunia, quo facilius circumuenire iudicio capitis, atque opprimere filium poſſet: nemo erat illorum, paene dicam, quin expiandum illum locum eſſe arbitraretur, quacumque illa iter feciſſet: nemo, quin terram ipſam violari, quae mater eſt omnium, veſtigijs conſceleratae matris putaret. Itaque nullo in opido cōſiſtendi poteſtas ei fuit. nemo ex tot hoſpitibus inuentus eſt, qui non contagionem aſpectus fugeret. Nocti ſe potius ac ſolitudini, quam vlli aut vrbi, aut hoſpiti, committebat. Nunc vero quid agat, quid moliatur, quid denique quotidie cogitet, quem ignorare noſtrum putat? quos appellarit, quibus pecuniam promiſerit, quorum fidem pretio labefactare conata ſit, tenemus. Quin etiam nocturna ſacrificia, quae putat occultiora eſſe, ſceleratasq. eius preces, & nefaria vota cognouimus, quibus illa etiam deos immortales de ſuo ſcelere teſtatur; neque intelligit, pietate, & religione, & iuſtis precibus deorum mentes, non contaminata ſuperſtitione, neque ad ſcelus perficiendum caeſis hoſtijs, poſſe placari: cuius ego furorem, atque crudelitatem deos immortales a ſuis aris, atque templis aſpernatos eſſe confido.

EXPLANATIO

INDICIVM *ſceleris.*] quod Cluentio commiſſum dicitis. Libri veteres, Iudicium: ſed, niſi fallor, ex Indicium, ſententia melior elicitur. nā illae tabellae quaeſtionis indicium ſceleris erant. IVDICIVM] cur non reſeruata eſt? AMICIS *hoſpitibuſq. Oppianici.*] Annio, Rutilio, Saturio, qui ſuperiore quaeſtione affuerant. FACTVM *eſt?*] accidit? ſupra: Nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus, funeſtis ominibus omniū. O mulieris ſcelus incredibile &, præter hāc vnā, in omni vita inauditum. QVOD *nunc denique patefactum eſt,*] quid patefactum? ſceleris eius conſciam fuiſſe matrem. quo modo nunc denique patefactū? quia, cū appropinquare filij iudiciū ei nunciatū eſt, Larino Romā cōfeſtim aduolauit: ne aut accuſatorib. diligētia, aut pecunia teſtibus deeſſet. HVIC] Habito. INCREDIBILE,] paratum enim ſibi eſſe venenum matre conſcia, credere non poterat. DONIS, *muneribus.*] oſtendi iam, quo differant a muneribus dona. EXSECTIO *linguae:*] Stratonis.

ORATIO

VOS, iudices, quos huic A. Cluentio quoſdam alios deos ad omne vitae tempus fortuna eſſe voluit, huius importunitatē matris a filij capite depellite. multi ſaepe in iudicando peccata liberum parentum miſericordiae conceſſerunt: vos ne huius honeſtiſſime actam vitam matris crudelitati cōdonetis, rogamus; praeſertim cum ex altera parte totum municipium videre poſſitis. omnes ſcitote, iudices, (incredibile dictu eſt; ſed a me veriſſime dicetur) omnes Larinates, qui valuerunt, veniſſe Romam, vt hunc ſtudio, frequentiaq. ſua, quantum poſſent, in tanto eius periculo ſubleuarent. pueris illud hoc tempore, & mulieribus opidum ſcitote eſſe

traditum

traditum, idq. in praeſentia in communi Italiae pace domeſticis copijs eſſe tutum. quos tamen ipſos aeque, & eos, quos praeſentes videtis, huius exſpectatio iudicij dies noctesq. ſolicitat. non illi vos de vnius municipis fortunis arbitrantur; ſed de totius municipij ſtatu, dignitate, commodisq. omnibus ſententias eſſe laturos. ſumma eſt enim, iudices, hominis in communem municipij rem diligentia, in ſingulos municipes benignitas, in omnes homines iuſtitia, & fides: praeterea nobilitatem illam inter ſuos, locumq. a maioribus traditum ſic tuetur, vt maiorum grauitatem, conſtantiam, gratiam, liberalitatem aſſequatur. itaque ij eum uerbis publice laudant, vt non ſolum teſtimonium ſuum, iudiciumq. ſignificent: verum etiam curam animi, ac dolorem quaedam laudatio teſtatur, vos, quaeſo, qui eam detuliſtis, aſſurgite. ex lacrumis horum, iudices, exiſtimare poteſtis omnes haec decuriones decreuiſſe lacrumantes.

LAVDATIO

Age uero, vicinorum quantum ſtudium, quam incredibilis beneuolentia, quanta cura eſt: non illi in libellis laudationum decreta miſerunt, ſed homines honeſtiſſimos, quos noſſemus omnes, huc frequentes adeſſe, & hunc praeſentes laudare voluerunt. adſunt Ferentani, homines nobiliſſimi; Marruciai item: pari dignitate Theano Apulo, atque Luceria equites Romanos, honeſtiſſimos homines, laudatores videtis: Bouiano, totoq. ex Samnio cum laudationes honeſtiſſimae miſſae ſunt, tum homines ampliſſimi nobiliſſimiq. venerunt. iam, qui in agro Larinati praedia, qui negotia, qui res pecuniarias habent, honeſti homines, & ſummo ſplendore praediti, difficile dictu eſt, quam ſint ſoliciti, quam laborent. non multi mihi ab vno ſic diligi videntur, vt hic ab his vniuerſis. Quā; non abeſſe ab huius iudicio L. Voluſienum, ſummo ſplendore hominem, ac virtute praeditum, vellem. praeſentem poſſem P. Heluidium Rufum, equitem R. omnium ornatiſſimum, nominare: qui cum huius cauſſa dies noctesq. vigilaret, & cum me hanc cauſſam doceret, in morbum grauem periculoſumq. incidit: in quo tamen non minus de capite huius, quam de ſua vita, laborat. Cn. Tudici ſenatoris, viri optimi & honeſtiſſimi, par ſtudium & teſtimonio, & laudatione cognoſcetis. eadem ſpe, ſed maiore verecundia, de te, P. Volumni, quoniam iudex es in A. Cluentium, dicimus. &, ne longum ſit, omnium vicinorum ſummam eſſe in hunc beneuolentiom confirmamus. horum omnium ſtudium, curam, diligentiam, meumq. vna laborem, qui totam hanc cauſſam vetere inſtituto ſolus perorauı, veſtramq. ſimul, iudices, aequitatem, & manſuetudinem vna mater oppugnat. at quae mater? quam caecam crudelitate, & ſcelere ferri videtis: cuius cupiditatem nulla vmquam turpitudo retardauit: quae vitijs animi in deterrimas partes iura hominum conuertit omnia: cuius ea ſtultitia eſt, vt eam nemo hominem; ea vis, vt nemo feminam; ea crudelitas, vt nemo matrē appellare poſſet. atque etiam nomina neceſſitudinum, non ſolum naturae nomen, & iura mutauit, vxor generi, nouerca filij, filiae pellex: eo iam denique adducta eſt, vt ſibi, praeter formam, nihil ad ſimilitudinem hominis reſeruarit. Quare, iudices, ſi ſcelus odiſtis, probibete aditum matris a filij ſanguine: date parenti hunc incredibilem dolorem ex ſalute, ex victoria liberum: patiamini matrem, ne orbata filio laetetur, victam potius veſtra aequitate diſcedere. ſin autem, id quod veſtra natura poſtulat, pudorem, bonitatem, virtutemq. diligitis: leuate hunc aliquando ſupplicem veſtrum, iudices, tot annos in falſa inuidia, periculisq. verſatum: qui nunc primum poſt illam flammam, aliorum facto, & cupiditate excitatam, ſpe veſtrae aequitatis erigere animum, & paullum reſpirare a metu coepit: cui poſita ſunt in vobis omnia: quem ſeruatum eſſe plurimi cupiunt, ſeruare ſoli vos poteſtis. orat vos Habitus, iudices, & flens obſecrat, ne ſe inuidiae, quae in iudiciis valere non debet; ne matri, cuius vota, & preces a veſtris mentibus repudiare debetis; ne Oppianico, homini nefario, condemnato iam, & mortuo, condonetis quod ſi qua calamitas hunc in hoc iudicio affixerit innocentem: ne iſte miſer, iudices, ſi, id quod difficile factu eſt, in vita remanebit, ſaepe, & multum quaeretur, deprehēſum eſſe illud quondam Fabricianum venenum: quod ſi tum indicatum non eſſet, non huic aerumnoſiſſimo venenum illud fuiſſet, ſed multorum medicamentum laborum: poſtremo etiam fortaſſis mater exſequias illius funeris proſecuta, mortem ſe filii lugere ſimulaſſet: nunc vero quid erit profectum, niſi vt huius ex mediis mortis inſidiis vita ad luctum reſeruata, mors ſepulcro patris priuata eſſe videatur? ſatis diu fuit in miſeriis, iudices: ſatis multos annos ex inuidia laborauit. nemo huic tam iniquus, praeter parentem, fuit, cuius animum non iam expletum eſſe putemus. vos, qui aequi eſtis omnibus, qui, vt quiſque crudeliſſime oppugnatur, eum leniſſime ſubleuatis; conſeruate A. Cluentium; reſtituite incolumem municipio, amicis, vicinis, hoſpitibus, quorum ſtudia videtis, reddite; vobis in perpetuum liberisq. ueſtris obſtringite. veſtrum eſt hoc, iudices veſtrae dignitatis, veſtrae clementiae: recte hoc repetitur a vobis, vt virum optimum, atque innocentiſſimum, plurimisq. mortalibus carum, atque iucundiſſimum, his aliquando calamitatibus liberetis; vt omnes intelligant, in concionibus eſſe inuidiae locum, in iudiciis veritati.

EXPLANATIO

QVOSDAM *alios deos*] qui eum in capitis periculo, tamquam dij, ſeruare poſſitis Quoſdam alios, praeter caeleſtes, a quibus homines in periculo conſtituti, ſalutem petunt. THEANO *Apulo*,] eſt enim alterum Theanum, Sidicinum dictum, in agro Campano. RES *pecuniarias*] malim, Res pecuarias. L. VOLVSIENVM,] lego, Voluſenum, ex antiquo libro, ex lapide, ex Caeſare lib. III. IV. de bel. Gall. lib. III. de bel. ciu. & Hirtij lib. IIX. Sic Vibulenus Caeſidenus, Poſtumulenus, quae deduci videntur a cognominibus nā, quae deducūtur a nominibus, nō in enus, ſed aſſumpta i, in ius deſinunt: vt a Vibius, Vibienus; a Matio, Matienus. Voluſenus autē nō a nomine Voluſius, ſed a Valeriae gentis cognomine, Voluſus, deriuatur. P. VOLVMNI,] ſenatores, & equites iudicabant. hic ſenator, eques ve ſit, incertū. nā duo P. Volumnij fuere, vnus ſenator, alter eques Romanus: vt in ep. VICINORVM] ex vicinis municipijs. VETERE *inſtituto*] hoc dicit, quia perorandi locus ei da

ri ſoleret in cauſſis quod ipſe ſcripſit in Bruto. IVRA *hominum conuertit omnia:*]vxor generi, nouerca filij, filiae pellex. NON *ſolum naturae nomen,*] naturae nomen eſt mater;at ea nomen hoc propter crudelitatem amiſit. VXOR *generi, nouerca filiae, filiae pellex.*] magna vis eloquentiae: cuius ipſe teſtimonium extare voluit in eo libro, quem, Orator, inſcripſit. Ab hac, inquit indole iam illa matura, Vxor generi, nouerca filij, filiae pellex. EX *victoria liberum:*] vt iniuſte oppugnati vincant, non vt opprimantur, ORBATA *filio*] verbo vſus eſt, quod in alijs matribus dolorem oſtendit: at haec, inquit, orbata filio laetabitur, TOT *annos*] octo. ILLAM *flammam,*] inuidiae, in quam, concionibus L. Quinctij excitatam, coniectus eſt C. Iunius, iudex quaeſtionis, ALIORVM *facto, & cupiditate*] Staleni maxime culpa, & cupiditate. inde enim orta eſt illa flamma. IN *iudiciis valere non debet,*]in prooemio; Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs, SI. QVA *calamitas*] dubitanter loquitur, ne quid a iudicibus contra leges timere videatur, SEPVLCRO *patris*] ibit enim in exſulium, & ſepulcro patris, quod miſerrimum eſt, carere cogetur. IN *miſeriis,*] maerore confectus ex falſa inuidia. VESTRAE *dignitatis,*] iuſtitiae patrocinium, & innocentiae, veſtra a vobis dignitas poſtulat. REPETITVR] vt debitum. VIRVM *optimum. atque innocentiſſimum,*] optimum, in omni vita: innocentiſſimum, in eo, cuius accuſatur, crimine. PLVRIMISQ. *mortalibus*] a quibus. Cluentio abſoluto, gratiam inibitis. ALIQVANDO] refer ad illud, ſatis diu fuit in miſerijs. IN *concionibus eſſe inuidiae locum,*] timet inuidiam; quanquam multa iam contra diſputauerit; in concionibus a Quinctio tribuno pl. aduerſus Cluentium excitatam.

IN · TRES · CIC · ORATIONES
DE . LEGE . AGRARIA
CONTRA . P . SERVILIVM . RVLLVM
TRIBVNVM . PL.

PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM . TRIVM . ORATIONVM
DE . LEGE . AGRARIA

P. SERVILIVS *Rullus tribunus pl. vel ſuo, vel eorum conſilio qui ſibi plus potentiae, quam libera ciuitas ferret, quaerentes, exitioſa nouarum legum liberalitate populi gratiam aucupabantur, legem agrariam ante Kal. Ian. promulgauit. nam tribuni pl. nõ, vt reliqui magiſtratus, Kal. Ian. ſed* IV. *id. Dec. magiſtratum inibant. eius legis hac ſententia fuit, vt decemviri, a* XVII. *tribubus creati, agros omnes, quicumque extra Italiam L. Sulla, Q. Pompeio cos. aut poſtea, publici facti eſſent, venderẽt, in Africa tamen, exceptis ijs, de quibus foedere cautum eſſet, quos Hiempſal Mauritaniae rex, a Cn. Põpeio traditos, poſsidebat: in Italia vero, & ſiluas, & poſſeſsiones omnes publicas, exceptis agro Campano, & Stellate, quos non vendi, ſed diuidi quinque millibus colonorum lex iubebat: & vt ijdẽ omnibus agris publicis vectigal imponerent, excepto* Recẽtorico *Sicilienſi: & vt, qui agri priuati eſſent, eos publicare, qui publici, liberare poßẽt: quodq. ad quemque eorum, qui exercitum habuiſſent, & bella geßiſſent, ex praeda, manubijs, auro coronario perueniſſet, peruenturumue eſſet, quod neque conſumptum in monumento, neque in aerarium relatũ eſſet, id omnes, vno excepto Cn. Pompeio, ad decemuiros referrent: quaeq. ex ijs omnibus rebus exacta pecunia eſſet, ea decẽuiri emerent agros in Italia, qui plebi* Ro*manae diuiderentur. Eã legem conſul Cicero primo magiſtratus die, ideſt Kal. Ian. in ſenatu, ipſo praeſente* Rullo, *alijsq. tribunis pl. diſſuaſit, ac reprehendit. quod ipſe gloriatur his verbis in oratione in Piſonem: Ego Kalen. Ian. ſenatum, & bonos omnes legis agrariae, maximarumq. largitio-*

num

num metu liberam. Significat eam, quae exſtat, orationem, cuius primae partes deſiderantur: reliquae duæ ad Quirites integrae leguntur. cum .n. Rullus, quãquam perſpectâ ſenatus voluntate, conſiliũ tamen ferendæ legis nõ abieciſſet: profectus ad populum Cicero ſequente ſenatu, ea, quæ exſtat, concione ita contra legem diſputauit, vt eã non eſſe e rep. quae largitionem verbis oſtẽtaret, reuera aerarium exhauriret, populo perſuaſerit, tribunũmq. pl. L. Caecilium, quod in oratione pro Sulla legitur, eã in mentem adduxerit, vt agrariae legi, ſi Rullus eã ferre conaretur, interceſſorẽ ſe fore profiteretur. in quo Ciceronis eloquẽtiam Plutarchus effert laudibus. Plinius autem lib. vII. c. 30. Quo te, inquit, M. Tulli, piaculo taceam? quoue maximè excellẽtem inſigni praedicem? quo potius, quã vniuerſi populi, illius gentis ampliſsimi, teſtimonio, & tota vita tua cõſulatus tãtum operibus electis? Te dicente, legem agrariam, hoc eſt alimenta ſua, abdicauerunt tribus. Simile quiddam Plutarchus de Solone narrat; diſſenſione Athenis orta, & plebe diſsidente, eloquẽtia perſuaſiſſe, vt illi ipſi, quorum operà commota ſeditio erat, iudicio committi non recuſarent, ſuaeq. necis & vitae poteſtatem optimatibus iudicibus traderent. quo facto, dãnati in exſiliũ abierunt. Rulli lex nec antiquata ſuffragijs eſt, nec interceſsione tribuni pl. impedita; cum dicat Cicero de L. Cæcilio, non, Agrariæ legi interceſsit, ſed, Interceſſorem ſe fore profeſſus eſt: verum eã Rullus, cognita non tam ſenatus, quã populi voluntate ſua ſpe deiectus, ferre non eſt auſus. Quod ideo dicendum putaui, ne quis illud Plinij, Abdicauerũt tribus, ad ſuffragia referret: cum referri potius ad ſignificationem volũtatis, in cõcione factam, oporteat. Et quoniam agraria lex, aut quod iniqua ſit, aut quod inutilis, quæ duo vim habent in diſsuadẽdo maximam, a Cicerone reprehenditur: operaepretiũ eſſe arbitror, eius legis capita ſingula quæ fuerint, oſtendere. ſic enim fiet, vt, quæ contra diſputantur, minore negotio lector, cum in eas diſputationes inciderit, aſſequatur. Capita colliguntur omnia, ideſt octo, ex oratione ſecunda, ad Quirites. nã primae, quae in ſenatu habita eſt, nõ exiguã partem vel hominum incuria perdidit, vel ipſa rerum edax vetuſtas abſumpſit. In tertia vero, ipſa quoq. ad Quirites habita, non diſputat cõtra legem, ſed tribunis pl. qui eum, tamquam Sullanarum aſsignationum defenſorem, in cõcione abſentem accuſauerant, ita reſpondet, non modo, vt ſe purget, verum etiã in ipſos, & in principem legis Rullum culpã transferat: cum dicat, ea lege Sullanos agros confirmari, atque ſanciri: idq. fieri eo cõſilio, vt Rulli ſocer Valgius aut retineat quos agros habet, nullo inuidiae metu, aut decemuiris, quanti ipſe voluerit, vendat: vtrumque lege permittente, quae tangi quidquam ab inuito vetat. Sed vt ipſa legis capita demonſtrem, Primum eſt, ut tribunus pl. qui eam legem tulerit, per xvII. tribus decemuiros creet: vt, quẽ nouem trib. fecerint,

rint,

int, is decemuir ſit. Alterum, ut item, eodemq. modo creentur, ut comitijs pontificis max. Tertium, ut lege curiata decemuiri ornentur: eam legem prator ferat, qui primus factus ſit; ſin is ferre non poßit, qui poſtremus ſit: quod ſi legē neque prator primus, neque poſtremus ferat, exempli cauſſa, aliquo tribuno pl. intercedente, alioue magiſtratu auſpicijs comitia impediente; decemuiri tamen eodem iure ſint, quo qui optima lege. Quartum, ut auſpicij coloniarum deducendarū cauſſa pullarios habeant, eodem iure, quo habuerunt tresuiri lege Sempronia. Quinctum, ut liceat eis uendere omnia, de quibus uendendis S.C. facta ſunt M. Tullio, Cn. Cornelio cos. quiq. agri, qua loca, qua aedificia, aliudue quid, extra Italiam, quod publicum populi Romani factū ſit L. Sulla, Q. Pompeio cos. aut poſtea. Sextum, ut liceat eis uectigalia, in lege nominata, omnesq. agros publicos extra Italiā, uendere, aut ijs pergrande uectigal imponere, cum eo tamen, ne uectigal imponatur agro Recentorico Sicilienſi, neue ij agri uendātur, de quibus foedere cautum ſit: & ut cognitio decemuirum ſit, qui publici agri; qui priuati. Septimum, ut, quod ad quemque peruenit; peruenerit ex prada, ex manubijs, ex aureo coronario, quod neque conſumptum in monumento, neque in ararium relatum ſit, id, quicumque ex prouincia deceſſerit, vno excepto Cn. Pompeio, apud decemuiros profiteatur. Octauum, vt, quam pecuniam decemuiri coegerint, ea pecunia agros, quo plebs deducatur, ab ijs, qui vendere voluerint, emant, ab inuitis nihil tangant: eos autem agros in Italia emant, qui arari, & coli poſsint: & vt, quae in municipia, quasq. in colonias velint, colonos, quos velint, deducant; ijsq. agros aſsignent, quibus in locis velint: & ut Capuam in coloniam deducant quinque colonorum millia, ijsq. & agrum campanum, & Stellatem agrum diuidant.

M · TVLLII · CICERONIS

CONTRA . P. SERVILIVM . RVLLVM

TRIB. PL. IN. SENATV

ORATIO · XV

Deſunt multa.

quae res aperte petebatur, ea nunc occulte cuniculis oppugnatur. dicent enim decemuiri id, quod & dicitur a multis, & ſaepe dictum eſt; poſt eoſdem conſules, regis Alexandri teſtamento regnum illud populi Ro. eſſe factum. Dabitis igitur Alexandriam clam petentibus iis, quibus apertiſſime pugnantibus reſtitiſtis? haec, per deos immortales, vtrum eſſe vobis conſilia ſiccorum, an vinolentorum ſomnia; & vtrum cogitata ſapientum, an optata furioſorum videntur?

EXPLANATIO

QVAE *res aperte petebatur,*] quae deſiderantur in hac oratione, cognoſcuntur in ea, quae ſequitur, ad Quirites. ibi enim exponũtur omnia legis a Rullo promulgatae capita. Quam autẽ rem aperte antea petitam eſſe, nunc occulte cuniculis oppugnari dicit, ea eſt Alexãdrini regni, pulſo a ciuibus rege, adminiſtratio. A quibus autem petebatur? a C. Caeſare, &, opinor, a M. Craſſo. quod ne temere ſentire videar, quid Suetonius de Caeſare ſcripſerit, audiamus. Conciliato, inquit, populi fauore, tentauit per partem tribunorum, vt ſibi Aegyptus prouincia plebiſcito daretur, nactus extraordinarij imperij occaſionem; quod Alexandrini regem ſuum, ſociũ atque amicũ a ſenatu appellatũ, expulerant. resq. vulgo improbabatur: nec obtinuit, aduerſante optimatũ factione. Ipſe Cicero cũ ait or. 2. Committite vos nũc, Quirites, his hominibus haec omnia, quos odorari hunc decemuiratũ ſuſpicamini: reperietis partem eſſe eorũ, quibus ad habendũ, partem, quibus ad conſumendũ nihil ſatis eſſe videatur: haec, inquam, cũ dicit; nonne Craſſi primum auaritiã, deinde Caeſaris profuſos indicare ſumptus videtur? ſed quod ad Caeſarẽ attinet, Suetonij teſtimonio iã recitato, nihil apertius. Craſſum autẽ cenſorẽ cũ Q. Catulo collega cõtendiſſe Plutarchus ait, vt Aegyptus Romanis tributaria fieret. id autẽ factũ eſt Cotta & Torquato coſs. quo anno aedilis Caeſar tẽtauit id, quod è Suetonio retulimus. Nã de Alexandrino rege quis dubitet, quin eodẽ anno ſit eiectus? cupidus enim Caeſar extraordinarij imperij, ſtatim occaſionẽ illã, populi erga ſe ſtudio fretus, arripuit. Quis autẽ fuerit ille rex, Cotta & Torquato coſs. a ciuibus expulſus, ex hiſtoria non conſtat. nam Ptolemaeũ Auletẽ, Cleopatrae patrẽ, non Cotta & Torquato, ſed multis poſt annis Lentulo & Metello coſs. eiectũ, perſpicue Dio, & Cicero in epiſtolis demonſtrat. aut igitur alius eſt; aut bis eiectũ, biſq. reſtitutũ Auletẽ credamus. quod ſi alius eſt: poteſt Alexãder ille eſſe, cuius teſtamẽto Aegypti regnũ populi Romani eſſe factũ, & in hac oratione prima, & in ſecũda Cicero narrat cui ſucceſſiſſe Auletẽ, ſignificare videtur in ijs verbis or. 2 Eũ, qui regnũ illud teneat hoc tẽpore, neque genere, neque animo regio eſſe, inter omnes fere video cõuenire. Regio negat eſſe animo, quia tibijs humili arte, & rege prorſus indigna, delectaretur: vnde Auleti cognomẽ. Accedit illud aliquãto certius argumentũ, quod Pompeio, Mithridaticũ bellũ gerenti, Ptolemaeũ Auletem opem tuliſſe, auctor eſt Plinius. bellũ autẽ Mithridaticũ & ante Ciceronẽ conſulẽ, & ipſo conſule geſtum eſſe, cũ haec de Alexandrino rege diceret geſtum eſſe, peritus hiſtoriae nemo neſcit. CVNICVLIS] occulta Rulli legis fraude. or. 2. DICTVM *eſt;*] a L. Philippo in ſenatu or. 2. POST *eoſdem conſules*] ſupra nominatos, in ea orationis parte, quã nobis ademit iniuria temporis ij ſunt L. Sulla, Q. Pompeius: quibus cõſulibus, aut poſtea, quod publicũ populi Romani factũ eſſet, id decemuiros vendere Rulli lex iubebat. ſupra vero nominatos eſſe, oſtenditur infra his verbis: Quod ſuperiore parte legis praefinitũ fuit Sulla & Pompeio coſs. id rurſus liberũ, infinitumq. fecerunt. Et or. 2. Quidquid ſit extra Italiã, quod publicũ populi Romani factũ ſit L. Sulla Q. Pompeio coſs. aut poſtea, id decemuiros iubet vẽdere. REGIS *Alexandri*] de quo or. 2. Quis veſtrũ hoc ignorat, dici, illud regnũ teſtamẽto regis Alexãdri populi Romani eſſe factũ? Et ibidẽ paullo poſt: Auctoritatẽ ſenatus exſtare hereditatis aditae ſentio, tum, quando, Alexandro mortuo, legatos Tyrũ miſimus, qui ab illo pecuniã depoſitã noſtris recuperarẽt. Hic igitur Alexander filius eius videtur fuiſſe, quia Sulla, vt ſcribit Appianus, regnare iuſſus, paucis diebus, quod Sullae nutu & arbitrio cũcta gereret, ab iratis Alexãdrinis occiſus eſt. ille enim prior Alexãder viuo Sulla, hic poſterior, eo mortuo, deceſſit: quod ſignificare videntur illa proxime recitata verba or. 2. Auctoritatẽ ſenatus exſtare hereditatis aditae ſentio, tũ, quãdo, Alexãdro mortuo, legatos Tyrũ miſimus. Sic enim ſenatus auctoritas nominatur, quaſi iã Sullae dominatio praeterijſſet. Senſus igitur hic eſt: cũ Alexãder, Aegypti rex, poſt Sullã & Pompeiũ cõſules perierit, iſq. populũ Romanũ teſtamẽto heredẽ reliquerit; decemuiri regnũ illud tamquã publicũ, ex ea, quae lege Rulli datur, poteſtate vẽdent. RESTITISTIS] propterea dixit S[illegible] Caeſare Alexandriã petente: Nec obtinuit.

nuit, Aduerſante optimatum factione. SICCORVM,] qui nihil biberint: qui ſapiẽtius cogitare ſolent, quam vinolenti: ideo ſubiungit; Vtrum cogitata ſapientum, an optata furioſorum videntur? opponens primum ſiccis vinolentos, ſapientib. furioſos, deinde conſilijs ſomnia, cogitatis optata. nã qui cogitat, ratione agit: qui optat, ſæpe temere mouetur. Horatius Carm. lib. 1. ode 18. Siccis omnia nã dura deus propoſuit. Lib. IV. ode 5 Dicimus integro, Sicci mane die. Ep. 3. lib. 1. forum, putealq. Libonis. Mandabo ſiccis. Plautus in Perſa. Iam diu factum eſt, cum bibimus: nimis ſicci ſumus.

ORATIO.

VIDETE nunc, proximo capite, vt impurus helluo turbet rempub. vt a maioribus noſtris poſſeſſiones relictas diſperdat, & diſſipet: vt ſit non minus in populi R. patrimonio nepos, quam in ſuo. proſcribit in ſua lege vectigalia, quae decem viri vendant; hoc eſt, proſcribit auctionem publicorum bonorum. agros emi vult, qui diuidantur: quaerit pecuniam. videlicet excogitabit aliquid, atque afferet. nam ſuperioribus capitibus dignitas populi R. violabatur, nomen imperij in commune odium orbis terrae vocabatur; vrbes pacatae, agri ſociorum, regum ſtatus decemuiris donabantur: nunc praeſens certa pecunia numerata quaeritur exſpecto, quid tribunus pleb. vigilans, & acutus, excogitet. Veneat, inquit, ſilua Scantia. vtrum tandem, hanc ſiluam in relictis poſſeſſionibus, an in cenſorum paſcuis inueniſti? ſi quid eſt, quod indagaris, inueneris, ex tenebris erueris; quamquam iniquum eſt, tamen conſume ſane, quoniam commodum eſt, quoniam quidem tu attuliſti. ſiluam vero tu Scantiam vendas, nobis conſulibus, atque hoc ſenatu? tu vllum vectigal attingas? tu populo Rom. ſubſidia belli, tu ornamenta pacis eripias? tum vero hoc me inertiorem conſulem iudicabo, quam illos fortiſſimos viros, qui apud maiores noſtros fuerunt; quod, quae vectigalia illis conſulibus populo Rom. parta ſunt, ea me conſule ne retineri quidem potuiſſe indicabuntur. Vendit Italiae poſſeſſiones ex ordine omnes. ſane eſt in eo diligens: nullam enim praetermittit, perſequitur in tabulis cenſorijs totam Siciliam: nullum aedificium, nullos agros relinquit. audiſtis auctionem populi Rom. proſcriptam a tribuno pleb. conſtitutam in menſem Ianuarium. &, credo, non dubitatis, quin idcirco haec, aerarij cauſſa, non vendiderint ij, qui armis, & virtute pepererunt, vt eſſet, quod nos, largitionis cauſſa, venderemus.

EXPLANATIO

IMPVRVS *heluo*] heluo Rullus, qui bona populi Romani ſua lege diſperdat, ac diſſipet. Ad Tironem: Heluo nequiſſimus H-S- CIↃ dabat, nullo emiſſario, nulla maceria, nulla caſa. REMP. *turbet*,] proſcriptis vectigalibus. IN *populi Romani patrimonio*] in vectigalibus publicis. QVAM *in ſuo.*] ot. 2. Vt in ſuis rebus, ita in rep. luxurioſus nepos. HOC, EST,] interpretatio, populi odium contra Rullum commouens. DIVIDANTVR.] tribubus. EXCOGITABIT] quod ſi faceret, excuſandus eſſet. verum nihil excogitat: Veneat, inquit, ſilua Scantia. VIOLABANTVR:] cum decemuiros creari vellet non populi comitijs, ideſt a XXXV tribubus, ſed à XVII. tantum. IN *commune odium orbis terrae*] miſſis per orbem terrarum ſummo cum imperio decemuiris, qui proſcribant, quae velint; priuata publicent, publica liberent: cum eorum, qui priuati negotij cauſſa, nullo cum imperio, liberas legationes obeunt, moleſtus & grauis aduentus ſocijs noſtris eſſe ſoleat. VRBES *pacatae*,] nullam a nobis iniuriam exſpectantes. SOCIORVM] quibus eripienda rerum ſuarum poſſeſſio non eſt. REGVM] vt Ptolomaei regis Alexandrini. DONABANTVR:] odioſum verbum. poteſtas enim illa ſignificatur, quam Rullus vendendi, quæ vellent, decem viris dabat. SILVA *Scantia*.] quam cenſores in Italia locabant. ot. 3. Siluam Scantiam vendis: reſp. poſſidet: defendo. In Bruto: Cum in Silua Scantia facta caedes eſſet. IN *relictis poſſeſſionibus*,] quae a cenſoribus locari non ſoleant. IN *cenſorum paſcuis*] in ijs, quae cenſores locant. paſcua enim in cenſorum tabulis omnia dicebantur, ex quibus vectigal caperetur: quia diu vectigal hoc ſolum fuiſſet. Plinius lib. XVIII cap. 3. INVENISTI?] non tu hoc excogitaſti ſed inuentum in tabulis cenſorijs in tuam legem retuliſti. ITALIAE *poſſeſſiones*] locari ſolitas a cenſoribus. AVDISTIS] praecone recitante. A. TRIBVNO P.] qui proſcribentibus aduerſari deberet. IN *menſem ianuarium*.] Decembri menſe promulgatam legem, Ianuario ferre cogitabat. non enim, niſi lata lege, auctio illa bonorum publicorum fieri poterat. ET *credo non dubitatis*,] ironia. Scilicet, credere vos arbitror, haec ab ijs, qui armis & virtute pepererunt, aerarij cauſſa ideo non eſſe vendita, vt ea nos largitionis cauſſa venderemus. minime vero id credere vos arbitror. AERRAII *cauſſa*] aerario conſulentes ea non vendiderunt. ex vectigalibus enim collectae pecuniae in aerarium conferebantur. QVOD *nos*] qui armis ea non peperimus. Decemviros in perſona ſua deſignat. LARGITIONIS *cauſſa*] vt largiri arbitratu noſtro poſſemus.

ORATIO

VIDETE nunc, quo affectarint iter apertius, quam antea. nam, ſuperiore parte legis quemadmodum Pompeium oppugnarent, a me indicati ſunt: nunc iam ſe ipſi indicabunt. Iubet venire agros Attalenſium,

lenſium, atque Olympenorum: hos populo R. P. Seruilij, fortiſſimi viri, victoria adiunxit: deinde agros in Macedonia regios, qui partim T. Flaminini, partim L. Paulli, qui Perſen vicit, virtute parti ſunt: deinde agrum optimum, & fructuoſiſſimum Corinthium, qui L. Mummij imperio, ac felicitate ad vectigalia populi R. adiunctus eſt: poſt autem agros in Hiſpania apud Carthaginem nouam, duorum Scipionum eximia virtute poſſeſſos: tum ipſam veterem Carthaginem vendunt, quam P. Africanus, nudatam tectis, ac moenibus, ſiue ad notandam Carthaginenſium calamitatem ſiue ad teſtificādam noſtram victoriam, ſiue ad oblatam aliquam religionem, ad aeternam hominum memoriam conſecrauit. his inſignibus, atque inſulis imperij venditis, quibus ornatam vobis maiores veſtri remp. tradiderunt, iubent eos agros venire, quos rex Mithridates in Paphlagonia, Ponto, Cappadociaq. poſſederit. num obſcure videntur prope haſta praeconis inſectari Cn. Pompeij exercitum, qui venire iubeant eos ipſos agros, in quibus ille etiam nunc bellum gerat, atque verſetur? Hoc vero cuiuſmodi eſt, quod eius auctionis, quam cōſtituunt, locum ſibi nullum definiunt? nam decemuiris, quibus in locis ipſis videatur, vendendi poteſtas lege permittitur. cenſoribus vectigalia locare, niſi in conſpectu populi R. non licet: his vendere vel in vltimis terris licebit? at hoc etiam nequiſſimi homines, conſumptis patrimonijs, faciunt, vt in atrijs auctionarijs potius, quam in triuijs, aut in compitis auctionentur: hic permittit ſua lege decemuiris, vt, in quibus commodum ſit tenebris, aut in qua velint ſolitudine, bona populi R. poſſint diuendere.

E X P L A N A T I O

QVo *adfectarint iter.*] omnes libri veteres, Quo ad fecerit iter. Ego, ſatis, vt puto, modeſta coniectura, ſententiā ipſam, & latini ſermonis conſuetudinē ſecutus, repoſui. Quo adfectarint iter: ideſt, quo peruenire conētur. Sic locutus eſt pro Roſcio Amerino: Nunc vero quam viam muniat, quo iter adfectet, videtis. In Phormione Terentius: Gladiatorio animo ad me affectant viā. In Mercatore Plautus: Ad eam rem affectas viam. SE *ipſi indicabunt.*] cum in ſuperiore legis parte conſiliū ſuum texerint. AGROS *Attalenſium, atque Olympenorum:*] Attalea in Pamphilia. Olympus in Lycia ſunt. Plinius, Strabo, alij. P. SERVILII,] qui ex Cilicia de Iſauris triumphauit: vnde cognomen Iſaurici. REGIOS] Philippo regia T. Quinctio Flaminio. Perſae, eius filio a L. Aemilio Paulo ademptos. FELICITATE] victoria. DVORVM *Scipionum*] fratrum, Cnaei, & Publij: qui in Hiſpania ſunt interfecti. Liuius. CONSECRAVIT.] ne priuatim vnquam poſſideretur. AD *oblatam aliquam religionem.*] dijs immortalibus eum, vt conſecraret, ſigno aliquo admonentibus. INSVLIS] inſulae faſciae ſunt, vittis ab vtraque parte pendentibus. & quoniam ornamenti genus eſt, ideo Cicero tranſtulit ad ornamenta imperij. PAPHLAGONIA, *Ponto, Cappadociaq.*] Paphlagoniam Pylemeni regi, Cappadociā Ariobarzani Mithridates ademit. Mithridati vtrāque Pompeius cū patrio regno Ponto. Appianus, Dio. PROPE] quaſi illa ipſa haſta, quae auctionis eſt ſignum, inſectetur exercitum Cn. Pompeij. HASTA] auctionis ſigno. INSECTARI] apte: quia dixerat, Haſta. IN *conſpectu populi Romani*] in foro, de Roſtris or. 2. NEQVISSIMI] prodigi, nepotes. IN *atrijs auctionarijs*] quae cum in foro ſint, magis patent, quam triuia, aut compita. erant autem plura. nam Licinia, in quibus praecones ſederent, in oratione pro Quinctio nominantur. IN *quibus commodum ſit tenebris.*] in quibus libeat. hoc enim loquendi genere nihil aliud ſignificatur. paullo poſt: Vt ijdem poſſint & liberare agros, quos commodum ſit, &, quos ipſis libeat, publicare. infra: Cum velint, Romae eſſe; cum commodum ſit quacumque velint, ſummo cū imperio, iudicioq. omniū rerū vt vagari liceat, conceditur. or. 2. Commodū erit Pergamum, Smyrnam, Tralles, Epheſum, Mileiū, Cyzicum, totam denique Aſiā, quae poſt L. Sullam Q. Pompeiū conſules recuperata ſit, populi Romani factā eſſe dicere. In eadē: Vt veniretis in caſtra Cn. Pompeij, atque ipſa caſtra, ſi commodū vobis eſſet, vēderetis. In Verrem ſaepe. SOLITVDINE,] or. 2. tenebras Paphlagoniae, ſolitudinem appellat Cappadociae.

O R A T I O

IAM, illa omnibus in prouincijs, regnis, liberis populis quam acerba, quam formidoloſa, quam quaeſtuoſa concurſatio decemuiralis futura ſit, non videtis? hereditatum obeundarum cauſſa quibus vos legationes dediſtis, qui & priuati, & priuatū ad negotium exierunt, non maximis opibus, neque ſumma auctoritate praediti, tamen auditis profecto, quam graues eorum aduentus socijs veſtris eſſe ſoleant. quamobrem quid putatis impendere hac lege omnibus gentibus terroribus, & mali, cum mittātur in orbem terrarum decemuiri ſummo cum imperio, ſumma cum auaritia, infinitaq. omnium rerum cupiditate? quorum cum aduentus graues, cum faſces formidoloſi, tum vero iudicium, ac poteſtas erit non ferenda. licebit enim, quod videbitur, publicum iudicare; quod iudicarint, vendere. etiam illud, quod homines ſancti non facient, vt pecuniam accipiant, ne vendant; tamen id ijs ipſum per legem licebit. hinc vos quas ſpoliationes, quas pactiones, quam denique in omnibus locis nundinationem iuris, ac fortunarum fore putatis? etenim, quod ſuperiore parte legis praefinitum fuit, Sulla & Pompeio coſ. id rurſus liberum infinitumq. fecerunt. iubet eoſdem decemuiros omnibus agris publicis pergrā de vectigal imponere; vt ijdem poſſint & liberare agros, quos commodum ſit, &, quos ipſis libeat, publicare. qua in iudicio perſpici non poteſt, vtrum ſeueritas acerbior, an benignitas quaeſtuoſior ſit futura. Sunt tamen in tota lege exceptiones duae, non tam iniquae, quam ſuſpicioſae. excipit enim vectigali imponēdo agrum Recen

toricum

toricum Sicilienſem, in vendendis agris eos agros, de quibus cautum ſit foedere. hi ſunt in Africa, qui ab Hiempſale poſſidentur. Hic quaero, ſi Hiempſali ſatis eſt cautum foedere, & Recentoricus ager priuatus eſt; quid attinuerit excipi? ſin & foedus illud habet aliquam dubitationem, & ager Recentoricus dicitur nonnumquam eſſe publicus; quem putet exiſtimaturum, duas cauſſas in orbe terrarum repertas, quibus gratis parceret? numquiſnam tam abſtruſus vſquam nummus videtur, quem non architecti huiuſce legis olfecerint? prouincias, ciuitates liberas, ſocios, amicos, reges denique exhauriunt, admouent manus vectigalibus populi R. non eſt ſatis.

EXPLANATIO

HEREDITATVM *obeundarum*] ſenatores liberas legationes a ſenatu, aut a populo petebant, vt hereditates aliqua cũ auctoritate obire poſſent concedebantur autẽ iis lictores duo. Erant aliae quoq. legationũ liberarum cauſſae, quae tamen omnes ad priuatum negotium attinerent: ſed Cicero maxime neceſſariam ponit: quo plus terroris & mali ex aduentu decemuirum fore demonſtret: cum eorũ, qui neceſſaria cauſſa impulſi in prouincias exeunt, grauis tamen ſociis aduẽtus eſſe ſoleat. Vtitur eodẽ agrumento or. 2. his verbis: Legatos noſtros, homines auctoritate tenui, qui rerũ priuatarũ cauſſa legationes liberas obeunt, tamen exterae nationes ferre vix poſſunt. graue eſt enĩ nomen imperij atque id etiam in leui perſona pertimeſcitur: propterea quod veſtro, non ſuo nomine, cum hinc egreſſi ſunt, abutuntur. quid cenſeris, cum iſti decemuiri cum imperio, cum faſcibus, cum illa delecta finitorum iuuentute per orbem terrarum vagabuntur? quo tandem animo, quo metu, quo periculo miſeras nationes futuras? Nec vero vitioſum, idem argumentum iterare, quiſquam exiſtimet. licet enim diuerſis in locis: & hic in ſenatu verba facit, ibi ad Quirites in foro. TERRORIS, *& mali*] terrorem ſequentibus verbis ſignificat, ſummo cũ imperio: malum, ſumma cum auaritia, infinitaq. omnium rerum cupiditate. FASCES *formidoloſi*,] necis inferendae poteſtatẽ indicãtes. HOMINES *ſancti*] ironia. PRAEFINITVM] ne ante Sullam & Pompeium conſules parta decemuiri venderẽt. AGRIS *publici*] qui priuatis dati ſunt. ſequitur enim, Benignitas quaeſtuoſior VT. IIDEM *poſſint*] hoc eſt, quod dicit or. 2. Cognitio decemuirũ, priuatus ſit, an publicus. LIBERARE] vectigali, ſiquid publice pendent. AGROS] priuatim poſſeſſos: cum publici ſint. PVBLICARE] quod eſt etiam grauius, quam pergrande vectigal imponere. in or. 2. SEVERITAS] in publicandis priuatorum agris. BENIGNITAS] in adimendo vectigali, quod publice pendant. SVNT *tamen*] quaſi pro Rullo contra Rullum loquitur. IN *tota lege*] quae pluribus exceptionibus mitiganda fuit. NON *tam iniqua*,] iniquae non videntur ſed ſuſpicionem habent quaeſtus EXCIPIT] pecunia videlicet quod or. 2. ita probatur. Si eſt priuatus ager Recentoricus; quid eum excipis? ſin autem publicus; quae eſt iſta aequitas, ceteros, etiam ſi priuati ſint permittere vt publici iudicentur, hunc excipere nominatim, qui publicus eſſe fateatur? ergo eorum ager excipitur, qui apud Rullum alia ratione valuerunt. DE *quibus cautum ſit foedere*.] quamquam id foedus populus non iuſſerit. or. 2. CAVTVM *ſit*] ne, tamquam publici, venderentur. IN *Africa*,] quos tamen, extra Mauritaniae, regni ſui, fines Hiempſal, a Pompeio traditos, poſſidebat victo enim Hiarba, regnare filium eius Hiempſalem Pompeius in Mauritania iuſſit. Dio lib. xxxxi. cuius poſtea beneficij memor filius eius Iuba pro Pompeio contra Caeſarem pugnauit. POSSIDENTVR.] in Africa ora maritima. or. 2. PRIVATVS *eſt*;] a priuatis poſſidetur. QVIBVS *gratis parceret*?] id enim veriſimile non eſt: cum nulli praeterea cauſſae gratis parcat. ARCHITECTI *huiuſce legis*] translatum, quod in proprij naturam tranſijt: ideo ſolum vſurpatur, cum ſequenti verbo, Olfecerint, minime congruens. huius generis multa ſunt, vt verba, florere, laborare, affluere, defluere: nomina, ſplendor, tenebrae, acutus, hebes. NON *eſt ſatis*.] nam in omnes praeterea imperatores, heredeſq. eorum quaeſtionem ſuo iudicio comparant. or. 2. Vix iam videtur locus eſſe, qui tantos aceruos pecuniae capiat. auget, addit, accumulat: aurum, argentum, ex praeda, ex manubijs ex coronario, ad quoſcumque peruenit, neque relatum eſt in publicum, neque in monumento conſumptum, id profiteri apud decemuiros, & ad eos referre iubet. hoc capite etiã quaeſtionẽ de clariſſimis viris, qui populi Romani bella geſſerunt, iudiciũq. de pecunijs repetũdis ad decemuiros tranſlatũ videtis,

ORATIO

AVDITE vos, qui ampliſſimo populi, ſenatusq. iudicio exercitus habuiſtis, & bella geſſiſtis. quod ad quemque peruenit, peruenerit ex praeda, ex manubijs, ex auro coronario, quod neque conſumptum in monumento, neque in aerarium relatum ſit, id ad decemuiros referri iubet. hoc capite multa ſperant: in omnes imperatores, heredeſq. eorum quaeſtionem ſuo iudicio comparant: ſed maximam pecuniam ſe a Fauſto ablaturos arbitrantur. quam cauſſam ſuſcipere iurati iudices noluerunt, hanc iſti decemuiri ſuſcepere. idcirco a iudicibus fortaſſe praetermiſſam eſſe arbitrantur, quod ſit ipſis reſeruata. deinde etiam in reliquum tempus diligentiſſime ſancit, vt, quod quiſque imperator habeat pecuniae, protinus ad decemuiros deferat. hic tamen excipit Pompeium, ſimillime, vt mihi videtur, atque in illa lege, qua peregrini Roma eijciuntur, Glaucippus excipitur. non enim hac exceptione vnus afficitur beneficio, ſed vnus priuatur iniuria. ſed cui manubias remittit, huius vectigalia inuadit: iubet etenim pecuniam, ſi qua poſt nos conſules ex nouis vectigalibus recipiatur, hac vti decemuiros. quaſi vero non intelligamus, haec eos vectigalia, quae Cn. Pompeius adiunxerit, vendere cogitare.

EXPLANATIO

EX *praeda,*]ex captis rerum corporibus. Gellius. MANVBIIS]pecunia quae de praeda vendita exigitur. AVRO *coronario,*]ex aureis coronis, quae mittuntur imperatotibus ob honorem triumphi, vt ait Gellius. In Piſonem autem: Mitto aurum coronarium, quod lex decerni, & accipi vetat, niſi decreto triumpho. Plinius lib. XXIII. cap. 3. IN *monumento*] vel in remplis deorum, vel in vrbis ornamentis vt baſilica, porticu, arcu ponte. nam vtrumque monumenti nomine ſignificat itaque lib. 2 Si eſt aequum. inquit, praedas, ac manubias ſuas imperatores non in monumenta deorum immortaliũ, neque in vrbis ornamẽta conferre, ſed ad decemuiros, tamquã ad dominos, reportare: nihil ſibi appetit praecipue Pompeius. A. FAVSTO]quod ad eũ e ſummo L. Sullae patris imperio maximam peruenisse pecuniam credatur. QVAM *cauſſam ſuſcipere iurati iudices noluerunt,*]Lepido & Tullo coſ. accuſatus eſt Fauſtus de pecunijs reſiduis: iudices audire noluerũt: qua de re ſic in oratione pro Cluẽtio: Nuper apud C. Orchinium, collegam meũ, locus ab iudicibus Fauſto Sullae de pecunijs reſiduis nõ eſt conſtitutus: nõ quo i'li aut ex legem eſſe Sullã, aut cauſſam pecuniae publicae contemptã, atque abiectã putarent: ſed quod, accuſante tribuno pl. condicione aequa diſceptari nõ poſſe putauerunt. Et Pedianus in Corneliana. Quia defuerat ſuperioribus tẽporibus in aerario pecunia publica, multa & ſaepe eius rei remedia erãt quaeſita, ĩ quibus hoc quoque, vt pecuniae publicae, quae reſiduae apud quemque eſſent, exigerentur. id autẽ maxime pertinebat ad Corneliũ Fauſtũ, dictatoris filiũ: quia Sulla per multos annos, quibus exercitibus praefuerat, ſumpſerat pecunias ex vectiga ibus. & ex aerario populi Romani. eaq; res ſaepe erat agitata, ſaepe omiſſa, partim propter Sullanarũ partiũ potentiã partim quod iniquũ videbatur, poſt tot annos, quam quis pecuniã acceperat, eius reddere rationem IN *reliquum tempus*]quia ſcripſit in lege Peruenerit IN *illa lege*] Papiae leges duae de peregrinis eijciendis latae ſunt. prior neminem excipiebat, poſterior Italos, lege Iulia ciuitate donatos. vtra ſignificetur affirmare non licet Satis eſt intelligere, quod ſimilitudine Papiae legis Cicero demonſtrat, nullũ a Rullo beneficium exceptione illa in Pompeium conferri. PEREGRINI]exterarũ gentiũ. nam Licinia lege & Mucia ſocij Latini. & Italici eijciebantur: in quibus Glaucippum non fuiſſe, nomẽ ipſum oſtendit. ADIVNXERIT,]adhuc enim bellũ gerebat in Aſia contra Mithridatẽ.

ORATIO

VIDETIS iam P. C. omnibus rebus, & modis conſtructam, & coacernatam, pecuniam decemuiralem. Minuetur huius pecuniae inuidia: conſumetur enim in agrorum emptionibus. Optime. quis ergo emet agros iſtos? ijdem decemuiri: tu. Rulle, (miſſos enim facio ceteros) emes, quos voles: vendes, quos voles: vtrumque horum facies, quanti voles. Cauet enim vir optimus, ne emat ab inuito. Quaſi vero non intelligamus, ab inuito emere, iniurioſum eſſe; ab non inuito, quaeſtuoſum. Quantum tibi agri vendet, ut alios omittam, ſocer tuus? &, ſi ego eius aequitatem animi prope noui, uendet non inuitus. facient idem ceteri libenter; ut poſſeſſionis inuidiam pecunia cõmutent; accipiant, quod cupiunt; dent, quod retinere uix poſſunt.

EXPLANATIO

QVANTI *uoles.*] furti ſuſpicionem affert. AB *inuito emere, iniurioſum eſſe; ab non inuito, quaeſtuoſum*] decemuir, inquit, aut iniuriam inferet. aut quaeſtum faciet. Non enim, Iniurioſum, ad decemuirum, Quaeſtuoſum ad venditorem pertinet, ſed vtrumque ad decemuirum. patet hoc ex or. 2. in qua eſt: Hic ager omnis, quoquo pretio coemptus erit, tamen ingenti pecunia vobis inducetur. Et in eadem, ex interuallo: Vt ijdem partim inuidioſos agros a Sullanis poſſeſſoribus, partim deſertos, ac peſtilentes a veſtris neceſſarijs, a vobiſmetipſis emptos quanti velletis, populo Romano induceretis. Nam quod hic ſubijcitur: Vt poſſeſſionis inuidiam pecunia commutent: quis non intelligit, faciliorem ex eo decemuiris quaeſtum fore? ement enim agros paruo ab ijs, qui cupiẽt vendere: ipſi deinde, quos paruo emerint, inducẽt populo Romano, quanti volent. SOCER *tuus*] Valgius, tot agrorum poſſeſſor ex aſſignatione Sullana vt inuidiam iam ſuſtinere non poſſit. EIVS *aequitatem animi*] irriſio non enim, quia moderata poſſeſſione contentus ſit, ideo vendet, ſed quia poſſeſſionis inuidiam libenter pecunia commutabit, & id vendet, quod retinere iam vix poteſt. POSSESSIONIS *inuidiam*] cum ſit inuidioſum tot agros poſſidere. or 2. Sullanus ager latiſſime continuatus, tantam, habet inuidiam, vt veri ac fortis tribuni pl. ſtridorẽ vnum perferre non poſſit.

ORATIO

NVNC proſpicite omnium rerum infinitam, atque intolerandam licentiam. Pecunia coacta eſt ad agros emendos: ij porro ab inuitis non ementur: ſi conſenſerint poſſeſſores non uendere, quid futurum eſt?

referetur

referetur pecunia? non licet: exigetur? vetat. verum eſto: nihil eſto, quod non emi poſſit, ſi tantum, des, quantum velit venditor, ſpoliemus orbem terrarum, vendamus vectigalia, effundamus aerarium, vt, locupletatis aut inuidiae, aut peſtilentiae poſſeſſoribus, agri tamen emantur. quid tum? quae erit in iſtos agros deductio? quae totius rei ratio, atque deſcriptio? deducentur, inquit, coloniae: quo? quorum hominum? in quae loca? quis enim non uidet, in colonijs eſſe haec omnia conſideranda? tibi nos, Rulle, & iſtis tuis, harum omnium rerum machinatoribus, totam Italiam inermem tradituros exiſtimaſti, quam praeſidijs confirmaretis, colonijs occuparetis, omnibus uinculis deuinctam, & conſtrictam teneretis? ubi enim cauetur, ne in Ianiculo coloniam conſtituatis? ne urbem hanc urbe alia premere, atque urgere poſſitis? non faciemus, inquit. primum neſcio: deinde timeo: poſtremo non committam, ut ueſtro beneficio potius, quam noſtro conſilio, ſalui eſſe poſſimus.

E X P L A N A T I O

REFERETVR *pecunia?*] In aerarium. NON *licet:*] per legem Rulli. EXIGETVR?] exiget aliquis a decemuiris? VETAT.] eadem lex. or. 2. Si, qui velint vendere, non fuerint; quid pecunia fiet? referre in aerarium lex vetat, exigi prohibet. EFFVNDAMVS *aerarium:*] effunditur enim, cum vectigalia uenduntur, aut, cum, quae referri ex praeda, manubijs, auro coronario in aerarium debent, decemuiris ex lege dantur. LOCVPLETATIS *aut inuidiae aut peſtilentiae poſſeſſoribus,*] cum decemuiri agros ement aut ab ijs quibus tot agros habere inuidioſum eſt; aut ab ijs, qui propter peſtilentiam eos relinquere coguntur. vtrumque genus or. 2. attingitur his verbis. Ad hanc coemptionem decemuiralem duo genera agrorum ſpectant, Quirites. eorum vnum propter inuidiam domini fugiunt, alterũ propter vaſtitatem. Sullanus ager, a certis hominibus latiſſime continuatus tãtam habet inuidiam, vt ueri ac fortis tribuni pl. ſtridorem vnum perferre non poſſit. hic ager omnis, quoquo pretio coemptus erit, tamen ingenti pecunia vobis inducetur. Alterum genus agrorum, propter ſterilitatem incultum, propter peſtilentiam vaſtum atque deſertum, emetur ab ijs, qui eos vident ſibi eſſe, ſi non vendiderint, relinquendos. Eodemq. ſpectat illud: Rogabuntur, atque orabuntur, vt agros partim publicos, partim plenos inuidiae, plenos periculi, quanti ipſi velint, decemuiris tradant. QVO? *quorum hominum? in quae loca?*] abundare videtur, nec tamen abundat, aut, Quo? aut, In quae loca? nam cum ſequatur, Quis non videt, in colonijs eſſe haec omnia conſideranda? ſermonem eſſe de tribus rebus, non de duabus, intelligitur. quare, Quo? vt generalius accipiendum: vt tantum locus ipſe ſignificetur: eius autem loci partes ſint, In quae loca? &, Quo? referatur ad Capuam: In quae loca? ad vrbes, quae circa Capuam ſunt. itaque dicet infra: Bello Punico, quidquid potuit Capua, potuit ipſa per ſeſe: nunc omnes vrbes, quae circum Capuam ſunt, a colonijs per eoſdem decemuiros occupabuntur. Et aliquanto poſt. Quid enim exiſtimatis integrum vobis in rep. fore, aut in veſtra libertate, ac dignitate retinendum, cum Rullus, atque ij, quos multo magis, quam Rullum, timetis, cum omni egentium, atque improborum manu, cum omnibus copijs, cum omni argento, & auro, Capuam, & vrbes circa Capuam occuparint? QVORVM *hominum?*] egentium ſcilicet, atque improborum: qui tibi, Rulle, & iſtis tuis tamquam milites erunt. Placet tamen alijs, Quot, pro, Quo? quod non improbo: ſed illi, Quot? ad hominum numerum referunt: ego ad colonias, vt dicat: Quot coloniae? quorum hominum? in quae loca? in quo Ciceronem ipſum ſequor interpretem. ait enim or. 2. Tu non definias, quot colonias, in quae loca, quo numero colonorum deduci velis? OMNIVM *rerum machinatoribus,*] eos indicat, quibus auctoribus in ferenda lege Rullus vtebatur, in ijs maxime Caeſarem, & Craſſum, quod ſupra oſtẽdi, opibus firmos, amicis clientibuſq. munitos. itaque dicit infra: Cum Rullus, atque ij, quos multo magis, quam Rullum, timetis, cum omni egentiũ, atque improborum manu, cum omnibus copijs, cum omni argento, & auro, Capuam, & vrbes circa Capuã occuparint? Quos autem hic, machinatores, ſupra vocat architectos ſceleris. ITALIAM *inermem*] veſtris praeſidijs confirmatam, colonijs occupatam. IANICVLO] qui cum ſit propinquus vrbi mons, liberum tibi relinquitur lege tua coloniam in eo, ſummo noſtro periculo, conſtituere. or. 2. Quid igitur eſt cauſſae, quin coloniam in Ianiculum poſſint deducere, & ſuum praeſidium in capite, atque in ceruicibus veſtris collocare? VRBE *alia*] vrbe Capua paullo poſt. Capuam deduci colonos volunt: illam vrbẽ huic vrbi rurſus opponere, illuc opes ſuas deferre, & imperij nomen transferre cogitant.

O R A T I O

QVod uero totam Italiam ueſtris colonis complere uoluiſtis, id cuiuſmodi eſſet, neminem ue noſtrum intellecturum exiſtimatis? ſcriptum eſt enim, quae in municipia, quasq. in colonias decemuiri uelint; et ijs agros aſſignent, quibus in locis uelint: ut, cum totam Italiam militibus ſuis occuparint, uobis nõ modo dignitatis retinendae, ſed ne libertatis quidem recuperandae ſpes relinquatur. Atque haec a me ſuſpicionibus, & coniectura coarguuntur. Iam omnis omnium tolletur error: iam aperte oſtẽdent, ſibi nomen huius reip. ſedem vrbis, atque imperij; denique hoc templum Iouis Optimi Maximi, atque hanc arcem omnium gentium diſplicere. Capuam deduci colonos volunt. illam vrbem huic vrbi rurſus opponere, illuc opes ſuas deferre, & imperij nomen transferre cogitant. qui locus, propter vbertatem agrorum, abundantiamq. rerum omnium, ſuperbiam, & crudelitatem genuiſſe dicitur; ibi noſtri coloni, delecti ad omne facinus, a decemuiris collocabuntur. & credo, qua

in vrbe

in vrbe homines in veteri dignitate, fortunaque nati copiam rerum moderate ferre non potuerunt, in ea iſti veſtri ſatellites modeſte inſolentiam ſuam continebunt. Maiores noſtri Capua magiſtratus, ſenatum, conſilium commune, omnia denique inſignia reipub. ſuſtulerunt, neque aliud quidquam, niſi inane nomen Capuae, reliquerunt: non crudelitate: quid enim illis fuit clementius, qui etiam externis hoſtibus victis ſua ſaepiſſime reddiderunt? ſed conſilio, quod videbant, ſi quod reip. veſtigium illis mœnibus contineretur, vrbem ipſam imperio domicilium praebere poſſe. Vos haec, niſi euertere remp. cuperetis, ac vobis nouam dominationem comparare, credo, quam peniciosa eſſet, non videretis. quid enim cauendum eſt in colonijs deducendis? ſi luxuries, Hannibalem ipſum Capua corrupit; ſi ſuperbia, nata inibi eſſe ex Campanorum faſtidio videtur: ſi praeſidium, non praeponitur huic vrbi iſta colonia, ſed opponitur. At quemadmodum armatur, dij immortales? nam bello Punico quidquid potuit Capua, potuit ipſa per ſeſe: nunc omnes vrbes, quae circum Capuam ſunt, a colonis per eoſdem decemuiros occupabuntur. hanc enim ob cauſſam permittit ipſa lex, in omnia, quae velint, opida colonos vt decemuiri deducant, quos velint. Atque his colonis agrũ Campanum, & Stellatem campũ diuidi iubet. Nõ queror deminutionẽ vectigalium, non flagitiũ huius iacturae, atque damni: praetermitto illa, quae, nemo eſt, quin grauiſſime & veriſſime conqueri poſſit, nos caput patrimonij publici, pulcherrimam populi R. poſſeſſionẽ, ſubſidiũ annonae, horreum belli, ſub ſigno, clauſtriſq. reip. poſitũ vectigal ſeruare nõ potuiſſe; eũ denique nos agrum P. Rullo conceſſiſſe, qui ager ipſe per ſeſe & Sullanae dominationi, & Gracchorum largitioni reſtitiſſet: non dico, ſolum hoc in rep. vectigal eſſe, quod amiſſis alijs remaneat, intermiſſis non conquieſcat; in pace niteat, in bello non obſoleſcat; militem ſuſtentet, hoſtem non pertimeſcat: praetermitto omnem hanc orationem, & concioni reſeruo: de periculo ſalutis, ac libertatis loquor. quid enim exiſtimatis integrum vobis in rep. fore, aut in veſtra libertate, ac dignitate retinendum, cũ Rullus, atque ij, quos multo magis quam Rullũ timetis, cum omni egentium atq. improborum manu, cum omnibus copijs, cum omni argento, & auro Capuam, & vrbes circa Capuam occuparint?

EXPLANATIO

MILITIBVS *ſuis*] colonis, quos ipſi deduxerint, quibus tamquam ſuis militibus vtentur. DIGNITATIS] ſenatoriae. ERROR:] errari enim poteſt in ijs rebus, quae ſuſpicionibus tantum, & coniectura coarguuntur. HOC *templum,*] in quo ſenatus habebatur. HANC *arcem omnium gentium*] vrbem Romam ſignificat praeſidium ac perfugium omnium gentium. RVRSVS] vt antea Punico bello. CRVDELITATEM] de quo Silius lib. 11. Quin etiam exhilarare viris cõuiuia caede „ Mos olim, & miſcere epulis ſpectacula dira. „ Certantum ferro ſaepe, & ſuper ipſa cadentum „ Pocula, reſperſis non parco ſanguine menſis. MAIORES *noſtri Capua magiſtratus ſenatum, conſilium commune,*] or. 2. Statuerunt homines ſapientes, ſi agrum Campanis ademiſſent, magiſtratus, publicum ex illa vrbe conſilium ſuſtuliſſent, imaginem reip. nullam reliquiſſent, nihil fore, quod Capuam timeremus. CONSILIVM *commune*] plebis vniuerſae. quamquam or. 2. ſenatum non nominat ſed ait Publicum ex illa vrbe conſilium ſuſtuliſſent: vt videatur conſilium publicum pro ſenatu accipere. OMNIA *denique inſignia reip ſuſtulerunt,*] imaginem reip nullam reliquerunt. ſic enim ait or. 2. VIDEBANT *ſi quod reip veſtigium illis moenibus contineretur, vrbem ipſam imperio domicilium praebere poſſe.*] or. 2. Tres ſolum vrbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum Capuam, ſtatuerunt poſſe imperij grauitatem, & nomen ſuſtinere. FASTIDIO] ex copia faſtidium. ex faſtidio oritur ſuperbia. PER *ſeſe:*] ope nulla earum vrbium, quae circum Capuam erant. OMNES *vrbes quae circum Capuam ſunt*] Cales, Theanum, Neapolim, Puteolos, Cumas, Pompeios, Nuceriam. IN *omnia, quae velint opida*] hoc refertur ad illud ſupra dictum, In quae loca? & quod hic dicitur, Deducant quos velint; ad illud Quorum hominum? AGRVM *Campanum,*] non, vniuerſae Campaniae, ſed qui circum Capuam eſt. cui finitimus fuit Stellatis campus. CAPVT *patrimonij publici,*] ipſam Capuam. Caput veſtrae pecuniae, dicit or. 2. & quod hic, Pulcherrimam populi Romani poſſeſſionem, ibi, Fundum pulcherrimum populi Romani: hic, ſubſidium annonae, horreum belli; ibi, ſolatium annonae, horreum legionum. quin ipſa verba recitemus. Vnum ne fundum pulcherrimum populi Romani, caput veſtrae pecuniae, pacis ornamentum, ſubſidium belli; fundamentum vectigalium, horreum legionum, ſolatium annonae, diſperire patiemini? SVB *ſigno*] tutum a rapinis, vt ea, quae, ſigno impreſſo, cuſtodiuntur, ne per furtum auferantur. CLAVSTRISQ. *reip.*] quia Capua non longe ab vrbe; vt quaſi clauſtris quibuſdam incluſa & munita videatur. CONCESSISSE,] vt poſſit vendere ſua lege. SVLLANAE *dominationi, Gracchorum largitioni*] or. 2. Venit enim mihi in mentem, duos clariſſimos ingenioſiſſimos, amantiſſimos plebis Romanae viros, Ti. & C. Gracchos plebem in agris publicis conſtituiſſe, qui agri a priuatis antea poſſidebantur. Et in eadem. Nec duo Gracchi, qui de plebis Romanae commodis plurimum cogitauerunt, nec L. Sulla, qui omnia ſine vlla religione, quibus voluit, eſt dilargitus. agrum Campanũ attingere auſus eſt Rullus exſtitit, qui ex ea poſſeſſione remp. dimoueret, ex qua nec Gracchorum benignitas eam, nec Sullae dominatio deieciſſet. AMISSIS *alijs*] vt Aſiae, Mithridatico bello; Hiſpaniarum, temporibus Sertorianis; Siciliae, bello fugitiuorum. or. 2. NON *obſoleſcat;*] nitorem non amittat. vnde obſoleta veſtis, cui nitorem vetuſtas ademit. MILITEM *ſuſtentet,*] propterea vocatur hic horreum belli, & in or. 2. horreum legionum. HOSTEM *non pertimeſcat:*] quia ſub ſigno, clauſtriſq. reip. poſitum ſit. CONCIONI *reſeruo:*] iactura enim, & damno magis, quam alia re, populus mouetur.

ORATIO

ORATIO

His ego rebus P. C. reſiſtam vehementer, atque acriter, neque patiar homines ea me conſule expromere, quae contra remp. diu cogitaunt. Erraſtis, Rulle, vehementer & tu, & nonnulli collegae tui, qui ſperaſtis vos contra conſulem, veritate, non oſtentatione popularem, poſſe in euertenda rep. populares exiſtimari. laceſſo vos, in concionem voco: populo R. diſceptatore vti volo. etenim, ut circumſpiciamus omnia, quae populo grata, atque iucunda ſunt, nihil tam populare, quam pacem, quam concordiam, quam otium, reperiemus. ſolicitam mihi ciuitatem ſuſpicione, ſuſpenſam metu, perturbatam ueſtris legibus, & concionibus, & ſeditionibus, tradidiſtis: ſpem improbis oſtendiſtis, timorem bonis inieciſtis: fidem de foro, dignitatem de rep. ſuſtuliſtis. hoc motu, atque hac perturbatione animorum, atque rerum cum populo R. vox, & auctoritas conſulis repente in tantis tenebris illuxerit; cum oſtenderit nihil eſſe metuendum, nullum exercitum, nullam manum, nullas colonias, nullam uenditionem uectigalium, nullum imperium nouum, nullum regnum decemuirale, nullam alteram Romam, neque aliam ſedem imperij nobis conſulibus futuram, ſummamq. tranquillitatem pacis, atque otij: uerendum, credo, nobis erit, ne ueſtra iſta praeclara lex agraria magis popularis eſſe uideatur; cum uero ſcelera cōſiliorum ueſtrorum, fraudesq. legis, & inſidias, quae ipſi populo R. a popularibus tribunis pl. fiant. pertimeſcam, credo, ne mihi non liceat contra uos in concione conſiſtere; praeſertim cum mihi deliberatum, & conſtitutum ſit, ita gerere conſulatum, quo uno modo geri grauiter, & libere poteſt, ut neque prouinciam, neque honorem, neque ornamentum aliquod, aut commodum, neque rem ullam, quae a tribuno pl. impediri poſſit, appetiturus ſim. dicit frequentiſſimo ſenatu conſul Kalendis Ian. ſeſe ſi ſtatus hic reip. maneat, neque aliud negotium extiterit, quod honeſte ſubterfugere non poſſit, in prouinciam non iturum. ſic me in hoc magiſtratu geram, P. C. vt poſſim tribunum pl. reip. iratum coercere, mihi iratum contemnere.

EXPLANATIO

NON *oſtentatione popularem,*] qualis ipſe es: cum tamen, vt tribunus pl. praeter ceteros popularis eſſe debeas. DISCEPTATORE] iudice, cognitore: vt or. 2. Vtrum oratio ad eius rei diſceptationem deerit, an, cū idem & differet, & iudicabit, impelli non poterit, vt falſum iudicet? Ibidē: Hoc quantum iudiciū, quam intolerandū, quam regium ſit, quē praeterit? poſſe, quibuſcumq. locis velint, nulla diſceptatione, nullo conſilio, priuata publicare publica liberare. VESTRIS *legibus,*] cum alijs legibus, quas Dio nominat, tum vero agraria ante Kal. Iun. promulgata. FIDEM *de foro,*] fidem in credendis pecunijs or. 2. Sublata erat de foro fides, non ictu aliquo nouae calamitatis ſed ſuſpicione, ac perturbatione iudiciorum. ſuſtulit autem de foro fidem a nonnullis promulgata Rulli collegis nouarum tabularum lex: de qua Dio. TRADIDISTIS:] or. 2. Ego qualem Kalendis Ian. acceperim remp Quirites, intelligo, plenam ſollicitudinis, plenam timoris. NVLLAM *alteram Romam,*] de Capua loquitur. MAGIS *popularis*] quam tranquillitas pacis, atque otij, quam ſperare me conſule debetis. A POPVLARIBVS *tribunis pl.*] ironia. quam populares enim ſint, fraude legis patefacta perſpicuum erit. IMPEDIRI] interceſſione, vel auſpicijs. nam ſeruare de caelo, ideſt impedire, magiſtratibus omnibus licebat. HONOREM,] non de prouincia, ſed generaliter dictum exiſtimo. DICIT *frequentiſſimo ſenatu*] teſtibus quamplurimis: vt intelligatur, praeſtare me velle, quod polliceor. CONSVL] cui non ſtare promiſſis turpe eſt. vel, conſul, contra ceterorum conſulum, prouincias appetentium, conſuetudinem. STATVS *hic reip.*] nullo bello. propterea factum eſſe augurium ſalutis, quod pacata rep. fieri ſolebat, ait Dio. COERCERE,] populo non aduerſante. ſic enim me geram, vt per populum ipſum coercere liceat iratum reip. tribunum pl. CONTEMNERE] priuatas enim iniurias paruifaciam, de rep. tantum laborabo.

ORATIO

QVAMOBREM, per deos immortales, colligite vos tribuni pl. deſerite eos, a quibus, niſi proſpicitis, breui tempore deſeremini: conſpirate nobiſcum, conſentite cum bonis: communem remp. communi ſtudio atque amore defendite. multa ſunt occulta reip. vulnera, multa neſariorum ciuium perniciosa conſilia: nullum externum periculum eſt: non rex, non gens vlla, non natio pertimeſcenda eſt: incluſum malum, inteſtinum, ac domeſticum eſt. huic pro ſe quiſque noſtrum mederi, atque hoc omnes ſanare velle debemus. Erratis, ſi ſenatum probare ea, quae dicuntur a me, putatis, populum autem eſſe in alia voluntate. omnes, qui ſe incolumes volent, ſequentur auctoritatem conſulis ſoluti a cupiditatibus, liberi a delictis, cauti in periculis, non timidi in cōtentionibus. quod ſi quis veſtrum ſpe ducitur, ſe poſſe turbulenta ratione honori velificari ſuo: primum me conſule id ſperare deſiſtat: deinde habeat me ipſum ſibi documento, quem equeſtri ortum loco conſulem videt, quae vitae via facillime uiros bonos ad honorem dignitatemq. perducat. Quod ſi uos ueſtrum mihi ſtudium, P. C. ad communem dignitatem defendendam profitemini. perficiam profecto, id quod maxime reſp. deſiderat, ut huius ordinis auctoritas, quae apud maiores noſtros fuit, eadem nunc longo interuallo reip. reſtituta eſſe uideatur.

EXPLA-

EXPLANATIO

QVAMOBREM, *per deos immortales, colligite vos tribuni pl.*] admiſcere minis cohortationem, & quos imperio ac poteſtate deterreri non confidimus cum ijs leniter, & ratione, agere, ſæpe expedit quo circa patefacto Rulli conſilio, edoctoq. ſenatu, quid ageretur, & quae eſſent in lege vitia, quae inſidiae, quae fraus, conuertit ſermonem ad tribunos pl, eosq. monet, vt, ſeditioſorum ciuium dirempta ſocietate, cum bonis, ideſt cum ſenatu conſentientes, communem remp. communi ſtudio, atque amore defendant. Colligite vos cogitate, quid agatis. diſſoluit enim, ac diſſipat animum imprudentia, ratio colligit, & in ſuum ſtatum perducit; qui autem ſe colligit, prudenter conſiderat, & cum ipſa ratione conſilium capit. non eſt enim mutare conſilium, ſed ea, quibus mutari oporteat, diligenter ponderare: quod animo diſſoluto, ac diſſipato fieri non poteſt. pro multis exemplis vnum illud ex Tuſc. 4 ſufficiet. Quid eſt, ſe ipſum colligere, niſi diſſipatas animi partes rurſum in ſuum locum cogere? DESERITIS *eos*] qui, praeter ſuam potentiam, nihil ſpectant. ij ſunt, quos architectos huiuſce ſceleris, machinatores omnium rerum, ſupra nominauit; & quorum alijs nihil ad habendum, alijs nihil ad conſumendum ſatis eſſe dixit; Craſſum in primis, & Cæſarem deſignans. DESEREMINI:] quam enim poteſtatem appetunt, eam lege veſtra conſecuti, & vos, & vniuerſam remp. oppugnabunt. Quod autem dixit, Niſi proſpicitis, id valet, niſi in poſterum proſpicientes, de ferenda lege ſententiam mutatis. HONORI *velificari ſuos*] magiſtratus a populo conſequi. eſt enim velificari, fauere, & quaſi vela ventis dare, vt ſecundus in aliqua re ſit curſus. Coelius in ep. ad Cic. Ne cui velificatus eſſe dicaris. ME *conſule*] acerrimo turbulentae rationis aduerſario. EQVESTRI *ortum loco*] equitibus ortum, non ſenatoribus. nunc autem ſenatorium ordinem conſecutus, equeſtris ordinis eſſe deſierat. CONSVLEM *videtis*] elata verba, quaſi ad terrorem pronunciata. FACILLIME] quod facillimum in turbulenta ratione non eſt. PERDVCAT.] perducet enim probitas & labor. PROFITEMINI:] perſpicuo aliquo ſigno. PERFICIAM *profecto*] in conſulatu meo. QVAE *apud maiores noſtros fuit*] qui pro communi dignitate in ipſos etiam tribunos pl. animaduertere non dubitauerunt. LONGO *interuallo*] quantum noſtra aetas a maiorum aetate diſtat.

M. TVLLII. CICERONIS

CONTRA. P. SERVILIVM. RVLLVM TRIB. PL. AD. POPVLVM

ORATIO. XVI.

EST hoc in more poſitum, Quirites, inſtitutoq. maiorum, vt ij, qui beneficio veſtro imagines familiae ſuae conſecuti ſunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficij veſtri cum ſuorum laude coniungant. qua in oratione nonnulli aliquãdo digni maiorum loco reperiuntur: plerique autem hoc perficiunt, vt tantum maioribus eorum debitum eſſe videatur, vnde etiam quod poſteris ſolueretur, redũdaret. mihi quidem apud vos de meis maioribus dicendi facultas non datur: non quod non tales fuerint, quales nos, illorum ſanguine creatos, diſciplinisq. inſtitutos, videtis: ſed quod laude populari, atque honoris veſtri luce caruerunt. de me autem ipſo, vereor ne arrogantis ſit, apud vos dicere; ingrati, tacere. nam & quibus ſtudijs hanc dignitatem conſecutus ſim, memet ipſum commemorare, perquam graue eſt; & ſilere de tantis veſtris beneficijs nullo modo poßum. quare adhibebitur a me certa ratio, moderatioque dicendi; vt, quid a vobis acceperim, commemorem; quare dignus veſtro ſummo honore, ſingulariq. iudicio ſim, ipſe modice dicam, ſi neceſſe erit; vos eoſdem exiſtimaturos putem, qui iudicauiſtis. Me, perlongo interuallo prope memoriae, temporumque noſtrorum, primum, hominem nouum, conſulem feciſtis; & eum locum, quem nobilitas praeſidijs firmatum, atque omni ratione obuallatum tenebat, me duce reſcidiſtis, virtutiq. in poſterum patere voluiſtis: neque me tantummodo conſulem, quod eſt ipſum per ſeſe ampliſſimum ſed ita feciſtis, quo modo pauci nobiles in hac ciuitate conſules facti ſunt, nouus ante me nemo. nam profecto, ſi recordari volueritis de nouis hominibus, reperietis, eos, qui ſine repulſa conſules facti ſunt, diuturno labore, atque aliqua occaſione eſſe factos, cum multis annis poſt petiſſent, quam praetores fuiſſent, aliquanto ſerius, quam per aetatem, ac per leges liceret; qui autem anno ſuo petierint, ſine repulſa non eſſe factos: me eſſe vnum ex omnibus nouis hominibus, de quibus meminiſſe poſſimus, qui conſulatum petierim, cum primum licitum ſit; conſul factus ſim, cum primum petierim: vt veſter honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienae petitionis occaſionem interceptus, nec diuturnis precibus efflagitatus, ſed dignitate impetratus eſſe videatur. eſt illud ampliſſimum, quod paullo ante cõmemoraui, Quirites, quod hoc honore ex nouis hominibus primum me, multis poſthabitis, affeciſtis, quod prima petitione, quod anno meo: ſed tamen magnificentius, atque ornatius eſſe illo nihil poteſt, quod meis comitijs non tabellam, vindicem tacitae libertatis, ſed vocem viuam prae vobis, indicem veſtrarum erga me voluntatem, ac ſtudiorum, tuliſtis. itaque me non extrema tribus ſuffragiorum, ſed primi illi veſtri concurſus, neque ſingulae voces praeconum, ſed vna voce vniuerſus populus Rom. conſulem declarauit. hoc ego tam inſigne, tam ſingulare veſtrũ beneficium, Quirites, cum ad animi mei fructum, atque laetitiam duco eſſe permagnum, tum ad curam, ſolicitudinemq. multo maius. verſantur enim, Quirites, in animo meo multae, & graues cogitationes, quae mihi nullam partem neque diurnae, neque nocturnae quietis impartiunt; primum tuendi conſulatus; quae cum omnibus eſt difficilis, & magna ratio, tum vero mihi praeter ceteros; cui errato nulla venia, recte facto exigua laus, & ab inuitis expreſſa proponitur, non dubitanti fidele conſilium, non laboranti certum ſubſidium nobilitatis oſtenditur. quod ſi ſolus in diſcrimen aliquod adducerer, ferrem, Quirites, animo aequiore: ſed mihi videntur certi homines, ſi qua in re me non modo conſilio, verum etiam caſu lapſum eſſe arbitrabuntur, vos vniuerſos, qui me ante tuleritis nobilitati, vituperaturi. mihi autem, Quirites, omnia potius perpetienda eſſe duco, quam non ita gerendum conſulatum, vt in omnibus meis factis, atque conſilijs veſtrum de me factum, conſiliumque laudetur. Accedit etiam ille mihi ſummus labor, ac difficillima ratio conſulatus gerendi, quod non eadem, qua ſuperioribus conſulibus, lege, & condicione vtendum eſſe decreui: qui aditum huius loci, conſpectumq. veſtrum partim magnopere fugerunt, partim non vehementer ſecuti ſunt. ego autem non ſolum hoc in loco dicam, vbi eſt id dictu facillimum, ſed in ipſo ſenatu, in quo eſſe locus huic voci non videbatur, popularem me futurum eſſe conſulem, prima mea illa oratione Kalendis Ian. dixi. neque enim vllo modo poſſum, cum me intelligam non hominum potentium ſtudio, non excellentibus gratijs paucorum, ſed vniuerſi populi R. iudicio conſulem ita factum, vt nobiliſſimis hominibus longe praeponerer, non & in hoc magiſtratu, & in omni vita eſſe popularis. ſed mihi ad huiuſce verbi uim, & interpretationem uehementer opus eſt ueſtra ſapientia. uerſatur enim magnus error propter inſidioſas nonnullorum ſimulationes; qui cum populi non ſolum commoda, uerum etiam ſalutem oppugnant, & impediunt, oratione aſſequi uolunt, ut populares eſſe uideantur. ego, qualem Kalendis Ianuar. acceperim remp. Quirites, intelligo, plenam ſolicitudinis, plenam timoris; in qua, nihil erat mali, nihil aduerſi, quod non boni metuerent, improbi exſpectarent. omnia turbulenta conſilia contra hunc reipub. ſtatum, & contra ueſtrum otium partim iniri, partim, nobis conſulibus deſignatis, inita eſſe dicebantur. ſublata erat de foro fides, non ictu aliquo nouae calamitatis, ſed ſuſpicione, ac perturbatione iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarũ: noua dominationes, extraordinaria non imperia, ſed regna quaeri putabantur. quae cum ego non ſolum ſuſpicarer, ſed plane cernerem; neque enim obſcure gerebantur: dixi in ſenatu, in hoc magiſtratu me popularem conſulem futurum. quid enim eſt tam populare, quam pax? qua non modo ij, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta, atque agri mihi laetari uidentur. quid tam populare, quam libertas? quam non ſolum ab hominibus, ue-

rum etiam a beſtiis expeti, atque omnibus rebus hntepo ni videtis quid tam populare, quam otium? quod ita iucundum eſt, vt & vos, & maiores veſtri, & fortiſſimus quisque vir maximos labores ſuſcipiendos putet, vt aliquando in otio poſſit eſſe, praeſertim in imperio, ac dignitate: qui iccirco etiam maioribus noſtris praecipuã laudem, gratiamq. debemus, quod eorum labore eſt factum, vt impune in otio eſſe poſſemus. Quare qui poſſum non eſſe popularis, cum videam haec omnia, Quirites, pacem externam, libertatem propriam generis, ac nominis veſtri, otium domeſticum, denique omnia, quae vobis cara, atque ampla ſunt, in fidem, & quodam modo in patrocinium mei conſulatus eſſe collata? neque enim, Quirites, illud vobis iucundum, aut populare debet videri, largitio aliqua promulgata, quas verbis oſtentari poteſt, re vera fieri, niſi exhauſto aerario, nullo pacto poteſt. Neque vero illa popularia ſunt exiſtimanda, iudiciorum perturbationes, rerum iudicatarum infirmationes, reſtitutio damnatorum: qui ciuitatum afflictarum, perditis iam rebus, extremi exitiorum ſolent eſſe exitus: neque, ſi qui agros populo Ro. pollicentur, ſi aliud quiddam obſcure moliuntur, aliud ſpe, ac ſpecie ſimulationis oſtentant, populares exiſtimandi ſunt. nam vere dicam, Quirites: genus ipſum legis agrariae vituperare nõ poſſum. venit enim mihi in mentem, duos clariſſimos, ingenioſiſſimos, amantiſſimos plebis Romanae viros, Ti. & C. Graccos plebem in agris publicis conſtituiſſe, qui agri a priuatis antea poſſidebantur. non ſum autem ego is conſul, qui, vt plerique, nefas eſſe arbitrer, Graccos laudare quorum conſilijs, ſapientia, legibus multas eſſe video reipub. partes conſtitutas. itaque, vt initio mihi deſignato cõſuli nunciabatur, legem agrariam tribunos pl. deſignatos conſcribere, cupiebam, quid cogitarent, cognoſcere. etenim arbitrabar, quoniam eodem anno gerẽdi nobis eſſent magiſtratus, eſſe aliquam oportere inter nos bene adminiſtrandae reip. ſocietatem cum familiariter me in eorum ſermonem inſinuarem, ac darem, celabar, excludebar: &, cum oſtenderem, ſi lex vtilis plebi Romanae mihi videretur, auctorem me, atque adiutorem futurum, tamen aſpernabantur hanc liberalitatem meam: negabant me adduci poſſe, vt vllam largitionem probarẽ. finem feci offerendi mei; ne forte mea ſedulitas aut inſidioſa, aut impudens videretur. interea non deſiſtebant clã inter ſe conuenire, priuatos quoſdam adhibere, ad ſuos coetus occultos noctem adiungere, & ſolitudinem quibus rebus quanto in metu fuerimus, ex veſtra ſolicitudine, in qua illis temporibus fuiſtis, facile aſſequi coniectura poteritis. Ineunt tandem magiſtratus tribuni pleb. concio tandem exſpectata P. Rulli, quod & princeps erat agrariae legis, & truculentius ſe gerebat, quam ceteri. iam deſignatus alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur, veſtitu obſoletiore, corpore inculto & horrido, capillatior quam ante, barbaque maiore, vt oculis & adſpectu denunciare omnibus vim tribuniciam, & minitari reip. videretur. legem hominis, concionemque exſpectabam. lex initio nulla proponitur: concionem in primis aduocari iubet. ſumma cum exſpectatione concurritur. explicat orationem ſane longam, & verbis valde bonis. vnum erat, quod mihi vitioſum videbatur, quod tanta ex frequentia inueniri nemo potuit, qui intelligere poſſet, quid diceret. hoc ille vtrum inſidiarum cauſſa fecerit, an hoc genere eloquentiae delectetur, neſcio. tamen ſi qui acutiores in concione ſteterant, de lege agraria neſcio quid voluiſſe eum dicere ſuſpicabantur. Aliquando tandem, me deſignato, lex in publicum proponitur: concurrunt iuſſu meo plures vno tempore librarij: deſcriptam legem ad me afferunt. omni hoc vobis ratione confirmare poſſum, Quirites, hoc animo ad me legendam legem, cognoſcendamq. veniſſe, vt, ſi eam vobis accommodatam, atque vtilem eſſe intelligerem, auctor eius, atque adiutor eſſem. non enim natura, neque diſſidio, neque odio penitus inſito bellum neſcio quod habet ſuſceptum conſulatus cum tribunatu: quia perſaepe ſeditioſis, atque improbis tribunis pl. boni, & fortes conſules obſtiterunt, & quia vis tribunicia nonnumquam libidini reſtitit conſulari. non poteſtatum diſſimilitudo, ſed animorum diſiunctio diſſenſionem facit. itaque hoc animo legem ſumpſi in manus, vt eam cuperem eſſe aptam veſtris cõmodis, & eiuſmodi, quam conſul, re, non oratione popularis, & honeſte, & libenter poſſet defendere. atque ego a primo capite legis vſq. ad extremum reperio, Quirites, nihil aliud cogitatum, nihil aliud ſuſceptum, nihil aliud actum, niſi vti decem reges aerarij, vectigalium, prouinciarum omnium, totius reip. regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum domini conſtituerentur, legis agrariae ſimulatione, atque nomine. ſic confirmo, Quirites, hac lege agraria, pulchra, atque populari, dari vobis nihil, condonari certis hominibus omnia; oſtentari populo Rom. agros, eripi etiam libertatem; priuatorum pecunias augeri, publicas exhauriri; denique, quod eſt indigniſſimum per tribunum pl. quem maiores praeſidem libertatis, cuſtodemque eſſe voluerunt, reges in ciuitate conſtitui. quae cum expoſuero: ſi falſa vobis videbuntur eſſe, ſequar auctoritatem veſtram, mutabo meam ſententiam: ſin inſidias fieri libertati veſtrae, ſimulatione largitionis, intelligetis, nolitote dubitare, plurimo ſudore, & ſanguine maiorum veſtrorum partam, vobisque traditam libertatem, nullo veſtro labore, conſule adiutore, defendere.

EXPLANATIO

EST *hoc in more poſitum*,] Quae more fiunt, improbari non ſolent: ſed praeter morẽ nõnulla ſaepe naſcũtur, quae tamquã vſitatis praeſtãtiora, noui moris initiũ afferunt. eius rei ſimilitudinẽ habet hoc proœmium. orditur enim Cicero a more nobiliũ; vt, in quo ipſe differat, intelligatur, & ſua laus ex cõparatione maior & illuſtrior appareat. INSTITVTOQ. *maiorum*,] a maioribus inſtitutũ, in morem tranſijt. BENEFICIO *veſtro*,] magiſtratus enim, populi beneficiũ fuit; cum in cãpo Martio vel tributis, vel centuriãtis comitijs mãdaretur. IMAGINES *familiae ſuae*] honores eorũ, quorum imagines cernuntur. Imagines autem in atrijs ſeruabantur eorum, qui curules magiſtratus geſſiſſent. itaque deſignatus ædilis cur. Cicero adeptũ ſe ius imaginis, lib. v. in Verrem ſcribit.

bir. QVA *gratiam beneficij veſtri cum ſuorum laude coniungant.*] qua cum gratias vobis agant, tum vero ſuos maiores laudent, quaſi ſimiles eorum in gerenda rep. futuri. MAIORVM *loco*] maiorum dignitate. REPERIVNTVR:] quia poſſunt aliquid de ſe ipſis dicere, quo maiores imitari videantur, ideo lib. 2. de Fin. Aliquid de maioribus tuis, & de te ipſo dicere, more maiorum. HOC *perficiunt,*] cum, de ſe ipſis quod dicant, nihil habeant. DEBITVM *eſſe*] a populo Romano. VNDE] Vt inde, videbatur vſitatius. POSTERIS] quamquam non dignis maiorum loco. SOLVERETVR,] a populo, mandandis honoribus. REDVNDARET,] cum populus non potuerit maioribus eorum digna meritis praemia perſoluere; & aliquid supereſſet quod ſoluere poſteris deberet. TALES] probitate, ac virtute. ILLORVM *ſanguine creatos*] qualem enim me videtis. tales eos fuiſſe, quorum ſanguine ſum creatus exiſtimare debetis. Indicat ex bonis fere bonos oriri. DISCIPLINISQ. *inſtitutos*] ex conſuetudine domeſtica. nam & hoc ad laudem maiorum refert. LAVDE *popul.ri,*] quia veſtris honoribus honeſtati non ſunt. LVCE] magiſtratibus enim homines illuſtrantur. VESTRO *ſummo bonore*] conſulatu. SINGVLARIQ. *iudicio.*] quia me ter praetorem primum cunctis centurijs renunciauiſtis: vt eſt in oratione pro lege Manilia. EXISTIMATVROS] cogitaturos cum animis veſtris. QVI *iudicauiſtis.*] me dignum ſummo beneficio veſtro. PERLONGO *interuallo*] poſt annos triginta, quam C. Coelius, Caldus, homo nouus, conſul factus erat. PRIMVM,] noſtris temporibus. HOMINEM *nouum.*] ex me ipſo cognitum nulla commendatione maiorum. PRAESIDIIS *firmatum,*] ſuis opibus munitum ne nouis hominibus aditus pateret. Translata verba de re militari, Praeſidijs Firmatum Obuallatū, Me duce reſcidiſtis, Patere ME *duce locum reſcidiſtis,*] non diſſimili tanslatione vſus eſt in ea pro Murena, cum inquit Cum ego tanto interuallo clauſtra iſta nobilitatis refregiſsē, vt aditus conſulatus poſthac, ſicut apud maiores noſtros fuit non magis nobilitati, quam virtuti, pateret. ALIQVA *occaſione*] cum eorum opera egere in belli reſp. videretur. CVM *multis annis poſt petiſſent, quam praetores fuiſſent*] C. Marium deſignat, qui poſt praeturam ſeptem annos iacuit lib. III Off Plutarchus, & alij. ALIQVANTO *ſerius.*] nam biennio poſt praeturam licebat. PER *aetatem*] lege Villia, quam lib. XXV. Liuius nominat, honoribus definitam. ea lege ante XLII aetatis annum petere conſulatum non licebat: eoq. anno Cicero petijt. CVM *primum licitum ſit,*] per legem Villiam. AD *alienae petitionis occaſionem*] obſeruato anno, quo parum clari viri peterent. MVLTIS *poſthabitis,*] patricijs duobus, P. Galba L. Catilina; tribus plebeijs, L. Caſſio Languino. Q. Cornificio, C. Licinio Sacerdote: quos nominat omnes Pedianus. in oratione autē pro Murena, Mihi, inquit, ipſi accidit, vt cum duob. patricijs, altero improbiſſimo, atque audaciſſimo, altero honeſtiſſimo, atque optimo viro, peterē ſuperaui tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam VINDICEM *tacitae libertatis*] eſt enim illa tacita libertas, cum ſuffragium tabella fertur. Quattuor tabellariae leges, vt lib III. de legibus Cicero prodidit latae ſunt, vna a Gabinio tribuno pl. de mandandis magiſtratibus; cū populus antea ſuffragiū voce ferre ſolitus eſſet: altera a Caſſio de populi iudicio: tertia a Carbone, de legibus iubendis ac vetādis: quarta a Coelio, de perduellione. pro Plancio. Populo grata eſt tabella, quae frontes aperit hominum, mentes tegit, datq. eam libertatem, vt, quod velint faciant. VOCEM *vniam*] in Piſonē: Me vniuerſa ciuitas nō prius tabella, quā voce, priorē conſulē declarauit. NON *extremae tribus ſuffragiorum*] cū dubia res eſt, antequā tribus extremae ſuffragiū ferant Documento hic eſt locus, binis comitijs, tributis, & cēturiatis, mandari ſolitos eſſe maiores magiſtratus nam minores binis tributis creabantur. infra: Maiores de omnibus magiſtratibus bis vos ſententiā ferre voluerunt. Idē ex oratione pro Plancio & Pediano cognoſcitur. CVI *errato nulla venia,*] pro in errato in quo docti ambigūt, ego nō offendor. AB *inuitis*] nobilibus inuidentibus nobilitati meae. NON *dubitanti fidele conſilium,*] ita coniunge ſi dubitauero non fidele conſilium, ſi laborauero, non certum ſubſidium nobilitatis oſtenditur. ADITVM *huius loci,*] vt ex roſtris loquerentur. HVIC *voci*] his verbis, popularem me futurum eſſe conſulem. NONNVLLORVM *ſimulationis*] tribunos pl. deſignat. INIRI] a Catilina potiſſimum.

SVBLATA *erat de foro fides,*] nemini pecuniae credebantur: pauca priuatim contrahebantur: metu ſcilicet nouarum rerum: cū nonnulli tribuni pl. leges de nouē tabulis promulgaſſent. Dio. NOVAE *calamitatis,*] publicae. PERTVRBATIONE *iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarum:*] nam ex ea lege perturbabantur iudicia, infirmabantur res iudicatae: vt agere cōtra debitores nemini liceret. NON *imperia, ſed regna*] in decemuiros conferri hoc videtur. nā infra: Reges conſtituuntur, nō decemuiri, Quirites. QVAE *cum ego non ſolum ſuſpicarer, ſed plane cernerem; (neque enim obſcure gerebantur)*] ſimiliter in Cluentiana. Id cum Oppianicus ſciret; (neque enim erat obſcurum) Et in ep. ad Lentulū: Quae cum viderem; (neque enim erant obſcura) Pro Sextio: Haec ego cū viderē; (neque enim erant occulta). DIXI *in ſenatu,*] Kalendis Ian. ea, quae mutila extat, oratione. QVAM *pax?*] quae hic maxime popularia dicit eſſe, pacem. libertatē otium; ea ſimul omnia paullo poſt nominat. IMPVNE] nullo hoſtili bello. PACEM *externam,*] vt pax ſit ab exteris nationibus. LIBERTATEM] vt ea me conſule conſeruetur. OTIVM *domeſticum,*] ne ſeditiones oriantur. CARA, *atque ampla*] iucunda, & honorifica. LARGITIO *aliqua promulgata,*] vt quam promulgauit Rullus Aliqua cū dicit, diſtinguere largitiones videtur, & quandā probare, vt Gracchorum, infra nominatam, quandā improbari, vt Rulli. NISI *exhauſto aerario,*] omnis enim largitio de publico aerarium exhaurit. IVDICIORVM *perturbationes.*] reprehendit leges a tribunis pl. promulgatas, de quibus vide Dionem. RESTITVTIO *damnatorum:*] vt multos reſtituit C. Caeſar, le-

ge Pompeia damnatos. GENVS *ipſum legis agrariae*] totum genus non vitupero, ſed eam tantum legem quam Rullus promulgauit: in qua nihil aliud cogitatũ, ſuſceptum, actũ video, niſi vti decem reges aerarij, vectigalium, prouinciarum omnium totius reip. regnorũ, liberorũ populorum, orbis denique terrarũ domini cõſtituerentur, legis agrariae ſimulatione, atque nomine. PLEBEM *in agris publicis conſtituiſſe,*] hic locus ita videtur intelligendus. cũ agri publici a priuatis occupati eſſẽt, ita ut contra legẽ Liciniã ſupra quingenta iugera multi poſſiderent, Gracchos in iis agris, quos per legẽ habere non liceret, plebem conſtituiſſe. NON *ſum autem ego is conſul.*] praeclara verba ad conciliandam populi beneuolentiam, vt Rulli legẽ improbare, tamquã iniquam & inutilem, non vt hominẽ odiſſe videatur. QVORVM *conſilys, ſapientia, legibus multas eſſe video reip. partes conſtitutas.*] videtur ſignificare tres leges, vnã de iure ciuiũ Romanorũ, altera de prouincijs, tertiã de iudicijs: quas omnes C. Gracchus trib. pl. tulit, de prima in ea pro Rabirio: C. Gracchus legem tulit, ne de capite ciuium R. iniuſſu populi iudicaretur. De ſecunda pro domo. C. Gracchus prouincias conſulares non modo non abſtulit a ſenatu, ſed, vt neceſſe eſſet quotannis conſtitui per ſenatus tulit. De tertia, pro Cluentio. Neque coiret, vt publico iudicio quemquam condemnaret. NEGABANT *me adduci poſſe,*] tamquam omnibus plebis Romanae commodis aduerſarium. PRINCEPS *erat agrariae legis,*] pluribus legẽ ferẽtibus tribunis pl. vnus tamẽ princeps erat, a quo nomẽ perlata lex accipiebat Pro Sextio. Princeps rogationis Q. Fabricius templum aliquanto ante lucem occupauit. CAPILLATIOR, *quam ante barbaq. maiore*] quo terrorem inſerret. in luctu quoque capillum & barbam alere moris erat. LEGEM *hominis,*] vt promulgaretur, exſpectabam. EXPLICAT quaſi volumen. VERBIS *valde bonis.*] ſententijs tamen obſcuris. VTRVM *inſidiarum cauſſa*] vtrum improbitate, an inſcitia: Inſidiarũ autem, vt plebem ipſam deciperet. ME *deſignato,*] cum Rullus magiſtratum iam iniſſet. inibant enim, vt iam dixi, tribuni pl. IIII. id. Dec. conſules Kalendis Ian. AVCTOR *eius.*] tamquam conſul. ADIVTOR] in ſundenda lege, vt Maniliam ſua ſit praetor, de Pompeio contra Mithridatem mittendo. SEDITIOSIS, *atque improbis tribunis pl.*] vt L. Opimius C Graccho, L. Saturnino C. Marius. VIS *tribunicia nonnumquam libidini reſtitit conſulari.*] reſtiterunt tribuni pl. C. Iulio, T. Quinctio cos de quare Liuius lib IV. Cũ alia, inquit, alijs terribiliora afferrẽtur, nec in auctoritate ſenatus conſules eſſent, Q Seruilius Priſcus, ſummis honoribus egregie vſus, Vos, inquit, tribuni pl. quoniã ad extrema ventũ eſt, ſenatus appellat, vt in tanto diſcrimine reip. dictatorẽ dicere conſules pro poteſtate veſtra cogatis. Qua voce audita, occaſionẽ oblatam rati tribuni pl. augẽdae poteſtatis, ſecedunt, proq. collegio pronunciant, placere, ſenatui dicto cõſules audiẽtes eſſe: ſi aduerſus cõſenſum ampliſſimi ordinis vltra tendant, in vincula ſeduci eos iuſſuros. Conſules ab tribunis, quam ab ſenatu vinci maluerunt. NON *poteſtatem diſſimilitudo,*] aeque enim tribuni pl. & cõſules vtrique pro ſua poteſtate tueri remp. debent. ANIMORVM *diſiunctio,*] ex occaſionibus orta. HONESTE,] pro ea perſona, quam ſuſtineo. LIBENTER] pro veſtris commodis. nunc eiuſmodi legem eſſe video, vt eam mihi neque per dignitatem meam, neque per vtilitatem veſtrã liceat defendere. COGITATVM, *ſuſceptum actum,*] ſeruat rerum ordinem. cogitata enim ſuſcipiuntur, ſuſcepta aguntur. DECEM *reges*] non decemuiri. LIBERORVM *populorum,*] foederatorum, ſuis legibus vtentium. CERTIS *hominibus*] decemuiris. ERIPI *etiam libertatem:*] reges enim conſtituuntur. infra Reges cõſtituuntur, nõ decemuiri, Quirites: hiq. ab iis initijs, fundamentisq. naſcuntur, vt, nõ modo congerere coeperint, ſed etiam, cum conſtituentur, omne veſtrum ius, poteſtas, libertasq. tollatur. PRAESIDEM *dignitatis,*] ne plebs a patricijs indigna ſeruitute premeretur. Liuius. SIMVLATIONE *largitionis,*] quod ſupra dixit, ſpecie largitionis; &, Legis agrariae e ſimulatione, atque nomine.

ORATIO

PRIMVM caput eſt legis agrariae, quo, vt illi putant, tentamini leuiter, quo animo libertatis veſtrae deminutionem ferre poſſitis. iubet enim, tribunum pl. qui eam legem tulerit, creare decemuiros per tribus ſeptem decem; vt, quem nouem tribus fecerint, is decemuir ſit. Hic quaero, quam ob cauſſam initium rerum, ac legum ſuarum hinc duxerit, vt populus R. ſuffragio priuaretur? toties legibus agrarijs curatores cõſtituti ſunt, triumuiri, quinqueuiri, decemuiri: quaero, a populari tribuno pl. ecquando, niſi per XXXV tribus, creati ſint? etenim, cum omnes poteſtates, imperia, curationes ab vniuerſo populo R. proficiſci conuenit, tum eas profecto maxime, quae conſtituũtur ad populi fructum aliquem, & commodum; in quo & vniuerſi deligant, quem populo R. maxime conſulturum putent; & vnuſquiſque ſtudio, & ſuffragio ſuo viam ſibi ad beneficium impetrandum munire poſſit. hoc tribuno pl. potiſſimum venit in mẽtem, populum R. vniuerſum priuare ſuffragijs, paucas tribus non certa condicione iuris, ſed ſortis beneficio fortuito ad vſurpandam libertatem vocare.

EXPLANATIO

QVI *eam legem tulerit,*] ſe ipſum ſignificabat Rullus: ipſe enim legem agrariam promulgauerat. TRIBVS XVII.] cum XXXV. omnino eſſent, ruſticae XXXI. vrbanae quattuor. NON *certa condicione iuris,*] primum peccat in eo, quod creari decemuiros iubet a paucis tribubus; deinde,

quod eas ipſas non delegit certa condicione iuris, ideſt vt pro ſua quaeque condicione deligatur; (erant enim aliae alijs nobiliores) ſed ſortitur, aequata omnium condicione, AD *vſurpandam libertatem*] retinendae libertatis gratia: ne populo ſuffragiorum ius, & libertatem ſuam adimere videatur. infra: Ad vſurpationem vetuſtatis adumbrata vocauit comitia curiata, pro, retinendae & conſeruandae vetuſtatis gratia. VOCARE.] non, vocare ad vſurpandam libertatem, ſed, vocare ad creandos decemuiros, libertatis vſurpandae gratia,

O R A T I O

ITEM, inquit? eodemque modo, capite altero, vt comitij pontificis maximi. Ne hoc quidem vidit, maiores noſtros tam fuiſſe populares, vt, quod per populum creari fas non erat, propter religionem ſacrorum, in eo tamen, propter amplitudinem ſacerdotij, voluerint populo ſupplicari. atque hoc idem de ceteris ſacerdotijs Cn. Domitius trib. pleb. vir clariſſimus, tulit; quod populus per religionem ſacerdotia mãdare non poterat, vt minor pars populi vocaretur; ab ea parte qui eſſet factus is a collegio cooptaretur. Videte, quid interſit inter Cn. Domitium trib. pl. hominem nobiliſſimum, & P. Rullum: qui tentauit, vt opinor, patientiam veſtram, cum ſe nobilem eſſe diceret. Domitius, quod per caerimonias populi fieri non poterat, ratione aſſecutus eſt, vt id, quoad poſſet, quoad fas eſſet, quoad liceret, populo ad partes daret: hic, quod populi proprium ſemper fuit, quod nemo imminuit, nemo immutauit, quin ij, qui populo agros eſſent aſſignaturi, ante acciperent a populo beneficium, quam darent, id totum eripere vobis, atque e manibus extorquere conatus eſt. ille, quod dari populo nullo modo poterat, tamen quodam modo dedit: hic, quod adimi nullo pacto poterat poteſtate, quadam ratione eripere conatur. Quaeret quiſpiam, in tanta iniuria, tantaque impudentia quid ſpectarit. Non defuit conſilium: fides erga plebem Romanam, aequitas in vos, libertatemque veſtram vehementer defuit. iubet enim comitia decemuiris habere creandis eum, qui legem tulerit. hoc dicam planius. iubet Rullus, homo non cupidus, neque appetens, habere comitia Rullum nondum reprehendo. video feciſſe alios. illud, quod nemo fecit, de minore parte populi, quo pertineat, videte. habebit comitia: volet eos renunciare, quibus regia poteſtas hac lege quaeritur. vniuerſo populo neque ipſe committit, neque illi horum conſiliorum auctores committi recte putant poſſe. ſortietur tribus idem Rullus, homo felix: educet, quas volet, tribus quos nouem tribus, decemuiros fecerint ab eodem Rullo eductae, hos omnium rerum, vt iam oſtendam, dominos habebimus. atque ij, vt grati, ac memores beneficij eſſe videantur, aliquid ſe nouem tribuum notis hominib. debere confitebuntur; reliquis uero VI. & XX. tribubus, nihil erit, quod non putent poſſe ſuo iure denegare. Quos tandem igitur decemuiros creari vult? ſe primum. qui licet? leges enim ſunt veteres, neque eae conſulares, ſi quid intereſſe hoc arbitramini, ſed tribunicia, vobis maioribusque veſtris vehementer gratae, atque iucundae. Licinia eſt lex, atque altera Aebutia: quae non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione, ac poteſtate, ſed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne eis ea poteſtas curatio ve mandetur. etenim ſi populo conſulis remoue te a ſuſpicione alicuius tui commodi: fac fidem, te nihil, niſi populi vtilitatem, & fructum, quaerere: ſine ad alios poteſtatem, ad te gratiam beneficij tui peruenire. nam hoc quidem vix eſt liberi populi, vix veſtrorum animorum, ac magnificentiae, quis legem tulit? Rullus quis maiorem partem populi ſuffragijs priuauit? Rullus quis comitijs praefuit? Rullus. quis tribus, quas voluit, vocauit, nullo cuſtode ſortitus? quis decemuiros, quos voluit, renunciauit? idem Rullus. quem principem renunciauit? Rullum. vix mehercule ſeruis hoc eum ſuis, non vobis, omnium gentium dominis, probaturum arbitrarer. optimae leges igitur hac lege ſine vlla exceptione tollẽtur. idem legis ſibi ſua lege curationem petet: idem, maiore parte populi ſuffragijs ſpoliata, comitia habebit: quos volet. atque in ijs ſe ipſum, renunciabit; & videlicet collegas ſuos, adſcriptores legis agrariae nõ repudiabit, a quibus ei locus primus inuidiae in praeſcriptione legis conceſſus eſt: ceteri fructus omnium rerum, qui in ſpe legis huius poſiti ſunt, communi cautione, atque aequa ſibi parte retinentur. At videte hominis diligentiam; ſi aut Rullum cogitaſſe, aut ſi Rullo potuiſſe in mentem venire arbitramini. Viderunt ij, qui haec machinabantur; ſi vobis ex omni populo deligendi poteſtas eſſet data, quaecumque res eſſet, in qua fides, integritas, uirtus, auctoritas quaereretur, vos eam ſine dubitatione ad Cn. Pompeium principem delaturos. etenim quem vnum ex cunctis delegiſſetis, ut eum omnibus omnium gentium bellis terra, & mari praeponeretis, certe in decemuiris faciendis, ſiue fides haberetur, ſiue honos, & committi huic optime, & ornari hunc iuſtiſſime poſſe intelligebant. itaque excipitur hac lege non adoleſcentia, non legitimum aliquod impedimentum, non poteſtas, non magiſtratus ullus alijs negotijs, ac legibus impeditus, reus denique, quo minus decemuir fieri poſſit. praeſentem eum profiteri iubet. quod nulla alia in lege umquam fuit, ne in ijs quidem magiſtratibus, quorum certus ordo eſt. timebat enim Pompeius, ne, ſi adeſſet, ferri nõ poſſet; aut ut ſi accepta lex eſſet, illum ſibi collegam adſcriberetis, cuſtodem ac uindicem cupiditatum. Hic quoniam uideo uos hominis dignitate, & cõtumelia legis eſſe commotos; renouabo illud, quod initio dixi, regnum comparari, libertatem ueſtram hac lege funditus tolli. an uos aliter exiſtimabatis, cum ad omnia ueſtra pauci homines cupiditatis oculos adieciſſent, uos eos in primis id acturos, ut ex omni cuſtodia ueſtrae libertatis, ex omni poteſtate, curatione patrocinio ueſtrorum commodorum Cn. Pompeius depelleretur? uiderunt, & uident, ſi per imprudentiam ueſtram, negligentiam meã, legem incognitam acceperitis, fore uti poſtea, cognitis inſidijs, cum decemuiros crearetis, tum uitijs omnibus, & ſceleribus legis Cn. Pompeij praeſidiũ opponendum putetis. & hoc paruum argumentum uobis erit, a certis hominibus dominationem, poteſtatemque omnium rerum quaeri, cum uideatis eum, quem cuſtodem ueſtrae libertatis fore uideant, expertem fieri dignitatis?

EXPLA-

EXPLANATIO

VT *comitijs pontificis max,*] comitia vocabat Rullus,in quibus non tribus omnes,ſed tantū XVII. ſorte ductae,de pōtifice max.ſuffragium ferrent. at Cicero infra negat eſſe comitia. Iā hoc,inquit,inauditū,& plane nouo more,vti curiata lege magiſtratus detur,cui nullis comitijs ante ſit datus.Creabātur pontifices max.a populo,non vniuerſo.ſed tantū a tribubus XVII.ex vetere inſtituto: reliqui ſacerdotes a collegijs. poſtea ipſi quoque lege Domitia a populo creari coepti ſunt.qua de re copioſe diſputauimus in libro noſtro de Legibus.PER *populum creari fas non erat.*]ſacrum a profanis. PROPTER *amplitudinem ſacerdotij,*]magnas enim res,& ad ciuitatem vniuerſam pertinētes, deferri ad populum,vt is iudicet,aequum eſt. POPVLO *ſupplicari.*]a populo peti. Temporis cauſſa vſus eſt verbo populi maieſtatē indicante:quo magis Rullum in odiū adduceret, qui,comitia e ſolis XVII.tribubus conſtituens, populum tribunus pl. contemnere videtur. DE *ceteris ſacerdotijs*] de pontificibus minoribus,auguribus,quindecimuiris Sibyllinis,triumuiris epulonū.CN. *Domitius tribunus pl.*] Ahenobarbus,Q.Catuli minoris auunculus.qui tribunus pl. fuit, auctore Pediano, C.Mario II. C.Fimbria coſ.is cum augur eſſe non potuiſſet,iratus,tāquam accepta iniuria,cooptandorū ſacerdotū poteſtatem,lege lata, a collegijs ad populū tranſtulit:vt ita crearentur a populo.ideſt a XVII.tribubus, quemadmodum pōtifex max.creari ſolitus erat.Cicero pro C.Cornelio,Velleius lib 2.Suetonius in Nerone.VIR *clariſſimus,*] accepta a patre,auo,maioribus nobilitate, vt ait Cicero pro Cornelio: vel clariſſimus,habita bonorum ratione,quos poſtea geſſit: conſul.n.cenſorq. fuit.argumentum. Si vir clariſſimus hoc fecit,quia aliter facere non poterat,vt ſacerdotes a XVII.tribubus creari iuberet: tu tibi, Rulle,minime cum eo conferendus,licere idē putas in decemviris creandis? PER *caerimonias.*] quod ſupra dixit,Per religionem ſacrorum.RATIONE]conſilio,& prudentia. QVOAD *poſſet,*] plus enim non poterat. QVOAD *fas eſſet,*] quantum religio concederet, QVOAD *liceret,*] per leges de religione latas.POPVLI *ad partes daret:*] partes populi ſunt tribus:ad partes igitur populi,ad trib. XVII. non ad vniuerſum populū.Suſpectus locus e nouitate ſermonis quod ſi,Populo, legatur, minus offendat.NEMO *imminuit,nemo immutauit,*]imminuit ex aliqua parte,immutauit totum. ANTE *acciperent a populo beneficium,*]ante a populo crearentur. non,vt Rullus iubet,a partibus populi. ERIPERE *uobis,*] creati enim a XVII.tribubus decemviri, non a populo, ſed a partibus populi beneficium accipient. NVLLO *modo*] excuſatur Domitius, qui quod poteſtate non poterat,vt ſacerdotes a populo vniuerſo crearentur,ratione conſecutus eſt,vt creati viderētur: accuſatur Rullus, qui, cum decemuiros ab vniuerſo populo creari liceret, creari potius a populi parte voluerit. ille igitur poteſtatē ratione auxit: hic poteſtatem ratione peruertit QVADAM] per contemptum,Quadam.nō enim cum Domitij ratione conferenda.ea vero ratio eſt,vt XVII.tribus ſuffragium ferant; ne ſuā populo poteſtatem eripuiſſe videatur,quam tamen eripit. IN *tanta iniuria,*] quia, quod populi proprium ſemper fuit, vt curatores agrorum vniuerſus crearet, id ille vobis eripere,atque e manib extorquere conatur. TANTAQ. *impudentia*] quia facere audet quod in eiuſmodi re nemo vnquam. ILLI] de quibus Hor.I.Dabitis igitur Alexandriam clam petentibus ijs,quibus apertiſſime pugnantibus reſtitiſtis? HOMO *felix:*] quia ſortietur,quas volet: quod felicitatis eſt. Fraus autem in ſortitione demonſtratur:vt infra: Quis tribus,quas voluit,nullo cuſtode ſortitus? NOTIS *hominibus*] in malam partem,pro,corruptis.pro Coelio: Mulier non ſolum nobilis, verum etiam nota. LICINIA *eſt lex, atque altera Aebutia:*] vtraque,vt opinor,tribunicia:ne quid in ferenda lege praeter populi commodum ſpectaretur. Liciniae mentio fit in oratione pro Domo. GRATIAM *beneficij tui*] vt tibi gratia apud populum ex beneficio tuo comparetur. Hoc] vt qui legem fert, pro ſua libidine ſanciat ea,quae ſupra infraq. dicuntur.contra Liciniam,& Aebutiam legem. OPTIMAE *leges*] Licinia, & Aebutia. SINE *ulla exceptione*] totae,nulla excepta parte. LOCVS *primus*] in ferenda lege. INVIDIAE] non,vt ipſe putauit,gratiae popularis. CETERI *fructus*] hoc vnum Rulli proprium erit, vt ſit princeps legis, eiusq. nomen legi praeſcribatur:ceteri legis fructus inter decemuiros communes. CAVTIONE] ita cautū eſt inter eos,ne ſua quiſquam fructuum parte fraudetur. VIDERVNT *ij,*] qui Pompeij gloriae inuidebant,Craſſus in primis Craſſiq. amicus Caeſar AD. CN. *Pompeium*] qui hoc tempore bellum in Aſia contra Mithridatem gerebat,regno quidem expulſam,amiſſo exercitu,adhuc tamen in vltimis terris aliquid molientem,ſeq. Maeotide palude & itinerum anguſtijs,atq. altitudine montiū defendente. TERRA, *& mari;*] piratico primum,lege Gabinia,deinde Mithridatico,Manilia. REVS *denique,*] non excipitur.nam ſubauditur,Non. PRAESENTEM *eum profiteri iubet.*] is autem adeſſe non poterat,longinquo bello impeditus: itaque excludebatur lege Rulli.QVOD *nulla alia in lege umquam fuit,*] vt preſentes profiteri iuberentur. licebat.n. abſentibus profiteri per amicos preſentes: & corū ita ratio habebatur,ſi ad comitia prius,quam haberētur, accurriſſent,& praeſentes magiſtratū a populo petiuiſſent CERTVS *ordo*]Annali lege praeſcriptus. TIMEBAT *enim, Pompeius,ne,ſi adeſſet, ferri non poſſet;*]horum verborum hic eſt ordo. Timebat Rullus,ne,ſi Pompeius adeſſet,lex ferri non poſſet.Sed vt dicam quod ſentio,nonnihil offendor hac ſtructura &,Pompeius,gloſſema fuiſſe puto. CONTVMELIA *legis*] contumelia, quam Pompeio lex imponit. QVOD *initio dixi, regnum comparari,libertatem veſtram hac lege funditus tolli*] initio dixit haec. A primo capite legis vſque ad extremum repe-

mum reperio. Quirites, nihil aliud cogitatum, nihil aliud ſuſceptum, nihil aliud actum, niſi vti decē reges aerarij, vectigalium, prouinciarum omnium, totius reip. regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum domini conſtituerentur, legis agrariae ſimulatione, atque nomine. Sic confirmo, Quirites, hac lege agraria, pulchra, atque populari, dari vobis nihil, condonari certis hominibus omnia; oſtentari populo Romano agros eripi etiam libertatem; priuatorum pecunias augeri, publicas exhauriri; denique, quod eſt indigniſſimū, per tribunū pl. quem maiores praeſidē libertatis, cuſtodemq. eſſe voluerunt, reges in ciuitate conſtitui. CVPIDITATIS *oculos aute ciſſent,*] ſic lib. 2. in Verrem. Videbant adiectum eſſe oculum hereditati CVRATIONE,] agrorum IMPRVDENTIAM] inſcientiam. lib. 2. de Inu. Imprudentia eſt, cum ſciſſe aliquid is, qui arguitur, negat. Imprudentiam autem in eo, quia non cognitam legem acceperitis. NEGLIGENTIAM *meam,*] in eo, quia vitia legis non patefecerim. A CERTIS *hominibus*] ijs, quos ſaepe nutu, ſignificationeq. appellat.

O R A T I O

COGNOSCITE nunc, quae poteſtas decemuiris & quanta detur. Primum lege curiata decemuiros ornat. Iam hoc inauditum, & plane nouo more, vti curiata lege magiſtratus detur, cui nullis comitijs ante ſit datus. eam legem ab eo praetore, qui ſit primus factus, ferri iubet: at quo modo? vt ij decemuiratum habeant, quos plebs deſignauerit. oblitus eſt, nullos a plebe deſignari. & is orbem terrarū conſtringit nouis legibus, qui, quid in ſecundo capite ſcriptum, eſt, non meminit in tertio. Atque hic perſpicuum eſt, quid iuris a maioribus acceperitis, quid ab hoc tribuno pl. vobis relinquatur. maiores de omnibus magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt. nam centuriata lex cenſoribus ferebatur, cum curiata ceteris patricijs magiſtratibus: tum iterum de eiſdem iudicabatur; vt eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum beneficij ſui paeniteret. nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata, & tributa: curiata tantum auſpiciorum cauſſa remanſerunt. hic autem tribunus pl. quia videbat poteſtatem neminem iniuſſu populi, aut plebis poſſe habere; curiatis ea comitijs, quae vos non ſinitis, confirmauit, tributa, quae veſtra erant, ſuſtulit. ita cum maiores binis comitijs voluerint vos de ſingulis magiſtratibus iudicare, hic homo popularis ne vnam quidem populo comitiorum poteſtatem reliquit. Sed videte hominis religionem, & diligentiam. Vidit, & perſpexit, ſine curiata lege decemuiros habere poteſtatem non poſſe, quoniam per nouem tribus eſſent conſtituti. iubet ferri de his legem curitatam: praetori imperat. quam in ipſum abſurde, nihil ad me attinet: iubet enim, qui primus ſit praetor factus, eum legem curiatam ferre: ſin is ferre non poſſit, qui poſtremus ſit: vt aut luſiſſe in tantis rebus, aut profecto neſcio quid ſpectaſſe videatur. verum hoc, quod eſt aut ita peruerſum vt ridiculum, aut ita malitioſum, vt obſcurum ſit, relinquamus: ad religionem hominis reuertamur. Videt, ſine lege curiata nihil agi per decemuiros poſſe. quid poſtea, ſi ea lata non erit? attendite ingenium. tum ij decemuiri, inquit, eodem iure ſint, quo qui optima lege. ſi hoc fieri poteſt, vt in hac ciuitate, quae longe iure libertatis ceteris ciuitatibus antecellit, quiſquam nullis comitijs imperium, aut poteſtatem aſſequi poſſit: quid attinet tertio capite, legem curiatam ferre, iubere, quoniam quarto permittas, vt ſine lege curiata idem iuris habeant quod haberent, ſi optima lege a populo eſſent creati? Reges conſtituuntur, non decem viri, Quirites: hiq. ab ijs initijs fundamentisq. naſcuntur, vt, non modo cum gerere coeperint, ſed etiam cum conſtituentur, omne veſtrum ius, poteſtas, libertasq. tollatur. at videte, quam diligenter retineat ius tribunitiae poteſtatis. conſulibus legem curiatam ferentibus a tribunis pl. ſaepe eſt interceſſum. neque tamen nos id querimur, eſſe hanc tribunorum pl. poteſtatem: tantummodo, ſi quis ea poteſtate temere eſt vſus, exiſtimamus. hic tribunus pl. legi curiatae, quam praetor ferat, adimit intercedendi poteſtatem. atque hoc cum in eo reprehēdendum eſt, quod per tribunum pl. tribunicia poteſtas minuitur: tum in eo deridendum, quod conſuli, ſi legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet; hic, qui vetat intercedere, poteſtatem, etiam ſi interceſſum ſit, tamen eandem conſtituit, quam ſi lata eſſet lex: vt non intelligam, quare aut hic vetet intercedere, aut quemquam interceſſurum putet, cum interceſſio ſtultitiam interceſſoris ſignificatura ſit, non rem impeditura.

E X P L A N A T I O

LEGE *curiata*] quae imperium, & rei militati neceſſaria dabat. infra: Conſuli, ſi legem curiatā nō habet, attingere rem militarem non licet. ORNAT.] inſtruit ijs rebus, quas habere ſine curiata lege non licet. eae non multo poſt nominantur. MAGISTRATVS *detur,*] magiſtratum curiata lex nō dabat, ſed ornabat. ergo, Detur, ideſt confirmetur, propter ea, quae magiſtratū curiata lex dabat. NVLLIS *comitijs*] comitia enim non ſunt XVII. tribus. AB EO *praetore,*] & hoc nouum. curiatam enim legē cōſules ferebant: vt infra: conſulibus legē curiatā ferentibus a tribunis pl. ſaepe eſt interceſſum. Et ad Lentulum: Legem curiatā conſuli ferri opus eſſe, neceſſe nō eſſe. PRIMVS,] qui plura, quā ceteri, ſuffragia tulerit. pro lege Manilia: Ter praetor primus cēturijs cūctis renunciatus ſum. Et cōtra competitores: Neſcis me praetorem primum eſſe factum. NVLLOS *a pelebe deſignari:*] nō enim a plebe, ſed a parte plebis decemuiros deſignari iubet. IN *ſecundo capite*] in quo erat, vt decē uiri itē, eodemq. modo crearentur, vt comitijs pōtificis max. ij vero a tribubus XVII. creabantur. DE *omnibus magiſtratibus*] maioribus, & minoribus. maior autē conſul, & praetor: minores reliqui. BIS]

centuriatis,& tributis comitijs qui mos manſit.prius autẽ,quã tributa comitia Publilia lege inducerentur,curiata & centuriata magiſtratum dabant. Centvriata *lex*] legem pro comitijs vſurpat. Cvm *curiata ceteris patricijs magiſtratibus.*] difficilis admodum locus;qui praeſtanti viros ingenio,doctrinaq.torſit.ego,cũ ita de ceteris exiſtimẽ vt eos mihi praeferam, audebo tamen meã ſententiã interponere:ne quas interpretãdi partes ſuſcepi,eas neglexiſſe videar labore deterritus.Binis comitijs de omnibus magiſtratibus a populo ſententiã ferri,maioribus placuerat.magiſtratus autẽ ita diſtinguuntur vt alij patricij ſint,alij plebeij:patricij,quaeſtor,aedilis cur.praetor,conſul cenſor: plebeij, tribunus pl aedilis pl.alij. Sed bina comitia primũ fuere de patricijs, magiſtratibus, plebeijs nondum creatis,centuriata,& curiata.excipio cenſores, qui licet inter patricios magiſtratus eſſent, vnis tamen centuriatis creabantur.ideo dicit Cicero:Centuriata lex cenſoribus ferebatur.Vbi vero plebeij magiſtratus creati ſunt: in curiatorũ comitiorũ locũ tributa ſucceſſere. nã curiatis nihil cũ plebeijs magiſtratibus:inſtituta sũt enim patriciorũ cauſſa,multo ante originẽ plebeiorũ.Dicet aliquis:Cur non eadẽ ratione cẽturiata ſublata ſunt, inſtituta a Seruio rege, cũ nulli dũ plebeij magiſtratus eſſent? Reſpondetur:Vt eſſent aliqua comitia auſpicato, quibus patricij magiſtratus crearẽtur.nã tributa auſpicata non erãt.Quemadmodũ igitur de patricijs magiſtratibus,cẽſore tamen, vt diximus,excepto,cẽturiatis primũ,deinde curiatis comitijs ante quã plebeij crearẽtur,populus ſuffragiũ tulit:ſic, vbi plebeij creati ſunt,cẽturiatis, & tributis,curiatis auſpiciorũ cauſſa remanẽtibus, idẽ populus ſuffragiũ tulit.Nunc.vt ad intelligentiã aditus lectori facilior ſit,ſingula verba põderemus.Centvriata *lex cenſoribus ferebatur,*] cẽturiata comitia,ſine curiatis,cẽſoribus creãdis fiebãt, cũ curiatis vero,ceteris patricijs magiſtratibus.tvm *iterum*] eo tempore centuriatis, curiatiſq. comitijs,cũ tributa nondũ eſſent,nũc cẽturiatis,& tributis,cũ ſublata curiata ſint,de omnibus plane magiſtratibus ſuffragium populus fert. Prima] ratione curiatorum non habita: Tantvm *auſpiciorum cauſſa*] non vt de magiſtratibus iudicet,ſed vt,quae auſpicato fuerãt inſtituta,remanere videãtur.infra: Sint igitur decemuiri neque veris comitijs, hoc eſt populi ſuffragijs,neque illis ad ſpeciẽ,atque ad vſurpationem vetuſtatis per xxx.lictores adumbratis,conſtituti. Hic *autem tribunus pl.*] qui tueri veſtra iura debet. Popvli, *aut plebis*] populum vocat conſul, ideſt patricios ſimul & plebeios, plebem tribunus pl.quia patricios vocandi ius non habet:vnde plebiſcitũ quod a tribuno pl.vocata plebs iuſſit. Cvriatis *ea comitijs.*] vel Ea quae ſcripta ſunt in lege de ornandis decemuiris: vel,Eam,reponendum quod alijs placet:vt ad poteſtatem referatur. N n *Sinitis,*] pro,Sinitis,alij legunt Initis,alij.Sciſcitis ego nihil muto:vt ſit,Non Sinitis,pro,nõ permittitis,nõ relinquitis haberi non vultis:cum tributa, eorum loco repoſita ſint. Religionem,] cui religio fuit, decemuiris poteſtatẽ dare ſine lege curiata:cũ eidẽ religio nõ fuerit,multa ſancire in ſua lege, quae nec aequa, nec vtilia populo ſint. Diligentiam.] in decemuiris curiata lege ornandis. iubet enim legem ferri:iubet,a praetore:iubet ab eo praetore,qui primus ſit factus:iubet,ſi is ferre nõ poſſit,ab eo ferri qui poſtremus ſit. Vidit, *& perſpexit, ſine curiata lege decemuiros habere poteſtatem non poſſe*] hoc ad religionẽ pertinet.nã infra,Ad religionẽ,inquit hominis reuertamur.Videt ſine lege curiata nihil agi per decemuiros poſſe. Lvsisse] qui a primo praetore ad poſtremum,medijs omiſſis,ius ferendae curiatae legis transferat Sequitur:Ita peruerſum,vt ridiculum. Nescio *quid*] fraudem aliquam ſequitur enim, Aut ita malitioſum,vt obſcurum. Perversvm,] in ordine:cum latio legis non a primo praetore ad ſecundum,ſed ad vltimum transferatur. Malitiosvm,] cupit enim decipere,ſed ita,ne quis fraudem intelligat Si. ea *lata non erit?*] intercedente aliquo tribuno pl.vel obnunciante aliquo magiſtratu. Eodem *iure*] ampliſſimo ſcilicet.id enim haec addita verba,Quo qui optima lege,ſignificabant,vt ait Feſtus. Qvo *qui optima lege.*] creantur a populo.ſic locutus Phil. 5. S. hoc *fieri poteſt,*] quod fieri nullo pacto poteſt:ſed ſi poteſt,vt Rullus putat: quid attinet, tertio capite,legẽ curiatam ferre iubere? Fieri autẽ,magis placet,quã Ferri: quod antea legebatur. notat enim Rulli vel impudentiam,vel ignorantiam,qui iubeat id quod fieri non poteſt Existimamvs.] de tribuno pl. impediente iudicamus. Potestatem *tamen eandem conſtituit,*] vult enim, ſi curiata lex ferri non poſſit,eodem tamen iure decemuiros eſſe,quo qui optima lege.

O R A T I O

Sint igitur decemuiri neque veris comitijs, hoc eſt populi ſuffragijs,neque illis ad ſpeciẽ, atque ad vſurpationem vetuſtatis per XXX lictores auſpiciorum cauſſa adumbratis, conſtituti. Videte nunc, eos, qui a vobis nihil poteſtatis acceperint, quanto maioribus ornamentis afficiat, quam omnes nos affecti ſumus, quibus vos ampliſſimas poteſtates dediſtis. Iubet, auſpicij coloniarum deducendarũ cauſſa,decemuiros habere pullarios. eodem iure, inquit, quo habuerunt treſuiri legem Semproniam. Audes etiam, Rulle,mentionem facere legis Sẽproniae? nec te ea lex ipſa commonet, treſuiros illos XXXV tribuum ſuffragio eſſe creatos? & cum tu a Ti. Gracchi aequitate, ac pudore longiſſime remotus ſis: id, quod diſſimillima ratione factum ſit,eodẽ iure putas eſſe oportere? Dat praeterea poteſtatem verbo praetoriam, reuera regiam: definit in quinquennium,facit ſempiternam:tantis enim confirmat opibus & copijs, vt inuitis eripi nullo modo poſſit. Deinde ornat apparitoribus, ſcribis,librarijs,praeconibus, architectis, praeterea multis tabernaculis, centurijs, ſupellectili: ſumptum haurit ex aerario: ſuppeditat a ſocijs: ianitores ex equeſtri loco ducentos in annos ſingulos, ſtipatores corporis conſtituit eoſdem miniſtros, & ſatellites poteſtatis.

EXPLA-

EXPLANATIO

POPVLI] vniuerſi.nam vera comitia non ſunt,cum ſolae XVII tribus ſuffragium ferunt. PER XXX *lictores.*] vt triginta veteres curiae referantur:ne ſublatae penitus,quae auſpicato inſtituta fuerant,curiata comitia viderentur. IVBET *nunc*] caput legis quartum. AVSPICII *deducendarum coloniarum cauſſa,*] vt auſpicato coloniae deducantur. PVLLARIOS] qui ex pullis gallinaceis auſpicia captarent,rei quae ageretur,confirmandae gratia. TRESVIRI] qui agros a diuitibus ſupra legitimum numerum, ideſt, ſupra quingenta iugera, contra legem Liciniam poſſeſſos, pauperibus diuiderent.ij fuere,lator ipſae legis Ti. Sempronius Gracchus, Ap. Claudius, eius ſocer, & Caius Tiberij frater Plutarchus. CENTVRIIS,] ſi ſic legatur:plane quid hoc ſit,ego non aſſequor: licet mulum centuriatum a Vopiſco in Aureliano videam nominari.Canterijs,fortaſſe rectius ſed videntur ſtatim poſt,Mulis, nominari debuiſſe, non inter tabernacula & ſuperlectilem interponi. SVMPTVM *haurit ex aerario:*] quod ſatis eſſe debuit:& tamen ſuppeditat a ſocijs.IANITORES *ex equeſtri loco ducentos*] omnibus decemuiris.nam ſi ſingulis,dixiſſet, ducenos.

ORATIO

FOrmam adhuc habetis, Quirites, & ſpeciem ipſam tyrannorum : inſignia videtis poteſtatis, nondum ipſam poteſtatem.dixerit enim fortaſſe quiſpiam : quid me iſta laedunt,ſcriba, lictor,praeco,pullarius? Omnia ſunt haec huiuſmodi.Quirites,vt, ea qui habeat ſine veſtris ſuffragijs, aut rex non ferendus, aut priuatus furioſus eſſe videatur. perſpicite, quanta poteſtas permittatur : non priuatorum inſaniam, ſed intolerantiam regum eſſe dicetis : Primum permittitur infinita poteſtas innumerabilis pecuniae conficiendae de veſtris vectigalibus,non fruendis,ſed alienandis deinde orbis terrarum gentiumq. omnium datur cognitio ſine conſilio, poena ſine prouocatione, animaduerſio ſine auxilio. iudicare per quinquennium vel de conſulibus,vel de ipſis tribunis pl.poterunt : de illis interea nemo iudicabit. magiſtratus his gerere licebit, cauſſam dicere non licebit : emere agros a quibus volent,vel quos volent,quam volent magno poterunt : colonias deducere nouas, renouare veteres, totam Italiam ſuis colonijs vt complere liceat, permittitur : omnes prouincias obeundi, liberos populos agris multandi, regnorum vel dandorum ſumma poteſtas datur : cum velint, Romae eſſe;cum commodum ſit : quacumque velint, ſummo cum imperio, iuditioq. omnium rerum vagari vt liceat, conceditur: interea diſſoluant iudicia publica: de conſilijs abducant, quos velint: ſinguli de maximis rebus iudicēt: quaeſtori permittant: finitorem mittant : ratum ſit, quod finitorem vni illi, a quo miſſus erit,renunciauerit.Verbum mihi deeſt, Quirites, cum ego hanc poteſtatem regiam appella: ſed profecto maior eſt quaedam. nullum enim regnum fuit vnquam, quod non ſi minus iure aliquo, at regionibus tamen certis contineretur. hoc vero infinitum eſt, quo & regna omnia, & veſtrum imperium, quod latiſſime patet, & ea, quae partim libera a vobis, partim etiam ignorata vobis ſunt, permiſſu legis continentur. Datur igitur eis primum vt liceat eis uendere omnia,de quibus vendendis S. C. facta ſunt M.Tullio, Cn. Cornelio coſ. Cur hoc tam eſt obſcurum, atque caecum? quid? iſta omnia. de quibus ſenatus cenſuit, nominatim in lege perſcribi non ne potuerunt? duae ſunt huius obſcuritatis cauſſae,Quirites,vna pudoris;ſi quis pudor eſſe poteſt in tam inſigni impudentia; altera ſceleris. nam neque ea, quae ſenatus nominatim uendenda cenſuit, audet appellare.ſunt enim loca publica urbis,ſunt ſacella, quae poſt reſtitutam tribuniciam poteſtatem nemo attigit, quae maiores in urbe paſſim periculi perfugia eſſe uoluerunt. haec lege tribunicia decemuiri uendent.accedet eo mons Gaurus : accedent ſalicta ad Minturnos : adiungetur etiam illa uia uendibilis Herculanea,multarum deliciarum, & magnae pecuniae, permulta alia, quae ſenatus propter anguſtias aerarij uendenda cenſuit, conſules propter inuidiam non uendiderunt. Verum haec fortaſſe propter pudorem in lege reticentur : ſed illud magis eſt credendum,& pertimeſcendum,quod audaciae decemuirali corrumpendarum tabularum publicarum, fingendorumq. S. C. quae facta numquam ſunt, cum ex eo numero, qui per eos annos conſules fuerunt, multi mortui ſint, magna poteſtas permittitur. niſi forte nihil eſt aequum nos de eorum audacia ſuſpicari, quorum cupiditati nimium anguſtus orbis terrarum eſſe uideatur. Habetis unum uenditionis genus; quod magnum uideri uobis intelligo: ſed attendite animos ad ea, quae conſequuntur: hunc quaſi gradum quendam,atque aditum ad cetera factum intelligetis. Qui agri. quae loca. quae aedificia. Quid eſt praeterea? multa, in mancipijs, in pecore, auro, argento, ebore, ueſte, ſupellectili, ceteris rebus. quid dicam? inuidioſum putaſſet hoc fore, ſi omnia nominaſſet? non metuit inuidiam. quid ergo? longum putauit, & timuit, ne quid praeteriret : adſcripſit, aliudue. quid. Qua breuitate rem nullam eſſe exceptam uidetis. quidquid ergo ſit extra Italiam, quod publicum populi R. factum ſit L. Sulla, Q. Pompeio coſ. aut poſtea, id decemuiros iubet uendere. Hoc capite, Quirites, omnes gentes, nationes, prouincias, regna decemuirum ditioni, iudicio, poteſtatiq. permiſſa, & condonata eſſe dico. primum hoc. quaero enim, qui tandem locus uſquam ſit, quem non poſſint decemuiri dicere publicum populi R. eſſe factum? nam, cum idem poſſit iudicare,qui dixerit:quid eſt,quod non liceat ei dicere, cui liceat eidem iudicare? commodum erit Pergamum,Smyrnã,Tralles,Epheſum, Miletum, Cyzicum, totam denique Aſiam, quae poſt L.Sullam, Q. Pompeium conſules recuperata ſit, populi R. factam eſſe dicere. utrum oratio ad eius rei diſceptationem deerit; an, cum idem & differet,& iudicabit,impelli non poterit, ut falſum iudicet? an,ſi condemnare Aſiam volet,terrorem

damnationis, & minas non, quanti volet, aeſtimabit? Quid (quod diſputari contra nullo pacto poteſt: quoniam ſtatutū a vobis eſt & iudicatum: quam hereditatē iam creuimus) regnum Bithyniae, quod certe publicum eſt populi R. factum? num quid cauſſae eſt, quin omnes agros, vrbes, ſtatina, portus, totam denique Bithyniam decemuiri vendituri ſint? Quid Mitylenae, quae certe veſtrae, Quirites, belli lege, ac victoriae iure factae ſunt, urbs & natura, & ſitu, & deſcriptione aedificiorum & pulchritudine in primis nobilis; agri iucundi, & fertiles? nempe eodem capite incluſi continentur. Quid Alexandria, cunctaque Aegyptus? vt occulte latet? vt recondita eſt? vt furtim totam decemuiris traditur? quis enim veſtrum hoc ignorat? dici, illud regnum teſtamento regis Alexandrini populi R. eſſe factum. hic ego conſul populi Rom. non modo nihil iudico ſed ne quid ſentiam quidem profero. magna enim mihi res non modo ad ſtatuendum, ſed etiam ad dicendum videtur eſſe. video, qui teſtamentum factum eſſe confirmet: auctoritatem ſenatus extare hereditatis aditae ſentio, tum, quando Alexandro mortuo, legatos Tyrum miſimus, qui ab illo pecuniam depoſitam noſtris recuperarent. haec L. Philippum ſaepe in ſenatu confirmaſſe, memoria teneo. eum, qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque animo regio eſſe, inter omnes fere video conuenire. Dicitur contra: nullum eſſe teſtamentum: non oportere populum Ro. omnium regnorum appetentem videri: demigraturos in illa loca noſtros homines propter agrorum bonitatem, & omnium rerum copiam. Hac tanta de re P. Rullus cum ceteris decemuiris, collegis ſuis, iudicabit? & verum iudicabit? nam vtrumque ita magnū eſt, vt nullo modo neque concedendum, neque ferendum ſit. Volet eſſe popularis, populo Rom. adiudicabit. Ergo idem ex ſua lege uendet Alexandriam, vendet Aegyptum, vrbis copioſiſſimae, pulcherrimorumque agrorum iudex, arbiter, dominus, rex denique opulentiſſimi regni reperietur. Non ſumet ſibi tantum, non appetet: iudicabit Alexandriam regis eſſe, a populo Rom. abiudicabit. Primum populi Rom. hereditatem decemuiri iudicent, cum vos volueritis de priuatis hereditatib. centumuiros iudicare? deinde quis aget cauſſam populi Rom.? vbi res iſta agetur? qui ſunt iſti decemuiri, quos perſpiciamus regnum Alexandriae Ptolemaeo gratis adiudicaturos? Quod ſi Alexandria petebatur, cur non eoſdem curſus hoc tempore, quos L. Cotta, L. Torquato coſ. contuerunt? cur non aperte ut antea? cur non item, ut cum directo & palam regionem illam petierunt? an qui etiis ijs, qui per curſum rectum regnum tenere non potuerunt, nunc taetris tenebris, & caligine ſe Alexandriam peruenturos arbitrati ſunt? atque illud circumſpicite veſtris mentibus unaque. Legatos noſtros, homines auctoritate tenui, qui rerum priuatarum cauſſa legationes liberas obeunt, tamen exterae nationes ferre vix poſſunt: graue eſt enim nomen imperij, atque id etiam in leui perſona pertimeſcitur: propterea quod ueſtro, non ſuo nomine, cum hinc egreſſi ſunt, abutuntur. quid cenſetis, cum iſti decemuiri cum imperio, cum faſcibus, cum illa delecta finitorum iuuentute per orbem terrarum uagabantur? quo tandem animo? quo metu? quo periculo miſeras nationes futuras? Eſt in imperio terror: patientur. eſt in aduentu ſumptus: ferent. imperabitur aliquid muneris: non recuſabunt. illud uero quantum eſt, Quirites, cum is decemuir, qui aliquam in urbem aut exſpectatus, vt hoſpes, aut repente, vt dominus, uenerit; illum ipſum locum, quo uenerit, illam ipſam ſedem hoſpitalem, in quam erit deductus, publicam populi R. eſſe dicet? at quanta calamitas populi, ſi dixerit? quantus ipſi quaeſtus, ſi negarit? Atque ijdem, qui haec appetunt, queri nonnunquam ſolent, omnes terras Cn. Pompeio, atque omnia maria eſſe permiſſa. Simile vero eſt, multa committi, an condonari omnia: vel labori, & negotio praeponi, an praedae, & quaeſtui: mitti ad ſocios liberandos, an ad opprimendos. denique, ſi quis eſt honos ſingularis, nihil ne intereſt, vtrum populus R. eum, cui velit, deferat, an is, imprudente populo R. per legis fraudem ſurripiatur? Intellexiſtis, quot res, & quantas decemuiri legis permiſſu vendituri ſint. non eſt ſatis. cum ſeſe ſociorum, cum exterarum nationum, cum regum ſanguine impleuint, incidant neruos populi R. adhibeant manus vectigalibus veſtris, irrumpant in aerariū. ſequitur enim caput, quo capite non permittit quidem, ſi forte deſit pecunia, quae tanta ex ſuperioribus recipi poteſt, vt deeſſe non debeat; ſed plane, quaſi ea res vobis ſaluti ſubtraſit, ita cogit, atque imperat, vt decemuiri veſtra vectigalia vendant nominatim. quam tu mihi ex ordine recita de legis ſcripto populi R. auctionem. quam mehercule ego praeconi huic ipſi luctuoſam, & acerbam recitationem futuram puto. AVCTIO. *Vt in ſuis rebus, ita in rep. luxurioſus nepos, qui prius ſiluas vendat quam vineas. Italiam percurſuiſti: perge in Siciliā. nihil eſt in hac prouincia. quod aut in opidis, aut in agris maiores noſtri proprium nobis reliquerint quin id venire iubeat. quod partum recenti victoria maiores vobis in ſociorum vrbibus, ac finibus, & vinculum pacis, & monumentum belli reliquerunt, id vos, ab illis acceptum hoc auctore uendetis? Hic mihi parumper mentes veſtras Quirites, commouere uideor, dum patefacio uobis, quas iſti penitus abſtruſas inſidias ſe poſuiſſe arbitrantur contra Cn. Pompeij dignitatem. & mihi, quaeſo, ignoſcite, ſi appello talem uirum ſaepius. uos mihi praetori biennio ante, Quirites, hoc eodem in loco perſonam hanc impoſuiſtis, ut, quibuſcumque rebus poſſem, illius abſentis dignitatem uobiſcum una tuerer. feci adhuc quae potui, neque familiaritate illius adductus, nec ſpe honoris, atque ampliſſimae dignitatis; quam ego, & ſi libente illo, tamen abſente, per uos conſecutus ſum. quamobrem, cum intelligam hanc totam fere legē ad illius opes euertendas tamquam machinam comparari; & reſiſtam conſilijs hominum; & perficiam profecto, quod ego uideo comparari, ut id uos uniuerſi non ſolum uidere, uerum etiam tenere poſſitis. Iubet uenire, quae Attalenſium, quae Phaſelitum, quae Olympenorum fuerint, agrumq. Agerenſem. & Orindicū, & Gedūſanum. haec P. Seruilij imperio, & uictoria, clariſſimi uiri, ueſtra facta ſunt. adiungit agros Bithyniae regios, quibus nunc publicani fruuntur: deinde Attalicos agros in Cherroneſo: in Macedonia, qui regis Philippi ſiue Perſae fuerunt: qui item a cenſoribus locati ſunt, & certiſſimum uectigal. adſcribit idem auctioni Corinthios agros opimos, & fertiles, & Cyrenenſes, qui Apionis fuerunt: & agros in Hiſpania propter Carthaginem nouam, & in Africa ipſam ueterem Carthaginem uendit; quam uidelicet P. Africanus non propter religionem ſedium illarum, ac uetuſtatis de conſilij ſententia conſecrauit, ſed ut ipſe locus eorum. qui cum hac urbe de imperio certarunt, ueſtigia calamitatis oſtenderet. ſed non fuit tam*

diligens,

diligens, quam eſt Rullus: aut fortaſſe emptorem ei loco reperire non potuit. Verum inter hos agros regios, captos ueteribus bellis uirtute ſummorum imperatorum, adiūgit regios agros Mithridatis, qui in Paphlagonia, qui in Ponto, qui in Cappadocia fuerūt, ut eos decemuiri uendant. ita ne uero? non legibus datis, non auditis uerbis imperatoris, nondum deniq. bello confecto, cum rex Mithridates, amiſſo exercitu, regno expulſus, tamē in ultimis terris aliquid etiam nunc moliatur, atq. ab inuicta Cn. Pompeij manu Maeotide, & illis paludibus, & itinerum anguſtijs, atq. altitudine montium defendatur: cum imperator in bello uerſetur; in locis autem illis etiam nunc belli nomen reliquū ſit: eos agros, quorum adhuc penes Cn. Pompeium omne iudicium, et poteſtas more maiorum debet eſſe, decemuiri uendent? &, credo, P. Rullus (is enim ſic ſe gerit, ut ſibi iam decemuir deſignatus eſſe uideatur) ad eam auctionem potiſſimum proficiſcetur. is uidelicet, antequam ueniat in Pontum, litteras ad Cn. Pompeium mittet. quarum ego iam exemplum ab iſtis compoſitū eſſe arbitror. P. SERVILIVS. RVLLVS. TRIBVNVS. PL. DECEMVIR. S. D. CN. POMPEIO. CN. F. *Non credo adſcripturum eſſe, Magno: non enim uidetur id, quod imminuere lege conatur, conceſſurus uerbo.* TE. VOLO. CVRARE. VT. MIHI. SINOPE. PRAESTO. SIS. AVXILIVMQ. ADDVCAS. DVM. EOS. AGROS. QVOS. TV. TVO. LABORE. CEPISTI. EGO. MEA. LEGE. VENDAM. *An Pompeium nō adhibebit? In eius prouincia uendet manubias imperatoris? ponite ante oculos uobis Rullum in Ponto, inter ueſtra, atq. hoſtium caſtra, haſta poſita, cum ſuis formoſis finitoribus auctionantem. neque in hoc ſolum ineſt contumelia, quae uehementer & inſignis eſt, & noua, ut ulla res parta bello, nondum legibus datis, etiam tum imperatore bellum adminiſtrāte, nō modo uenierit, uerum etiā locata ſit plus. ſpectāt homines certe, quam contumeliam: ſperant, ſi conceſſum ſit inimicis Cn. Pompeij cum imperio, eum iud cioomnium rerum, cum infinita poteſtate, cum innumerabili pecunia non ſolum alijs in locis uagari, uerum etiam ad ipſius exercitum peruenire, aliquid illi inſidiarum fieri, aliquid de eius exercitu, copijs, gloria detrahi poſſe: putant, ſi quam ſpem in Cn. Pompeio exercitus habeat aut agrorum, aut aliorum commodorum, hanc non habiturum, cum uiderit earum rerum omnium poteſtatem ad decemuiros eſſe tranſlatam. Patior non moleſte, tam ſtultos eſſe, qui haec ſperent; tam impudentes, qui conentur: illud queror, tam me ab ijs eſſe contemptum, ut haec portenta me conſule potiſſimum cogitarent. Atque in omnibus his agris, aedificijsq. uendendis permittitur decemuiris, ut uendant quibuſcumque in locis uideatur. o perturbatam rationem: o libidinem refrenandam: o conſilia diſſoluta, atque perdita. uectigalia locare nuſquam licet, niſi in hac urbe, hoc ex loco, hac ueſtrum frequentia: uenire ueſtras res proprias, & in perpetuum a uobis abalienari, in Paphlagoniae tenebris, atque in Cappadociae ſolitudine licebit? L. Sulla cum bona indemnatorum ciuium funeſta illa auctione ſua uenderet, & ſe praedam ſuam diceret uendere, tamen ex hoc loco uendidit; nec, quorum oculos offendebat, eorum ipſorum conſpectum fugere auſus eſt. decemuiri neſtra uectigalia non modo ne nobis quidem arbitris, ſed ne praecone quidem publico teſte uendent?*

EXPLANATIO

FVRIOSVS] nemo enim inſignia illa poteſtatis, niſi per inſaniam, ſine populi ſuffragijs aſſumeret. PRIMVM *permittitur inſulta poteſtas*,] caput legis quinſtum. SINE *conſilio*,] nemine adhibito, qui ſimul iudicaret. SINE *prouocatione*,] erat enim a quocumque magiſtratu ad populum prouocatio. SINE *auxilio*,] affectis iniuria tribuni pl. auxilio erant. LIBEROS *populos*,] qui nihil populo Romano penderent. REGNORVM *uel dandorum*,] regnorum etiam dandorum, quibus uellent. quo quid maius? Aegyptum in primis, propter Alexandri regis teſtamentum, ſed alia quoque regna ſignificat: de quibus infra: Regna omnia permiſſa legis continentur. CVM *commodum ſit*,] cum libeat: ut or. I. Hic permittit ſua lege decemuiris, ut in quibus commodum ſit tenebris, aut in qua uelint ſolitudine bona populi Romani poſſint diuendere. QVESTORI *permittant*:] de agris uendendis. unde quaeſtorios appellant agros Higinus, & Flaccus, qui bello capti, per quaeſtorum uenduntur. FINITOREM] qui fines agris conſtituat. infra: Cum faſcibus, cum illa delecta finitorum iuuentute. Et aliquanto poſt: Haſta poſita, cum ſuis formoſis finitoribus auctionantem. VNI *illi*,] non quaeſtori, ſed decemuiro. nam, Mittant, ad decemuiros refertur. LIBERA *a uobis*,] quae nihil publice pendunt. IGNORATA] extra neſtrum imperium. nam de imperio iam dixit. DATVR *igitur eis*,] uerbum, Igitur, hoc ad idem legis caput, quod eſt de poteſtate decemuirum, pertinere, ſatis oſtendit. M. TVLLIO *Cn. Cornelio cos.*] dictatore Sulla. CAECVM?] patiendi ſignificatione, pro, quod non uidetur. non enim, ea quae eſſent, in lege Rullus appellauerat. Eodem ſenſu dixit pro Milone, Caeca nox: Virgilius lib. VI. Carcere caeco: Lucretius lib. III. cauſſae caecae. RESTITVTAM] ſuſtulit Sulla uictor, odio, in plebem incenſus, quia pro Mario ſteterat: reſtituere Pompeius & Craſſus conſules. NEMO *attigit*:] metu tribunorum pl. PERICVLI *perfugia*,] ut, eo qui confugeret in periculo, ſaluus eſſet. LEGE *tribunitia*,] cum antea propter ipſos tribunos pl. nemo attigerit. MONS *Gaurus*:] Campaniae, ubi uina naſcebantur optima. MINTVRNAS:] opidum Campaniae. HERCVLANEA] ab opido item Campaniae Herculaneo. MVLTARVM *deliciarum*,] propter amoenitatem: & ideo uendibilis. COMMODVM *erit*,] libebit. DISCEPTATIONEM] iudicium nam ſequitur: Cum idem & diſſeret, & iudicabit. Nota uerbi ſignificatio. QVAM *hereditatem*] Bithyniam populo Romano Nicomedes rex teſtamento reliquerat. CREVIMVS,] adiuimus: ut alibi. STATIVA;] munita loca.. MITYLENAE] opidum in Leſbo inſula. BELLI *lege*,] nam

ſecutae partes Mithridatis, ad extremum, paullo ante obitum Sullae, captae, dirutaeq. ſunt: in Epitome lib. LXXXIX. quamquam, ſi dirutae ſunt, quaeri poteſt, cur Cicero dicat: Vrbs & deſcriptione aedificiorum, & pulchritudine in primis nobilis. Fortaſſe, quia bello dirutae, in pace reſtitutae. Vel, quod potius arbitror, ut Rulli lex improbetur, & decemuirum poteſtas in odium adducatur, oratoriae ſupra ueritatem laudantur. VT *occulte latet?* } or. I. Quae res aperte petebatur, ea nunc occulte cuniculis oppugnatur. REGIS *Alexandri*, } de quo or. I. AVCTORITATEM *ſenatus*, } quae differt a S. C. nec eam habet uim. nam cum pierique ſenatores aliquid decernerent, nec tamen, tribuno pl. aliquo intercedente, S. C. fieri poſſet; referebatur in publicas tabulas, quod ſenatus eo die decreuiſſet: quae ſenatus auctoritas uocabatur. ALEXANDRO *mortuo*, } poſt Sullam & pompeium conſules. ideo Rulli lege regnum Aegypti in decemuirum poteſtatem ueniet. TYRVM } urbem Phoeniciae: de qua Plinius lib. V. cap. 19. Tyrus, quondam inſula, praealto mari DCC paſſibus diuiſa, nunc uero Alexandri oppugnantis operibus continens. NOSTRIS } Romanis. L. PHILIPPVM } cum ſubiungat: Memoria teneo: patrem eius, qui cum Marcellino poſt aliquot annos conſul fuit, omnino ſignificat. EVM } Ptolemaeum Auletem. or. I. NEQVE *animo regio eſſe*, } delicijs enim deditum fuiſſe, tibijſq: mire delectatum, unde Auletis cognomen, Strabo docet. VERVM *iudicabit?* } recte, & iuste iudicabit? pro Murena: Negat uerum eſſe; allici beneuolentiam cibo. Pro Domo: Quid ad te, qui negas eſſe uerum, quemquam ulli rei publicae extra ordinem praefici? OMNIVM *regnorum*, } cum iam ab Attalo Aſiam, ab Apione Libyam, a Nicomede Bithyniam, heres teſtamento factus, accepiſſet: alia praeterea regna, capta bello, teneret. ETRVMQVE } ut iudicet, & ueram iudicet. NEQVE *concedendum, neque ferendum*, } neque iudicandi poteſtas concedenda: neque, quod iudicabit, ferendum. EX *ſua lege uendet Alexandriam*, } nam ſi regnum illud adiudicabit populo Romano, ſine dubio uendet, ea ratione, quod poſt Sullam & Pompeium conſules publicum factum ſit. EOSDEM *curſus hoc tempore*, } idem or. I. DIRECTO, } non oblique, ſed recto curſu. Antea, Decreto: nos, Directo. AN *quietis ijs*, placet uel, An, Quirites, ij, uel, An quietis nobis. TAETRIS *tenebris*, } occulta legis fraude. VNAQ. } perſpicue mendoſum, uſitatum, & apertum eſſet, Animiſq. LEGATOS *noſtros*, } idem or. I. FINITORVM } qui terminos agris imponent. IN *imperio*, } quod agrorum curatores habere non ſolent. SVMPTVS I } quem ſuppeditari a ſocijs, leges uetant. ad Atticum: Nullus ſit ſumptus in nos, neque in legatos, neque in quaeſtores, neq. in quemquam. QVANTA *calamitas populi*, } eius ciuitatis in quam uenerint. DIXERIT? } decemuir. IPSI } decemuiro. QVAESTVS } magnam enim pecuniam ab eo populo accipiet. OMNES *terras*, } ut bellum Mithridaticum. OMNIA *maria*, } ut bellum piraticum. ESSE *permiſſa*. } extra ordinem. MVLTA *committi*, } ut Pompeio. CONDONARI: ut decemuiris. grauius enim eſt, condonari, quam permitti; omnia, quam multa; decemuiris, quam Pompeio. VEL *labori*, } etiam ſi, Vel, in ſequenti membro, non iteretur, hic tamen abundare non arbitror. IMPRVDENTE } inſciente, nam fraude legis decipitur. INCIDANT *neruos populi Romani*, } nerui ſunt populi Romani, uectigalia, & aerarium. VESTRA *uectigalia*, } uectigales agros: de quibus or. I. Iubet eoſdem decemuiros omnibus agris pergrande uectigal imponere: ut ijſdem poſsint & liberare agros, quos commodum ſit, &, quos ipſis libeat, publicare. POPVLI *Romani auctionem*, } acerbius, quam ſi dixiſſet, bonorum publicorum auctionem: ut in extrema oratione, Ipſum Cn. Pompeium proſcribere: ideſt, ea, quae armis a Pompeio parta ſunt. SILVAS } ſiluam ſcantiam uendi primum iubebat. quam cum praeco in auctione recitanda nominaſſet, haec Cicero ſubiecit: Vt in ſuis rebus, ita in rep. luxurioſus nepos. QVAM *uineas*. } cum uineae prius uendi ſoleant, ut minoris pretij. ſed ille, perdendi bonorum publicorum cupidus, item ut ſua per luxuriam diſſipauit. initium uendendi non ab aliqua publica uinea, ſed a Silua Scantia ſumpſit. PERCENSVISTI: } ex uectigalibus Italicis nullum eſſe praetermiſſum a Rullo dicit, quod uendi nollet. Cenſorio uerbo uſus eſt: quia, quemadmodum cenſores in quinquennium uectigalia locabant, ſic Rullus in perpetuum ea uendebat. PERGE *in Siciliam*, } recitaſti Italica uectigalia: ſicula nunc recita. NIHIL *eſt in hac prouincia*, } cum praeco legiſſet eam partem, quae ad Siciliam pertinebat; ſubiecit haec Cicero. PROPRIVM } populi Romani. NOBIS } malim, Vobis: quo magis populum commoueat: cum ſequatur, Maiores uobis. RECENTI *uictoria*, } cum inferat, Maiores: uis puto de uictoria M. Aquilij accipi poſſe. is enim patrum aetate, non maiorum, puero Cicerone, ſeruos in Sicilia deuicerat. Sin, Recenti uictoria, ad ipſos maiores, ideſt ad Rupilij, Laeuini, Marcelli uictorias, referatur: interpretabimur, Recenti, ſtatim poſt uictoriam. VINCVLVM *pacis*, } ut, agri parte a nobis poſſeſſa, defectionem ſocij non facile cogitent. itaque pacis uinculum poſſeſſio agrorum illorum eſt. MONVMENTVM *belli*, } ut extet belli, quo ſocij a nobis uicti ſunt memoria. PERSONAM *hanc impoſuiſtis*, } cum legem Maniliam, de Mithridatici belli cura abſenti Pompeio mandanda, ſuffragijs ueſtris, me praetore ſuadente, comprobaſtis.

ILLIVS *abſentis*, } ſic enim nunc abeſt, ut cum Maniliam legem ſuaſi. tunc enim piratici belli reliquias perſequebatur. P. SERVILII } qui de Cilicia triumphauit, captis Coryco, Olympo, Phaſylide. Aſconius. REGIOS, } poſſeſſos antea a Nicomede rege. ATTALICOS } qui Attali regis fuerant. REGIS *Philippi, ſiue Perſae*, } Philippum T. Flamininus, Perſam L. Paulus deuicit. CORINTHIOS ex L. Mummij uictoria. APIONIS } Ptolemaei, Cyrenarum regis, qui heredem reliquit populum Romanum. Epitome lib. LXX. Tacitus lib. XIV. Marcellinus lib. XXII. & Obſequens. NON *legibus datis*, } uictis enim leges de ſenatus ſententia a decem legatis dabantur. IMPERATORIS, } Cn. Pompeij, bellum adhuc gerentis. POTISSIMVM } ut ab ipſo praecipue, qui legem tulerit, expetitam.

Te

Te *nolo curare*,] inuidioſa uerba. ſunt enim Rulli Pompeio Magno imperatori, optime de rep. merito, imperantis. An *Pompeium non adhibebit?*] hoc illud eſt, quod ſupra dixit, Non auditis uerbis imperatoris. Manvbias] agros armis partos. Hoc *ex loco*,] ex Roſtris. Indemnatorvm] Marianarum partium. damnatis autem adimere bona licebat. Arbitris,] iudicibus: ut alibi.

O R A T I O

*S*Eqvitvr, *Omnes agros extra Italiam, infinito ex tempore. non, ut antea, ab Sulla, & Pompeio cos. cognitio decemuirum, priuatus ſit, an publicus: ſicq. agro pergrande uectigal imponitur. Hoc quantum iudicium, quam intolerandum, quam regium ſit, quem praeterit? poſſe, quibuſcumque locis uelint, nulla diſceptatione, nullo conſilio priuata publicare, publica liberare. Excipitur hoc capite ager in Sicilia Recentoricus: quem ego excepi, & propter hominum neceſſitudinem, & propter aequitatem. Quirites, ſaepe uehementer gaudeo: ſed quae haec impudentia? qui agrum Recentoricum poſſident, uetuſtate poſſeſſionis ſe, non iure, miſericordia ſenatus, non agri conditione, defendunt. nam illum agrum publicum eſſe fatentur; ſed, moueri poſſeſſionibus, amiciſſimis ſedibus, ac dijs penatibus, negant oportere. at ſi eſt priuatus ager Recentoricus; quid eum excipis? ſin autem publicus; quae eſt iſta aequitas, ceteros, etiam ſi priuati ſint, permittere ut publici iudicentur, hunc excipere nominatim, quem qui poſſident, publicum eſſe fateantur? ergo eorum ager excipitur, qui apud Rullum alia ratione ualuerunt: ceteri agri omnes, qui ubiq. ſunt, ſine ullo delectu, ſine populi R. notione, ſine iudicio ſenatus decemuiris addicentur. Atq. etiam eſt alia ſuperiore capite, quo omnia ueneunt, quaeſtuoſa exceptio: quae tegit eos agros, de quibus foedere cautum eſt. audiuit, hanc rem non a me, ſed ab alijs agitari ſaepe in ſenatu, nonnumquam ex hoc loco, poſſidere agros in ora maritima regem Hiempſalem, quos P. Africanus populo R. adiudicarit; & tamen poſtea per C. Cottam conſulem cautum eſſe foedere. hoc quia uos foedus non iuſſeritis, ueretur Hiempſal ut ſatis firmum ſit, & ratum. Quid, cuiuſmodi eſt illud? tollitur ueſtrum iudicium: foedus totum excipitur, comprobatur: quod minuit auctionem decemuiralem, laudo: quod regi amico cauet, non reprehendo: quod non gratis fit, indico. uolitat enim ante oculos iſtorum Iuba, regis filius adoleſcens non minus bene nummatus, quam bene capillatus.*

E X P L A N A T I O

SEqvitvr,] caput Sextum. Omnes *agros extra Italiam*,] non recitat omnia legis uerba: quae fortaſſe haec erant: Omnes agros publicos extra Italiam uectigales faciunt, pergrandi impoſito uectigali: publici autem qui ſint, quiue priuati, iidem cognoſcunto. qua de re ſic or. I. Iubet eoſdem decemuiros omnibus agris publicis pergrande uectigal imponere: ut ijdem poſſint & liberare agros, quos commodum ſit, &, quos ipſis libeat, publicare. Quibus uerbis imponendi primum uectigalis, deinde cognoſcendi poteſtas declaratur. Imponitvr.] quia lex imponi iubet. Quo modo autem imponitur? ſi publicus ager iudicabitur. iudicium autem & cognitio decemuirum e quaeſtu pendebit: ſiue priuatum agrum publicabunt, pergrandi impoſito uectigale: ſiue publicum, ideſt eum, qui aliquid publice pendit, pecunia a priuatis accepta, liberabunt. or. I Quo in iudicio, perſpici non poteſt, utrum ſeueritas acerbior, an benignitas quaeſtuoſior ſit futura, cognitione omiſſa. Infinito *ex tempore*,] Ciceronis, non Rulli uerba. Nvlla *diſceptatione*,] nulla deliberatione, cognitione omiſſa. or. I. Laceſſo uos, in concionem uoco: populo Romano diſceptatore uti uolo. Nvllo *conſilio*,] nullis iudicibus. Privata *publicare, publica liberare?*] or. I. Iubet eoſdem decemuiros omnibus agris publicis pergrande uectigal imponere; ut ijdem poſſint & liberare agros, quos commodum ſit, &, quos ipſis libeat, publicare. Excipitvr] ne uectigal imponatur. or. I. Propter *hominum neceſſitudinem*,] conſtitutam in quaeſtura Siciliensi: quam ita geſſit, ut Siculos omnes amore ſibi deuinxerit, diſcedens magnum ſui deſiderium, iucundamque memoriam reliquerit. Propter *aequitatem*,] priuatum oſtendit agrum eſſe, non publicum. Saepe *uehementer gaudeo*.] cum dicat, Saepe, intermiſſionem gaudij ſignificat. ſed in ea re, quae probatur, & placet, perpetuum eſt gaudium: itaque, ſaepe, mendoſum eſſe ſemper duxi. poſtulat ſententia, ſane, uel ſimile aliquid. Amicissimis *ſedibus*,] malim, Antiquiſſimis. Permittere, *ut publici iudicentur*;] quod uendi poſſunt; aut, quo uectigal eis arbitratu decemuirum imponatur. Hvnc *excipere nominatim, qui publicus eſſe fateatur?*] ſic antiqui libri. mutationem peperit eorum inſcientia, qui, Fateatur, patiendi ſignificatione non probatur: cum tamen, uſitatum id ueteribus fuiſſe, Priſcianus auctor ſit. Alia *ratione*] nummis aut datis, aut promiſſis. Qvaestvosa *exceptio:*] excipiuntur enim agri, non iure ſed quaeſtu, de quibus cautũ ſit foedere. or. I. Excipit in uectigali imponẽdo agrũ Siciliẽſem, in uendẽdis agris eos agros, de quibus cautum ſit foedere. hi ſunt in Africa, qui ab Hiempſale poſſidentur. Tegit] defendit, excipit qui enim tegitur, ab iniuria tutus eſt. ad Seruilium: Te rogo, ut eum & in reliquijs ueteris negotiationis colligendis iuues, & ceteris rebus tegas, atque tueare. C. Cottam] Aureliae gentis, clarum oratorem, qui conſulatum geſſit cum L. Octauio, biennio poſt obitum Sullae. Veretvr *Hiempſal, ut ſatis firmum ſit, & ratum*.] in optatis rebus, uereor ut, ueteres dicebant; in ijs, quae ſi contingant dolemus, uereor ne. optabat autem

bat autem Hiempſal, vt foedus illud, quo agri excipiebantur, firmum, ratumq. eſſet. TOLLITVR *ueſtrum iudicium*:} quod enim foedus uos non iuſſiſtis, eo agros excipi non licet. TOTVM} agri igitur excipiuntur omnes, foedere poſſeſſi. COMPROBATVR.} tamquam a uobis iuſſum. MINVIT} exceptione. minor enim decemuirum queſtus erit. AMICO} diſſenſit igitur ab Hiarba patre, cum quo Pompeius bellum geſſit, uictoq. triumphauit. ideo donatus eſt Hiempſal a Victore Pompeio paterno regno. VOLTITAT} pecuniam oſtentans, quo foedus excipiatur lege.

ORATIO

VIX iam uidetur locus eſſe, qui tantos aceruos pecuniae capiat, auget, addit, accumulat: aurum, argentum ex praeda, ex manubijs, ex coronario, ad quoſcumq. peruenit, neque relatum eſt in publicum, neque in monumento conſumptum, id profiteri apud decemuiros, & ad eos referri iubet. hoc capite etiam quaeſtionem de clariſſimis uiris, qui populi R. bella geſſerunt, iudiciumq. de pecunijs repetūdis ad decemuiros tranſlatum uidetis. horum erit nullum iudicium, quantae cuiuſque manubiae fuerint, quid relatum, quid reſiduum ſit. in poſterum uero lex haec imperatoribus noſtris conſtituitur, ut quicumque de prouincia deceſſerit, apud eoſdem decemuiros, quantum habeat praedae, manubiarum, auri coronarij, profiteatur. Hic tamē uir optimus eum, quem amat, excipit, Cn. Pompeium. unde iſte amor tam improuiſus, ac tam repentinus? qui honore decemuiratus excluditur prope nominatim; cuius iudicium, legumq. datio, captorum agrorum ipſius uirtute cognitio tollitur; cuius non in prouinciam, ſed in ipſa caſtra decemuiri cum imperio, infinita pecunia, maxima poteſtate, & iudicium rerum omnium mittuntur; cui ius imperatorium, quod ſemper omnibus imperatoribus eſt conſeruatum, ſoli eripitur: is excipitur unus, ne manubias referre debeat. utrum tandem, hoc capite honos haberi homini, an inuidia quaeri uidetur? remittit hoc Rullo Cn. Pompeius: beneficio iſto legis, benignitate decemuirali nihil utitur. nam, ſi eſt aequum, praedas, ac manubias ſuas imperatores non in monumēta deorum immortalium, neq. in urbis ornamenta conferre, ſed ad decemuiros, tamquam ad dominos, reportare: nihil ſibi appetit praecipue Pompeius, nihil; uult ſe in communi, atq. in eodem, quo ceteri, iure uerſari. ſin eſt iniquum, Quirites, ſi turpe, ſi intolerandum, hos decemuiros portitores omnibus omnium pecunijs conſtitui, qui non modo reges, atq. exterarum nationum homines, ſed etiā imperatores noſtros excutiant: non mihi uidentur honoris cauſſa excipere Pompeium, ſed metuere, ne ille eandem cōtumeliam, quam ceteri, ferre non poſſit. Pompeius autem, cum hoc animo ſit, ut, quicquid uobis placeat, ſibi ferendum putet; quod uos ferre non poteritis, id, profecto perficiet, ne diutius inuiti ferre cogamini. Verumtamen cauet, ut, ſi qua pecunia poſt nos conſules ex nouis uectigalibus recipiatur, ea decemuiri utantur. noua porro uectigalia uidet ea fore, quae Pompeius adiunxerit. ita, remiſſis manubijs, uectigalibus, eius uirtute partis, ſed frui putat oportere. Parta ſit pecunia, Quirites, decemuiris tanta, quanta ſit in terris: nihil praetermiſſum, ſed omnes urbes, agri, regna denique, poſtremo etiam uectigalia ueſtra uenierint: acceſſerint in cumulum manubiae ueſtrorum imperatorum, quantae, & quam immanes diuitiae decemuiris in tantis auctionibus, tot iudicijs, tam infinita poteſtate rerum omnium quaerantur, uidetis.

EXPLANATIO

AVRVM, *argentum*,} caput ſeptimum. Et *praeda, ex manubijs*,} idem or. I. AD *quoſcumque peruenit*,} or. I. Peruenit, peruenerit. hic alterum uerbum omittitur, librarij fortaſſe culpa. DE *clariſſimis uiris, qui populi Romani bella geſſerunt*,} iterat, quod orat. I. dixit: Audite uos, qui ampliſſimo populi ſenatuſq. iudicio exercitus habuiſtis, & bella geſſiſtis. quod ad quemque peruenit, peruenerit, ex preda, ex manubijs, ex auro coronario, quod neque conſumptum in monumento, neque in aerarium relatum ſit, id ad decemuiros referri iubet. TRANSLATVM} a praetore, eiuſq. conſilio. NVLLVM *iudicium*,} immo ſummum iudicium. mendum igitur in Nullum. VIR *optimus*,} qui nocere nolit ei, quem amat ironia. non enim Pompeium amat. ideo ſequitur: Vnde iſte amor tam improuiſus, ac tam repentinus? IMPROVISVS} nullo ſigno cognitus. REPENTINVS?} repente declaratus. differunt enim, improuiſus, & repentinus. PROPE *nominatim*,} quia praeſentem profiteri iubet. Pompeius autem cum abſit longiſſime, prope nominatim excludi uidetur honore decemuirali. LEGVMQ. *datio*.} diximus iam, uictis populis leges dari ſolitas. IVS *imperatorium*,} ut iudicaret, leges daret, cognoſceret. SOLI *eripitur*.} ſolus enim hoc tempore bellum gerebat. INVIDIA *quaeri*} qui ſolus excipiatur: quod inuidioſum eſt. NIHIL *ſibi appetit praecipue Pompeius, nihil*;} iterum uerbum in fine ſententiae, uim habet: ut in Cluentiana: Non fuit illud iudicium iudicij ſimile, non fuit. PORTITORES} tanquam publicani, qui, conductis portibus, uectigal exigunt, excuſsis omnibus, ne, mercede non ſoluta, praetereant. propterea ſubijcitur: Imperatores noſtros excutiant. REMISSIS *manubijs*} quas Pompeium ad decemuiros referre non uult. QVAM *ceteri*,} qui exercitus habuerunt, & bella geſſerunt. NIHIL *praetermiſſum, ſed omnes urbes*,} lego aliter, & diſtinguo, non dubitans quin ſit rectius hoc modo: Nihil praetermiſſum ſit: omnes urbes.

COGNOSCITE nunc alios immenſos, atque intolerabiles quaeſtus; ut intelligatis, ad certorum hominum importunam auaritiam hoc populare legis agrariae nomen eſſe quaeſitum. Hac pecunia iubet agros emi, quo deducamini. Non conſueui homines appellare aſperius, Quirites, niſi laceſſitus. uelim fieri poſſet, ut a me ſine contumelia nominarentur ij, qui ſe decemuiros ſperãt futuros: iam uideritis, quibus hominibus omnium rerum & uendendarum, & emendarum poteſtatem permitteretis. ſed, quod ego nondum ſtatuo mihi eſſe dicendum, uos tamen id poteſtis cum animis ueſtris cogitare. unum hoc certe uideor mihi uerißime poſſe dicere. tum cum haberet haec reſp. Luſcinos, Calatinos, Acidinos, homines non ſolum honoribus populi, rebusq. geſtis, uerum etiam patientia paupertatis ornatos; & tum cum erant Catones, Phili, Laelij; quorum ſapientiam, temperantiamq. in publicis, priuatisque, forenſibus, domeſticisq. rebus perſpexeratis: tamen huiuſcemodi res commiſſa nemini eſt, ut idem iudicaret, & uenderet. & hoc faceret per quinquennium toto in orbe terrarum: idemq. agros vectigales populi R. abalienaret; &, cum ſummam tantae pecuniae nullo teſte ſibi ipſe ex ſua uoluntate feciſſet, tum denique emeret a quibus uellet, quod uideretur. committite uos nunc, Quirites his hominibus haec omnia, quos odorari hunc decemuiratum ſuſpicamini: reperietis partem eſſe eorum, quibus ad habendum, partem, quibus ad conſumendum nihil ſatis eſſe uideatur. Hic ego iam illud, quod expeditiſſimũ ſit, ne diſputo quidem, Quirites, non eſſe hanc nobis a maioribus relictam conſuetudinem, ut emantur agri a priuatis, quo plebs publice deducatur: omnibus legibus agris publicis priuatos eſſe deductos: huiuſcemodi me aliquid ab hoc horrido, ac truce tribuno pl. exſpectaſſe: hanc vero emendi, & vendendi quaeſtuoſiſſimam, ac turpiſſimam mercaturam, alienam actione tribunicia, alienam dignitate populi R. ſemper putaui. Iubet agros emi primum quaero, quos agros? & quibus in locis? nolo ſuſpenſam & incertam plebem R. obſcura ſpe & caeca exſpectatione pendere. Albanus ager eſt, Setinus, Priuernas, Fundanus, Veſtinus, Falernus, Liternus, Cumanus, Caſinas: audio, ab alia porta, Capenas; Faliſcus, Sabinus ager, Reatinus Venafranus, Alliſanus, Trebulanus. habes tantam pecuniam, qua hosce omnes agros, & ceteros horum ſimiles non modo emere, verum etiam coacervare poſſis: cur eos non definis, neque nominas? ut ſaltem deliberare plebs Romana poſſit, quid interſit ſua, quid expediat, quantum tibi in emendis, & in vendendis rebus committendum putet. Definio, inquit, Italiam. ſatis certa regio. etenim quantulum intereſt, vtrum in Maſſici radices, an in Italiam alio ve deducamini? Age vero, definis locum: quidnam agri? Vero, inquit; qui arari, aut coli poſſit. Qui poſſit arari, inquit, aut coli, non qui aratus, aut cultus ſit. verum haec lex eſt, an tabula Veratianae auctionis? in qua ſcriptum fuiſſe aiunt: iugera CC, in quibus oliuetum fieri poteſt: iugera CCC, vbi inſtitui vineae poſſunt. hoc tu emes iſta innumerabili pecunia, quod arari, aut coli poſſit? quod ſolum tam exſile, & macrum eſt, quod aratro perſtringi non poſſit? aut quod eſt tam aſperum ſaxetum, in quo agricolarum cultus non elaboret? Idcirco, inquit, agros nominare non poſſum, quia tangam nullum ab inuito. Hoc quoque multo eſt quaeſtuoſius, quam ſi ab inuito ſumeret. inibitur enim ratio quaeſtus de veſtra pecunia; & tum denique ager emetur, cum idem expedierit emptori, & venditori. Sed videte vim legis agrariae. ne ij quidem, qui agros publicos poſſident, decedent de poſſeſſione, niſi erũt deducti optima condicione, & pecunia maxima. conuerſa ratio. antea, cum erat a tribuno pl. mentio legis agrariae facta, continuo, qui agros publicos, aut qui poſſeſſiones inuidioſas tenebant, pertimiſcebant: haec lex eos homines fortunis locupletat, inuidia liberat. quam multos enim, Quirites, exiſtimatis eſſe, qui latitudinem poſſeſſionum tueri, qui inuidiam Sullanorum agrorum ferre non poſſint? qui vendere cupiant, emptores non reperiãt? perdere iam denique illos agros ratione aliqua velint? qui paullo ante diem noctemq. tribunicium nomen horrebant, veſtram vim metuebant, mentionem legis agrariae pertimeſcebant, ij nunc etiam ultro rogabuntur, atque orabuntur, vt agros partim publicos, partim plenos inuidiae, plenos periculi, quanti ipſi velint, decemuiris tradant. Atque hoc carmen hic tribunus pl. non vobis, ſed ſibi intus canit. habet ſocerum virum optimum, qui tantum agri in illis reip. tenebris occupauit, quantum concupiuit. huic ſubuenire vult ſuccumbenti, iam oppreſſo, Sullanis oneribus graui, ſua lege, ut liceat illi inuidiam deponere, pecuniam condere.

EXPLANATIO

AD *certorum hominum importunam auaritiam*] mirus eſt in amplificanda re. nam &, Auaritiam, &, Importunam, &, Certorum hominum dixit. NOMEN] cum a nomine res ipſa vehementer differat. quod enim populo oſtentatur, id paucorum erit, qui ſe decemuiros ſperant futuros QVAESITVM.] vt vos grato & auribus veſtris iucundo nomine deciperent. HAC *pecunia iubet agros emi*,] caput octauum. LVSCINOS, *Calatinos, Acidinos*,] ſignificat C. Fabricium Luſcinum, qui conſul primum de Eutruſcis, Galliſq. iterum de Lucanis, Bruttijs, Tarentinis, Samnitibus triumphauit: A. Atilium Calatinum qui triumphauit praetor ex Sicilia de Poenis: nã C. Atilio, qui de Poenis naualẽ triumphũ conſul egit, non Calatino ſed Regulo primum, deinde Serrano cognomen fuit; quia miſſi a ſenatu ad eũ acceriendum, vt imperiũ populi Romani ſuſciperet, ſemen ſpargentem inuenerunt. id Cicero pro Sex. Roſcio, Valerius lib. IV. Plinius lib. XIIX docet. L. Manlium Acidinũ, qui propr. citeriore in Hiſpania re bene geſta, vrbẽ ouans introiuit. PATIENTIA *paupertatis*] quia paupertatem, quae grauis & odioſa multis eſt, aequiſſimo animo tulerunt. itaque repudiatam a Fabricio, quam ei Pyrrhus rex pecuniam miſit, ſcripſit Cicero in Paradoxo vltimo. eiuſdẽ paupertatem efferunt Valerius, Plinius. ORNATOS;] vt alijs diuitiae, ſic his ornamento paupertas fuit. CATONES,] Cato ille Cenſorius. PHILI,] L. Furij Phili, aequalis Africani, & Laelij, quem Cicero de iuſtitia diſputantem induxit in libris de rep. nominatur in oratione pro Archia, & in ea pro Murena, ſed mendoſe: legitur enim nõ

in peruul-

n peruulgatis modo libris, verum etiam in ſcriptis L. Philippo, pro, L. Philo. LAELII;] qui ſapiens eſt appellatus; quia, cũ Ti. Graccho legẽ agrariã ferenti, fauere coepiſſet, poſtea, locupletum factione commotus, ne periculoſam ciuitati ſeditionem excitaret, deſtitit ab incepto. ODORARI] quaſi praedam quaerentes, vt venaticos canes. COMMITTE *vos nunc, Quirites, his omnibus haec omnia, quos odorari hunc decemuiratum ſuſpicamini: reperietis,*] partem eſſe eorum quibus ad habendum, partem, quibus ad conſumandum nihil ſatis eſſe videatur permittit, & minatur. permittit in, Committite: minatur, in, Reperietis Praeclara figura, ex praeſentibus futura poponens: cui ſimilis illa pro Domo. Probate genus adoptionis: iam omnium ſacra interierint. Ibidem: Date hanc tribuno pl. licentiam, & intuemini paulliſper animis iuuentutem, & eos maxime, qui imminere cupiditate videntur in tribuniciam poteſtatem: collegia medius fidius tribunorum pl tota reperientur, hoc iure firmato, quae coeant de hominum locupletiſſimorum bonis. Et aliquanto poſt: Date de hac religione aditum, pontifices: iam nullum fortunis communibus exitum reperietis. PARTEM *eſſe eorum, quibus ad habendum, partem, quibus ad conſumandum nihil ſatis eſſe videatur.*] Ad habendum, de M. Craſſo, Ad conſumendum, de C. Caeſare dictum. OMNIBVS *legibus*] Semptonianas iam nominauit. AGRIS *publicis priuatos eſſe deductos;*] cum eos nullo iure poſſiderent. Rullus autem contra maiorum conſuetudinem emere agros a priuatis decemuiros iubet. HORRIDO, *ac truce*] de quo ſupra. Veſtitu obſoletiore, corpore inculto & horrido capillatior, quam ante, barbaq. maiore: vt oculis & adſpectu denunciare omnibus vim tribuniciam, & minitari reip. videretur. Horrido igitur ad veſtitum, Truce ad animum refero: cuius indices oculi ſunt MERCATVRAM] non ſatis honeſtam ex quacumque re: ideo ſenatoribus eam exercere non licebat: ex bonis vero populi Romani turpiſſimam OBSCVRA *ſpe,*] ſperat enim opimos, & fertiles agros: ſed obſcura ſpe ducitur, cum a Rullo, nec qui agri illi ſint quos emi vult nec quibus in locis, definiatur. PENDERE.] vſurpatur hoc verbum in rebus dubijs. nam qui pendet, firmus non eſt. transfertur ad animum: vnde, Animi pendeo. ALBANVS *ager eſt.*] a porta Capena, qua in Appiam viam iter eſt. Albanus autem ager, Setinus, Priuernas, in Latio: Fundanus, Veſtinus, Falernus, Linternus. Caſſinas, Cumanus, in Campania. AB ALIA *porta,*] Collina CAPENAS, *Faliſcus,*] in Etruria. VENAFRANVS, *Allifanus*] in Samnio. TREBVLANVS.] in Sabinis: itaque coniungi cum Reatino debuit. COACERVARE] nullo delectu, nulla mora: cum abundet pecunia. DEFINIO, *inquit, Italiam*] quia lex in Italia iubebat eos agros emi, quo plebs deduceretur. SATIS *certa regio.*] ironia. non enim certa regio eſt Italia; cum in ea regiones multae ſint. Italiam igitur, Rulle definiſti, vt arbitratu ſuo decemuiri poſſent quoquo vellent, tam ſcilicet in Apuliam, quam in Maſſici montis radices, plebem deducere. quod ſi in Apuliam vel incultam ob ſterilitatem, vel deſertam ex peſtilentia: nullum plebs ex tua lege beneficium capiet. AN IN *Italiam*] lego, An in Apuliam. nam ſi locus eſt cum loco conferendus: quis putet cum Maſſico monte Italiam, quae Maſſicum ipſum continet, totum videlicet cum aliqua parte, conferri? Apulia vero recte opponitur Maſſici radicibus, locus videlicet maxime vitandus loco maxime expetendo. QVIDNAM *agri?*] pro, qui ager? Agri enim generandi caſu dixit. VERO, *inquit,*] Vero, affirmantis aduerbium, veteribus vſitatum. EXSVLE,] tenue. non denſum. PERSTRINGI] exerceri, findi. transfertur ad offenſiones animi. pro Sextio: Nemo vmquam me tenuiſſima ſuſpicione perſtrinxit quem non praeuerterim. Ad Atticum: Craſſus in Pompeiana laude perſtrictus ideſt, laeſus non tamen grauiter. VIM] ſententiam NE II *quidem.*] nedum qui ſuos non publicos agros poſſident. QVI *agros publicos poſſident.*] qui decedere, non accepta pecunia, debent. cur enim, quod publicum eſt, vendat? ſupra: Omnibus legibus agris publicis priuatos eſſe deductos. INVIDIOSAS] licet non publicas: inuidioſas autem ob eam cauſſam, quia ſupra modum: cum ciues plurimi premantur inopia. Infra quoque: Agros aut publicos, aut plenos inuidiae. FORTVNIS *locupletat,*] quia publicorum agrorum poſſeſſores, quanti volent, eos decemuiris vendent, quaſi mercatura quadam inter eos conſtituta. INVIDIA *liberat.*] imminuto poſſeſſionum modo, accepta ſcilicet a decemuiris pecunia. SVLLANORVM] quos inimicis ademptos aut largitus eſt militibus ſuis aut proſcriptos vendidit. HORREBANT,] metu agrariae legis. VESTRAM *vim*] veſtram poteſtatem. licet enim vobis, Sullanas aſſignationes veſtris infirmare ſuffragijs. ORABANTVR,] prope a ſupplicibus. HOC *carmen*] certis, immutabilibuſq. verbis. id enim eſt carmen. pro Rabirio perduellionis reo: Lictor colliga manus: iſta ſunt cruciatus carmina Liuius lib. 1. Lex horrendi carminis eſto: Duumuiri perduellionem iudicent. SIBI *intus canit.*] hoc non ad veſtram ſed ad ſuam vtilitatem confert. ſumptum de Aſpendio citariſta, ſibi intus omnia canente: vnde prouerbium. Lib. 1. in Verrem, & ibi Pedianus. SOCERVM] Valgium de quo or. 1. Quantum tibi agri vendet, vt alios omittam, ſocer tuus? Et or. 3. Vt facile appareat, eam legem non a veſtrorum commodorum patrono, ſed a Valgij genero eſſe conſcriptam. VIRVM *optimum,*] contrarium intelligi, ſatis indicant ea, quae ſtatim ſubijciuntur. & de eodem or. 3 Socer huius, vir multum bonus eſt cum ironia ſcilicet. De ipſo autem Rullo ſupra: Hic tamen, vir optimus, eum, quem amat, excipit, Cn Pompeium. IN ILLIS *reip. tenebris*] oppreſſa ciuili bello rep. cum in Sullae partibus eſſet Rulli Socer. SVBVENIRE] emendis ab eo agris. SVLLANIS *oneribus graui,*] multitudinę agrorum, quos, victore Sulla ad libidinem occupauit. Graui autem ex inuidia laboranti qui ſi agros vendet, inuidiam, quae grauis eſt, deponet. Tranſlatio in quinque verbis, ſuccumbenti, Oppreſſo, Oneribus, Graui, Deponere.

O R A T I O

ET vos non dubitatis, quin vectigalia veſtra vendatis, plurimo maiorum veſtrorum ſanguine, & ſudore quaeſita, vt Sullanos poſſeſſores diuitijs augeatis, periculo libertatis? nam ad hanc emptionem decemuiralem duo genera agrorum ſpectãt, Quirites. eorum vnum propter inuidiam domini fugiunt, alterum propter vaſtitatem. Sullanus ager a certis hominibus latiſſime continuatus, tantam habet inuidiam, ut veri ac fortis tribuni pleb. ſtridorem vnum perferre non poſſit. hic ager omnis, quoquo pretio coemptus erit, tamen ingenti pecunia vobis inducetur. Alterum genus agrorum propter ſterilitatem incultum, propter peſtilentiam vaſtum, atque deſertum, emetur ab ijs, qui eos uident ſibi eſſe, ſi non vendiderint, relinquendos. Et nimirum iſtud eſt, quod ab hoc tribuno pleb. dictum eſt in ſenatu, urbanam plebem nimium in rep. poſſe, exhauriendam eſſe. hoc. n. verbo eſt uſus, quaſi de aliqua ſentina, ac non de optimorum ciuium genere loqueretur. Vos uero, Quirites, ſi me audire vultis, retinere iſtam poſſeſſionem gratiae, libertatis, ſuffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, feſtorum dierum, ceterorum omnium commodorum. niſi forte mauultis, relictis his rebus, atque hac luce reipub. in Sipontina ſiccitate, aut in Salapinorum peſtilentiae finibus, Rullo duce, collocari. At dicat, quos agros empturus ſit: oſtendat, & quid, & quibus daturus ſit. ut uero, cum omnes urbes, agros, vectigalia, regna uendiderit, tum arenam aliquam, aut paludes emat, id vos poteſtis, quaeſo, concedere? Quamquam illud eſt egregium, quod hac lege ante omnia ueneunt, ante pecuniae coguntur, & coaceruantur, quam glaeba una ematur. deinde emi iubet, ab inuito vetat. Quero ſi, qui velint uendere, non fuerint; quid pecunia fiet? referre in aerarium lex vetat, exigi prohibet. igitur pecuniam omnem decemuiri tenebunt; uobis ager non emetur. vectigalibus abalienatis, ſocijs vexatis, regibus, atque omnibus gentibus exinanitis, illi pecunias habebunt, uos agros non habebitis. Facile, inquit, adducentur pecuniae magnitudine, ut velint uendere. Ergo ea lex eſt, qua noſtra uendamus, quanti poſſumus; aliena emamus, quanti poſſeſſores velint. Atque in hos agros, qui hac lege empti ſint, colonias ab ijs decemuiris deduci iubet. Quid? omnis ne eiuſmodi locus eſt, ut nihil interſit rep. colonia deducatur in eum locum, nec ne: an eſt locus, qui coloniam poſtulet, eſt qui plane recuſet? quo in genere, ſicut in ceteris reip. partibus, eſt operaepretium diligentiam maiorum recordari, qui colonias ſic idoneis in locis contra ſuſpicionem periculi collocarunt, ut eſſe non opida Italiae, ſed propugnacula imperij uiderentur. Hi deducent colonias in eos agros, quos emerint. etiam ne, ſi reip. non expediat? Et in quae loca praeterea uidebitur. quid igitur eſt cauſſae, quin coloniam in Ianiculum poſſint deducere, & ſuum praeſidium in capite, atque ceruicibus veſtris collocare? Tu non definias, quot colonias, in quae loca, quo numero colonorum, deduci velis? tu occupes locum, quem idoneum ad vim tuam iudicaris? compleas numero? confirmes praeſidio, quo velis? populi Ro. vectigalibus, atque omnibus copijs ipſum populum R. coerceas? opprimas? redigas in iſtam decemuiralem ditionem, ac poteſtatem? Vt uero totam Italiam ſuis praeſidijs obſidere, atque occupare cogitet, quaeſo, Quirites cognoſcite. Permittit decemuiris, ut in omnia municipia, in omnes colonias totius Italiae colonos deducant, quos velint: ijsq. colonis agrum dari iubet. num obſcure maiores opes, quam libertas veſtra pati poteſt, & maiora praeſidia quaeruntur? num obſcure regnum conſtituitur? num obſcure libertas veſtra tollitur? nam cum ijdem omnem pecuniam, maximam multitudinem, ideſt totam Italiam, ſuis, opibus obtinebunt, ijdem veſtram libertatem ſuis praeſidijs & coloniis interclusam tenebunt: quae ſpes tandem. quae facultas recuperandae veſtrae libertatis relinquetur?

E X P L A N A T I O

ET. VOS *non dubitatis*,] hæc inferũtur, vt plebem ab accipienda Rulli lege remoueat. Legem, inquit, non pro veſtris, ſed pro domeſticis cõmodis ferente Rullo, & quaſi carmen ſibi intus canẽte, dubitatis vectigalia veſtra vẽdere, plurimo maiorũ veſtrorũ ſanguine & ſudore quæſitã, vt Sullanos poſſeſſores diuitijs augeatis, periculo libertatis? Ideſt: dubitare debetis, & minime vẽdẽda ſtatuere. nã ſi pro lege Manilia cũ ait Cicero: Et dubitabit quiſquam, quin huic tantũ bellũ hoc tranſmittendũ ſit, qui ad omnia veſtræ memoriæ bella cõficienda diuino quodã cõſilio natus eſſe videatur? hæc, inquam, cum ait, ſi affirmat, & Pompeio tranſmittendũ eſſe bellum Mitridaticũ ſignificat: certe hic, addita particula, non negat potius, quã affirmat & oſtẽdit vectigalia non eſſe vẽdenda: & vt ex his verbis Dubitabit quiſquã, quin, elicitur affirmatio; ſic ex his, Nõ dubitatis quin, id, quod affirmationi contrarium eſt. PERICVLO] quod ex inuidia imminet. VERI,] qualis non eſt Rullus, qui ſe fingit popularem eſſe, cum ſit oſtentatione potius, quam veritate. FORTIS] quid eſt enim bona mens animo deſtituta? Fortis igitur, quem a populari cauſſa nihil deterreat. STRIDOREM *vnum*] nedum conciones multas, magna uoce habitas. EMETVR *ab ijs*,] pro. de ijs ement. n. decẽuiri ab ijs, qui propter ſterilitatẽ agros illos non eſſe colendos, aut propter peſtilentiam relinquẽdos putant. VOBIS. INDVCETVR.] vobis, vt magno emptus, oſtendetur. Animaduertenda verbi ſignificatio. nam, inducere, & hic, & infra, valet, in tabulas publicas referre: vt ad Appium: Teſtes ſunt rationes ciuitatum: in quibus, quantum quaeque voluit, legatis tuis datum, induxit. VASTVM,] nullis cultoribus: vt pro Sextio, vaſtum forum, in quo ſolitudo. DICTVM *eſt in ſenatu*,] potuit hoc Rullus dicere ante Kal. Ian. cum aliquot diebus antea vetere inſtituto magiſtratum iniuiſſet. VRBANAM *plebem*] agris carentem. propterea ruſtica nobilior, cui rura. erant autem

vrbanæ tribus, Palatina, Eſquilina, Collina, Suburana: in quas transferri, vt ait Plinius, ignominia eſſet. in his & vrbana plebs, & libertini ſuffragium ferebant. Epitome lib. xx. & Aſconius. NIMIVM *in rep. poſſe,*] in ſuffragijs: cum in quattuor tribubus diſpertita eſſet. EXHAVRIENDAM] verbum plebis auribus iniucundum. contemptu enim quodam dici videtur, ſimilitudine rerum, quæ, quia nō placent, exhauriuntur. RETINETE *iſtam poſſeſſionem*] vrbem Romam ne relinquite ſuaſu tribuni pl. certorum hominum, ſuaq. potiſſimum, non veſtra commoda cogitantem. GRATIAE,] quam inite licet ab ijs, de quibus magiſtratum petentibus in campo Martio ſuffragium fertis. LIBERTATIS,] nā ſeruire legibus libertas eſt. alibi alia fortaſſe ratio. SVFFRAGIORVM,] quae ſunt in manu veſtra. DIGNITATIS,] non modo dignitas, verum etiam maieſtas tribuitur interdum populo Romano, quid enim maius, quam poſſe magiſtratus & imperia mandare? IN *Sipontina ſiccitate,*] vnde ſterilitas. IN *Salapinorum peſtilentiae finibus*] vnde ſolitudo. Opida Apuliae ſunt Sipontum, & Salapia. Vitruuius, Plinius, Strabo, Lucanus. RVLLO *duce,*] videte, quem ſecuturi ducem ſitis: eum, qui vos eo ducet. vbi vel agri ſteriles, vel peſtilens cęlum. AT *dicat.*] ſi mentior, ipſe me refellat. agris nominatis, quos empturus ſit. ARENAM *aliquam,*] vbi inculti agri, vt in Sipontina ſiccitate. PALVDES] vbi peſtilentes, vt in Salapinorum finibus. EMAT,] deinde magno ſe emiſſe dicat, quod minimo emerit, in hoc quoque carmen ſibi intus canens. QVID *pecunia fiet?*] pro, de pecunia. vſitatus loquendi modus, in Verrem lib. I. Quid hoc homine faciatis? Terentius Andr. Nec, quid me nunc faciam, ſcio. REFERRE *in aerarium lex uetat, exigi prohibet.*] or. I. Pecunia coacta eſt ad agros emendos: ij porro ab inuitis non emuntur: ſi conſenſerint poſſeſſores non vendere, quid futurum eſt? referetur pecunia? non licet. exigetur? vetat. NOSTRA] priuatos agros. IN *funiculum*] de hoc, & ſequentibus, or. I. AD. VIM *tuam*] libri veteres, Ad vim tuam etiam. quod ſi accipimus, erit ſenſus: ad vim quoque tuam, nedum ad reliquas libidines. COLONOS *deducant.*] Colonos non colonias: quia colonia noua in coloniam veterem, auſpicato deductam, dum eſſet incolumis, deduci nō poterat: nouos tamen colones adſcribi licebat. Phil. 2. SVIS *praeſidijs, & colonijs*] praeſidia vocat colonos in veteres colonias adſcriptos: quos alibi ſuos milites.

O R A T I O

AT enim ager Campanus hac lege diuidetur, orbis terrae pulcherrimus: & Capuam colonia deducetur, vrbem ampliſſimam, atque ornatiſſimam. atqui, quid ad haec poſſumus dicere? De commodo veſtro prius dicam, Quirites: deinde ad amplitudinem, & dignitatem reuertar: vt, ſi quis agri aut opidi bonitate delectetur, ne quid exſpectet; ſi quem rei dignitas commonet, vt huic ſimulatae largitioni reſiſtat. ac primum de opido dicā; ſi quis eſt forte, quem Capua magis, quā Roma, delectat. Quinque millia colonorum Capuam ſcribi iubet. ad hūc numerum quinzenos ſibi ſinguli ſument. quaeſo nolite voſmetipſos conſolari: vere, & diligenter conſiderate. Num vobis, aut veſtri ſimilibus, integris, quietis, otioſis hominibus, in hoc numero locum fore putatis? ſi eſt omnibus vobis, aut maiori veſtrum parti, quamquam me veſter honos vigilare dies, atque noctes, & intentis oculis omnes reip. partes intueri iubet; tamen paulliſper, ſi ita commodum veſtrum feret, conniuebo. ſed ſi quinque hominū millibus, ad vim, facinus, caedemq. delectis, locus atque vrbs, quae bellum facere atque inſtruere poſſit, quaeritur: tamen ne patiemini, veſtro nomine cōtra vos firmari opes, armari praeſidia, vrbes, agros, copias comparari? nam agrum quidem Campanum, quem vobis oſtentant, ipſi concupiuerunt: deducent ſuos, quorum nomine ipſi teneant, & fruantur: coement praeterea: iſta dena iugera continuabunt. nam, ſi dicent, per legem id nō licere: ne per Corneliam quidem licet. at videmus (vt longinqua mittamus) agrum Praeneſtinum a paucis poſſideri. neque iſtorum pecunijs quidquam aliud deeſſe video, niſi eiuſmodi fundos, quorum ſubſidio familiarum magnitudines, & Cumanorum, ac Puteolanorum praediorum ſumptum ſuſtinere poſſint. Quod ſi veſtrum commodum ſpectat, veniat, & coram mecum de agri Campani diuiſione diſputet. Quaeſiui ex eo kalendis Ian. quibus hominibus, & quemadmodum illum agrum eſſet diſtributurus. reſpondit, a Romilia tribu ſe initium eſſe facturum. primum, quae eſt iſta ſuperbia, & contumelia, vt populi pars amputetur, ordo tribuum negligatur? ante ruſticis detur ager, qui habent, quam vrbanis, quibus iſta agri ſpes, & iucunditas oſtenditur? aut, ſi hoc ab ſe dictum negat, & ſatisfacere omnibus uobis cogitat: proferat, in iugera dena deſcribat, a Suburana uſque ad Arnienſem nomina ueſtra proponat. ſi, non modo dena iugera dari uobis, ſed ne conſtipari quidem tantum numerum hominum poſſe in agrum Campanū, intelligetis: tamen ne uexari remp., contemni maieſtatem populi Ro. deludi uoſmetipſos diutius a tribuno pleb. patiemini? Quod ſi poſſet ager iſte ad uos peruenire; non ne eum tamen in patrimonio ueſtro remanere malletis? unūm ne fundum pulcherrimum populi Rom. caput ueſtrae pecuniae, pacis ornamentum, ſubſidium belli, fundamentum uectigalium, horreum legionum, ſolatium annonae, diſperire patiemini? an obliti eſtis, Italico bello, amiſſis ceteris uectigalibus, quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis? an ignoratis cetera illa magnifica populi R. uectigalia perleui ſaepe momento fortunae, inclinatione temporis pendere? quid nos Aſiae portus, quid Syriae rura, quid omnia tranſmarina uectigalia iuuabunt, tenuiſſima ſuſpicione praedonum, aut hoſtium iniecta? at uero hoc agri Campani uectigal cum eiuſmodi eſt, ut domi ſit, & omnibus praeſidijs opidorum tegatur; tum neque bellis infeſtum, nec fructibus uarium nec caelo ac loco calamitoſum eſſe ſolet. Maiores noſtri non ſolum id, quod de Campanis ceperant, non imminuerant, uerum etiam, quod ei tenebant, quibus adimi iure non poterat, coemerunt. qua de cauſſa nec duo Gracchi, qui plebis R. commodis plurimum cogitauerunt, nec L. Sulla, qui omnia ſine ulla religione, quibus uoluit, eſt dilargitus,

agrum

agrum Campanum attingere auſus eſt. Rullus extitit, qui ex ea poſſeſſione remp. demoueret, ex qua nec Gracchorum benignitas eam, nec Sullae dominatio deieciſſet. quem agrum nunc praetereuntes veſtrum eſſe dicitis; & quem per iter qui faciunt, externi homines veſtrum eſſe audiunt; is, cum erit diuiſus, neque erit, neque veſter eſſe dicetur. At qui homines poſſidebunt? primo quidem acres, ad vim prompti, ad ſeditionem parati; qui, ſimul ac decemuiri concrepuerint, armati in ciues, & expediti ad caedem eſſe poſſint. deinde ad paucos, opibus, & copijs affluentes, totum agrum Campanum perferri videbitis. vobis interea, qui illas a maioribus pulcherrimas vectigalium ſedes, armis captas, accepiſtis, gleba nulla de paternis, atque auitis poſſeſſionibus relinquetur. ac tantum intererit inter veſtram, & priuatorum diligentiā, quod, cum a maioribus noſtris P. Lentulus, is qui princeps ſenatus, in ea loca miſſus eſſet, vt priuatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, pecunia publica coemeret, dicitur renunciaſſe, nulla ſe pecunia fundum cuiuſdam emere potuiſſe, eumque, qui nollet vēdere ideo negaſſe ſe adduci poſſe vti venderet, quod, cum plures fundos haberet, ex illo ſolo fundo numquam malum nuncium audiſſet. Ita ne vero? priuatum haec cauſa commouit; populum Ro. ne agrum Campanum priuatis gratis, Rullo rogante, tradat, non commouebit? atque idem populus R. de hoc vectigali poteſt dicere, quod ille de ſuo fundo dixiſſe dicitur. Aſia multos annos vobis fructum Mithridatico bello non tulit: Hiſpaniarum vectigal temporibus Sertorianis nullum fuit: Siciliae ciuitatibus bello fugitiuorum M'. Aquillius etiam mutuum frumentum dedit: at ex hoc vectigali numquam malus nuncius auditus eſt. cetera vectigalia belli facultatibus affliguntur: hoc vectigali etiam belli facultates ſuſtentantur. Deinde, in hac aſſignatione agrorum ne illud quidem dici poteſt, quod in ceteris, agros deſertos a plebe, atque a cultura hominum liberorum eſſe non oportere. ſic enim dico; ſi Campanus ager diuidatur, exturbari & expelli plebem ex agris, non conſtitui, & collocari. totus enim ager Campanus colitur, & poſſidetur a plebe, & a plebe optima, & modeſtiſſima: quod genus hominum optime moratum, optimorum & aratorum, & militum, ab hoc plebicola tribuno funditus eijcitur. atque illi miſeri, nati in illis agris, & educati, glebis ſubigendis exercitati, quo ſe ſubito conferant, non habebūt: his robuſtis, & valentibus, et audacibus decemuirum ſatellitibus agri Campani poſſeſſio tota tradetur. & ut nos nunc de noſtris maioribus praedicatis, hunc agrum nobis maiores noſtri reliquerunt: ſic veſtri poſteri de vobis praedicabunt, hunc agrum patres noſtri, acceptum a patribus ſuis, perdiderunt. Equidem exiſtimo, ſi iam campus Martius diuidatur, & vnicuique veſtrum, ubi conſiſtat, bini pedes aſſignentur: tamen promiſcue toto, quam proprie parua frui parte malletis. Quare, etiamſi ad vos eſſet ſingulos aliquid ex hoc agro peruenturum, qui vobis oſtenditur, alijs comparatur: tamen honeſtius eum vos uniuerſi, quam ſinguli, poſſideretis. nunc vero, cum ad vos nihil pertineat, ſed paretur alijs, eripiatur vobis; non ne acerrime, tamquam armato hoſti, ſic huic legi pro veſtris agris reſiſtetis? Adiungit Stellatē campum agro Campano, & in eo duodena deſcribit in ſingulos homines iugera. Quaſi vero paullum differat ager Cāpanus ac Stellatis. & multitudo, Quirites quaeritur, qua illa opida omnia compleantur. nam dixi antea, lege permitti, vt quae velint municipia, quos velint veteres colonias, colonis ſuis occupent. Calenū municipium complebunt: Theanum opprimient: Atellam, Cumas, Neapolim, Pompeios, Nuceriam ſuis praeſidijs deuincient: Puteolos vero, qui nūc in ſua poteſtate ſunt, ſuo iure libertateq. vtuntur, tōtos nouo populo, atque aduenticijs copijs occupabunt. tunc illud vexillū Campanae coloniae, vehementer huic imperio timendum Capuā a decemuiris inferetur: tunc contra hanc Romam, communem patriam omniū noſtrū illa altera Roma quaeretur. in id opidum homines nefarij remp. noſtram transferre conantur. quo in opido maiores noſtri nullā omnino remp. eſſe voluerunt: qui tres ſolum vrbes in terris omnibus Carthaginem, Corinthum, Capuam, ſtatuerunt poſſe imperij grauitatem, ac nomen ſuſtinere. deleta Carthago eſt, quod cum hominum copijs, tum ipſa natura, ac loco, ſuccincta portubus, armata muris, excurrere ex Africa, imminere tam fructuoſiſſimis inſulis populi R. videbatur. Corinthi veſtigium vix relictum eſt: erat enim poſita in anguſtijs, atque in faucibus Graeciae, ſic, vt terra clauſtra locorum teneret, & duo maria, maxime nauigationi diuerſa, paene coniungeret, cum pertenui diſcrimine ſepararentur. haec, quae procul erant a conſpectu imperij, non ſolum afflixerunt, ſed etiam, ne quando recreata exſurgeret, atque erigere ſe poſſent, funditus, vt dixi, ſuſtulerant. de Capua multum eſt & diu conſultatum. extant litterae, Quirites, publicae: ſunt S.C. complura. ſtatuerant homines ſapientes, ſi agrum Campanis ademiſſent, magiſtratus, publicum ex illa vrbe conſilium ſuſtuliſſent, imaginem reip. nullam reliquiſſent, nihil fore quod Capuam timeremus. itaque hoc perſcriptum in monumentis veteribus reperietis: vt eſſet vrbs, quae res eas, quibus ager Campanus coleretur, ſuppeditare poſſet: vt eſſet locus comportandis, condendisq. fructibus; vt aratores, cultu agrorum defeſſi, vrbis domicilijs vterentur; idcirco illa aedificia non eſſe deleta: videte, quantum interuallum ſit interiectum inter maiorum noſtrorum conſilia, & inter iſtorum hominum dementiam. illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas ruſticorum, cellam atque horreum Campani agri eſſe voluerunt: hi, expulſis aratoribus, effuſis ac diſſipatis fructibus veſtris, eandem Capuam ſedem nouae reip. conſtituunt, molem contra veterem remp. comparant. quod ſi maiores noſtri exiſtimaſſent, quemquam in tam illuſtri imperio, & tam praeclara populi R. diſciplina M. Bruti, aut P. Rulli ſimilem futurum; (hos enim nos duos adhuc vidimus, qui hanc remp. Capuam totam transferre vellent) profecto nomen illius vrbis non reliquiſſent. verum arbitrabantur, Corintho, & Carthagini, etiam ſi ſenatum, & magiſtratū ſuſtuliſſent, agrumq. ciuibus ademiſſent, tamen non defore, qui illa reſtituerent, atque qui ante omnia commutarent, quam nos audire poſſemus; hic vero, in oculis ſenatus, populiq. R. nihil poſſe exſiſtere, quod non ante exſtingui, atque opprimi poſſet, quam plane exortum, ac natum eſſet. neque vero ea res fefellit homines diuina mēte, & conſilio praeditos. nam poſt Q. Fuluium, Q. Fabium coſ. quibus conſulibus Capua deuicta, atque capta eſt, nihil eſt in ea vrbe contra hanc remp. non dico factum, ſed omnino cogitatum. multa poſtea bella geſta cum regibus, Philippo, Antiocho, Perſa, Pſeudophilippo, Ariſtonico, Mithridate, & ceteris: multa praeterea grauia, Carthaginienſium, Corinthium, Numantinum: multae in hac rep. ſe-

ditiones domeſticae,quas praetermitto:bella cum ſocijs, Fregellanum, Marſicum: quibus omnibus domeſticis externiſq. bellis Capua non modo non obfuit, ſed opportuniſſimam ſe nobis prebuit,& ad bellum inſtruendum, & ad exercitus ornandos, & tectis, ac ſedibus ſuos recipiendos. homines non inerant in urbe, qui malis concionibus, turbulentis S.C, iniquis imperijs rempub. miſcerent, & rerum nouarum cauſſam aliquam quaererent. neque enim concionandi poteſtas erat cuiquam, nec conſilij capiundi publici: non gloriae cupiditate efferebantur: propterea quod, ubi honos publice non eſt, ibi gloriae cupiditas eſſe non poteſt: non contentione, non ambitione diſcordes. nihil enim ſupererat, de quo certarent; nihil, quod contra peterent; nihil, ubi diſſiderent. itaque illam Campanam arrogantiam, atque intolerandam ferociam ratione, & conſilio maiores noſtri ad inertiſſimum, & deſidioſiſſimum otium perduxerunt. ſic & crudelitatis infamiam effugerunt, quod urbem ex Italia pulcherrimam non ſuſtulerunt: & multum in poſterum prouiderunt, quod, neruis urbis omnibus exſectis, urbem ipſam ſolutam, ac debilitatam reliquerunt. Haec conſilia maiorum M. Bruto, ut antea dixi, reprehendenda, & P. Rullo uiſa ſunt; neque te P. Rulle omnia illa M. Bruti, atque auſpicia a ſimili furore deterrent. nam & ipſe, qui deduxit, & qui magiſtratum Capuae, & Leocreanti ceperunt, & qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris attigerunt, omnes acerbiſſimas impiorum poenas pertulerunt.

EXPLANATIO

AT ENIM] argumentum pro Rulli lege; quod infirmatur paullo poſt. CAPVAM] quae adhuc praefectura erat, colonia vero facta eſt C. Caeſaris lege. VRBEM *ampliſſimam, atque ornatiſſimam.*] quo gratior plebi Lex debet eſſe. cum ei ſedes ac domiciliū in eiuſmodi vrbe proponatur. ATQVI *quid ad haec poſſumus dicere?*] hoc loco quid eſt quod reſpondeā? Quaſi reſponderi nihil poſſe videatur: cum tamen ipſe paullo poſt multa reſpondeat. DE *opido*] vide ingenium, cum pro lege diſputat, quod ex Rulli perſona facit, vrbē vocat, dignitatis gratia: cum aduerſus legem, opidū: vt plebi minuat migrandi cupiditatem. SI. QVIS *eſt forte.*] ſatis argute: cum eſſe nemo debeat. ROMA] emphaſis in nomine. AD *hunc numerum*] vt hic numerus conficiatur. QVINGENOS *ſibi ſinguli ſumeret.*] arbitratu ſuo decemuiri permittente lege, deligent, ſinguli quingenos, vt quinque colonorū millia ſint. quo primū beneficio ſibi deuinctos habebunt: deinde quos in agrum Campanū deduci lex iubet, eorum nomine agrum ipſi tenebunt, & fruentur. CONSOLARI:] ſpe agri Campani. VERE,] vti ſe res habet, non & inani & falſa quadam ſpe. INTEGRIS] probis: vnde integritas. QVIETIS *otioſis*] Quietis ad animum, Otioſis ad corpus refertur. VESTER *honos*] hoc ſignificat, laborandum eſſe populo de honore potius, quam de commodo, ſe tamen commodi quoque rationem habiturum. CONNIVEBO] quaſi honoris immemor. OMNES *reip. partes*] ne quid reſp. detrimenti patiatur. VESTRO *nomine*] quaſi vobis hac agraria lege conſulatur. OPES,] decemuirum. PRAESIDIA,] milites, colonorum ſpecie, ac nomine. CONTINVABVNT.] alijs emptis iugeribus. ſupra. Sullanus ager, latiſſime continuatus. CORNELIAM] L. Sullae. AGRVM *Praeneſtinum*] quo Sulla, Praeneſtinis, tamquam Marianis, infenſus, coloniam miſerat & colonia vocatur or. 1. in Catil. A PAVCIS.] ademptum colonis a Sulla miſſis. FAMILIARIVM] ſeruorum. SVMPTVM] qui fit maximus voluptatis gratia in amoeniſſimis Cumanis, Puteolaniſq. praedijs. VRBANIS,] qui agros non habent. OSTENDITVR?] cum in ſenatu dixerit, Vrbanam plebem in rep. nimium poſſe, exhauriendam eſſe. quaſi eam in agrum Campanum mittere cogitaret. OMNIBVS *vobis*] & ruſticis, & vrbanis tribubus. DESCRIBAT] diuidat agrum Campanum. infra: Adiungit Stellatem campum agro Campano, & in eo duodena deſcribit in ſingulos homines iugera. Et ad Caſſiū: Immunitates dantur: pecuniæ maximae deſcribuntur. A SVBVRBANA] libri veteres, Ab vſura nā. de quo dubitante olim Faerno, dixi reponēdum, A Suburana. erat enim Suburana tribus, vrbana: & in vrbanis eam Varro primā nominat: valet autē, A Suburana vſque ad Arnienſem, a prima vrbana vſque ad vltimam ruſticam: vt populus comprehendatur vniuerſus. ARNIENSEM] locorum interuallo a Suburana longiſſime diſiunctam: quod ex ipſo patet nomine: dicta eſt n ab Arno, Etruriæ fluuio. DELVDI *voſmetipſos*] falſa agrorum oſtentatione. FVNDVM *pulcherrimum populi Romani.*] hac de re ſic or. 1. Prætermitto illa, quae, nemo eſt, quin grauiſſime, & veriſſime conqueri poſſit, nos caput patrimonij publici, pulcherrimam popu i Romani poſſeſſionem, ſubſidium annonae, horreū belli, ſubſigno, clauſtriſq. reip poſitum vectigal ſeruare non potuiſſe. Et pro lege Manilia: Aguntur certiſſima populi Romani vectigalia, & maxima: quibus amiſſis, & pacis ornamēta. & ſubſidia belli requiretis. In eadē oratione dicit idem alijs verbis: Hęc vobis prouincia, Quirites, ſi & belli vtilitatē, & pacis dignitatē ſuſtinere vultis, nō modo a calamitate, ſed etiā a metu calamitatis eſt defendēda. ITALICO *bello*] quod & Sociale. & Marſicum dictum eſt. Itali enim ſe iure ciuitatis, iā promiſſo, excludi ægerrime ferentes, grauiſſimum populo Romano bellum intulerunt. QVANTOS *agri Campani, fructibus exercitus aluerītis?*] idem lib. 3 in Verrem. ILLA *magnifica*] transmarina, quae pluris, quā Italica, locātur. TENVISSIMA *ſuſpicione praedonum, aut hoſtium incurſ.?*] hoc eſt quod ait pro lege Manilia: Ceteris in rebus, cum venit calamitas tum detrimētum accipitur: at in vectigalib. non ſolum aduentus mali, ſed etiam metus ipſe affert calamitatem. nam cum hoſtiū copiæ non longe abſunt; etiā ſi irruptio facta nulla ſit, tamen pecora relinquūtur, agricultura deſeritur, mercatorū nauigatio conquieſcit. ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura vectigal conſeruari poteſt.

quare

quare ſaepe totius anni fructus vno rumore periculi, atque vno belli terrore amittitur. BELLIS *infeſtum,*] quia bellis non vexatur, cum ſit ſub ſigno, clauſtriſq. reip poſitum: vt or. 1. dixit. Infeſtum; hic paſſiui ſignificatione accipiendũ, vt pro Sex Roſcio. Filij vita infeſta, ſaepe ferro, atque inſidijs appetita. Pro Plancio: Dolebam, iudices, & acerbe ferebã, ſi huius ſalus ob eam ipſam cauſſam eſſet infeſtior, quod is meam ſalutem, atque vitam ſua beneuolentia, praeſidio, curaq. texiſſet. NEC *fructibus varium*] numquã enim fructus imminuuntur. CAELO, *ac loco*] propter caeli temperiẽ, loci ſalubritatem. NON *imminuerunt,*] non diuiſerunt, quos diuidi Rullus lege ſua vult plebi Romanae agros de Campanis captos, ſed, vt fundum populi Romani, ſubſidium belli, fundamentum vectigaliũ, retinẽdũ putarunt. QVOD *& tenebant.*] ſequor antiquorum librorum conſenſum, nõ aduerſante ſententia. alij pro, Et, reponunt, Ei: vt ſit, Quod ij tenebant. Sed, Ei, nominandi caſu, inuſitatum puto. QVIBVS *adimi iure non poterant,*] quia victi bello nõ erant, ſed in pace manſerant. DVO *Gracchi*] qui leges agrarias tulerunt ſupra. SINE *vlla religione,*] cui tamen religio fuit Campanum agrum attingere. DIMOVERET,] vt plebi diuideret. VESTRVM *eſſe dicitis,*] quod enim publicum eſt, populi Romani eſt. QVEM *per*] poetice, pro, per quem, vt Tranſtra per & remos, Virgilius. ſed in antiquis libris quod legitur, Quem pariter, iter qui faciunt, ego ſane non contemno. quid enim habet vitij? at illud, Quem per, improbari ea ratione poteſt, quod iter per viam, non per agrum fit: idq. confirmatur verbo, Praetereuntes. nam, praeterire, non eſt, per aliquem locum ſed ante aliquem locum tranſire: vt ad Att. Praeterijt villam meam Curio AD PAVCOS,] ad ipſos decemuiros. ſupra: Deducent ſuos, quorum nomine ipſi teneant, & fruantur. coement praeterea: iſta dena iugera continuabunt. PATERNIS, *atque auitis*] quas patres, auiq. veſtri, non priuatim, ſed publico vectigalium nomine tenuerunt. P. LENTVLVS,] is, qui cum Catilina coniurauit. or. 3. in Catil. PVBLICA *pecunia coemeret,*] vt ager publicus continuaretur, priuata poſſeſſione non interruptus. EX *illo ſolo fundo numquam malum nuncium audiſſet.*] hoc ideo dicit, vt populus Romanus, priuati hominis exemplo, turpe ſibi putet a rep. dimoueri, & quinque millibus colonorum diuidi vectigal agri Campani, vnde malus nuncius numquam audiatur, ideſt, quod ſemper idem ſit, non bellis infeſtum, non fructibus varium, non caelo ac loco calamitoſum: cum e ceteris vectigalibus malus nuncius nonnumquam audiatur. GRATIS] vult enim Rullus in eum agrum quinque millia colonorum deduci, pecunia non ſoluta. nam colonis agri diuidebantur gratis. M' AQVILLIVS] qui de ſeruis, in Sicilia deletis, ouauit BELLI *facultatibus*] rebus ijs quae ſunt in bello eſt enim lepor quidam in ſententia, iteratione eiuſdem verbi. Cetera vectigalia belli facultatibus affliguntur: hoc vectigali etiam belli facultates ſuſtentantur. quod ſi quis malit. Difficultatibus: eius non improbabo ſententiam, a mea tamen non diſcedam. NON *oportere.*] quaſi nunc ea ratione Rullus ad agri Campani diuiſionem adducatur, quod ab hominum cultura deſeratur. PLEBEM] Campanam, quae publicum agrum colit, & inde ſibi victum quaerit. A PLEBE, *& a plebe optima,*] a pauperibus, optimis viris quo minus expelli debent. Leporem habet iteratio eiuſdem verbi. PLEBICOLA] deriſio: qui enim ſe plebis conſulere commodis profitetur, is plebem optimam, & modeſtiſſimam ex ijs agris, in quibus nata, educataq. eſt, exturbabit, atque expellet. GLEBIS *ſubigendis*] cum ceteras artes ignorent, quibus parare victum poſſent. HVNC *agrum*] de Campano loquitur. ALIIS] ipſis decemuiris ſupra: Agrũ Campanum, quem vobis oſtentant, ipſi concupiuerunt: deducent ſuos, quorum nomine ipſi teneant, & fruantur ERIPIATVR *vobis:*] ager enim Campanus publicus patrimonium eſt populi Romani, maiorum armis & virtute partum. STELLATEM *campum agro Campano.*] hic non differt campus ab agro: vt ſequentibus apparet. Campum tamen appellat, vel quia non, vt Campanus, totus coleretur, vel quia parem fructũ non ferret. ad Atticum etiam lib. 2. campum vocat, non agrum: ſimiliter Suetonius in Iulio. ET *multitudo,*] placet quod alijs, ſed, pro Et cum in antiquis libris, Ac Stellatis & multitudo, legatur. THEANVM] quod eſt in Campania. nam alterum in Apulia nominatum in Cluentiana. NVNC] libertate fortaſſe, & ſuo iure Sulla donati. quia pro Mario non pugnaſſent quo patet, cetera opida, proxime nominata, in ſua poteſtate, vt Puteolos, non fuiſſe, nec ſuo iure, ſuaq. libertate vſos eſſe: quia ſcilicet municipia erant, & cũ ciuitatis Romanae ius haberent, ſuffragiumq. in tribubus ferrent Romanis legibus vti cogebantur. EXSILIVM] Vexillum, eſſe reponendũ, docet antiquus mos, indicatus Phil. 2. his verbis. Caſilinũ coloniã deduxiſti, quo erat paucis annis ante deducta vt vexillum tolleres, vt aratrũ circumduceres. Coloniae igitur cum vexillo, auctore etiam Appiano lib. 2. deducebantur. INFERETVR:] hoſtile verbum: quo magis timeatur decemuirum poteſtas. COMMVNEM *patriam omnium noſtrum.*] ſiue natu Romae ſimus, ſiue non ſimus. ipſe enim Arpinas, alij alibi nati. duas autẽ patrias, naturae vnam, iuris alteram appellat lib. 1. de Leg. QVO *in opido*] iterato opidi vocabulo, magis periculum oſtendit ex noua colonia, argumento a maioribus ducto. PORTICVS,] duobus, vno ad occidentem, altero ad orientem ſpectante. EXCVRRERE] in mediterraneas regiones: vel generatim dictum, excurrere quocumque vellet. IMMINERE] vt maxime propinquus. ITO] aut abundat, aut mendoſum eſt nec, Italiae, placet: non enim Africa Italiae, ſed propinquioribus imminet inſulis. FRVCTVOSISSIMIS] Siciliae, & Sardiniae. DVO *maria*] Ionium, & Aegaeum: unde bimarem poetae nuncuparunt. DIVERSA] cum Ionium ad Italiam. Aegaeum ad Aſiam ſpectet. PERTENVI *diſcrimine*] Iſthmo, ſex millibus paſſuum. alioqui peninſula Peloponneſus. LITTERAE *publicae:*] non epiſtolae, ſed quae ſcripta ſunt ad rei memoriam in ſenatu. lib. 1. in Verrem. Quo in negotio induſtriam meam celeritas reditionis, diligentiã multitudo litterarum, & teſtium declarauit.

Ibidem.

Ibidem. Vnam ex decem nauibus non vi tempeſtatis, ſed haec horribili tempeſtate ſociorum a nu[illegible] in litteras publicas retulerunt. SENATVM,] *publicum ex illa urbe conſilium ſuſtuliſſent,*] quaſi definitionem ſenatus addidit, publicum conſilium. M. BRVTVS,] qui legem tulit de colonia Capuam deducenda. QVI *hanc remp. Capuam totam transferre uellent,*] indignationis commouendae gratia, non, coloniam Capuam deducere, quod proprijs apertiſq; verbis explicari poterat, ſed, remp. & remp. totam Capuam transferre dixit: vt ſupra quoque. QVIBVS *conſulibus*] diſſentit a Liuio, qui non a Q. Fuluio conſule, ſed ab eo proconſule, biennio ante, captam Capuam ſcribit. PHILIPPO,] Philippus, & Perſa filius Macedoniae reges, ille a T. Quinctio Flaminino, hic a L. Aemilio Paullo victus eſt. Antiochus Aſiae, ab Africani maioris fratre L. Scipione: Pſeudophilippus Macedoniae, a Q. Metello: Ariſtonicus Aſiae minoris, Attali filius expellice, a M'. Aquillio: Mithridates Ponti a Sulla, Murena, Lucullo, Pompeio: quorum duo priores antea, Lucullus hoc anno, Pompeius triennio poſt triumphauit. CARTHAGINIENSIVM,] primum, ſecundum, tertium, quod Africanus minor, euerſa Carthagine, confecit. CORINTHIVM, *Numantinum,*] Corinthum L. Mummius deleuit, Numantiam Africanus, vterque triumphauit ſicuti omnes iam nominati. FREGELLANVM,] Fregellas L. Opimius, is, qui conſul C. Gracchum occidit, praetor cepit, & euertit. Velleius, Aſconius, Epitome, alij. MARSICVM:] Sociale: a Marſis primis arma ſumentibus, ademptae ciuitatis dolore, & iracundia. Italicum. Sociale, Marſicum, idem vocatur. REPREHENDENDA] quia de colonijs Capuam deducendis cogitarunt. IPSE *qui deduxit*] lator legis Brutus, idem coloniam deduxit. QVI *magiſtratum Capuae & Leocreanti ceperunt,*] Conſidium, & Saltium, duumuiros, ſignificat. Illud autem, Et Leocreanti, quod corruptum eſſe conſtat, ſimilitudinem litterarum, & ſententiae veritatem ſecutus, ita corrigo, Ea lege creati. nam & Caeſare conſule gener eius Pompeius, ſocer Piſo, eadem lege, quam ille de colonia Capuam deducenda tulit duumuiri creati ſunt. IMPIORVM] quaſi de patria, qui Capuae coloni eſſe, & magiſtratum eſſe vellent, contra quam maiores ſtatuerant, impie cogitarint.

ORATIO

ET, quoniam Bruti, atque illius temporis feci mentionem, commemorabo id, quod egomet vidi, cum veniſſem Capuam, coloniam deductam L. Conſidio, & Sex. Saltio, quemadmodum ipſi loquebantur, praetoribus: ut intelligatis, quantam locus ipſe afferat ſuperbiam: quae paucis diebus, quibus illo colonia deducta eſt, perſpici atque intelligi potuit. Nam primum id quod dixi, cum ceteris in colonijs duumuiri appellentur, hi ſe praetores appellari volebant. quibus primus annus hanc cupiditatem attuliſſet, non ne arbitramini paucis annis fuiſſe conſulum nomen appetituros? deinde anteibant lictores; non cum bacillis, ſed, ut hic praetoribus ante eunt, cum faſcibus duobus. erant hoſtiae maiores in foro conſtitutae, quae ab his praetoribus de tribunali, ſicut a nobis conſulibus de conſilij ſententia probatae, ad praeconem, & ad tibicinem immolabantur. deinde Patres conſcripti vocabantur. Iam vero, vultum Conſidij videre, ferendum vix erat. quem hominem ut grandi macie torridum, Romae contemptum, abiectum videbamus, hunc Capuae Campano ſupercilio, ac regio ſpiritu cum videremus, Magios, Bloſſios mihi videbar illos videre, ac Iubellios. Iam vero, qui metus erat tunicatorum illorum? & in Albana & Seplaſia quae concurſatio percunctantium, quid praetor edixiſſet? ubi cenaret? quid enunciaſſet? nos autem, hinc Roma qui veneramus, iam non hoſpites, ſed peregrini, atque aduenae nominabamur. Haec qui proſpexerint, maiores noſtros dico, Quirites, non eos in deorum immortalium numero venerandos a nobis, & colendos putatis? quid enim viderunt? hoc, quod nunc vos, quaeſo, perſpicite, atque cognoſcite. non ingenerantur hominibus mores tam a ſtirpe generis, ac ſeminis, quam ex iis rebus, quae ab ipſa natura loci, & a vitae conſuetudine ſuppeditantur, quibus alimur, & viuimus. Carthaginienſes fraudulenti, & mendaces, non genere, ſed natura loci, quod, propter portus ſuos, multis & varijs mercatorum & aduenarum ſermonibus ad ſtudium fallendi ſtudio quaeſtus vocabantur. Ligures montani, duri, atque agreſtes: docuit ager ipſe, nihil ferendo, niſi multa cultura, & magno labore quaeſitum. Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum, & fructuum, magnitudine urbis, ſalubritate, deſcriptione, pulchritudine. ex hac copia, atque omnium rerum affluentia primum illa nata ſunt; arrogantia, qua a maioribus noſtris alterum, Capua conſulem poſtulauit; deinde ea luxuries, quae ipſum Hannibalem, armis etiam tum inuictum, voluptate vicit. Hi iſti decemuiri cum IↃↃ colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, ſex pontifices conſtituerint: quos illorum animos, quos impetus, quam ferociam fore putatis? Romam in montibus poſitam, & conuallibus, cenaculis ſublatam, atque ſuſpenſam, non optimis vijs, anguſtiſſimis ſemitis, prae ſua Capua, planiſſimo in loco explicata, ac prae illis ſemitis irridebunt, atque contemnent. agros vero, Vaticanum, & Pupiniam, cum ſuis optimis, atque uberibus campis conferendos ſcilicet putabunt. oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per riſum, ac per iocum contendent: Labicos, Fidenas, Collatiam, ipſum hercle Lanuuium, Ariciam, Tuſculum, cum Calibus, Theano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeiis, Nuceria non comparabunt. quibus illi rebus elati, & inflati, fortaſſe non continuo, ſed certe ſi paullum aſſumpſerint vetuſtatis, ac roboris, non continebuntur; progredientur longius, efferentur. ſingularis homo priuatus, niſi magna ſapientia praeditus, vix facile ſeſe regionibus officij, magnis in fortunis, & copijs, continet: nedum iſti, ab Rullo, & Rulli ſimilibus conquiſiti, atque electi, coloni Capuae, in domicilio ſuperbiae, atque in ſedibus luxuriae collocati, non ſtatim conquiſituri ſint aliquid ſceleris, & flagitij: immo vero etiam hoc magis, quam illi veteres, germaniq; Campani, quod in vetere fortuna illos natos & educatos nimiae tamen rerum omnium copiae deprauabant; hi ex ſumma egeſtate in eandem rerum abundantiam traducti, non ſolum copia, verum etiam inſolentia commouebuntur.

EXPLA-

EXPLANATIO

COLONIAM *deductam*] lege M Bruti. NON *cum bacillis*,] ſolis, vt in ceteris colonijs. PRAETORIBVS] vt, quod ſibi nomen ſumpſerant praetoriae poteſtatis inſignia praeferentes, re ipſa comprobarent. CVM *faſcibus duobus*.] in vrbe praetores binis lictoribus, in prouincijs ſex vtebantur, vt ex Cenſorino, Polybio, Ciceronis oratione pro lege Manilia intelligitur. HOSTIAE *maiores*] vt taurus, iuuencus. minores enim, agna, ſus caper capra. AB HIS *praetoribus*] cum irriſione: quia, cum duumuiri eſſent, praetores appellari malebant. PROBATIS.] vitioſa vox: integra, Probantibus, ſed omnes in mendo conſentiunt veteres libri. AD *tibicinem*] praecinere ſolitum in ſacris tibicinem, vt omittam Liuium, indicat lapis antiquus, quem accurate depictum miſit ad me vir optimus, excellens iure ciuili, & idem elegantiore doctrina perpolitus Luca Paetus, nobilis Romanus ciuis. PATRES *conſcripti*] ironia. tunicati enim erant qui Capuae a duumuiro Conſidio, tamquam Romae ſenatores a conſule, aut a praetore, vocabantur. VT. GRANDI *macie torridum*] vae grandi, rectius videtur. MAGIOS, *Bloſſios Iubellios*] veteres Campanes. D. Magius nominatur a Liuio lib. XXIII. D. Iubelius Taurea eodem libro, & XXVI. & in epitome lib XII. Bloſſius a Cicerone in Catone. Quod autem, Decios, Magios, legitur oratione in Piſonem, fortaſſe mendoſum; & reponi poteſt, Decimos Magios. TVNICATORVM,] non, vt Romae, togatorum. IN. ALBANA, *& Seplaſia*] quibus in foris vnguenta vendebantur. HINC *Roma*] quaſi ex vrbe ignobili. HAEC]· ſuperbiam, & arrogantiam ingeneratam ex ijs rebus, quibus alimur, & viuimus. CAMPANI *ſemper ſuperbi*] de quorum ſuperbia ſic apud Valerium Max. lib IX. cap. 5. Inſolentiae inter Carthaginienſem & Campanum ſenatum quaſi aemulatio fuit. ille enim ſeparato a plebe balneo lauabatur: hic diuerſo foro vtebatur. ALTERVM *Capua conſulem poſtulauit*.] bello Punico ſecundo. Liuius lib. XXIII. HVC] in eum locum, qui mores hominum facile corrumpat. ISTI *decemuiri*] Iſti, qui ſuam potentiam, non veſtra commoda, curabunt. CENTVM *decuriones*] tamquam ſenatores in colonia. centum autem ad imaginem ſenatus a Romulo conſtituti. NON *optimis viris, augustiſſimis ſemitis*.] qualis ad incendium Neronis manſit vt ex Taciti verbis colligitur. Impetu, inquit lib. XV. peruagatum incendium plana primum, deinde in edita aſſurgens, rurſus inferiora populando anteijt remedia velocitate mali, & obnoxia vrbe arctis itineribus, hucq. & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. PRAE *illis ſemitis*] Semitae differunt a vijs: anguſtiores enim ſunt. Illis dixit tamquam irridendis, ex perſona Campanorum. CONTENDENT.] conferent. pro lege Manilia: Ea magis ex aliorum contentione, quam ipſa per ſeſe, cognoſci, atque intelligi poſſunt. Tacitus lib. IV. Nemo noſtros annales cum ſcriptura eorum contenderit qui veteres populi Romani res compoſuere. NON *comparabunt*.] abeſt, Non, ab antiquis libris. vt haec Cicero cum ironia dicat pro, ſcilicet comparabunt. SI. PAVLLVM *aſſumpſerint vetuſtatis ac roboris*,] ſi inueterauerint; vt eorum vires dies augeat. AVCTORIBVS] ijs, qui tibi, vt agrariam legem ferres, auctores fuerunt.

ORATIO

HAEC tu, P. Rulle, M. Bruti ſceleris veſtigia, quam monumenta maiorum ſapientiae, ſequi maluiſti: haec tu cum iſtis tuis auctoribus excogitaſti, vt vetera vectigalia venderetis, & expilaretis noua; vt vrbi Capuam ad certamen dignitatis opponeretis; vt ſub veſtrũ ius, iuriſdictionem, poteſtatem, vrbes, nationes, prouincias, liberos populos, reges, terrarum denique orbem ſubiungeretis; vt, cum omnem pecuniam ex aerario exhauſiſſetis, ex vectigalibus redegiſſetis, ab omnibus regibus, gentibus, imperatoribus noſtris coegiſſetis, tamẽ omnes vobis pecunias ad nutum veſtrum penderent; vt ijdem partim inuidioſos agros a Sullanis poſſeſſoribus, partim deſertos ac peſtilentes a veſtris neceſſarijs, a vobiſmetipſis emptos, quanti velletis populo R. induceretis. vt omnia municipia, coloniasq. Italiae nouis colonis occuparetis; vt, quibuſcumque in locis vobis videretur, ac quam multis videretur, colonias collocaretis; vt omnem remp. veſtris militibus, veſtris vrbibus, veſtris praeſidijs cingeretis, atque oppreſſam teneretis; vt ipſum Cn. Pompeium, cuius praeſidio saepiſſime populus R. contra acerrimos hoſtes, & contra improbiſſimos ciues victor euaſit, proſcribere, atque horum conſpectu priuare poſſetis; vt nihil auro & argento violari, nihil numero, & ſuffragijs declarari, nihil elata manu perfringi poſſet, quod non vos oppreſſum, atque ereptum teneretis; vt uolitaretis interea per gentes, per regna omnia cum imperio ſummo, cum iudicio infinito, cum omni pecunia; ut veniretis in caſtra Cn. Pompey, atque ipſa caſtra, ſi commodum vobis eſſet, venderetis; vt interea magiſtratus reliquos, legibus omnibus ſoluti, ſine metu iudiciorum, ſine periculo petere poſſetis; ut nemo ad populũ R. vos adducere, nemo producere, non ſenatus cogere, non conſul coercere, non tribunus pl. retinere poſſet: haec ego vos concupiſſe, pro veſtra ſtultitia, atque intemperantia, non miror; ſperaſſe me conſule aſſequi poſſe, demiror. nam, cum omnium conſulum grauis in rep. cuſtodienda cura, ac diligentia debet eſſe, tum eorum maxime, qui non in cunabulis, ſed in campo ſunt conſules facti. nulli populo R. pro me maiores mei ſpoponderunt: mihi creditum eſt; a me petere, quod debeo, me ipſum appellare debetis. quemadmodum, cum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commẽdarunt: ſic, ſi quid deliquero, nullae ſunt imagines, quae me a vobis deprecentur. quare, modo mihi vita ſuppetat; quam ego ſum is,

qui poſſim

qui poſſim ab iſtorum ſcelere, inſidijsq. defendere; polliceor hoc vobis, Quirites, bona fide: remp. vigilanti homini, non timido; diligenti, non ignauo, commiſiſtis. ego is conſul, qui concionem metuam? qui tribunos pl. perhorreſcam? qui ſaepe & ſine cauſſa tumultuer? qui timeam, ne mihi in carcere habitandum ſit, ſi tribunus pl. duci iuſſiſſet? ego, nondum veſtris armis armatus, inſignibusq. ampliſſimis ornatus, imperio, auctoritate, non horrui in hunc locum progredi poſſe, vobisq. auctoribus improbitati hominis reſiſtere: nunc verear, ne reſp. tantis munita praeſidijs, ab iſtis vinci, aut opprimi poſſit? ſi antea timuiſſem, hac concione, hoc populo certe non vererer. quis enim vnquam tam ſecunda concione legem agrariam ſuaſit, quam ego diſſuaſi? ſi hoc diſſuadere eſt, ac non diſturbare, atque peruertere. ex quo intelligi, Quirites, poteſt, nihil eſſe tam populare, quam id, quod ego vobis in hunc annum conſul popularis affero, pacem, tranquillitatem, otium. quae vobis deſignatis timebatis, ea ne accidere poſſent, conſilio meo, ac ratione prouiſa ſunt. non modo vos eritis in ocio, qui ſemper eſſe voluiſtis, verum etiam iſtos, quibus odioſi negotium faceſſimus, otioſiſſimos reddam. etenim illis honores, poteſtates, diuitiae ex tumultu, atque ex diſſenſionibus ciuium comparari ſolent. vos, quorum gratia in ſuffragijs conſiſtit, libertas in legibus, ius in iudicijs, & aequitate magiſtratuum, res familiaris in pace, omni ratione otium tenere debetis. nam, ſi ij, qui propter deſidiam in otio viuunt, tamen in ſua turpi inertia capiunt voluptatem: ſub ipſo otio, quo vos fortunam regitis, hunc ſtatum, quem habetis, eſſe meliorem non ignoratis, non ut quaeſitum, ſed vita partum otium tenueritis. quod ego & concordia, quam mihi conſtitui cum collega, inuitiſſimis ijs hominibus, quos in conſulatu inimicos eſſe & animis, & corporis actibus prouidi, omnibus proſpexi, & ſane reuocaui: idem tribunis pl. denunciaui, ne quid turbulenti me conſule conflarent. ſummum, & firmiſſimum eſt illud communibus fortunis praeſidium, Quirites, ut, quales vos hodierna die maxima concione mihi pro ſalute veſtra praebuiſtis, tales reliquis temporibus reſp. praebeatis. pro certo polliceor hoc vobis, atque confirmo, me eſſe perfecturum, ut iam tandem illi, qui honori inuiderunt meo, tamen vos uniuerſos in conſule deligendo plurimum vidiſſe fateantur.

EXPLANATIO

SCELERIS] quia coloniam deducere Capuam, agrumq. Campanũ publicũ, vnde annuum reſp. fructũ capit, priuati diuidere conatus eſt. Cum verbo, Sceleris, cõgruit illud de eodem Bruto ſupra dictum, impiorum poenas pertulerunt. MONVMENTA] magnifice loquitur de maioribus. praeſtant enim monumenta veſtigijs, & maiores M. Bruto, de quo dixit, Veſtigia. VENDERETIS,] vt ea pecunia diuidendos plebi agros diuideretis. EXPILARETIS] non, venderetis, verum expilaretis, exacta pecunia, quae poſt nos conſules ex nouis vectigalibus recipietur. Significat, quod ſupra dixit: Cauet vt ſi qua pecunia poſt nos cõſules ex nouis vectigalibus recipiatur, ea decemuiri vtantur. NOVAS] Pompeij virtute parta. haec enim praecipue ſpectabat Rullus. CVM *omnem pecuniam ex aerario exhauſiſſetis,*] exhaurit ex aerario, qui vectigalia vendit, aut eos agros, vnde vectigal capitur, plebi diuidit Hoc puto ſignificari, nõ eũ ſumptũ quẽ in decemuiros fieri lex iubebat: de quo ſupra: Ornat apparitoribus, ſcribis, librarijs, praeconibus, architectis praeterea mulis, tabernaculis, centurijs, ſuppellectili: ſumptũ haurit ex aerario Non enim eo de ſumptu diceret, Cũ omnẽ pecuniã ex aerario exhauſiſſetis INVIDIOSOS] ob latitudinẽ poſſeſſionum. Supra: Sullanus ager, a certis hominibus latiſſime continuatus tantã habet inuidiã, vt veri, ac fortis tribuni pl. ſtridorẽ vnũ perferre non poſſit. A SVLLANIS] de Sullanis emptores enim decemuiros, venditores Sullanos poſſeſſores fore ſignificat. A VESTRIS *neceſſarijs*] & hic accipio de veſtris neceſſarijs: qui vendent libenter deſertos, ac peſtilentes agros: quos tamen vos, quaſi magno emptos, inducetis, ideſt, in publicas tabulas relatum oſtendetis populo Romano, non mediocri lucro per hanc fraudem quaeſito. Eodẽ ſenſu ſupra: Hic ager omnis, quoquo pretio coemptus erit, tamen ingenti pecunia vobis inducetur. A VOBIS MET *ipſis emptos*] vt fraus lateat. quis enim, quanti emeritis, ſcire poterit, cũ voſmetipſi emetis? IMPROBISSIMOS *ciues*] vt Domitium Carbonem, Sertorium, alios. PROSCRIBERE,] vendere. inuidioſum verbum: quaſi Pompeius, ipſe venderetur, cum pecuniam ex vectigalibus eius virtute partis, poſt Ciceronem conſulem decemuiri venderent. Eodem modo, vicinos proſcribere. or. 3. HORVM *conſpectu priuare*] cum ſine populi Romani iudicio ex nouis Pompeij vectigalibus in longinquis regionibus recepta pecunia decemuiri vti poſſent. NVMERO, *& ſuffragijs*] pro, numero ſuffragantium. nota ſignificatio. NIHIL *elata manu*] cum ſequatur, Perfringi, placet eorum ſententia, qui legendum putant, Nihil vi, ac manu: cum ſit in vno vetere libro, Velata, in altero, Vel lecta iam, vel, parum diſtata, vi ſcribebant enim veteres, vei. pro vi. quod & Politianus in Miſcell. admonuit. atque hac obſeruatione duobus ex locis mendum olim ſuſtulimus, primũ ex libro de Vniuerſitate, vbi legebatur. Vel cũ eadem coniunxit, pro, Vi cum eadem coniunxit: deinde ex Tuſc. 1. vbi erat, Quaſi vero iſta vel quidquam tum potuerit ei melius accidere cum legendum ſit, Iſta vi. SI *commodum vobis eſſet.*] ſi vobis liberet. quo de genere loquendi iam diximus. MAGISTRATVS *reliquos,*] cum tamen decemuiri eſſetis. LEGIBVS *omnibus ſoluti,*] nam nec qui gerit magiſtratum, alium petere poteſt nec, qui abeſt, niſi ſoluatur legibus. ADDVCERE,] vt acta veſtra iudicentur. PRODVCARE,] quod minus eſt, quam adducere. videtur enim adducere magiſtratus, producere priuatus. NON *in cunabulis,*] vt ij, qui maiorum claritate, rebusq geſtis populo Romano commendantur. IN *campo*] ſuis meritis. APPELLARE] tranſlata verba, a creditoribus ſumpta, Spoponderunt, creditum eſt, Petere, Debeo,

Appellare.

Appellare. HABITANDVM] diu manendum: vt, habitabant in Roſtris, in Bruto: habitauerunt in foro pro Murena: quorum in vultu habitant oculi mei. Phil. 12. SI. TRIBVNVS *pl. duci iuſſiſſet?*] vt Bibulum conſulem duci iuſſit quadriennio poſt P. Vatinius tribunus pl. & de Bruto ac Naſica coſ. a C. Curiatio tribuno pl. in carcerem coniectis, hiſtoriae loquuntur. Malim autem, iuſſerit, quam, iuſſiſſet. NONDVM *veſtris armis armatus,*] nondum conſul, qui armatur inſignibus, imperio, auctoritate. IN *hunc locum*] in roſtra. IMPROBITATI *hominis*] cuius hominis? non Verris, quem non de Roſtris ad populum, ſed ad iudices priuatus accuſauit. praeterea de reo non diceret, reſiſtere. reſiſtimus enim oppugnanti, non cauſſam dicenti. An Catilinae? credi poteſt. male enim de rep. cogitanti reſiſtere, & in eum concionari conſul deſignatus Cicero potuit. TANTIS *munita praeſidijs,*] me conſule. iam enim conſularia praeſidia nominauit. QVAE *nobis deſignatis timebatis*] ſupra. Omnia turbulenta conſilia contra hunc reip. ſtatum, & contra veſtrum otium partim iniri, partim, nobis conſulibus deſignatis, inita eſſe dicebantur. ſublata erat de foro fides, non ictu aliquo nouae calamitatis, ſed ſuſpicione, ac perturbatione iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarum: nouae dominationes, extraordinaria non imperia, ſed regna quaeri putabantur. CONSILIO *meo, ac ratione prouiſa ſunt.*] hoc ad Catilinam pertinere potius, quam ad Rullum, videtur. QVIBVS *otioſi negotium faceſſimus,*] quibus ita moleſtum eſt otium noſtrum, vt, nobis quieſcentibus, ipſi quieſcere non poſſe videantur. quaerunt enim res nouas, hoc reip. ſtatu non contenti. ep. ad Appium a Dolabella accuſatum: Cum eſt ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium faceſſerent. OTIOSISSIMOS *reddam.*] non permittam, vt remp. perturbare poſſint. NAM *etſi ij,*] aptius videtur, Nam ſi ij. SVB. IPSO *otio*] locus multis maculis inquinatus, quas ſine veterum librorum ope vix arbitror eluere quemquam poſſe. QVI *honori inuiderunt meo,*] inuiderunt nobiles, claritatem noui hominis non ferentes.

IN · TERTIAM · CICERONIS
AGRARIAM, ORATIONEM AD, QVIRITES
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS

ORATIO, XVII.

*C*OMMODIVS *fecißent tribuni pl. Quirites, ſi, quae apud nos de me deferunt. ea coram potius me praeſente dixiſſent. nam & aequitatem veſtrae diſceptationis, & conſuetudinem ſuperiorum, & ius ſuae poteſtatis retinuiſſent. ſed, quoniam adhuc praeſens certamen, contentionemq. fugerunt; nunc, ſi videtur eis, in meam concionem prodeāt, &, quo prouocati a me venire noluerunt, reuocati ſaltem reuertantur. Video quoſdam, Quirites, ſtrepitu ſignificare neſcio quid, & non eoſdem vultus, quos proxima mea concione praebuerunt, in hanc concionem mihi retuliſſe. quare a vobis, qui nihil de me credidiſtis, vt eam voluntatem, quam ſemper habuiſtis erga me, retineatis, peto: a vobis autem, quos leuiter immutatos eße ſentio, paruam exigui temporis vſuram bonae de me opinionis poſtulo, vt eam, ſi, quae dixero, vobis probabo, perpetuo retineatis; ſin aliter; hoc ipſo in loco depoſitam atque abiectam relinquatis. Completi ſunt animi, auresq. ueſtrae, Quirites, me gratificantem ſeptem tyrannis, ceterisq. Sullanarum aſſignationum poſſeſſoribus, agrariae legi, & commodis ueſtris obſiſtere. hace ſi qui crediderunt, illud prius crediderunt neceſſe eſt, hac lege agraria, quae promulgata ſit, adimi Sullanos agros, uobisq. diuidi, aut denique minui priuatorum poßeßiones, ut in eas uos deducamini. ſi oſtendo, non modo non adimi cuiquam glebam de Sullanis agris, ſed etiam genus id agrorum certo capite legis impudentiſſime confirmari, atque ſanciri; ſi doceo, agris ijs, qui a Sulla ſunt dati, ſic diligenter Rullum ſua lege conſulere, ut facile appareat eam legem non a ueſtrorum commodorum patrono, ſed a Valgij genero eße conſcriptam; num quid eſt cauſſae, Quirites, quin illa criminatione, qua in me abſentem uſus eſt, non ſolum meam, ſed etiam ueſtram diligentiam prudentiamq. deſpexerit?*

EXPLANATIO

DIxt iam, non in hac ratione Ciceronem diſputare contra legem, ſed reſpondere tribunis pl. eriminantibus eum, quod ideo legem reprehenderet, vt Sullanarum aſſignationum poſſeſſoribus gratificaretur. propterea ep. 1. lib. 2 ad Att tres orationes non nominat, ſed ait: Sunt propterea duae breues, quaſi ἀποσπασμάτια legis agrariae. COMMODIVS] rectius: vt lib. 1. de Orat. Oratio commode ſcripta. Et lib. 1. de Fin Dialectica veſtra nullam vim exiſtimat eſſe nec ad melius viuendum, nec ad commodius diſſerendum. VESTRAE *diſceptationis,*] veſtrae deliberationis, veſtri iudicij: vt or. 2, Populo Romano diſceptatore vti volo. SVPERIORVM,] tribunorum pl. IVS *ſuae poteſtatis*] quae enim ad vos de me retulerunt, ea cum, abſente me, dixerint, ius ſuae poteſtatis imminuere, & quodam modo praeſentem timere viſi ſunt. PROVOCATI *a me*] proxima ſuperiore concione. REVOCATI] iucunditatem quaeſiuit in ſimilibus verbis, Prouocati, Reuocati. NESCIO *quid*] contra me. PROXIMA] ſuperiorem orationem ſignificat. LEVITER *immutatos*] propter ea, quae apud vos de me tribuni pl. detulerunt; quaſi veſtris commodis obſiſtam. SEPTEM *tyrannis*] verbum vſurpauit, quo tribuni pl. vſi erant. Septem autem Sullani homines potiſſimum inuidia poſſeſſionum, quas a Sulla maximas acceperant, laborabant. MINVI] ſi non prorſus adimi, ſaltem minui. CERTO *capite legis*] de quo ſtatim infra. IMPVDENTISSIME] contra veſtra commoda, quorum ſe defenſorem eſſe profitetur. A. VALGII *genero*] a P. Rullo: vt ſocero ſuo Valgio, Sullanos agros poſſidenti, ſua lege caueat. VSVS *eſt*,] Valgij gener Rullus. VESTRAM] in verbis legis ſuae conſiderandis.

EXPLANATIO

CAPVT eſt legis XL. de quo ego conſulto, Quirites, neque apud vos ante feci mentionem, ne aut refricare obductam iam reip. cicatricem viderer, aut aliquid alieniſſimo tempore nouae diſſenſionis commouere; neque vero nunc ideo diſputabo, quod hunc ſtatum reip. non magnopere defendendum putem, praeſertim qui otij, & concordiae patronum me in hunc annum reip. profeſſus ſim, ſed vt doceam Rullum, poſthac in ijs ſaltem tacere rebus, in quibus de ſe, & de ſuis factis taceri velit. Omniũ legum iniquiſſimam, diſſimillimamq. legis eſſe arbitror eam, quã L. Flaccus interrex de Sulla tulit, vt omnia, quaecumque ille feciſſet, eſſent rata. nam cum ceteris in ciuitatibus, tyrannis inſtitutis, leges omnes extinguantur, atque tollantur; hic reip. tyrannum lege conſtituit. eſt inuidioſa lex, ſicut dixi; veruntamen habet excuſationem. non enim videtur hominis lex eſſe, ſed temporis. quid, ſi eſt haec multo impudentior? nam Valeria lege, Cornelijsq. legibus, cum eripitur, cum datur, coniungitur impudens gratificatio cum acerba iniuria: ſed tamẽ habet in illis legibus ſpem nonnullam ille, cui ademptus eſt; aliquem ſcrupulum, cui datus eſt: Rulli cautio eſt haec. QVAE. POST. C. MARIVM CN. PAPIRIVM. COS. Quam procul a ſuſpicione fugit, quod eos conſules, qui aduerſarij Sullae maxime fuerunt, potiſſimum nominauit. ſi enim Sullam dictatorem nominaſſet perſpicuum fore, & inuidioſum arbitratus eſt. ſed quem veſtrum tam tardo ingenio fore putauit, cui, poſt eos conſules Sullam dictatorem fuiſſe, in mentem venire non poſſet? quid ergo ait Marianus tribunus pl. qui nos Sullanos in inuidiam rapit? QVAE POST. MARIVM ET. CARBONEM. Agros, aedificia, lacus, ſtagna, loca, poſſeſſiones: coelum, & mare praetermiſit, cetera complexus eſt. PVBLICE. DATA ASSIGNATA. VENDITA. CONCESSA SVNT. A quo, Rulle? poſt Marium & Carbonem coſ. quis aſſignauit? quis dedit? quis conceſſit, praeter Sullam? ET. OMNIA. EO. IVRE. SINT. Quo iure? labefactat videlicet neſcio quid: nimium acer, nimium vehemens tribunus plebis Sullana reſcindit. VT QVAE. OPTIMO. IVRE. PRIVATA. SINT. Etiam ne meliore, quam paterna, & auita? meliore. at hoc Valeria lex non dicit, Corneliae leges non ſanciunt, Sulla ipſe non poſtulat. ſi iſti agri partem aliquam iuris, aliquam ſimilitudinem propriae poſſeſſionis, aliquam ſpem diuturnitatis attingunt: nemo eſt tam impudens iſtorum, qui agi ſecum praeclare arbitretur. tu vero, Rulle, quid quaeris? quod habent, vt habeant? quis vetat? vt priuatum? ſed ita latum eſt, vt melior tui ſoceri fundus Irpinus ſit, ſiue ager Irpinus, (totum enim poſſidet) quam meus paternus auitusq. fundus Arpinas. id enim caues. optimo enim iure ea ſunt profecto praedia, quae optima condicione ſunt: libera meliore iure ſunt, quam ſerua. capite hoc omnia, quae ſeruiebant, non ſeruient: ſoluta meliore in cauſſa ſunt, quam obligata. eodem capite obligata omnia, ſi modo Sullana ſunt, liberantur: immunia commodiore condicione ſunt, quam illa quae penſitant. ego Tuſculanis pro aqua Crabra vectigal pendam, quia a municipio fundũ accepi: ſi a Sulla mihi datus eſſet, Rulli lege non penderem. Video vos, Quirites ſicuti res ipſa cogat, commoueri, vel legis, vel orationis impudentia; legis, quae ius melius Sullanis praedijs conſtituat, quam paternis; orationis, quae eiuſmodi cauſſa inſimulare quemquam audeat, rationes Sullae nimium vehementer defendere. At ſi illa ſolum ſanciret, quae a Sulla eſſent data, tacerem, modo ipſe ſe Sullanum eſſe confiteretur: ſed non modo illis cauet, verum etiam aliud quoddam genus donationis inducit, & is, qui a me Sullanas poſſeſſiones defendi criminatur, nõ eas ſolum ſancit, verum ipſe nouas aſſignationes inſtituit, & repentinus Sulla nobis exoritur. nam attendite, quantas conceſſiones agrorum hic noſter obiurgator uno verbo facere conetur.

EXPLANATIO

CICATRICEM] ex belli ciuilis memoria. HVNC *ſtatum reip.*] a Sulla relictum. TACERE] in ſua lege: ne loquendi de ſe occaſionem praebeat. DE *Sulla tulit,*] quae ſignificatur & lib. I. de Leg. VALERIA] L. Valerij Flacci interregis. A SVSPICIONE] ne quis ab eo Sullanos agros confirmari, & ſanciri putaret; non dixit, poſt Sullã dictatorẽ ſed poſt C. Marium, Cn. Carbonem coſ. Marium autem iuniorem ſignificat. MARIANVS] vt ipſe fingit: cum Sullanus vere ſit, qui, ea, quae Sulla dictator dedit, aſſignauit, conceſſit, lege ſua confirmet. NOS *Sullanos*] vt ipſe ait, ita de nobis mentiens, vt de ſe ipſo. DATA,] generale vocabulum: cui particularia ſubijciuntur. dantur enim ea, quae aſſignantur, venduntur, conceduntur. Dedit autẽ Sulla de Marianorum bonis. LABEFACTAT] Sullanas aſſignationes. ironia. PARTEM *aliquam iuris,*] quam nullam habent: & eos tamen Rullus confirmat. ISTORVM] qui Sullanos agros poſſident. PRAECLARE *Secum ag.*] ſed res aliter habet. nullam enim iſti agri partẽ iuris, nullã ſimilitudinẽ propriae poſſeſſionis, nullã ſpem diuturnitatis attingunt. quo Rullus impudentior; qui, quod quiſque habet habere vult. QVIS *vetat?*] nemo obſtat, cur non habeant. at tu nõ hoc modo quaeris, verũ etiã, vt ita habeant lege tua, vt quae optimo iure priuata ſint. VT *priuatum?*] vt ita habeant, vt priuatum? at tu meliore etiam condicione eos habere vis. FVNDVS *Irpinus*] circa Soractem montem. ID *enim caues.*] ijs verbis, Vt quae optimo iure priuata ſint. non enim optimo priuata omnia iure ſunt. SERVA.] quae publice aliquid pendent. SI. MODO *Sullana ſunt,*] Sullanis enim tantum cauet Rullus. AQVA *Crabra*] nominatur in ep. ad Tironem, & a Frontino de Aquaeductibus. PATERNIS;] quae non optima condicione ſunt. QVEMQVAM] criminatus enim erat Ciceronẽ Rullus, rationes eum Sullae nimiũ vehementer defendere. QVAE *eiuſmodi cauſſa*] quae eo nomine inſimulare quemquã audeat, quod rationes Sullae nimium vehementer defendat.

ORATIO

QVAE. DATA. DONATA. CONCESSA. VENDITA. *Patior. audio: quid deinde?* POSSESSA. *Hoc tribunus pl. promulgare auſus eſt, ut, quod quiſque poſt Marium, & Carbonem conſules poſſidet, id eo iure teneret, quo optimo priuatum? etiam ne, ſi vi eiecit? etiam ne, ſi clam, ſi precario venit in poſſeſſionem? ergo hac lege ius ciuile, cauſſae poſſeſſionum, praetorum interdicta tollentur. non mediocris res, neque paruum ſub hoc verbo furtum, Quirites, latet. ſunt enim multi agri lege Cornelia publicati, nec cuiquã aſſignati neque venditi, qui a paucis hominibus impudentiſſime poſſidentur: his cauet, hos defendit, hos priuatos facit: hos, inquam, agros, quos Sulla nemini dedit, Rullus non vobis aſſignare vult, ſed eis condonare, qui poſſident. Cauſſam quaero, cur ea, quae maiores vobis in Italia, Sicilia, duabus Hiſpaniis, Macedonia, Aſia quaeſiuerunt, venire patiamini; cum ea quae veſtra ſunt, condonari poſſeſſoribus eadem lege videatis? Iam totam legẽ intelligitis, cum ad paucorum dominationem ſcripta ſit: ad Sullanae aſſignationis rationes eſſe accommodatiſſimã. nam ſocer huius vir multum bonus eſt: neque ego nunc de illius bonitate, ſed de generi impudentia diſputo. ille enim, quod habet, retinere vult, neque ſe Sullanum eſſe diſſimulat: hic, vt ipſe habeat, quod non habet, quae dubia ſunt, per vos ſancire vult: &, cum plus appetat, quam ipſe Sulla; quibus ego rebus reſiſto, Sullanas res defendere criminatur. Habet agros nonnullos, inquit, ſocer meus, deſertos, atque longinquos: vendet eos mea lege, quanti volet. habet incertos, ac nullo iure poſſeſſos: confirmabuntur optimo iure. habet publicos: reddam priuatos. denique eos fundos, quos in agro Caſinati optimos, fructuoſiſſimos continuauit, cum uſque eo uicinos proſcriberet, quoad oculos continuando, ex multis praediis unam fundi regionem formamq. perfecerit, quos nunc cum aliquo metu tenet, ſine ulla cura poſſidebit. Et quoniam, qua de cauſſa, & quorum cauſſa ille hoc promulgauit, oſtendi; doceat ipſe, num ego quem poſſeſſorem defendam, cum agrariae legi reſiſto. ſiluam Scantiam uendis: reſp. poſſidet: defendo. Campanum agrum diuidis; uos eſtis in poſſeſſione: non cedo. deinde Italiae, Siciliae, ceterarumq. prouinciarum poſſeſſiones uenales, ac proſcriptas hac lege uideo: ueſtra ſunt praedia, ueſtrae poſſeſſiones: reſiſtam, atque repugnabo, neque patiar a quoquam populum R. de ſuis poſſeſſionibus me conſule dimoueri, praeſertim cum uobis nihil quaeratur. hoc enim uos in errore uerſari diutius non oportet. num quis ueſtrum ad uim, ad facinus, ad caedem accommodatus eſt? nemo. atqui ei generi hominum, mihi credite, Campanus ager, & praeclara illa Capua ſeruatur: exercitus cõtra uos, contra libertatem ueſtram, contra Cn. Pompeium conſtituitur: contra hanc urbem Capua, contra uos manus hominum audaciſſimorum, contra Cn. Pompeium decem duces comparantur. ueniant coram, &, quoniam me in ueſtram concionem, uobis flagitantibus, conuocauerunt, diſſerant.*

EXPLANATIO

REPENTINVS *Sulla*] aſſignat enim vt alter Sulla. QVO *optimo priuatum.*] quo iure optimo priuatum tenetur. IVS *ciuile,*] quo poſſeſſionum iura diſtinguuntur: cum Rullus omnia confundat, nihil diſtinguens. PRAETORVM *interdicta*] quibus de poſſeſſione litigatur. PRIVATOS *facit:*] tamquam priuatos poſſideri uult: cum a Sulla publicati ſint. infra. Habet publicos: reddã priuatos. QVAE *veſtra ſunt,*] cum ea Sulla nemini aſſignauerit, aut vendiderit ſed publicauerit. publica enim veſtra. CONDONARI] eo verbo, Poſſeſſa. POSSESSORIBVS] paucis hominibus, contra legem Corneliam impudentiſſime poſſidentibus. VIR *multum bonus eſt:*] quia non diſſimulat, nec appetit aliena, vt Rullus, ſed, quod occupauit antea, retinere vult. occupauit autem & Irpinũ agrum totum, & in Caſinati fundos multo. Aduerbii loco, Multum, dixit, pro valde: vt Horatius: Quaerentes vario multum diuerſa palato. Et Tibullus Securus multum. DVBIA] Sullana: quorum certa poſſeſſio non eſt, vtpote quae ab vnius libidine nata ſit. PER *vos*] veſtris ſuffragiis nam ſancit, vt ea omnia eo iure ſint, vt quae optimo iure priuata. RESISTO] contra legem eius diſputãs. DEFENDERE *criminatur.*] ſi ſic legatur ſubaudiendum eſt, Me. ſed cum Priſcianus lib IIX ſcripſerit: Quaedam eadem voce vtrumque ſignificant. id eſt actionem, & paſſionem, vt oſculor te, & oſculor a te criminor te, & criminor a te: libenter ſequor antiquos libros, in quibus eſt, Defendere criminor. INQVIT,] lepida obiectio, dicentem inducens Rullum, quod cogitabat potius, quam dicebat. QVANTI *volet.*] ement enim ipſi decemuiri in quibus erit Valgii gener Rullus, & inducent populo Romano, quanti volent. ita & Valgius, & decemuiri, decepto populo quaeſtum facient ſupra. REDDAM *priuatos.*] quia mea lege, quaecumque poſſidentur, eo iure eſſe iubeo, vt quae optimo iure priuata ſint. ſupra: His cauet, hos defendit, hos priuatos facit. VICINOS *proſcriberet.*] vicinorum agros. ſic or. 2. Vt ipſum Cn. Pompeium proſcribere poſſetis. CVM *aliquo metu*] propter inuidiam poſſeſſionis iniuſtae. vicinos enim, quo ad libuit proſcripſit. OCVLOS *continuando*] continuauit fundos, proxime dixit: aptius igitur, Oculis quam, Oculos. quod aliis quoque placuit. VOS *eſtis in poſſeſſione:*] nam ſi publicus eſt veſter eſt, vt reliqua vectigalia. CONTRA *Cn. Pompeium.*] or. 2. ſperant, ſi conceſſum ſit inimicis Cn. Pompeii cum imperio, cum iudicio omnium rerum, cum infinita poteſtate, cũ innumerabili pecunia non ſolum aliis in locis vagari, verum etiam ad ipſius exercitum peruenire, aliquid illi inſidiarum fieri, al. quid de eius exercitu, copiis, gloria detrahi poſſe. PRAECLARA *illa Capua*] ſuperba, crudelis, luxu diffluens, minime vobis expetenda. perſpicua ironia. HOMINVM *audaciſſimorum.*] quos in agro Campano arbitratu ſuo decemuiri conſtituent, quinque ſcilicet colonorum millia, ſinguli quingenos. VOBIS *flagitantibus.*] vt eorum criminationibus praeſens reſpondere poſſet. Captat a populo, tamquam ſui ſtudioſo, qui abſentem accuſari noluerit, beneuolentiã.

IN. ORA-

IN · ORATIONEM · CICERONIS
PRO . C . RABIRIO
PERDVELLIONIS . REO
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

LATTIVS. *Labienus tribunus pl. diem dixit C. Rabirio, & perduellionis crimen intendit, quod L. Appuleium Saturninum tribunum pl. interfeciſſet. defenderunt eum Q. Hortenſius, & conſul Cicero. Acta primum cauſſa eſt apud duumuiros ex antiquo more: quos fuiſſe C. Caeſarem, & L. Caeſarem, auctor eſt Dio lib.* xxxvii. *deinde, reo condemnato, & ad populum prouocante, in campo Martio, comitijs centuriatis, de quo iudicatum non eſſe propter militare ſignum a Metello Celere praetore de Ianiculo ablatum; quod cum accideret, diſſolui comitia vetere inſtituto neceſſe erat; nec voluiſſe iterum Labienum habere comitia; & ea ratione Rabirium ſeruatum eſſe, Dio narrat eodem libro.*

M. TVLLII. CICERONIS
PRO. C. RABIRIO
PERDVELLIONIS. REO
AD. QVIRITES
ORATIO. XIIX.

ETSI, Quirites, non eſt meae conſuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de cauſſa quemque defendam; propterea quod cum omnibus ciuibus in eorum periculis ſemper ſatis iuſtam mihi cauſſam neceſſitudinis eſſe duxi: tamen in hac defenſione capitis famae, fortunarum omnium C. Rabirij, proponenda ratio videtur eſſe officij mei; propterea quod, quae iuſtiſſima mihi cauſſa ad hunc defendendum eſſe viſa eſt, eadem vobis ad abſoluendum debet videri. nam me cum amicitiae vetuſtas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meae vitae perpetua conſuetudo ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata: tum vero, vt id ſtudioſiſſime facerem, ſalus reipub. conſulare officium, conſulatus denique ipſe, mihi vna vobiſcum cum ſalute reipub. commendatus, coegit. non enim C. Rabirium culpa delicti, non inuidia, vitaeq. turpitudo, non denique veteres, iuſtae, grauesq. inimicitiae ciuium in diſcrimen capitis vocauerunt: ſed, vt illud ſummum auxilium maieſtatis, atque imperij, quod nobis a maioribus eſt traditum, de repub. tolleretur, vt nihil poſthac auctoritas ſenatus, nihil conſulare imperium, nihil conſenſio bonorum contra peſtem, ac perniciem ciuitatis valeret, idcirco in his rebus euertendis vnius hominis ſenectus, infirmitas, ſolitudoq. tentata eſt. quamobrem ſi eſt boni conſulis, cum cuncta auxilia reipub. labefactari, conuellique videat, ferre opem patriae, ſuccurrere ſaluti, fortuniſque communibus, implorare ciuium fidem ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere: eſt etiam bonorum, & fortium ciuium, quales vos omnibus reipu. temporibus exſtitiſtis, intercludere omnes ſeditionum vias, munire praeſidia reip. ſummum in conſulibus imperium, ſummum in ſenatu conſilium putare; ea qui ſecutus ſit, laude potius, & honore, quam poena, & ſupplicio dignum iudicari. Quamobrem labor in hoc defendendo praecipuae meus eſt, ſtudium vero conſeruandi hominis cõmune mihi vobiſcum eſſe debebit. ſic enim exiſtimare debetis, Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculoſam, magis ab omnibus vobis prouidendam, neque a tribuno pleb ſuſceptum, neque a conſule defenſam, neque ad populum R. eſſe delatam. agitur enim nihil aliud in hac cauſſa, Quirites, quam vt nullum ſit poſthac in repub. publicum cõſilium, nulla bonorum conſenſio contra improborum furorem, & audacium, nullum extremis reip. temporibus perfugium, & praeſidium ſalutis. Quae cum ita ſint, primum, quod in tanta dimicatione capitis, famae, fortunarumq. omnium fieri neceſſe eſt, ab Ioue Optimo Maximo, ceterisque dijs, deabusque immortalibus, quorum ope, & auxilio multo magis haec reſp. quam ratione hominum, & conſilio gubernatur, pacem, ac veniam peto; precorq. ab ijs, vt hodiernum diem & ad huius ſalutem conſeruandum, & ad remp. conſtituendam illuxiſſe patiantur. deinde vos, Quirites, quorum poteſtas proxime ad deorum immortalium numẽ accedit, oro, atque obſecro, quoniam vno tempore vita C. Rabirij, hominis miſerrimi, atque innocentiſſimi, ſalus reip. veſtris manibus, ſuffragijſque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam, in reip. ſalute ſapientiam, quam ſoletis.

EXPLANATIO

CAPITIS] vitae: nam ciuibus Romanis vno perduellionis crimine, quod inter crimina maieſtatis maximum, & grauiſſimum erat, adimi vita poterat. SALVS *rep.*] haec eſt cauſſa, de qua dixit: Quae iuſtiſſima mihi cauſſa ad hunc defendendũ eſſe viſa eſt, eadem vobis ad abſoluendum debet videri. MIHI *vni a vobis*,] centuriatis comitijs: quemadmodum & nunc centuriatis comitijs de Rabirio iudicatis. VETERES, *iuſtae, grauesq.*] ſed iniuſtae, quibus L. Appuleius tribunus pl & C. Seruilius Glaucia praetor, & C. Saufeius, & alij perditi ciues adducti ſunt, vt remp. oppugnarent. SVMMVM *auxilium maieſtatis, atque imperij,*] cum illud S.C. exprimit neceſſitas temporum, Dent operam conſules, ne quid reſp. detrimenti patiatur. DE *rep. tolleretur,*] quandoquidem ex eo S.C. Rabirius, conſules C. Marium, & L. Valerium ſecutus, contra reip. hoſtes arma ſumpſit. quẽ qui capitis in diſcrimen vocant nimirum illud maieſtatis, atque imperij ſummũ auxiliũ tollere conantur. AVCTORITAS *ſenatus,*] quae nisi valeat illud S.C. quod extremis reipub. temporibus, domeſtici belli metu, fieri ſolet, prorſus exſtinguetur. CONSVLARE *imperium,*] imperant enim conſules ex eo S.C. vt, qui remp. ſaluam eſſe velint, arma capiant, & ſequantur. CONSENSIO *bonorum*] qui conſulari parentes imperio, nefarios ciues, Saturninum, & Glauciam oppreſſerunt. INFIRMITAS, *ſolitudoq.*] cum ſit infirmus ab opibus, nudus a propinquis, facile ſperarunt eum poſſe opprimi: nõ quod de vnius hominis exitio ac morte admodũ laborent: ſed hunc tentant, hũc oppugnãt, vt cum eo ſimul res illas euertant. A. TRIBVNO. PL.] T. Attio Labieno. A. CONSVLE] ſeipſum

ſe ipſum ſignificat. VT *nullum ſit poſthac in rep. publicum conſilium.*] nullus in rep. ſenatus. Dicit idem quod ſupra: Vt illud ſummũ auxiliũ maieſtatis, atque imperij, quod nobis a maioribus eſt traditũ, de rep. tolleretur; vt nihil poſthac auctoritas ſenatus, nihil cõſulare imperium, nihil conſenſio bonorũ contra peſtem, ac perniciem ciuitatis valeret. PACEM] inter ciues. Reſpexit ad verbum, Dimicatione. VENIAM] vt, ſi quid a nobis contra eorum voluntatem commiſſum eſt ignoſcant. AD *temp. conſtituendam*] cuius agitur ſalus in hoc iudicio, cum ſalute Rabirij. HOMINIS *miſerrimi atque innocentiſſimi,*] eius hominis, cuius miſerijs veſtra miſericordia, innocentiae iuſtitia debetur. SALVS *reip.*] eadem precatur a populo, quae precatus eſt ab Ioue opt. max vitam Rabirij, ſalutem reip. ADHIBEATIS *in hominis fortunis miſericordiam,*] iuſtitiam non poſtular, ne diffidere videatur in quo populus offenderetur, ſed miſericordiam rogat, quae extra iuſtitiam eſt, vt altera cum altera coniungatur.

ORATIO

NVNC quoniam, T. Labiene, diligentiae meae temporis anguſtijs obſtitiſti; meq. ex comparato & conſtituto ſpatio defenſionis in ſemihorae curriculum coegiſti; parebitur &, quod iniquiſſimum eſt, accuſatoris condicioni, &, quod miſerrimum, inimici poteſtati. quamquam in hac praeſcriptione ſemihorae patroni mihi partes reliquiſti, conſulis ademiſti: propterea quod ad defendendum propemodum ſatis erit hoc mihi temporis, verum ad conquerendum parum. Niſi forte de locis religioſis, ac de lucis, quos ab hoc violatos eſſe dixiſti, pluribus verbis tibi reſpondendum putas, quo in crimine nihil eſt vmquam abs te dictum, niſi, a C. Macro obiectum eſſe crimen id C. Rabirio. in quo ego demiror, meminiſſe te, quid obiecerit C. Rabirio Macer inimicus oblitum eſſe, quid aequi, & iurati iudices iudicarint. An de peculatu facto, an de tabulario incenſo longa oratio eſt expromenda? quo in crimine propinquus C. Rabirij, iudicio clariſſimo, C. Curtius pro virtute ſua eſt honeſtiſſime liberatus: ipſe vero Rabirius non modo in iudicium horum criminum, ſed ne in tenuiſſimam quidem ſuſpicionem verbo eſt vmquam vocatus. An de ſororis filio diligentius reſpondendum eſt, quem ab hoc necatum eſſe dixiſti, cum ad iudicij moram familiaris funeris excuſatio quaereretur? quid enim eſt tam veriſimile, quam cariorem huic ſororis maritum, quam ſororis filium fuiſſe? atque ita cariorem, vt alter vita crudeliſſime priuaretur, cum alteri ad prolationem iudicij biduum quaereretur? An de ſeruis alienis contra legem Fabiam retentis, aut de ciuibus R. contra legem Porciam verberatis, aut necatis plura dicenda ſunt? cum tanto ſtudio C. Rabirius totius Apuliae, ſingulari voluntate Campaniae vicinitatis ornetur; cumq. ad eius propulſandum periculum non modo homines, ſed prope regiones ipſae cõuenerint, aliquanto etiam latius excitatae, quam ipſius vicinitatis nomen ac termini poſtulabant. Nam, quid ego ad id longam orationem comparem, quod eſt in eadem multae irrogatione perſcriptum, hunc nec ſuae, nec alienae pudicitiae pepercisse? quin etiam ſuſpicor eo mihi ſemihoram a Labieno praeſtitutã eſſe, vt ne plura de pudicitia dicerem. ergo ad hoc crimino, quae patroni diligentiam deſiderant, intelligis mihi ſemihoram iſtam nimium longam fuiſſe.

EXPLANATIO

IN. SEMIHORAE *curriculum coegiſti:*] videtur in perduellionis iudicio poteſtatem accuſator habuiſſe praeſcribẽdi tẽporis rei defendẽdę: idq. ſubito Labienus fecit praeter opinionẽ Ciceronis, qui ſibi ſpatiũ defenſionis comparauerat, & cõſtituerat. ita ſe excuſat ſimul, & accuſatorẽ vt iniquũ accuſat: populum conciliat ſibi, alienat a Labieno. PAREBITVR] & hoc verbo quaerit inuidiam accuſatori. paretur enim ei, qui imperat: aequa vero cõdicio nõ eſt, cũ ita duo cõtendunt, in iudicio praeſertim capitis, famae, fortunarũq omniũ, vt alter imperet, alter parere cogatur; imperet autẽ & accuſator, & idem inimicus: pareat non ſolum defenſor, ſed etiam conſul. NISI *forte*] ſignificat ideo ſe a Labieno coactũ eſſe ĩ curriculũ ſemihorae, ne pluribus verbis ad ea, quae obiecisset, reſpondere poſſet. A *C. Macro*] qui Rabirium iam antea de locis religioſis, & de locis ab eo violatis accuſauerat. Hunc opinor eſſe C. Liciniũ Macrũ qui de repetundis reus cũ ſe damnari videret a Cicerone praetore, damnationẽ voluntaria morte vitauit. ita rem domeſticã legis beneficio ſeruauit. hoc Plutarchus in Ciceronis vita, & Valerius Max. memoriae tradiderunt: hoc & Cicero ipſe ep. 7. lib. 1. ad Att. his verbis: Nos hic ĩcredibili, ac ſingulari populi volũtate de C. Macro trãſegimus. cui cũ aequi, fuiſſemus, tamẽ multo maiorẽ fructũ ex populi exiſtimatione, illo damnato, cepimus, quã ex ipſius ſi abſolutus eſſet, gratia cepiſſemus. PROPINQVVS. *C. Rabirii.*] ſororis maritus: vt infra conſtat. VIRTVTE] innocentia. AD *iudicii moram*] iudicij, quo C. Curtius reus erat. ATQVE *ita cariorem,*] amplificãdi modus ꝑ pro lege Manilia: Regnat, & ita regnat, vt ſe nõ Ponto, neque Cappadociae latebris occultare velit, ſed emergere e patrio regno, atque in veſtris vectigalibus, hoc eſt ĩ Aſiae luce verſari. Quo loco pluribus exemplis hanc figurã cõfirmauimus. APVLIAE] ex qua regione ortus, aut etiam in qua natus erat Rabirius. CAMPANIAE *vicinitatis*] non repugno antiquis libris: magis tamen arrideret, Campanae vicinitatis. LONGAM *orationem*] quid multa reſpondeam, cum tu nihil dixeris? IN *eadem multae irrogatione*] irrogabat Rabirio Labienus accuſator multam, violatae & ſuae, & alienae pudicitiae nomine. Eadem irrogatione, dicit, quia irrogatio eadẽ plura complecte-

complectebatur, de locis religioſis, luciſq; violatis, de peculatu facto, de tabulario incenſo, de necato ſororis filio, de ſeruis alienis contra legem Fabiam retentis, de ciuibus R. contra legem Porciam verberatis, aut necatis QVAE *patroni diligentium deſiderant*,] cum ab accuſatore intenduntur, qui de his aliquid dicere videatur, non, vt a te ſunt obiecta, nullo argumento. INTELLIGIS] ex ijs quae breuiſſime reſpondi, vides eam ipſam ſemihoram, quam tu mihi ad reum defendendum praeſtituiſti, nimium etiam longam fuiſſe.

ORATIO

ILLAM alteram partem, de nece Saturnini, nimis exiguam, atque anguſtam eſſe voluiſti; quae non oratoris ingenium, ſed conſulis auxilium implorat, & flagitat. nam de perduellionis iudicio, quod a me ſublatum eſſe criminari ſoles, meum crimen eſt, non Rabirij. quod vtinam, Quirites, ego id aut primus, aut ſolus ex hac rep. ſuſtuliſſem: vtinam, quod ille crimen eſſe vult, proprium teſtimonium meae laudis eſſet. quid enim optari poteſt, quod ego mallem, quam me in conſulatu meo carnificem de foro, crucem de campo ſuſtuliſſe? ſed iſta laus primum eſt maiorum noſtrorum, Quirites, qui, expulſis regibus, nullum in libero populo veſtigium crudelitatis regiae retinuerunt: deinde multorum virorum fortium, qui veſtram libertatem non acerbitate ſuppliciorum infeſtam, ſed lenitate legum munitā eſſe voluerunt. Quamobrem vter noſtrum tandem, Labiene, popularis eſt; tune, qui ciuibus R. in concione ipſa carnificem, qui vincula adhiberi putas oportere; qui in campo Martio, comitijs centuriatis, auſpicato in loco, crucem ad ciuium ſupplicium defigi, & conſtitui iubes: an ego, qui funeſtari concionem contagione carnificis veto; qui expiandum forum populi R. ab illis nefarijs ſceleris veſtigijs eſſe dico; qui caſtam concionem, ſanctum campum, inuiolatum corpus omnium ciuium R. integrum ius libertatis defendo ſeruari oportere? popularis vero tribunus pl. cuſtos, defenſorq. iuris, & libertatis. Porcia lex virgas ab omnium ciuium R. corpore amouit: hic miſericors flagella retulit. Porcia lex libertatem ciuium lictori eripuit: Labienus, homo popularis, carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite ciuium R. iniuſſu veſtro iudicaretur: hic popularis, a duumuiris iniuſſu veſtro non iudicari de ciue R. ſed in dicta cauſſa ciuem R. capitis condemnari coegit. Tu mihi etiam legis Porciae, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cuiuſquam denique hominis popularis mentionem facis, qui non modo ſupplicijs inuſitatis, ſed etiam verborum inaudita crudelitate violare libertatem huius populi, tentare manſuetudinem, commutare diſciplinam conatus es? nam quae haec tua, quae te hominem clementem, popularemq. delectant; I lictor, colliga manus; quae non modo huius libertatis, manſuetudiniſq. non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numae Pompilij, ſed Tarquinij, ſuperbiſſimi, atque crudeliſſimi regis: iſta ſunt cruciatus carmina, quae tu, homo lenis ac popularis, libentiſſime commemoras: Caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito. quae verba, Quirites, iampridem in hac rep. non ſolum tenebris vetuſtatis, verū etiam luce libertatis oppreſſa ſunt. an vero, ſi actio iſta popularis eſſet, & ſi vllam partem aequitatis haberet, aut iuris; C. Gracchus eam reliquiſſet? ſcilicet tibi grauiorem dolorem patrui tui mors attulit, quam C. Graccho fratris: & tibi acerbior eius patrui mors eſt, quem numquam vidiſti, quam illi eius fratris, qui cum concordiſſime vixerat: & ſimilis viri tu vlciſcereris patrui mortem, atque ille perſequeretur fratris ſui, ſi iſta ratione agere voluiſſet: & par deſiderium ſui reliquit apud populum R. Labienus iſte, patruus veſter, quiſquis fuit, ac Ti. Gracchus reliquerat. an pietas tua maior, quam Gracchi? an animus? an conſilium? an opes? an auctoritas? an eloquentia? quae ſi in illo minima fuiſſent, tamen prae tuis facultatibus maxima putarentur. cum vero his rebus omnibus C. Gracchus omnes vicerit; quantum interuallum tandem inter te atque illum interiectum putas? ſed moreretur prius acerbiſſima morte millies Gracchus, quam in eius concione carnifex conſiſteret; quem non modo foro, ſed etiam caelo hoc, ac ſpiritu cenſoriae leges, atque vrbis domicilio carere voluerunt. Hic ſe popularem dicere audet, me alienum a commodis veſtris? cum iſte omnes & ſuppliciorum, & verborum acerbitates non ex memoria veſtra, ac patrum veſtrorum, ſed ex annalium monumentis, atque ex regum commentarijs conquiſierit; ego omnibus meis opibus, omnibus conſilijs, omnibus dictis, atque factis repugnarim, & reſtiterim crudelitati. niſi forte hanc condicionem vobis eſſe vultis, quam ſerui, ſi libertatis ſpem propoſitam non haberent, ferre nullo modo poſſent. miſera eſt ignominia iudiciorum publicorum, miſera multatio bonorum, miſerum exſilium: ſed tamen in omni calamitate retinetur aliquod veſtigium libertatis, mors denique ſi proponitur, in libertate moriamur: carnifex vero, & obductio capitis, & nomen ipſum crucis abſit non modo a corpore ciuium R. ſed etiam a cogitatione, oculis, auribus. harum enim omnium rerum non ſolum euentus, atque perpeſſio, ſed etiam condicio, exſpectatio, mentio ipſa denique indigna ciue R. atque homine libero eſt. an ne ſeruos noſtros horum ſuppliciorum omnium metu dominorum benignitas una vindicta liberabit: nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore neque res geſtae, neque acta aetas, neque noſtri honores uindicabunt? quamobrem fateor, atque etiam, T. Labiene, profiteor, & prae me fero, te ex illa crudeli, importuna, non tribunicia actione, ſed regia, meo conſilio, uirtute, auctoritate eſſe depulſum. qua tu in actione quamquam omnia exempla maiorum, omnes leges, omnem auctoritatem ſenatus, omnes religiones, atque auſpiciorum publica iura neglexiſti: tamen a me haec in hoc tam exiguo meo tempore non audies. liberum tempus nobis dabitur ad iſtam diſceptationem. nunc de Saturnini crimine, ac de clariſſimi patrui tui morte dicemus. Arguis, occiſum eſſe a C. Rabirio L. Saturninum: & id C. Rabirius multorum teſtimonijs, Q. Hortenſio copioſiſſime defendente, antea falſum eſſe docuit. Ego autem, ſi mihi eſſet integrum, ſuſciperem hoc crimen, agnoſcerem, confiterer. vtinam hanc mihi facultatem cauſſa concederet, ut poſſem hoc praedicare

C. Rabirij

C. Rabirii manu L. Saturninum, hoſtem populi R. interfectum. Nihil me clamor iſte commouet, ſed conſolatur; cum indicat eſſe quoſdam ciues imperitos, ſed non multos. numquam, mihi credite, populus R. hic, qui ſilet, conſulem me feciſſet, ſi veſtro clamore perturbatum iri arbitraretur, quanto iam leuior eſt acclamatio. quin continetis vocem, indicem ſtultitiae veſtrae, teſtem paucitatis? libenter, inquam, confiterer, ſi vere poßem, aut etiam ſi mihi eßet integrum, C. Rabirii manu L. Saturninum eſſe occiſum: & id facinus pulcherrimum eſſe arbitrarer. ſed, quoniam id facere non poſſum; confitebor id, quod ad laudem minus valebit, ad crimen non minus. confiteor, interficiendi Saturnini cauſa C. Rabirium arma cepiße. Quid eſt, Labiene? quam a me grauiorem confeſſionem, aut quod in hunc maius crimen expectas? niſi vero intereſſe aliquid putas inter eum, qui hominem occidit, & eum, qui cum telo, occidendi hominis cauſſa fuit. ſi interfici Saturninum nefas fuit: arma ſumpta eſſe contra Saturninum ſine ſcelere non poſſunt. ſi arma iure ſumpta concedis; interfectum iure concedas, neceſſe eſt.

E X P L A N A T I O

ILLAM *alteram partem,*] duas partes Labieni complectebatur accuſator, vnā, quae Rabirio mulctā propter crimina ſupra nominata, alterā, quae mortē propter Saturninū ab eo interfectū irrogabat. NIMIS *exiguam, atque anguſtam*] quod ad Rabirij defenſionem attinet. me enim conſulem quod perduellionis iudicium ſuſtulerim, non Rabirium, quod Saturninum occiderit, accuſaſti. AVT *primus, aut ſolus*] ſuſtulit enim ante Ciceronem M. Porcius Cato, ſuſtulit & C. Gracchus. ita ſolus eam laudem Cicero non eſt adeptus. CARNIFICEM *de foro.*] ne carnifex ciuem Romanum, iniectis vinculis, vllo crimine de foro poſſet abducere. CRVCEM *de campo*] ne quis, a populo damnatus, in crucē, quae in campo Martio figebatur, agi poſſet. quo intelligitur, ciuiū Romanorū, qui perduellionis crimine damnarentur, ſupplicium, item vt ſeruorum crucem fuiſſe. INFESTAM] paſſiue, pro, vexatam: de quo iam diximus. LENITATE *legum*] vt leniter vobiſcum, non crudeliter ageretur. COMITIIS *centuriatis.*] vt maximum inter crimina maieſtatis erat perduellio, ſic maximis populi comitiis, ideſt centuriatis, iudicabatur. exemplum in Rabirio non obſcurū clariſſimū autem in Claudio & Sempronio cenſoribus: de quibus lib. XLIII Liuius. AVSPICATO *in loco,*] auſpicijs conſularibus conſectato. ſic enim eſt in orat. 4. in Catil. FVNESTARI] pollui, contaminari, quaſi funere ad maerorem traduci. CONTAGIONE *carnificis*] ne carnifex impurus in concione quemquam attingat. NEFARII *ſceleris*] quod eſt in capiendo ciue Romano, & in campum Martium, ideſt ad necem, ſi a populo damnaretur, adducendo. VESTIGIIS] ne quod, remoto carnifice, veſtigium ſupereſſet. CASTAM] puram a ſcelere. PORCIA *lex*] quam, vt opinor, tulit, M. ille Porcius Cato cēſorius, etſi nec auctor Plutarchus ī eius vita ſit, nec alius quiſquā. I LICTOR, *colliga manus;*] verba decemuiri in Horatij iudicio apud Liuiū lib. I. & Torquati, cum filium occidi iuberet, apud eundem lib IIX. I lictor, deliga ad palum. CAPVT *obnubito, arbori infelici ſuspendito.*] verba Hoſtilli regis de Horatio, qui ſororē occiderat, haec a Liuio recitantur lib. I. Duumuiros, qui Horatio perduellionē iudicent ſecundū legē facio. ſequitur: Lex horrendi carminis erat: Duumuiri perduellionē iudicent: ſi a duumuiris prouocarit, prouocatione certato: ſi vincēt, caput obnubito, arbori infelici recte ſuſpendito: verberato vel intra pomeriū, vel extra pomeriū. Infelices arbores fuere ficus atra, quaeq. baccam nigram, nigroſq. fructus ferunt, acrifoliū, & quae praeterea Macrobius nominat lib. III. felices ab infelicibus diſtinguens. PATRVI *tui*] cum Saturnino interfecti, TVIS *facultatibus*] ijs rebus, quae in te ſunt. HANC *condicionem*] vt poteſtatem in corpora ciuium R. habeat carnifex, vt eorum caput obnubat. vt eos in crucem agat. OBDVCTIO *capitis*] cum dicat Liuius, Caput obnubito, rectius hic putarem, Obnuptio. mendum fortaſſe verbi peperit inſolentia. VNA *vindicta*] vna manumiſſione: cum in libertatem ſerui dominorū benignitate vindicantur. Liberandorum autem ſeruorū tria genera cū ſint, cēſus, vindicta, teſtamentum, vt in Topicis Cicero docet vſitatius vindicta fuit. NOS *acerbitatibus ab vnco,*] perduellionis damnati, primum verberabantur, deinde vnco trahebantur, poſtremo in crucē agebātur. hic quidē ſupplicij ordo e Ciceronis verbis colligitur. FATEOR,] a me ſublatum eſſe perduellionis iudicium: quod tu criminari ſoles. ESSE *depulſum.*] cogitabas enim, id quod ego conſul mea lege vetui, crudeliter, importune, non tribunicio, ſed regio more in ciues Romanos agere. QVA *in in actione*] contra Rabirium. OMNIA *exempla maiorum, omnes leges,*] non enim maiores occidi quemquam ciuē Romanum voluerunt: de quo lex eſt Porcia, atque Sempronia. Hoc eſt, quod ſupra dixit: Iſta laus primū eſt maiorū noſtrorū, qui, expulſis regibus, nullū in libero populo veſtigiū crudelitatis regiae retinuerūt; deinde multorū virorum fortium, qui veſtram libertatē nō acerbitate ſuppliciorū, ſed lenitate legū munitā eſſe voluerunt. OMNEM *auctoritatem ſenatus,*] quo ego auctore legē de tollendo perduellionis iudicio tuli. OMNES *religiones, atque auſpiciorum publica iura*] dicit, quod ſupra: In campo Martio, comitijs centuriatis, auſpicato in loco, crucem ad ciuium ſupplicium defigi, & conſtitui iubes. CLARISSIMI *patrui tui*] rectius videtur, Cariſſimi. vt ſit amore Labieni deriſio, qui patruū hoſtem reip. amore & caritate adductus, exitio Rabirij conetur vlciſci. Q. HORTENSIO *copioſiſſime defendente.*] eius orationem pro Rabirio nominat Cariſius in verbo, Cicatricum. SI *mihi eßet integrum.*] quod nō eſt. iam enim confiteri non poſſum, quod Hortenſius multorū teſtimonijs docuit eſſe falſum. NIHIL

me clamor iſte commouet;] apoſtrophe ad quoſdam in concione clamantes, cum illud audiſſent, Vtinã hanc mihi facultatẽ cauſſa concederet, vt poſſẽ praedicare, C. Rabirij manu L. Saturninũ, hoſtẽ populi Romani, interfectũ. Caedes eius nonnullos commouebat, quia necatus tribunus pl. eſſet. Si *ve re poſſem, aut etiam ſi mihi eſſet integrum,*] non modo ſi verum eſſet, confiterer, ſed etiam, ſi iam nõ probaſſet Hortenſius eſſe falsũ: cuius oratio hanc mihi cõfitendi criminis facultatẽ ademit effecitq. ne iam ſit integrum. Ad *crimen*] ad agnoſcendum, confitendumq. crimen, de quo tu Rabiriũ accuſas.

O R A T I O

Pauca quaedam videntur deeſſe

fit S. C. vt, C. Marius, L. Valerius cos. adhiberent tribunos pl. & praetores, quos eis videretur: operamq. darent, vt imperium populi R. maieſtasq. conſeruaretur. adhibent omnes tribunos pl. praeter Saturninum, praeter Glauciam: qui remp. ſaluam eſſe vellent, arma capere, & ſeſe qui iubent. parent omnes. ex aedificijs, armamentariisq. publicis arma populo R. C. Mario conſule diſtribuente, dantur. Hic iam; vt omittam cetera, de te ipſo, Labiene, quaero; cum Saturninus Capitolium teneret; armatus eſſet vna C. Glaucia, C. Saufeius; etiam ille ex compedibus, atque ergaſtulo Gracchus; addam, quoniam ita vis, eodem Q. Labienum, patruum tuum; in foro autem C. Marius, & L. Valerius Flaccus cos. poſt cunctus ſenatus atque ille ſenatus, quem etiam vos ipſi, qui hos patres conſcriptos, qui nunc ſunt, in inuidiam vocatis, quo facilius de hoc ſenatu detrahere poſſitis, laudare conſueuiſtis; cum equeſter ordo, at quorum equitum R. dii immortales? patrum noſtrorum, atque eius aetatis, quae tum magnam partẽ reip. atque omnem dignitatem iudiciorum tenebat; cum omnes omnium ordinum homines, qui in ſalute reip. ſalutem ſuam repoſitam eſſe arbitrabantur, arma cepiſſent: quid tandem C. Rabirio faciendũ fuit? de te ipſo, inquam Labiene, quaero; cum ad arma conſules ex S. C. vocauiſſent; cum armatus M. Aemilius princeps ſenatus in Comitio conſtitiſſet; qui cum ingredi vix poſſet, non ad inſequendum ſibi tarditatem pedũ, ſed ad fugiẽdum impedimento fore putabat; cum denique Q. Scaeuola confectus ſenectute, praepeditus morbo, mancus, & membris omnibus captus, ac debilis, haſtili nixus & animi vim, & infirmitatem corporis oſtenderet; cum L. Metellus, Ser. Galba, C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus, omnesque, qui tum erant, conſulares pro ſalute communi arma cepiſſent; cum omnes praetores, cuncta nobilitas, ac iuuentus accurreret, Cn. & L. Domitij, L. Craſſus, Q. Mucius, C. Claudius, M. Druſus; cum omnes Octauij, Metelli, Iulij, Caſſii, Catones, Pompeij, cum L. Philippus, L. Scipio. cum M. Lepidus, cum D. Brutus, cum hic ipſe P. Seruilius, quo tu imperatore, Labiene, meruiſti, cum hic Q. Catulus admodum tum adoleſcens, cum hic C. Curio, cum denique omnes clariſſimi viri cum conſulibus eſſent: quid tandem C. Rabirium facere conuenit? vtrum, incluſum, atque abditum latere in occulto, atque ignauiam ſuam tenebrarum, ac parietum cuſtodijs tegere; an in Capitolium pergere, atque ibi ſe cum tuo patruo, & ceteris ad mortem propter vitae turpitudinem confugientibus congregare; an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scaeuola, cũ bonis denique omnibus coire non modo ſalutis, verum etiam periculi ſocietatem? tu denique, Labiene, quid faceres tali in re, ac tempore? cum ignauiae ratio te in fugam, atque in latebras impelleret; improbitas & furor L. Saturnini in Capitolium arceſſeret; conſules ad patriae ſalutem, ac libertatem vocarent: quam tandem auctoritatem, quam vocem, cuius ſectam ſequi, cuius imperio parere potiſſimum velles? Patruus, inquit, meus cum Saturnino fuit. Quid pater? quis tum? quid propinqui veſtri, equites R.? quid omnis praefectura, regio, vicinitas veſtra? quid ager Picenus vniuerſus, vtrum tribunicium furorem, an conſularem auctoritatem ſecutus eſt? equidem hoc affirmo, quod tu nunc de tuo patruo praedicas, neminem vmquam adhuc de ſeſe eſſe confeſſum. nemo eſt vmquam inuentus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni non modo honeſtate, ſed etiam ſimulatione honeſtatis relictus, qui ſe in Capitolio fuiſſe cum Saturnino fateretur. at fuit veſter patruus. fuerit, & fuerit nulla deſperatione rerum ſuarum, nullis domeſticis vulneribus coactus: induxerit eum L. Saturnini familiaritas, vt amicitiam patriae praeponeret. idcirco ne oportuit C. Rabirium deſciſcere a rep. non comparere in illa armata multitudine bonorum? conſulum voci, atque imperio non obedire? atqui videmus haec in rerum natura tria fuiſſe vt aut cum Saturnino eſſet, aut cum bonis, aut lateret. latere, mortis erat inſtar turpiſſimae: cum Saturnino eſſe, furoris & ſceleris: virtus, & honeſtas, & pudor cum conſulibus eſſe cogebat. hoc tu igitur in crimen vocas, quod cum iis fuerit C. Rabirius, quos, amentiſſimus fuiſſet, ſi oppugnaſſet; turpiſſimus, ſi reliquiſſet?

E X P L A N A T I O

Praeter *Glauciam:*] lege, Praetores praeter Glauciã. omiſſum eſt enim verbum, Praetores, propter ſimilitudinem ſequentis. praetorem autẽ C. Seruiliũ Glauciã cũ L. Saturnino tribuno pl. occiſum eſſe, quis ignorat? vnũ tamen ex orat. 1. in Catil. exemplũ afferre non grauabor. Similis S. C. C. Mario & L. Valerio cos. permiſſa eſt reſp. num unũ diẽ poſtea L. Saturninũ tribunũ pl. & C. Seruilium praetorem poena remorata eſt? C. Saufeius,] quaeſtor. Ille *ex compedibus, atque ergaſtulo Gracchus;*] qui cum ſe Ti. Gracchi filium ſimularet, tribunus pl. creatus, cum Saturnino, Glaucia, Saufeio arma cepit. De quo Valerius Max. lib. ix cap. 7. his verbis: L. Equitium, qui ſe Ti. Gracchi filium ſimulabat, tribunatumq. aduerſus leges cũ L. Saturnino petebat, a C. Mario ſextum cõſulatũ

gerente

gerente in publicā cuſtodiā ductum, populus clauſtris carceris conuulſis raptum humeris ſuis, per ſummam animorum alacritatē portauit. Et cap. 16. Ne Equitiū, Firmo Piceno monſtrū veniens, relatū iam in huiuſce libri ſuperiore parte, praetereā; eius in amplectendo Ti. Graccho patre, euidens mendacium, turbulento vulgi errore, ampliſſima tribunatus poteſtate vallatū eſt. Eundē cū Saturnino fuiſſe, non tamen occiſum, ſignificat Appianus lib. 1. OMNEM *dignitatem iudiciorum*] tunc enim, equeſter ordo lege C. Gracchi iudicia adminiſtrabat: donec Sulla, rerum potitus, ab equitibus ad ſenatores iudicia tranſtulit: poſtremo C. Aurelius Cotta praetor legē tulit, vt tres ordines iudicarent, ſenatores, equites, tribuni aerarij. M. AEMILIVS] Scaurus, cuius cōſtantiam, & grauitatē Cicero laudat. Q. SCAEVOLA] Q. F. augur, qui cum L. Metello Dalmatico conſul fuerat. nam Q. Scaevola P. F. pont. max. cum L. Craſſo oratore quinquennio poſt Mariū & Flaccū conſules, qui Saturninum, & Glauciam oppreſſerunt, conſulatum geſſit. PRAEPEDITVS *morbo,*] pedum. Duo veteres libri, Praeditus: tres, Perditus: quod placet. L. METELLVS,] Dalmaticus. qui cum Q. Scaeuola Q. F. conſulatū geſſerat. conſulares enim hic nominantur. SER. *Galba,*] Sulpiciae gentis, qui conſul fuit cum M. Aemilio Scauro. C. SERRANVS, *P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus*] Serranus cum Q. Caepione. Rutilius cum Cn. Manlio, Fimbria cum C. Mario. Q. Catulus cum eodem Mario. CN. ET L. *Domitii*] vterque Aheno barbus, &, opinor, fratres. Cnaeus cum Caſſio Longino, Lucius cum Caelio Caldo conſul fuit. L. CRASSVS, *Q. Mucius,*] Craſſus orator, Mucius pont. max. C. CLAVDIVS] conſul cum Perperna. M. DRVSVS;] qui conſul non fuit, ſed in tribunatu pl. initio belli Marſici a neſcio quo domi ſuae eſt interfectus. OCTAVII,] tres Octauij conſulatum geſſere, primus Cn. F. Cn. N. qui a L. Cinna collega eſt interfectus: alter Cn. Octauius M. F Cn. N. qui cū C. Curione conſul fuit: L. Octauius Cn. F Cn. N. conſul cum C. Cotta, fratre Cn. Octauij, quem primū nominauimus. METELLI,] Q. Metellus Nepos conſul cum T. Didio. IVLII,] Sex. Iulius Caeſar conſul cum L. Philippo, & L. Caeſar cum P. Rutilio Lupo. CASSII,] C. Caſſius Varus conſul cum L. Gellio. CATONES.] L. Porcius Cato, conſul cum Cn. Pompeio Strabone. POMPEII,] Cn. Pompeius Strabo conſul cum L. Porcio Catone: Q. Pompeius Rufus cum L. Sulla. L. PHILIPPVS,] conſul cum Sex. Iulio Caeſare. L. SCIPIO,] conſul cum C. Norbano. M. LEPIDVS,] cum Q. Catulo. D. BRVTVS,] cum Ma. Aemilio Lepido Liuiano. P. SERVILIVS,] Iſauricus poſtea dictus, cum Ap. Claudio Pulchro. IMPERATORE,] bellum in Cilicia gerente, ex qua de Iſauris triumphauit. Q. CATVLVS,] conſul cum M. Lepido, eius Catuli filius, qui cum C. Mario conſulatum geſſit. C. CVRIO,] cum Cn. Octauio, pater eius Curionis, qui ciuili bello, pro Caeſare pugnans, in Africa perijt. OMNIS *praefectura,*] quae fuerit, omiſſo nomine, non apparet: in agro Piceno arbitror fuiſſe, quia ſequitur: Quid ager Picenus vniuerſus?

ORATIO

AT C. Decianus, de quo tu ſaepe commemoras, quia, cum hominem omnibus inſignem notis turpitudinis Furium accuſaret, ſummo ſtudio bonorum omnium, queri eſt auſus in concione de morte Saturnini, condemnatus eſt; at Sex. Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi ſuae, condemnatus eſt. Statuerunt equites R. illo iudicio, improbum ciuem eſſe, & non retinendum in ciuitate, qui hominis hoſtilem in modum ſeditioſi imagine aut mortem eius honeſtaret, aut deſideria imperitorum miſericordia commoueret, aut ſuam ſignificaret imitandae improbitatis voluntatem. itaque mihi mirum videtur, vnde hanc tu, Labiene, imaginem, quam habes, inueneris. nam, Sex. Titio damnato, qui iſtam habere auderet, inuentus eſt nemo. quod tu ſi audiſſes, aut ſi per aetatem ſcire potuiſſes: nunquam profecto iſtam imaginem, quae domi poſita peſtem, atque exſilium Sex. Titio attuliſſet, in Roſtra, atque in concionem attuliſſes; nec tuas vnquam rationes ad eos ſcopulos appuliſſes, ad quos Sex. Titij afflictam nauem, & in quibus C. Deciani naufragiū fortunarum videres. ſed in his rebus omnibus imprudentia laberis: cauſſam enim ſuſcepiſti antiquiorem memoria tua: quae cauſſa ante mortua eſt, quam tu natus eſſes. qua in cauſſa tute profecto fuiſſes, ſi per aetatem eſſe potuiſſes; eam cauſſam in iudicium vocas. An non intelligis, primum, quos homines, & quales viros mortuos ſummi ſceleris arguas, deinde, quot ex ijs, qui viuunt, eodem crimine in ſummum capitis periculum arceſſas? nam, ſi C. Rabirius fraudem capitalem admiſit, quod arma cōtra M. Saturninum tulit: huic quidem affert aliquam deprecationem periculi aetas illa, qua tum fuit: Q. vero Catulum, patrem huius, in quo ſumma ſapientia, eximia virtus, ſingularis humanitas fuit; M. Scaurum, illa grauitate, illo cōſilio, illa prudentia; duos Mucios, L. Craſſum, M. Antonium, qui tum extra vrbem cum praeſidio fuit, quorum in hac ciuitate longe maxima conſilia, atque ingenia fuerunt; ceteros, pari dignitate praeditos. cuſtodes, gubernatoresq. reip. quemadmodum mortuos defendemus? quid de illis, honeſtiſſimis viris, atque optimis ciuibus, equitibus R. dicemus, qui tum vna cum ſenatu ſalutem reip. defenderunt? quid de tribunis aerarij, ceterorumq. ordinum omnium hominibus, qui tum arma pro communi libertate ceperunt? ſed quid ego de ijs omnibus, qui conſulari imperio paruerunt, loquor? de ipſorum conſulum fama quid futurum eſt? L. Flaccum, hominem cum ſemper in rep. tum in magiſtratibus gerendis, in ſacerdotio, caerimonijsque, quibus praeerat, diligentiſſimum, nefarij ſceleris, ac parricidij mortuum condemnabimus? adiungemus ad hanc labē, ignominiamq. mortis etiā C. Marij nomen? C. Marium, quem vere patrem patriae, parentem, inquam, veſtrae libertatis, atque huiuſce reip. poſſumus dicere, ſceleris, ac parricidij nefarii mortuum cōdemnabimus? etenim, ſi C. Rabirio, quod iit ad arma, crucem T. Labienus in campo Martio defi-

tio d figendam putauit: quod tandem excogitabitur in eum ſupplicium, qui uocauit? ac, ſi fides Saturnino data eſt, quod abs te ſaepiſſime dicitur; non eam C. Rabiriue, ſed C. Marius dedit: idemq. uiolauit, ſi in fide non ſtetit. quae fides, Labiene, qui potuit ſine S. C. dari? adeone hoſpes huiuſce urbis, adeo ne ignarus es diſciplinae, conſuetudiniſq. noſtrae, ut haec neſcias? ut peregrinari in aliena ciuitate, non in tua magiſtratum gerere uideare? Quid iam iſta C. Mario, inquit, nocere poſſunt, quoniam ſenſu, & uita caret? Ita ne uero? tantis in laboribus C. Marius, periculiſq. uixiſſet, ſi nihil longius, quam uitae termini poſtulabant, ſpe, atque animo de ſe, & gloria ſua cogitaſſet? at, credo, cum innumerabiles hoſtium copias in Italia fudiſſet, atque obſidione remp. liberaſſet, omnia ſua ſecum una moritura arbitrabatur. non eſt ita, Quirites: neque quiſquam noſtrum in reip. periculis cum laude, ac uirtute uerſatur, quin ſpe poſteritatis, fructuq. ducatur. itaque cum multis alijs de cauſſis uirorum bonorum mentes diuinae mihi, atque aeternae uidentur eſſe. tum maxime quod optimi, & ſapientiſſimi cuiuſque animus ita praeſentit in poſterum, ut nihil, niſi ſempiternum, ſpectare uideantur. Quapropter equidem & C. Marii, & ceterorum uirorum ſapientiſsimorum, ac fortiſſimorum ciuium mentes, quae mihi uidentur ex hominum uita ad deorum religionem, & ſanctimoniam demigraſſe, teſtor, me pro illorum fama, gloria, memoria non ſecus, ac pro patrijs fanis, atque delubris, propugnandum putare. ac ſi pro illorum laude mihi arma capienda eſſent; non minus ſtrenue caperem, quam illi pro communi ſalute ceperunt. etenim, Quirites, exiguum nobis uitae curriculum natura circumſcripſit, immenſum gloriae. quare, ſi eos, qui iã de uita deceſſerunt, ornabimus: iuſtiorem nobis mortis condicionem relinquemus. ſed ſi illos, Labiene, quos iam uidere non poſſumus, negligis: ne his quidem, quos uides, conſuli putas oportere? neminem eſſe dico ex ijs omnibus, qui illo die Romae fuerint, quem tu diem in iudicium uocas, pubeſq. tum fuerit, quin arma ceperit, quin conſules ſecutus ſit. omnes ii quorum tu ex aetate coniecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te rei capitis, C. Rabirii nomine, citantur. At occidit Saturninum Rabirius. Vtinam feciſſet: non ſupplicium deprecarer, ſed praemium poſtularem. etenim ſi Scaeuae, ſeruo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data eſt: quod equiti R. praemium dari par fuiſſet? & ſi C. Marius, quod fiſtulas, quibus aqua ſuppeditabatur Iouis Optimi Maximi templis, ac ſedibus, praecidi imperarat; quod in cliuo Capitolino improborum ciuium.

Deſunt non pauca.

E X P L A N A T I O

EXSVLIVM] & hoc recte, nec tamen, Exitium, male. QVI *tum extra urbem cum praeſidio fuit,*] iuſſu conſulum. nam anno ſequenti conſulatum geſſit. CAERIMONIIISQ. *quibus praeerat,*] tamquam pont. max. QVID *iam iſta C. Mario, inquit, nocere poſſunt,*] Iſta: ſi eum cum C Rabirio condemnatus. FISTVLAS,] hiſtoriam ex Plutarcho, & alijs licet petere: itaque ſuperuacanea interpretatio eſt.

IN · ORATIONEM · I · CICERONIS
IN. L. SERGIVM. CATILINAM
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM. QVATTVOR. CICERONIS ORATIONVM. CONTRA. CATILINAM

L. Sergius. Catilina, patricij generis, ciuili bello Sullanarum partium, adminiſtrata poſt praeturam Africa, accuſatus eſt primum a P. Clodio repetundarum, ut ait Aſconius: accuſatus autem M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo cos: quod in oratione contra competitores Cicero docet his uerbis. Te uero, Catilina, conſulatum petere, aut cogitare, non prodigium, atque portentum eſt? a quibus enim petis? a principibus ciuitatis? qui tibi, cum L. Volcatius conſul in conſilio fuiſſet, ne petendi quidem poteſtatem eſſe uoluerunt: ubi Pedianus. Catilina, cum de prouincia Africa decederet, & legati Afri quæſti de eo in ſenatu grauiter eſſent, profeſſus eſt ſe petere cõſulatũ. L. Volcatius Tullus cõſilium publicum habuit, an rationem Catilinæ habere deberet. nam quaerebatur repetũdarum. Catilina ob eam cauſſam deſtitit a petitione. His teſtimoniis duæ res probantur, una, accuſatum eſſe Lepido & Tullo cos. altera, accuſatum eſſe ante comitia cõſularia. Nec tamen eo anno peracta cauſſa eſt, nam eum Torquato & Cotta cos. ideſt anno ſequenti, reũ de repetundis inuenio in oratione pro Sulla. Parens tuus, Torquate, ait Cicero, conſul reo de pecunijs repetundis Catilinae fuit aduocatus. Partem igitur eius anni, quo Lepidus & Tullus conſulatum, Cicero præturam geſsit, Catilina in Africa fuit, & eodem anno, conſularium comitiorum cauſſa, ideſt ante Quinctilem menſem, in urbẽ redijt: ut ſtatim repetundarum crimine ab Afris in iudicium uocatus eſt. quamquam Cicero in Oratione pro Coelio, cauſſae ſeruiens, totum annũ, quo ipſe praetor fuit, eum abfuiſſe, oſtendit his uerbis. Fuit aſsiduus mecum prætore me. non nouerat Catilinã: Africam tum praetor ille obtinebat. Secutus eſt annus:

cauſſam de pecunijs repetũdis Catilina dixit. deinceps fuit annus, quo ego conſulatum petiui. Quib. verbis tres anni continui deſignantur, primũs, quo Cicero praeturam geſſit, ideſt, Lepido, & Tullo cos. deinde, quo cauſſam de pecunijs repetũdis Catilina dixit, ideſt Torquato, & Cotta cos. poſtremo, quo Cicero conſulatum petiuit, ideſt, Caeſare, & Figulo cos. Primum igitur id conſtat, accuſari coeptum eſſe repetundarũ Lepido & Tullo cos. deinde non eodem anno, ſed ſequenti, Torquato & Cotta cos. cauſſam dixiſſe. Addo illud, abſolutum eſſe P. Clodio accuſatore praeuaricante. de quo ſic in ea de Haruſp. reſp. A Catilina pecuniã accepit, vt turpiſſime praeuaricaretur. Quod Pedianus confirmat. Iterum autẽ accuſatus eſt inter ſicarios a L. Paullo, Cæſare, & Figulo cos. quod a Salluſtio, Pediano, Dione traditur. quamquam in Pediano, L. Lucullus, mendoſe legitur, Pro, L. Paullus: quem Salluſtius, teſtis eorum temporum, nominat. Vtroque indicio abſolutum eſſe, cognoſcitur ex ep. 14. lib. 1. ad Att. in qua eſt: Bis abſolutum eſſe Lentulum, bis Catilinam. Vt argumentum illud omittatur, quod niſi abſolutus eßet, petere conſulatũ Cicerone et Antonio cos. non cogitaſſet. Hæc de accuſationibus: nunc de conſulatus petitionibus, poſtremo de illius coniurationibus agemus. quæ niſi ſeparatim ſingula oſtenderentur: fore sũ ſuſpicatus, ne lectori laborem, & difficultatem ordo hiſtoriæ confuſus afferret, vt mihi ſaepe attulit: qui nunc, vt meo labore labor alijs adimatur, quãtum licet, operam do. Petere conſulatum Catilina voluit, quo anno ex Africa redijt, conſulatum gerentibus Lepido, & Tullo: ſed eius rationem non eſſe habitam, iam oſtendimus. Eo anno petendi poteſtate excluſus, petijt anno ſequenti, Cotta, & Torquato cos. & repulſam tulit. petijtq. iterum Cæſare, & Figulo cos. nec obtinuit. vtrãq. petitionẽ ſignificat Cicero in oratione pro Cælio. Tot, inquit, annos verſatus in foro ſine ſuſpicione, ſine infamia, ſtuduit Catilinæ iterum petenti. De ſecunda autem & petitione, & repulſa perſpicuum fit ex his Aſconij verbis. Poſt effecta comitia conſularia, & Catilinæ repulſam, fecit eũ reum inter ſicarios L. Paullus. Videtur & Cicerone conſule aut petijſſe, aut petere voluiſſe: quod prima declarat in eum Ciceronis ratio. Cũ proximis comitijs conſularibus, inquit, me conſulem in cãpo, & competitores tuos interficere voluiſti; compreſſi tuos nefarios conatus amicorum præſidio, & copijs. Eodem pertinent illa Salluſtij. Poſtquam dies comitiorum venit; & Catilinæ neque petitio, neq. inſidiæ, quas conſuli fecerat, proſpere ceſſere: conſtituit bellum facere, & extrema omnia experiri. Remotum a petitione, conſilio potiſsimum Ciceronis conſulis, lib. xxxvii. demonſtrat Dio. Sed contra Plutarchus in Cicerone, nec obſcure Cicero ipſe pro Murena eũ petijſſe dicit. Quod ad cõiurationes attinet, coniurauit primum cum Cn. Piſone, L. Varganteio, P. Autronio: quo anno cõſules fuere Lepidus, & Tullus: vnde illa in ora-

in oratione pro Sulla. Scilicet is ſum, qui exiſtimem, Cn. Piſonem, & Catilinam, & Vargūteium, & Autronium nihil audacter ipſos per ſeſe ſine P. Sulla facere potuiſſe. de quo etiam ſi quis dubitaſſet antea, nū id, quod tu arguis, cogitaſſet, interfecto patre tuo conſule deſcendere Kalen. Ian. cum lictoribus? Si cogitauit Sulla, cum Piſone, Catilina, Vargūteio, Autronio deſcendere cum lictoribus, interfecto Torquato conſule: nimirum ſuperiorib. conſulibus Lepido & Tullo inita de conſulum caede conſilia fuerant. Eiuſdem annus coniurationis e Salluſtio cognoſcitur. Erat, inquit, eodem tempore Cn. Piſo, adoleſcens nobilis, ſummae audaciae, egens, factioſus: quem ad perturbādam remp. inopia, atque mali mores ſtimulabant. cum hoc Catilina, & Autronius, circiter nonas Dec. conſilio cōmunicato, parabant in Capitolio Kal. Ian. L. Torquatum, & L. Cottam cos. interficere; ipſi, faſcibus correptis, Piſonem cum exercitu ad obtinendas duas Hiſpanias mittere: ea re cognita, rurſus in nonas Febr. conſilium caedis tranſtulerunt. quod ni Catilina maturaſſet pro curia ſignum ſocijs dare: eo die poſt cōditam vrbem Romam peſſimum facinus patratum foret. quia nōdum frequentes armati conuenerant, ea res conſiliū diremit. Pedianus autem eandem rem exponit his verbis: Fuit opinio, Catilinam, & Cn. Piſonem, adoleſcentem perditum, coniuraſſe ad cædem ſenatus faciendā ante annum, quam hæc dicta ſunt, Cotta, & Torquato cos. eamq. cædem ideo non eſſe factam, quod prius, quam parati eſſent, coniuratis ſignum dediſſet Catilina. Altera coniuratio fuit Cæſare & Figulo cos. petentibus conſulatum Cicerone, Antonio, ipſo Catilina. cuius rumor quidā cum in vulgus emanaſſet, accendit hominum ſtudia, vt ait Salluſtius, ad conſulatū mandandum M. Tullio Ciceroni. Hæc igitur ſecunda coniuratio, occultis cōſilijs agitata, erupit denique in cōſulatum Ciceronis. qui cum totam rem, indicante per Fuluiam Q. Curio coniurato, cognouiſſet, & ſedentem tamē in ſenatu Catilinam vidiſſet, ira cōmotus, acerbiſſime in eum hac prima oratione eſt inuectus, & eum vrbe egredi, ſecumq. ſuos iuſſit educere: ac tantū profecit, vt Catilina perterritus profugerit. quod eſt primæ orationis argumētum. In ſecunda oratione, de Catilina eiecto gloriatur: relictos ab eo ſignificat nobiles viros, qui non ſolum in foro volitēt, ſed etiam in ſenatum veniant: quattuor hominum genera commemorat, qui reip. occultum bellum indixerint, & diſſimulantes, egrediente Catilina, Romae remāſerint. contra quorum inſidias, Quirites monet, vt ſua tecta cuſtodijs, vigilijsq. defendant: ipſis, vt exeant, ſi velint, permittit: minatur, ſi cuius factum, conatum ve contra patriam deprehenderit: ſecuritatem cum clementia pollicetur. Quirites hortatur, vt venerantur deos immortales, opē ab ijs in præſenti periculo ſupplices petant. Tertia, captos eſſe coiurationis principes, & ſublatum iam imminētis periculi metum, re: quemadmodū

geſta erat, explicata, ſignificat. Tum habere bonum animum Quirites iubet; quod geſtum ſit, acceptum dijs immortalibus refert: rogat vt, cum ipſe, ne ijs hominum audaciſsimorum ſceleratae, nefariaeque mẽtes nocere poſſent, ſua vigilantia prouiderit, ipſi viciſsim, ne quando ſibi noceant, curam ſuſcipiant. Concluſio, Iouem vt venerentur, & vt ſua tecta vigilijs, cuſtodijsq. defendant. In quarta nonis Dec. habita (vt ep. 1. lib. 2. ad Att.) de ſupplicio cõiuratorum refert, & ſimul, ipſe quid ſentiat, oſtendit. diſputat de ſententijs duab. vna D. Iunij Silani, qui, tamquam conſul deſignatus, omniũ primus de more rogatus erat, vt mors coniuratis pœna eſſet: altera C. Caeſaris, aedilis cur. vt eternis tenebris vinculisq. mandarentur, bona eorum publicarentur, vitam tamen retinerent. vtramq. ſententiam laudat: quam tamen Silanus dixerat, ſequendam cenſet. Memoriam ſui conſulatus a ſenatu poſtulat: ſi quid ſibi acciderit, paruum filium commendat: hortatur, vt de cõiuratorum ducibus, cum agatur in eo ſalus ciuitatis, vniuerſaq. reip. diligenter fortiterq. decernat: ſuum & in conſulatu, & in omni vita praeſidium, auxiliumq. pollicetur. Nunc, vt puto, nõ male opera poſita videbitur, ſi, quo quaeque die habita oratio ſit, oſtẽdam. Prima habita eſt VIII. id. Nou. non obſcuris argumentis. in ipſa .n. oratione ſunt haec. Recognoſce tandem mecum noctem illam ſuperiorem: iam intelliges, multo me vigilare acrius ad ſalutem, quam te ad perniciẽ reip. Dico te priori nocte veniſſe inter Falcarios, in M. Laecae domũ, conueniſſe eodem complures, eiuſdem amentiae, ſcelerisque ſocios. Et paullo poſt. Fuiſti igitur apud Lacam ea nocte, Catilina: diſtribuiſti partes Italiae: ſtatuiſti, quo quemque proficiſci placeret: delegiſti, quos Romae relinqueres, quos tecum educeres: deſcripſiſti vrbis partes ad incendia: confirmaſti, te ipſum iam eſſe exiturum: dixiſti, paullulum tibi eſſe etiã tum morae, quod ego viuerem. reperti ſunt duo equites Romani, qui te iſta cura liberarent, & ſeſe illa ipſa nocte paullo ante lucẽ me in meo lectulo interfecturos pollicerentur. Quae ſit haec nox, quam is dies cõſecutus eſt, quo Cicero ſenatum habuit, & in Catilinam haec dixit, docet oratio pro Sulla his verbis. Quid tandem de illa nocte dicit, cum inter Falcarios ad M. Laecam, nocte ea, quae conſecuta eſt poſterum diem nonarum Nou. me conſule, Catilinae denunciatione conuenit? quae nox omnium temporum coniurationis acerrima fuit, atque acerbiſsima. tum Catilinae dies exeundi, tum ceteris manendi condicio, tum deſcriptio totam per vrbem caedis, atque incendiorum conſtituta eſt: tunc tuus pater, Corneli, illã ſibi officioſam prouinciam depopoſcit, vt cum prima luce cõſulem ſalutatum veniret, intromiſſus me in meo lectulo trucidaret. Hic Cicero, qua nocte in M. Lacae domum Catilina venit, dicit tum fuiſſe, quae conſecuta eſt poſterũ diem nonarum Nou. ideſt quae fuit inter nonas, & VIII. id. Nou. ex quo patet habitã eſſe primã

in Catilinam orationem IIX. id. Non. cum in ea ſit: Dico te priori nocte veniſſe inter Falcarios, in M. Laecae domum. Secunda oratio poſt tridie habita videtur: quod ex ijs verbis, quæ ſunt in ea, liceat intelligere. Omnia, inquit, ſuperioris noctis conſilia ad me delata eſſe ſentiunt. pateſeci in ſenatu heſterno die: Catilina ipſe pertimuit, profugit. Tertia multis interiectis diebus, habita eo die, quo Lentulus, eiusq. ſocij, Allobrogum indicio comprehenſi, & in ſenatum introducti ſunt: ſententiaeq. de ijs dictae a principibus, vt in cuſtodiam traderentur. quem diem non video cur non putem pridie non. Dec. fuiſſe: cum quartam orationem nonis Dec. habitam eſſe, conſtet ex ep. 1. lib. 2. ad Att. veriſimile autem non videatur tanta res cum ageretur, moram vllam interiectam, ſed primo illo die, quo Lentulus, & alij coniurati ſimul comprehenſi ſunt, factum eſſe S. C. vt in cuſtodiam traderentur; ſequenti autem die alterum S. C. vt ſupplicio afficerentur: quo die, dictis a Silano & Caeſare ſententijs, quartam orationem Cicero habuit, qua ſenatum ad ſeueritatem eſt hortatus: & ſenatus, vti Cato cenſuerat, decreuit, vt de ijs, qui traditi in cuſtodiam erant, ſupplicium ſumeretur. Prima igitur oratio (vt ſuperiora breuiter colligantur) in ſenatu IIX. id. Nou. ſecunda ad Quirites, poſtridie, tertia ad eoſdem pridie non. Dec. quarta in ſenatu nonis Dec. habita eſt.

M. TVLLII·CICERONIS
IN· L· SERGIVM· CATILINAM
IN . SENATV
ORATIO · XIX

*Q*VOVSQVE *taadem abutere, Catilina, patieatia noſtra? quam diu nos etiam furor iſte tuus eludet? quem ad finem ſeſe effraenata iactabit audacia? nihil ne te nocturnum praeſidium Palatij, nihil urbis uigiliae, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora, uultuſque mouerunt? patere tua conſilia non ſentis? conſtrictam iam omnium horum conſcientia teneri coniurationem tuam non vides? quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, ubi fueris, quos conuocaueris, quid conſilij ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris? O tempora, o mores. ſenatus haec intelligit, conſul uidet: hic tamen uiuit: uiuit? immo uero etiam in ſenatum uenit: fit publici conſilij particeps: notat, & deſignat oculis ad caedem unumquemque noſtrum. nos autem uiri fortes ſatisfacere reip. uidemur, ſi iſtius furorem, ac tela uitemus. Ad mortem te, Catilina, duci iuſſu conſulis iampridem oportebat, in te conferri peſtem iſtam, quam tu in nos omnes iamdiu machinaris an uero uir ampliſſimus P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum, mediocriter labefactãtem ſtatum reip. priuatus interfecit: Catilinam, orbem terrae, caede atque incendijs uaſtare cupientem, nos conſules perferemus? nam illa nimis antiqua praetereo, quod Q. Seruilius Ahala Sp. Melium, nouis rebus ſtudentem, manu ſua interfecit. fuit, fuit iſta quondam in hac rep. uirtus, ut uiri fortes acrioribus ſuppliciis ciuem pernicioſum quam acerbiſſimum hoſtem, coercerent.*

EXPLANATIO

QVOVSQVE *tandem abutere, Catilina, patientia noſtra?*] vocem interrogantis indignatio exprimit, & iracundiae magnitudo. nam cum nefaria contra patriam Catilinae conſilia Cicero cognouiſſet, & cum tamen in ſenatu ſedentem vidiſſet, non tulit, ſed accuſauit eum audiente ſenatu, hac oratione, quam Salluſtius Luculentam, vtilemq. reip. vocat. Abutere dixit, quia, cum peſtem bonis omnibus, exitumq. reip. Catilina machinaretur, proximaq. ſuperiore nocte cum ſocijs in M. Laecae domo fuiſſet, venire tamen in ſenatum auderet. Sed hic Salluſtij verba recitare, operaepretium videtur. At Catilinae, inquit, crudelis animus eadem illa monebat: tametſi praeſidia parabantur, & ipſe lege Plautia interrogatus erat ab L. Paullo. poſtremo diſſimulandi cauſſa, & quaſi ſui expurgandi, ſicuti iurgio laceſſitus foret, in ſenatum venit. tum M. Tullius conſul, ſiue praeſentiam eius timens, ſiue ira commotus, orationem habuit luculentam, atque vtilem reip. quam poſtea ſcriptam edidit. Sed, vbi ille aſſedit, Catilina, vt erat paratus ad diſſimulanda omnia, demiſſo vultu, voce ſupplici poſtulare a patribus coepit, ne quid de ſe temere crederent: ea familia ortum, ita ſe ab adoleſcentia vitam inſtituiſſe, vt omnia bona in ſpe haberet: neque exiſtimarent ſibi, patricio homini, cuius ipſius atque maiorum plurima beneficia in plebem Romanam eſſent, perdita rep. opus eſſe; cum eam ſeruaret M. Tullius, inquilinus ciuis vrbis Romae. ELVDET?] quaſi per ludum contemnet? EFFRAENATA] quae ſeſe rationis fraeno non continet: ſed, quaſi ſine fraeno ſit, ita ſe iactat. PALATII,] collis foro coniuncti, ideo muniti nocturno praeſidio. MVNITISSIMVS] nam in Capitolio, in templo Iouis Statoris ſenatus habebatur: de quo ſic infra: Magna dijs immortalibus habenda gratia eſt, atque huic ipſi Ioui Statori, antiquiſſimo cuſtodi huius vrbis. CONSCIENTIA] ſcientia. non enim accipiendum, quia ſibi conſcij ſint, ſed quia ſciant, & norint. QVID *proxima,*] proxima nox eſt, quam conſecutus eſt dies. VIII. id Nou. de qua infra: Dico te priori nocte veniſſe inter Falcarios in M. Laecae domum; conueniſſe eodem complures eiuſdem amentiae, ſcelerisq. ſocios. Et pro Sulla: Quid tandem de illa nocte dicit, cum inter Falcarios ad M. Laecam, nocte ea, quae conſecuta eſt poſterum diem Nonarum Nou. me conſule Catilinae denunciatione conuenit. AHALA] magiſter equitum, extat apud Liuium hiſtoria.

ORATIO

HABEMVS *S.C. in te, Catilina, uehemens, & graue: non deeſt reip. conſilium, neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico aperte, conſules deſumus. decreuit quõdam ſenatus, ut L. Opimius conſul uideret, ne quid reſp. detrimenti caperet: nox nulla interceſſit: interfectus eſt propter quaſdam ſeditionum ſuſpiciones C. Gracchus, clariſſimo patre natus, auis, maioribus: occiſus cũ liberis M. Fuluius cõſularis. ſimili S.C.C. Mario, & L. Valerio cos. permiſſa eſt reſp. num unũ diem poſtea L. Saturninum tribunum pl. & C. Seruiliũ praetorem pœna remorata eſt? at uero nos uiceſimum iam diem patimur hebeſcere aciem horum auctoritatis. habemus*

bemus enim eiuſmodi S. C. verum incluſum in tabulis, tamquam in vagina reconditum; quo ex S.C. confeſtim interfectum te eſſe, Catilina, conuenit. viuis, & viuis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam.

EXPLANATIO

HABEMVS *S.C. in te, Catilina, vehemens & graue:*] quattuor S.C. in cauſſa coniurationis facta ſunt, duo propter Catilinã, duo propter Lentulũ, & octo praeterea cõiuratos, qui, Catilina egreſſo, cum in vrbe remanſiſſent, Allobrogũ indicio comprehenſi ſunt. primũ S.C. propter Catilinã factũ, cũ eius nefaria conſilia iam paterent, illud eſt quod hic ſignificatur, ex vetere inſtituto renouatũ in magno reip. deſcrimine, vſitatis verbis: darent operam conſules, ne quid reſp. detrimenti caperet. de quo Salluſtius: Ea cũ Ciceroni nunciarentur; ancipiti malo permotus, quod neque vrbẽ ab inſidijs priuato cõſilio longius tueri poterat, neque, exercitus Mallij quãtus, aut quo cõſilio foret, ſatis compertũ habebat, rẽ ad ſenatum, iam antea vulgi rumoribus exagitatã, refert. itaque, quod plerumque in atroci negotio ſolet, ſenatus decreuit, vt darent operã cõſules, ne quid reſp. detrimenti caperet. ea poteſtas per ſenatũ more Romano magiſtratui maxuma permittitur, exercitũ parare, bellũ gerere, coercere omnibus modis ſocios, atque ciues: domi militiaeq. imperiũ atque iudiciũ ſummũ habere. aliter, ſine populi iuſſu, nulli earũ rerum conſuli ius eſt. Alterũ S.C. eſt, quo Catilina & Mallius hoſtes iudicati ſunt. quod eodem teſte Salluſtio cognoſcitur. Paucos dies, inquit, commoratus apud C. Flaminium in agro Reatino, dũ ciuitatem, antea ſolicitatam, armis exornat, cũ faſcibus, atque alijs imperij inſignibus in caſtra ad Malliũ contendit. Haec vbi Romae comperta ſunt; ſenatus Catilinã & Mallium hoſtes iudicat. Tertium S.C. eſt, de quo orat. 3. his verbis. Indicijs expoſitis, atque editis, Quirites, ſenatum conſului, de ſumma reip. quid fieri placeret. dictae ſunt a principalibus acerrimae ac fortiſſimae ſentẽtiae, quas ſenatus ſine vlla varietate eſt conſecutus & quoniã nondum eſt perſcriptum S.C. ex memoria vobis, Quirites, quid ſenatus cenſuerit, exponam. Subiungitq. paullo poſt. Atque ita cenſuerunt, vt P. Lentulus, cum ſe praetura abdicaſſet, tũ in cuſtodiam traderetur, itemq. vt C. Cethegus, L. Statilius, Publius Gabinius in cuſtodiã traderentur: atque ita idem hoc decretũ eſt in L. Caſſium, in M. Ceparium, P. Furiũ, Q. Marium Chilonem, P. Vmbrenum. decreuerat enim ſenatus, vt viderent conſules, ne quid reſp. detrimenti caperet. CLARISSIMO *patre,*] Ti. Sempronio Graccho, qui bis conſul fuit. & de Celtiberis triumphauit. AVIS, *maioribus:*] non tamen conſularibus. CVM *liberis*] duobus. Plutarchus, Velleius. VICESIMVM *iam diem*] integrum numerum amat orator. dies enim tantum erant XIIX. ſic in Piſonem: Ego in Q. Rabirio, perduellionis reo, XL. annis ante me conſulem interpoſitam ſenatus auctoritatem ſuſtinui contra inuidiã, atque defendi. Quo loco Pedianus, Poſſit, inquit, aliquis credere, lapſum memoria Ciceronem, qui dicat, XL. annis ante ſe conſulem factum eſſe S.C. aduerſus L. Appuleiũ Saturninum tribunũ pl. cũ XXXVI. anni a C. Mario & L. Valerio Flacco conſulibus numerentur. Sed hic non ſubtilis computatio annorũ facta eſt, verum ſummatim tempus comprehenſum eſt: & perinde accipiẽdum, ac ſi dixerit, prope XL. annis. haec enim conſuetudo eſt ipſius Ciceronis: itaque idem in ea quoque, quam habuit in Catilinã in ſenatu, cũ octauuſdecimus dies eſſet, poſtea, quã factum S.C. vt viderent conſules, ne quid reſp. detrimenti caperet, dixit: Vigeſimũ iam diem patimur hebeſcere aciẽ horũ auctoritatis. habemus enim S.C. verumtamen incluſum in tabulis, tamquam gladium in vagina reconditũ. HORVM] ſenatorum.

ORATIO

CVPIO *P. C. me eſſe clementem, cupio in tantis reip. periculis non diſſolutum videri: ſed iam me ipſum inertiae, nequitiaeq. condemno. caſtra ſunt in Italia cõtra remp. in Etruriae faucibus collocata: creſcit in dies ſingulos hoſtium numerus: eorum autem imperatorem caſtrorum, ducemq. hoſtium intra moenia, atque adeo in ſenatu videtis, inteſtinam aliquam quotidie perniciẽ reip. molientem. ſi te iam, Catilina, comprehendi, ſi interfici iuſſero, credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni ſerius a me, quam quiſquam crudelius factum eſſe dicat. verum ego hoc, quod iampridem factum eſſe oportuit, certa de cauſſa nondum adducor vt faciam. tum denique interficiam te, cum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui ſimilis inueniri poterit, qui id non iure factum eſſe fateatur. quam diu quiſquam erit qui te defendere audeat, viues, & viues ita, vt nunc viuis, multis meis & firmis praeſidijs obſeſſus, ne commouere te contra remp. poſſis: multorum te etiam oculi, & aures non ſentientem, ſicut adhuc fecerunt, ſpeculabuntur, atque cuſtodient. etenim quid eſt, Catilina, quod iam amplius exſpectes, ſi neque nox tenebris obſcurare coetus nefarios, nec priuata domus parietibus continere vocem coniurationis tuae poteſt? ſi illuſtrantur, ſi erumpunt omnia? muta iam iſtam mentem, mihi crede: obliuiſcere caedis, atque incendiorum: teneris vndique: luce ſunt clariora nobis tua conſilia omnia: quae etiam mecum licet recognoſcas.*

EXPLANATIO

NON *diſſolutum*] ita me cupio eſſe clementem, vt diſſolutus ne ſim: ne virtus in vitiũ deſinat. aliquid enim permittere, clemẽtia eſt: nimiũ, animi diſſoluti: Vitiũ a virtute diſtinxit Cicero in

ep ad Metellũ lib.v. Cognoſce nunc, inquit, humanitatẽ meam; ſi humanitas appellanda eſt in acerbiſſima iniuria remiſſio animi, ac diſſolutio. CREDO, *erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni ſerius a me, quam quiſquam crudelius factum eſſe dicat.*] implicatã negantibus particulis ſententiam vt expediam operam dabo. Fore, inquit, non dubito, quin hoc omnes boni potius a me ſerius factũ eſſe dicant, quam quiſquam crudelius. TVORVM *conſiliorum reprimẽdorum cauſſa.*] ne tibi liceret exequi, quod cogitabas: ne tibi faciendae caedis optimatum facultas daretur. C. MALLIVM] ſic vbique lego, non Manlium primum ex antiquis libris, deinde, quia Manlij nobiles, & patricij, Mallij ignobiles, & plebeij. & Malliũ illum, qui cum P. Rutilio Rufo conſulatũ geſſit, ignobilẽ Cicero vocat in Planciana.

O R A T I O

MEMINISTI *ne, me ante diem* XII. *Kal. Nouẽb. dicere in ſenatu, certo die fore in armis, qui dies futurus eſſet ante diem* VIIX. *Kal. Nou. C. Manlium, audaciae ſatellitem atque adminiſtrum tuę? num me fefellit, Catilina, non modo res tãta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis eſt admirandum, dies? dixi ego idem in ſenatu, caedem te optimatum contuliſſe in ante diem* V. *Kal. Nou tum cum multi principes ciuitatis Roma non tam ſui conſeruãdi, quam tuorum conſiliorum reprimendorum cauſſa profugerũt. num infitiari potes, te illo ipſo die, meis praeſidijs, mea diligentia circumcluſum, commouere te contra remp. nõ potuiſſe? cum tu, diſceſſu ceterorum, noſtra tamen, qui remanſiſſemus, caede contentum te eſſe dicebas. Quid, cum te Praeneſte kal. ipſis Non. occupaturum nocturno impetu eſſe confideres? ſenſiſti ne illam coloniam meo iuſſu, meis praeſidiis, cuſtodiis, vigiliis eſſe munitam? nihil agis, nihil molliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, ſed etiam videam, planeq. ſentiam. recognoſce tãdem mecum noctem illam ſuperiorem: iam intelliges multo me vigilare acrius ad ſalutem, quam te ad perniciem reip. Dico te priori nocte veniſſe inter falcarios, (non agam obſcure) in M. Laecae domum; conueniſſe eodem complures eiuſdem amentiae, ſcelerisq. ſocios. num negare audes? quid taces? conuincam, ſi negas. video enim eſſe hic in ſenatu quoſdam, qui tecum vna fuere O dii immortales, vbinam gentium ſumus? quam remp. habemus? in qua vrbe viuimus? hic, hic ſunt, noſtro in numero P. C. in hoc orbis terrae ſanctiſſimo grauiſſimoq. conſilio, qui de meo, noſtrumque omnium interitu, qui de huius vrbis atque adeo orbis terrarum exitio cogitent. hoſce ego video conſul, & de rep. ſententiam rogo; &, quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuiſti igitur apud Laecam ea nocte Catilina, diſtribuiſti partes Italiae: ſtatuiſti, quo quemque proficiſci placeret: delegiſti, quos Romae relinqueres, quos tecum educeres: deſcripſiſti vrbis partes ad incendia: confirmaſti, te ipſum iam eſſe exiturum: dixiſti, paulùlum tibi eſſe etiam tum morae, quod ego viuerem. reperti ſunt duo equites Ro. qui te iſta cura liberarent, & ſeſe illa ipſa nocte paullo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur. haec ego omnia, vix dum etiam coetu veſtro dimiſſo, comperi: domum meam maioribus praeſidiis muniui, atque firmaui: excluſi eos quos tu mane ad me ſalutatum miſeras, cum illi ipſi veniſſent, quos ego iam multis viris ad me venturos id temporis eſſe praedixeram.*

E X P L A N A T I O

PROFVGERVNT.] commoti, ac deterriti meis verbis. ILLAM *coloniam*] coloniam quoque nominat Frontinus, aut quicumq. ille fuit, cuius fragmentum quod exſtat de colonijs. Sed perſpicue, coloniã fuiſſe, Gellius docet, cũ ait lib XVI. c. 13. Praeneſtinos a Tiberio imperatore petiiſſe, vt ex colonia in municipij ſtatum redigerẽtur. Quo tẽpore deducta ſit, nec Velleius, nec Liuius, nec alius quiſquam docet. ego tamen, quin a L. Sulla deducta ſit, dubitandum non puto. Argumẽto ſunt illa verba or. 2. in Rul ũ. ſi dicent, per legẽ id non licere: ne per Corneliam quidẽ licet: at videmus agrũ Praeneſtinum a paucis poſſideri: NON *modo audiam,*] deſiderari arbitror Non: vt legatur: Non modo nõ audiam. infra: Nihil agis, nihil ſequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore. PRIORI *nocte*] quae conſecuta eſt poſterum diem nonarum Nou vt in oratione pro Sulla. itaque dixit haec VIII. id. Nou. is enim dies nonas Nou. conſequitur. INTER *Falcarios*] vicus Romæ fuit, nominatus etiam in oratione pro Sulla M. LAECAE] M. Porcij laecae ſenatoris, conſcij & participis eiuſdem ſceleris idem in ea pro Sulla. Salluſtius autem, Vbi multa, inquit, agitanti nihil procedit, rurſus intẽpeſta nocte coniurationis principes cõuocat per M. Porciũ Laecã: ibiq. multa de ignauia eorũ queſtus, docet ſe Malliũ praemiſiſſe ad eã multitudinem quam ad capiẽda arma parauerat: itẽ alios in alia loca opportuna, qui initiũ belli facerent: ſeq. ad exercitũ proficiſci cupere. ſi prius Ciceronẽ oppreſſiſſet. O. DII *immortales, vbi nam gentium ſumus?*] rei nefandae narrationẽ excipit exclamatio. ſupra quoque cum dixiſſet: Quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris vbi fueris, quos cõuocaueris quid cõſilij ceperis, quem noſtrũ ignorare arbitraris? ſubiecit: O tempora, o mores: ſenatus haec intelligit, conſul: videt hic tamen viuit: viuit? immo etiam in ſenatum venit. DISTRIBVISTI *partes Italiae:*] pro Sulla. Tum Catilinae dies exeundi, tum ceteris manendi cõdicio, tum deſcriptio totã per vrbem caedis, atque incendiorũ conſtituta: tunc tuus pater, Corneli, id quod tandẽ aliquando confitetur, illam ſibi officioſam prouinciã depopoſcit, vt cũ prima luce conſulẽ ſalutatũ veniret, intromiſſus meo more, & iure amicitiæ, me in lectulo trucidaret. REPERTI *ſunt duo equites Romani,*

mani, qui te iſta cura liberarent, & ſeſe illa ipſa nocte paullo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur.] Salluſtius non duos equites, verum vnum equitem C. Cornelium, alterum ſenatorem L. gunteium fuiſſe dicit. COMPERI:] Curio per Fuluiam ſignificante Hac de re Salluſtius his verbis. Perterritis, ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam ſuam pollicitus, & cum eo L. Varguntcius ſenator conſtituere, ea nocte paullo poſt cum armatis hominibus, ſicuti ſalutatum introire ad Ciceronem, ac de improuiſo domi ſuae imparatum confodere. Curius, vbi intelligit, quantum periculum conſuli impendeat, propere per Fuluiam Ciceroni dolum, qui parabatur, enunciat; ita illi ianua prohibiti, tantum facinus fruſtra ſuſceperant.

ORATIO

QVAE cum ita ſint, Catilina; perge, quo coepiſti, egredere aliquando ex vrbe: patent portae, proficiſcere: nimium diu te imperatorem illa tua Maniliana caſtra deſiderant: educ tecum etiam omnes tuos; ſi minus, quamplurimos: purga vrbem. magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus interſit. nobiſcum verſari iam diutius non potes: non feram, non patiar, non ſinam. magna dijs immortalibus habenda gratia eſt, atque huic ipſi Ioui Statori, antiquiſſimo cuſtodi huius vrbis, quod hanc tam taetram, tam horribilem, tamq. infeſtam reip. peſtem toties iam effugimus. non eſt ſaepius in vno homine ſalus ſumma periclitanda reip. Quamdiu mihi, conſuli deſignato, Catilina, inſidiatus es, non publico me praeſidio, ſed priuata diligentia defendi. cum proximis comitijs conſularibus me conſulem in campo, & competitores tuos interficere voluiſti, compreſſi tuos nefarios conatus amicorum praeſidio, & copijs, nullo tumultu publice concitato. denique, quotieſcumque me petiſti, per me tibi obſtiti. quamquam videbam, perniciem meã cum magna calamitate reip. eſſe coniunctam. nunc iam aperte remp. vniuerſam petis, templa deorum immortalium, tecta vrbis, vitam omnium ciuium, Italiam denique totam ad exitium, & vaſtitatem vocas quare, quoniam id, quod primum, atque huius imperij, diſciplinaeq. maiorum proprium eſt, facere non audeo, faciam id, quod eſt ad ſeueritatem lenius, ad communem ſalutem vtilius. nam, ſi te interfici iuſſero, reſidebit in rep. reliqua coniuratorum manus: ſin tu, quod te iamdudum hortor, exieris; exhaurietur ex vrbe tuorum comitum magna, & pernitioſa ſentina reip. Quid eſt, Catilina? nũ dubitas id me imperante facere, quod iam tua ſponte faciebas? exire ex vrbe conſul hoſtem iubet: interrogas me, num in exſilium? non iubeo; ſed, ſi me conſulis, ſuadeo. quid enim, Catilina, eſt, quod te iam in hac vrbe delectare poſſit, in qua nemo eſt, extra iſtam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat; nemo, qui te non oderit? quae nota domeſticae turpitudinis non inuſta vitae tuae eſt? quod priuatarum rerum dedecus nõ haeret infamiae? quae libido ab oculis, quod facinus a manibus vmquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? cui tu adoleſcentulo, quem corruptelarum illecebris irretiſſes, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinẽ facem praetuliſti? quid vero nuper? cum morte ſuperioris vxoris nouis nuptijs domum vacuam feciſſes, nõ ne etiam alio incredibili ſcelere hoc ſcelus cumulaſti? quod ego praetermitto, & facile patior ſileri, ne, in hac ciuitate tanti facinoris immanitas aut exſtitiſſe, aut non vindicata eſſe videatur. praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus ſenties. ad illa venio, quae non ad priuatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domeſticam tuam difficultatem, ac turpitudinem, ſed ad ſummam reip. atque ad omnium noſtrum vitam, ſalutemq. pertinent.

EXPLANATIO

HVIC *ipſi Ioui Statori,*] cuius in templo ſenatus habebatur ANTIQVISSIMO *cuſtodi huius vrbis,*] cuſtodiuit vrbem, orante Romulo rege, vt Romanorum fugã Sabinis perſequentibus, ſiſteret. quod cũ impetraſſet, Ioui ſtatori, quo primũ loco fugae finẽ Romani fecere, tẽplũ exſtruxit. TOTIES *iam effugimus.*] oratoriae: nam ſemel antea cum Cn. Piſone Catilina coniurauerat. quamquam videri poteſt non de Catilinae cõiuratione contra remp. ſed de inſidijs, ab eo ſibi priuatim factis, & conſuli deſignato, & cõſulatum gerenti, ſermonem habere. COMPETITORES *tuos*] in quibus fuere Silanus, & Murana; qui, cũ haec Cicero diceret, conſules deſignati erant. FACERE *non audeo,*] vt te interfici iubeam QVOD *iam tua ſponte faciebas?*] ſi me occidiſſent ij, quos tu mane ad me ſalutatum miſeras, ſupra: Confirmaſti, te ipſum iam eſſe exiturum: dixiſti, paullulum tibi eſſe etiam tum morae, quod ego viuerem. QVI *te non oderit?*] recte poſt metum ſubiunxit odiũ: amare enim, quem metuat, nemo poteſt: vide illud Ennij: Quem metuunt, oderunt. INFAMIAE?] tuae. Fuiſſe video qui legerent, In fama, vel, In familia. quod vtrumque repudio. CVI *tu adoleſcentulo, quem corruptelarum illecebris irretiſſes, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem praetuliſti?*] Huc pertinent illa Salluſtij: Si quis etiã a culpa vacuus in amicitiã eius inciderat; quotidiano vſu, atque illecebris, facile par, ſimiliſq. ceteris efficiebatur. ſed, maxime adoleſcentiũ familiaritates appetebat. eorũ animi molles, & aetate fluxi, dolis haud difficulter capiebãtur. nam, vt cuiuſque ſtudiũ ex aetate flagrabat, alijs ſcorta praebere, alijs canes, atque equos mercari, poſtremo neque ſumptui neque modeſtiae ſuae parcere, dũ illos obnoxios, fidoſq. ſibi faceret. NOVIS *nuptiis*] Aureliae Oreſtillae, copioſae mulieris. Salluſtius. ALIO *incredibili ſcelere*] priuigno necato. captus enim amore Aureliae Oreſtillae, cuius, vt ait Salluſtius, praeter formã nihil vmquã bonus laudauit, quod ea nubere illi dubitabat, timens

mens priuignũ adultũ aetate; pro certo creditur, necato filio, vacuã domũ ſceleſtis nuptijs feciſse. Proximis *idibus*] quod die vſuram creditae pecuniae feneratori ſoluere neceſſe erat. hunc morem declarat Cicero Phil. 2. Tu autẽ, inquit, quadringenties ſeſtertiũ, quod idibus Mart. debuiſti, quonã modo ante Kal. Apr. debere deſijſti? & Horatius. Fenerator Alphius „ Omnẽ relegit idibus pecuniã. Idem Sat. 6. lib. 1. Quo pueri magnis ex cẽturionibus orti „ Ibant octonis referẽtes idibus aera

O R A T I O

Potest ne tibi huius vitae lux, Catilina, aut huius caeli ſpiritus eſſe iucundus, cum ſcias horum eſſe neminem, qui neſciat te pridiae Kal. Ian. Lepido, & Tullo cos. ſtetiſſe in comitio cum telo? manum, conſulum & principum ciuitatis interficiendorum cauſsa, parauiſſe? ſceleri, ac furori tuo non mentem aliquam, aut timorem tuum, ſed fortunam reip. obſtitiſſe? ac iam illa omitto: neque enim ſunt aut obſcura, aut non multa poſtea commiſſa. Quoties tu me deſignatum, quoties conſulem interficere voluiſti? quot ego tuas petitiones, ita coniectas, vt vitari poſſe non viderentur, parua quadam declinatione, & , vt aiunt, corpore effugi? nihil agis, nihil ſequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore: neque tamen conari, ac velle deſiſtis. quoties tibi iam, quoties iam extorta eſt ſica iſta de manibus? quoties vero excidit caſu aliquo, & elapſa eſt? tamen ea carere diutius non potes: quae quidem quibus abs te initiata ſacris, ac deuota ſit, neſcio, quod eam neceſſe putas conſulis in corpore defigere. nunc vero quae tua eſt iſta vita? ſic enim iam tecum loquar, non vt odio permotus eſſe videar, quo debeo; ſed vt miſericordia, quae tibi nulla debetur. veniſti paullo ante in ſenatũ: quis te ex hac tanta frequentia, tot ex tuis amicis, ac neceſſarijs ſalutauit? ſi hoc poſt hominum memoriam contigit nemini, vocis exſpectas contumeliam, cum ſis grauiſſimo iudicio taciturnitatis oppreſſus? quid, quod aduentu tuo iſta ſubſellia vacua facta ſunt? quid, quod omnes conſulares, qui tibi perſaepe ad caedem conſtituti fuerunt, ſimul atque aſſediſti, partem iſtam ſubſelliorum nudam atque inanem reliquerunt? quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? ſerui mehercle mei ſi me iſto pacto metuerent, vt te metuunt omnes ciues tui; domum meam relinquendam putarem: tu tibi vrbem non arbitraris? , & , ſi me meis ciuibus iniuria ſuſpectum tam grauiter, atque offenſum viderem, carere me adſpectu ciuium, quam infeſtis oculis omnium conſpici, mallem: tu cum conſcientia ſcelerum tuorum agnoſcas odium omnium iuſtum, & iamdiu tibi debitum, dubitas, quorum mentes, ſenſusq. vulneras, eorum adſpectum praeſentiamq. vitare? ſi te parentes timerent, atque odiſſent tui, neque eos vlla ratione placare poſſes; vt opinor, ab eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria, quae communis eſt omnium noſtrum parens, odit, ac metuit, & iamdiu te nihil iudicat niſi de parricidio ſuo cogitare; huius tu neque auctoritatem verebere, neque iudicium ſequere, neque vim pertimeſces? quae tecum Catilina ſic agit, & quodam modo tacita loquitur.

E X P L A N A T I O

Stetisse *in Comitio cum telo?*] ſi Lepido & Tullo cos. ſtetit in Comitio cũ telo, anno ſuperiore, ideſt Piſone & Glabrione cos. Africã rexit. legitimus igitur ei annus ille erat petendi conſulatus, biennio ante geſta praetura, Lepido & Tullo cos. quẽ tamen non petijt. ſic enim eſt in oratione cõtra competitores. Te uero, Catilina, cõſulatum ſperare, aut cogitare, non prodigiũ, atque portentũ eſt? a quibus enim petis? a principibus ciuitatis? qui tibi, cum L. Volcatius conſul in conſilio fuiſſet, ne petendi quidem poteſtatem eſſe voluerunt. Consvlvm] Cottae & Torquati, quos interficere cogitauit primũ Kalendis Ian. deinde nonis Febr vt in oratione pro Sulla, & apud Salluſtium. Non *mentem aliquam*] non quia conſilium mutaueris. Fortvnam *reip.*] quae conſilijs Catilinae & Kalẽdis Ian. & nonis Febr obſtitit. vt Salluſtius docet. Vt *aiunt,*] ijs, qui de duobus pugnantibus loquũtur. Mihi *latere*] cum dandi caſu: quod, vt arbitror, apud Ciceronem ſingulare eſt. nec tamen cum accuſandi caſu crebro reperitur. ſemel enim illud inueni in oratione pro Sulla: lex dies fuit propoſita paucos, ferri coepta numquam; poſita eſt in ſenatu, populum Romanum latuit. In *tempore:*] tum, cũ tu id agis, aut ſequeris, aut moliris. Extorta *eſt ſica de manibus?*] cõſilijs noſtris. occurrimus enim, ne, quod cogitabas, patrare poſſes. Paullo ante: Quot ego tuas petitiones, ita cõiectas, vt vitari poſſe non viderentur, parua quadam declinatione, &, vt aiunt, corpore effugi? Excidit *caſu aliquo,*] dicit, quod ſupra: ſceleri, ac furori tuo non mentem aliquam aut timorem tuum, ſed fortunam reip. obſtitiſſe. Quibus *abs te initiata ſacris, ac deuota ſit,*] quod enim, qui ſacris initiantur, ſe facturos eſſe promittunt, ac vouent, id, quaſi deo teſte promiſerint, ne obſeruẽt, haud facile adducuntur. Conſvlis *in corpore*] quia non modo Ciceronem ipſum, ſed biennio ante occidere Cottam & Torquatũ conſules voluerat. Inivria] nullo meo merito: cum tu conſcientia ſcelerum tuorum agnoſcas odium omnium iuſtum, & iam diu tibi debitum. Sensvsq.] oculos.

O R A T I O

Nullum iam tot annos facinus exſtitit, niſi per te, nullum flagitium ſine te: tibi vni multorum ciuium neces, tibi vexatio, direptioq. ſociorum impunita fuit, ac libera: tu non ſolum ad negligendas leges, &

quaeſtiones,

quaeſtiones, verum etiam ad euertẽdas, perfringendasq. valuiſti. ſuperiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, vt potui, tuli: nunc vero, me totam eſſe in metu propter te vnũ; quidquid increpuerit, Catilinam timeri; nullum videri contra me conſilium iniri poſſe, quod a tuo ſcelere abhorreat; non eſt ferendum. quamobrem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe; ſi verus, ne opprimar; ſin falſus, vt tandem aliquando timere deſinam. Haec ſi tecum, vt dixi, patria loquatur, non ne impetrare debeat, etiam ſi vim adhibere nõ poſſit? Quid, quod tu te ipſe in cuſtodiam dediſti? quid, quod vitandae ſuſpicionis cauſſa apud M. Lepidum te habitare velle dixiſti? a quo non receptus, etiam ad me venire auſus es, atque, vt domi meae te aſſeruarem, rogaſti. cum a me quoque id reſponſum tuliſſes, me nullo modo poſſe iiſdem parietibus tuto eſſe tecum, qui magno in periculo eſſem, quod iiſdem moenibus contineremur: ad Q. Metellum praetorem veniſti: a quo repudiatus, ad ſodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigraſti: quem tu videlicet & ad cuſtodiendum te diligentiſſimum, & ad ſuſpicandum ſagaciſſimum, & ad vindicandum fortiſſimum fore putaſti. Sed quam longe videtur a carcere, atque a vinculis abeſſe debere, qui ſe ipſum iam dignum cuſtodia iudicauerit?

EXPLANATIO

NVLLVM *iam tot annos facinus*] huiuſmodi proſopopoeiis mire variatur, inquit Fabius, & excitatur oratio. hoc ornamenti genere Cicero redundat nam & infra remp. ita loquentẽ induxit: M. Tulli, quid agis? Et pro Coelio, Appium illum Caecum: Mulier, quid tibi cum Coelio? & alibi ſaepe. SVPERIORA *illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, vt potui, tuli:*] ſimiliter ad Terentiam: Cetera, quamquam ferenda non ſunt, feramus. APVD *M. Lepidum*] Ad, non Apud, legit Seruius in eo verſu: Prima quod ad Troiam pro caris geſſerat Argis. mihi tamen, Apud, placet: nec aliter in antiquis libris. M' autem, ideſt Manius, nõ M. legendum non dubito: vt ſit is, qui cum L. Volcatio Tullo conſul fuerat. Q. METELLVM *praetorem*] Celerem ſignificat, qui poſt biennium cum Afranio conſulatũ geſſit. SODALEM *tuum*,] ſodalitates Romae erant honeſtae, legibuſq. conceſſae, vt ſodalitas Lupercorum, in oratione pro Coelio. Et de Haruſp. reſp. Quod affinis, & ſodalis, clariſſimus vir, qui illum reum non laudarat, excluſerat. VIRVM *optimum*,] ironiam putabit quia attendet id, quod ſequitur: Quem tu videlicet & ad cuſtodiendum te diligentiſſimum. Quod ſi ironia eſt, duo in ſenatu M. Marcelli fuere. alter enim paullo poſt cum laude nominatur.

ORATIO

QVAE *cum ita ſint, Catilina; dubitas, ſi hic morari aequo animo non potes, abire in aliquas terras, & vitam iſtam, multis ſuppliciis iuſtis, debitiſq. ereptam, fugae, ſolitudiniq. mandare? Refer, inquis, ad ſenatum. id enim poſtulas: &, ſi hic ordo placere decreuerit, te ire in exſiliũ obtemperaturum te eſſe dicis. Non referã id, quod abhorret a meis moribus: & tamen faciã, vt intelligas, quid hi de te ſentiant. egredere ex vrbe, Catilina: libera remp. metu: in exſilium, ſi hanc vocem exſpectas, proficiſcere. Quid eſt, Catilina? ecquid attendis, ecquid animaduertis horum ſilentium? patiuntur, tacent: quid exſpectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perſpicis? at, ſi hoc idem huic adoleſcenti optimo, P. Sextio, ſi fortiſſimo viro, M. Marcello dixiſſem, iam mihi conſuli hoc ipſo in templo iure optimo ſenatus vim, & manus intuliſſet: de te autem, Catilina, cum quieſcunt, probant; cum patiuntur, decernunt; cum tacent, clamant; neque hi ſolum, quorum tibi auctoritas eſt videlicet cara, vita viliſſima, ſed etiam illi equites R. honeſtiſſimi, atque optimi viri, ceteriq. fortiſſimi ciues, qui circumſtant ſenatum, quorum tu & frequentiam videre, & ſtudia perſpicere, & voces paullo ante exaudire potuiſti. Quorum ego vix abs te iamdiu manus, ac tela contineo, eoſdem facile adducam, vt te haec, quae iampridem vaſtare ſtudes, relinquentem vſque ad portas proſequantur. Quamquam quid loquor? te vt vlla res frangat? tu vt vmquam te corrigas? tu vt vllam fugam meditere? tu vllum vt exſilium cogites? vtinam tibi iſtam mentem dii immortales darent. tametſi video, ſi mea voce perterritus ire in exſilium animum induxeris, quanta tempeſtas inuidiae nobis, ſi minus in praeſens tempus, recenti memoria ſcelerum tuorum, at in poſteritatem impendeat. ſed eſt tanti; dummodo iſta tua priuata ſit calamitas, & a reip. periculis ſeiungatur. ſed tu vt vitiis tuis commoueare, vt legum poenas pertimeſcas, vt temporibus reip. concedas, non eſt poſtulandum. neque enim, Catilina, is es, vt te aut pudor a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore reuocarit.*

EXPLANATIO

VT *intelligas*,] ex eorum ſilentio, cum te egredi iubeo. PATIVNTVR,] iubere me, vt egrediaris. P. SEXTIO,] qui hoc anno C. Antonii conſulis quaeſtor erat: vt in oratione pro ipſo. M. MARCELLO] eius fortaſſe patri, qui cum Ser. Sulpicio poſt annos XI. conſul fuit: nam filium, cũ eſſet adoleſcens, virum fortiſſimum appellare Cicero non potuit. CVM *tacent, clamant;*] tale illud in Diuin. Etiam ſi tacent, ſatis dicunt. QVORVM *tibi auctoritas eſt videlicet cara*,] ironia. Quos, inquit, a te contemni, quis non putet, cum de illorum caede cogites? SED *eſt tanti*;] videtur hoc ſenſu

dictum:

dictum: ſed ego, quid quid mihi euenturum eſt, non recuſo. In eundē orat. 2. Eſt mihi tanti, Quirites, huius inuidiae falſae, atque iniquae tempeſtatem ſubire; dummodo a vobis huius horribilis belli periculum depellatur. Et lib. I. v. in Verrem: Hic tibi in mentem non venit, iubere, haec quoque vt referret fuit tanti, mihi crede, haberes, quod defenderes.

ORATIO

QVAMOBREM, *vt ſaepe iam dixi, proficiſcere: ac, ſi mihi inimico, vt praedicas, tuo conflare vis inuidiam; recta perge in exſulium. vix feram ſermones hominum, ſi id feceris: vix molem iſtius inuidiae, ſi in exſulium ieris iuſſu conſulis, ſuſtinebo. ſin autem ſeruire meae laudi & gloriae mauis; egredere cum importuna ſceleratorum manu; confer te ad Mallium; concita perditos ciues; ſecerne te a bonis, infer patriae bellum, exſulta impio latrocinio: vt a me non eiectus ad alienos, ſed inuitatus ad tuos iſſe videaris. quamquam quid ego te inuitem, a quo iam ſciam eſſe praemiſſos, qui tibi ad forum Aurelium praeſtolarentur armati? ſciam pactam, & conſtitutam eſſe cum Mallio diem? a quo etiam Aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniicioſam eſſe confido & funeſtam futuram, cui domi tuae ſacrarium ſcelerum tuorum conſtitutum fuit, ſciam eſſe praemiſſam? tu vt illa diutius carere poſſis? quam venerari ad caedem proficiſcens ſolebas: a cuius altaribus ſaepe iſtam dextram impiam ad necem ciuiū tranſtuliſti. ibis tandem aliquando, quo te iampridem tua iſta cupiditas effraenata ac furioſa rapiebat. neque enim tibi haec res affert dolorem, ſed quandam incredibilem voluptatem. ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna ſeruauit. numquam tu non modo otium, ſed ne bellum quidem, niſi nefarium, concupiſti: nactus es expeditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam ſpe derelictis conflatam improborum manum. hic tu qua laetitia perfruere? quibus gaudijs exſultabis? quanta voluptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam, neque videbis? ad huius vitae ſtudium meditati ſunt illi, qui feruntur, labores tui; iacere humi non modo ad obſidendum ſtuprum, verum etiam ad facinus obeundum; vigilare non ſolum ad inſidiandum ſomno maritorum, verum etiam bonis otioſorum. habes, ubi oſtentes illam praeclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiae, rerum omnium, quibus te breui tempore confectum eſſe ſenties. tantum profeci tum, cum te a conſulatu repuli, ut exſul potius tentare, quam conſul vexare remp. poſſes, atque ut id, quod eſſet a te ſcelerate ſuſceptum, latrocinium potius, quam bellum, nominaretur.*

EXPLANATIO

TIBI *praeſtolarentur*] cum accuſandi, & dādi caſu hoc verbum vſurpatur, ad Att. lib. 2. In Formiano tibi praeſtoler vſque ad III. non. Mai. AD FORVM *Aurelium*] in Aurelia via, quae per Etruriam fert. orat. 2. & Phil. 12. PRAESTOLARENTVR.] vt Aurelia via ſimul ad C. Mallium Feſulas ireris. AQVILAM] ſignum legionis: de qua Salluſtius: Ipſe cum liberis & colonis propter Aquilam adſiſtit; quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuiſſe dicebatur. ARGENTEAM] nō modo Aquilam ſed cetera quoque ſigna militaria ex argento fuiſſe, auctor eſt Plinius. CONSTITVTVM *fuit,*] adſeruari ſolitam dicit in ſacrario Catilinae: quod ſacrarium ſcelerum, non ſacrorum, fuit: vt ſtatim ſubiungitur. HAEC *res*] bellum contra patriam. EXPEDITIS; *atque ab omni non modo fortuna, verum etiam ſpe derelictis*] quod Salluſtius dixit, Quibus mala omnia abunde erāt, ſed neque res, neque ſpes bona vlla. QVI *feruntur,*] qui tamquam ad gloriam tuam narrantur. ideo dixit or. 2. Stuprorum, & ſcelerum exercitatione aſſuefactus, frigore, & fame, & ſiti ac vigilijs perferendis, fortis ab iſtis praedicabatur. Eodem ſenſu pro Archia: Noſtra ſemper feretur, & praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depreſſa hoſtium claſſis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis. HABES, *vbi oſtentes*] in exercitu improborum contra remp. conflato. ILLAM *praeclaram tuam patientiam*] mire exprimit cum irriſione, quod in Catilina praedicabatur, ſummam patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium. irriſio autem apparet in quattuor ſimiliter deſinentibus caſibus. Illam tuam praeclaram patientiam quale illud pro Murena: Operarum harum quotidianarum putat eſſe conſulatum. Dixit idem de Catilina in ea pro Coelio: Quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? FAMIS, *frigoris, inopiae rerum omnium,*] Idem orat. 2. Stuprorum, & ſcelerum exercitatione aſſuefactus, frigore, & fame, & ſiti, ac vigilijs perferendis, fortis ab iſtis praedicabatur. Orat. 3. Frigus, ſitim, famam ferre poterat. Et Salluſtius: Corpus inediae patiens, algoris vigiliae, ſupra quam cuiquam credibile ſit. QVIBVS] fame, frigore, inopia rerum omnium. CVM *te a conſulatu repuli,*] cum ego, te repulſo, conſul deſignatus ſum: aut: cum, te conſulatum petente, ego conſul effeci, vt repulſam ferres, qui tuos nefarios ſenſus, improbamq. mentē iam antea cognitam penitus haberem. Ter, vt in argumento diximus, conſulatum Catilina petijt, primū Cotta & Torquato coſ. deinde Caeſare & Figulo: poſtremo Cicerone & Antonio. LATROCINIVM, *quam bellum,*] Latrocinium, priuato duce Catilina: Bellum, quod ab eo conſule excitatum eſſet.

ORATIO

NVNC vt a me, P.C. quandam prope iuſtam patriae querimoniã deteſter, ac deprecer, percipite quaeſo, diligenter quae dicam, & ea penitus animis veſtris mentibusq. mandate. etenim ſi mecum patria, quae mihi vita mea multo eſt carior, ſi cuncta Italia, ſi omnis reſp. loquatur, M. Tulli, quid agis? tu ne eum, quem eſſe hoſtem comperiſti, quem ducem belli futurum vides, quem exſpectari imperatorem in caſtra hoſtium ſentis, auctorem ſceleris, principem coniurationis, euocatorem ſeruorum, & ciuium perditorum, exire patieris, vt abs te non emiſſus ex vrbe, ſed immiſſus in vrbem eſſe videatur? non ne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non ſummo ſupplicio mactari imperabis? quid tandem impedit, te? mos ne maiorum? at perſaepe etiam priuati in hac rep. pernicioſos ciues morte multarunt. an leges, quae de ciuium R. ſupplicio rogatae ſunt? at numquam in hac vrbe ij, qui a rep. defecerunt, ciuium iura tenuerunt. an inuidiam poſteritatis times? praeclaram vero populo R. refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum, tam mature ad ſummum imperium per omnes honorum gradus extulit, ſi, propter inuidiam, aut alicuius periculi metum, ſalutem ciuium tuorum negligis. ſed, ſi quis eſt inuidiae metus, non eſt vehementius ſeueritatis, ac fortitudinis inuidia, quam inertiae, ac nequitiae pertimeſcenda. an, cũ bello vaſtabitur Italia, vexabuntur vrbes, tecta ardebunt, tum te non exiſtimas inuidiae incendio conflagraturũ? His ego ſanctiſſimis reſp. vocibus, & eorum hominum, qui idem ſentiunt, mentibus pauca reſpondebo. Ego, ſi hoc optimum factu iudicarem, P.C. Catilinam morte multari, vnius vſuram horae gladiatori iſti ad viuendum non dediſſem. etenim ſi ſummi viri, & clariſſimi ciues Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & ſuperiorum complurium ſanguine non modo ſe non contaminarunt, ſed etiam honeſtarunt: verendum certe mihi non erat, ne quid, hoc parricida ciuium interfecto, inuidiae mihi in poſteritatem redundaret. quod ſi ea maxime impenderet; tamen hoc animo ſemper fui, vt inuidiam virtute partam, gloriam, non inuidiam putarem. quamquam nonnulli ſunt in hoc ordine, qui aut ea, quae imminent, non videant; aut ea, quae vident, diſſimulent: qui ſpem Catilinae mollibus ſententijs aluerunt, coniurationemq. naſcentem non credendo corroborauerunt: quorum auctoritatem ſecuti multi non ſolum improbi, verum etiam imperiti, ſi in hunc animaduertiſſem, crudeliter, & regiae factum eſſe dicerent. nunc intelligo, ſi iſte, quo intendit, in Malliana caſtra peruenerit, neminem tam ſtultum fore, qui non videat coniurationem eſſe factam; neminem tam improbum, qui nõ fateatur: hoc autẽ vno interfecto, intelligo hanc reip. peſtẽ paullisper reprimi, non in perpetuum cõprimi poſſe. quod ſi ſe eiecerit, ſecumq ſuos eduxerit, & eodem ceteros vndique collectos naufragos aggregauerit: exſtinguetur, atque delebitur non modo haec tam adulta reip. peſtis, verum etiam ſtirpes, ac ſemen malorum hominum. etenim diu iam, P.C. in his periculis coniurationis, inſidijsq. verſamur: ſed neſcio quo pacto omnium ſcelerum, ac veteris furoris, & audaciae maturitas in noſtri conſulatus tempus erupit. quod ſi ex tanto latrocinio iſte vnus tolletur; videbimur fortaſſe ad breue quoddam tempus cura, & metu eſſe releuati; periculum autem reſidebit, & erit incluſum penitus in venis, atque in viſceribus reip. vt ſaepe homines aegri, morbo graui, cum aeſtu febriq. iactantur, ſi aquam gelidam biberint, primo releuari videntur, deinde multo grauius vehementiusq. affligantur: ſic hic morbus, qui eſt in republica, releuatus iſtius poena vehementius viuis reliquis ingraueſcet. Quare, P.C. ſecedant improbi; ſecernant ſe a bonis; unum in locum congregentur; muro denique, id quod ſaepe iam dixi, ſecernantur a nobis; deſinant inſidiari domi ſuae conſuli, circumſtare tribunal praetoris vrbani, obſidere cum gladijs curiam, malleolos, & faces ad incendendam vrbem comparare: ſit denique inſcriptum in fronte vniuſcuiusque ciuis, quid de rep. ſentiat. Polliceor hoc vobis, P.C. tantam in nobis conſulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Romanis virtutem, tantam in omnibus bonis conſenſionem, ut Catilinae profectione omnia patefacta, illuſtrata, oppreſſa, vindicata eſſe videatis. Hiſce ominibus, Catilina, cum reip. ſalute, & cum tua peſte, ac pernicie, cumq. eorum exitio, qui ſe tecum omni ſcelere, parricidioq. iunxerunt, proficiſcere ad impium bellum, ac nefarium. Tum tu, Iuppiter, qui iiſdem, quibus haec vrbs, auſpicijs a Romulo es conſtitutus, quem Statorem huius vrbis, atque imperij vere nominamus, hunc, & huius ſocios a tuis aris, ceteriſq. templis, a tectis vrbis, ac moenibus, a vita, fortuniſq. ciuium omnium arcebis; & omnes inimicos bonorum, hoſtes patriae, latrones Italiae, ſcelerum foedere inter ſe, ac nefaria ſocietate coniunctos, aeternis ſupplicijs viuos, mortuoſq. mactabis.

EXPLANATIO

PERSAEPE *etiam priuati*] vt P.Scipio pont.max.qui Ti.Gracchum occidit.aliorum exempla, quod quidem ego ſciam, non exſtant: nam Q.Seruilius Ahala, qui ſp Melium, ſtudentem nouis rebus, interemit non videtur priuatus fuiſſe, cũ eſſet magiſter equitũ. Aut igitur oratorie, Perſaepe, Cicero dixit: aut priſca quoq. tẽpora complectitur, nondum lata Porcia lege, quae vetuſtior Sempronia fuit. LEGES,] Porcia, & Sempronia C.Gracchi. nam etſi dicit interdum Cicero, o lex Porcia, legeſq. Semproniae: vna tamen Sempronia & in hac ipſa oratione, & in ea pro Rabirio, quam tulit C.Gracchus, nominatur. Salluſtius, praeter Porciam, alias leges agnoſcit. SEVERITATIS, *ac fortitudinis*] interfecto Catilina. INERTIAE, *ac nequitiae*] emiſſo. DIV *iam*] a conſulatu Lepidi, & Tulli. CONSVLI, ſibi duos equites Romanos inſidiatos eſſe, iam dixit. CIRCVMSTARE] vt deterreant praetorem vrbanum ius dicentem inter ciues de creditis pecunijs: nam in ſocijs Catilinae ex aere alieno multi laborabant. HISCE *omnibus*,] pro cum hiſce omnibus improbis. ſic locutus Phil.14. His viginti cohortibus, nullo equitatu. Hirtius ipſe Aquilam quartae legionis cum inferret. Et Coelius in ep. ad Cic. Eo nunc cohortibus mihi per niues eundum eſt. pro, cum cohortibus. TV. *Iuppiter*,] cuius in templo ſenatus habebatur. ſupra. VERE] quia tuo nomine, tuaq. ope Romani, Sabinis inſectantibus, conſtitere. quo ſeruata haec vrbs, imperiumq. conſtitutum.

IN·ORATIONEM·II·CICERONIS
IN·L·SERGIVM·CATILINAM
AD·QVIRITES
PAVLLI·MANVTII
COMMENTARIVS

ORATIO·XX·

Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam, furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriae nefarie molientem, & nobis atque huic vrbi ferrum, flammamque minitantem, ex vrbe vel eiecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem urbe proſecuti ſumus abijt, exceſſit, euaſit, erupit. nulla iam pernicies a monſtro illo atque prodigio moenibus ipſis intra moenia comparabitur. atque hunc quidem vnum belli domeſtici ducem ſine controuerſia uicimus. non iam inter latera noſtra ſica illa verſabitur: non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domeſticos parietes pertimeſcemus. loco ille motus eſt, cum eſt ex urbe depulſus: palam iam cum hoſte, nullo impediente, bellum iuſtum geremus. ſine dubio perdidimus hominem, magnificeque uicimus, cum illum ex occultis inſidijs in apertum latrocinium coniecimus. quod uero non cruentum mucronem, ut noluit, extulit; quod uiuis nobis egreſſus eſt; quod ei ferrum de manibus extorſimus; quod incolumes ciues, quod ſtantem vrbem reliquit; quanto tandem illum maerore afflictum eſſe, & profligatum putatis? iacet ille nunc proſtratus, Quirites, & ſe perculſum, atque abiectum eſſe ſentit, & retorquet oculos profecto ſaepe ad hanc vrbem, quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe luget, quae quidem laetari mihi videtur, quod tantam peſtem euomuerit, foraſq. proiecerit. at, ſi quis eſt talis, quales eſſe omnes oportebat, qui in hoc ipſo, in quo exſultat, & triumphat oratio mea, me uehementer accuſet, quod tam capitalem hoſtem non comprehenderim potius, quam emiſerim: non eſt iſta mea culpa, Quirites, ſed temporum, interfectum eſſe L. Catilinam, & grauiſſimo ſupplicio affectum iampridem oportebat; idq. a me & mos maiorum, & huius imperii ſeueritas, & reſp. poſtulabat: ſed quam multos fuiſſe putatis, qui, quae ego deferrem, non crederent? quam multos, qui propter ſtultitiam non putarent? quam multos, qui etiam defenderent? quam multos, qui propter improbitatem fauerent? ac ſi, ſublato illo, depelli a nobis omne periculum iudicarem; iampridem ego L. Catilinam non modo inuidiae meae, uerum etiam uitae periculo ſuſtuliſſem. ſed, cum uiderem, ne uobis quidem omnibus re etiã probata ſi illum, ut erat meritus, morte multaſſem, fore, ut eius ſocios inuidia oppreſſus perſequi non poſſem; rem huc deduxi, ut tum palam pugnare poſſetis, cum hoſtem aperte uideretis. quem quidem ego hoſtem, Quirites, quam uehementer foris eſſe timendum putem, licet hinc intelligatis, quod illud etiam moleſte fero, quod ex urbe parum comitatus exierit. utinam ille omnes ſecum ſuas copias eduxiſſet. Tongilium mihi eduxit, quem amare in praetexta coeperat; Publicium, & Munatium quorum aes alienum contractum in popinam nullum reip. motum afferre poterat, reliquit. quos uiros, quanto alieno aere, quam ualentes, quam nobiles, uos uidetis. itaque ego illum exercitum, & Gallicanis legionibus, & hoc delectu, quem in agro Piceno, & Gallico Q. Metellus habuit, & his copijs, quae a nobis quotidie comparantur, magnopere contemno, collectum ex ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, ex ruſticis decoctoribus, ex ijs, qui uadimonia deſerere, quam illum exercitum maluerunt: quibus ego non modo ſi aciem exercitus noſtri, uerum etiam ſi edictum praetoris oſtendero, concident. hos, quos uideo uolitare in foro, quos ſtare ad curiã, quos etiam in ſenatum uenire, qui nitent unguentis, qui fulgẽt purpura, mallem ſecum ſuos milites eduxiſſet: qui ſi hic permanent, mementote non tam exercitum illum eſſe nobis, quam hos, qui exercitum deſeruerunt, pertimeſcẽdos. atque etiam hoc magis ſunt timendi, quod quid cogitent, me ſcire ſentiunt, neque tamen permouentur. uideo, cui Apulia ſit attributa, qui habeat Etruriam, qui agrum Picenum, qui Gallicum, qui ſibi has urbanas inſidias caedis. atque incendiorum depopoſcerit. omnia ſuperioris noctis conſilia ad me perlata eſſe ſentiunt: patefeci in ſenatu heſterno die: Catilina ipſe pertimuit, profugit: hi quid exſpectant? nae illi uehementer errãt, ſi illam meã priſtinam lenitatem perpetuam ſperant futuram. quod exſpectaui, iam ſum aſſecutus, ut uos omnes factam eſſe aperte coniurationem contra remp. uideretis. niſi uero ſi quis eſt, qui Catilinae ſimiles cum Catilina ſentire non putet. non eſt iam lenitati locus; ſeueritatem res ipſa flagitat. unum etiam nunc concedam. exeant, proficiſcantur, ne patiantur deſiderio ſui Catilinã miſerum tabeſcere; demonſtrabo iter: Aurelia uia profectus eſt: ſi accelerare uolent, ad ueſperam conſequentur.

EXPLANATIO

VOBIS, *atque huic vrbi ferrum, flammamq. minitantem,*] vobis ferrum, vrbi flammam infra: Quod incolumes ciues, quod ſtantem vrbem reliquit. QVOD *te ferrum de manibus extorſimus.*] orat. 1. Quoties tibi iā, quoties extorta eſt ſica iſta de manibus? QVALES *eſſe omnes oportebat.*] oportebat omnes comprehendendum potius Catilinam, cenſere, quam emittendum: ſed quam multos fuiſſe putatis, qui quę ego deferrem, non crederent? quam multos, qui etiam defenderent? PROSEQVI] Perſequi, videtur eſſe rectius: vt ſit, poſt Catilinam morte multatum, ſocios eius puniēdi gratia perquirere, & perſequi mitior autem in. Proſequi, ſignificatio eſt. proſequitur enim, qui abeuntem comitatur. QVAM *vehementer*] accipe a contrario ſenſu, pro, quam non vēhementer. IN *pratexta*] cum puer adhuc eſſet, libidinis cauſſa. IN *popinam*] accuſandi caſu dixit propter verbum. Contractum, in quo motus eſt. GALLICANIS *legionibus,*] ordinarijs: ad quas delectus accedebat, habitus a Metello Celere praetore in agro Piceno, & Gallico. EDICTVM] ex quo praetor vrbanus contra creditores ius dicit FVLGENT *purpura,*] delicatos, & laſciuos adoleſcentes deſignat. Purpura autem lati claui, quae ſenatorum tunica erat: vt anguſtus clauus equitum. VIDEO, *cui Apulia ſit attributa.*] Apuliam C. Iulio, Etruriam C. Mallio, agrum Picenum Septimo cuidam Camerti attributum ſcribit Salluſtius: agro Gallico quis praepoſitus a Catilina ſit, non ſignificat: motum tamen ait fuiſſe in Gallia citeriore, atque vlteriore, inconſulte, ac veluti per dementiam cuncta ſimul agentibus ijs, quos ante Catilina dimiſerat. QVI *ſibi hae vrbanae inſidiae cadis, atque incendiorum depopoſcerit.*] Caedis, Cethegus, & alii: Incendiorum, Gabinius & Statilius: auctore Salluſtio. AVRELIA *via*] per Etruriam ducente. Orat 1. Qui tibi ad forum Aurelium praeſtolarentur. Phil. 12. Tres viae, a ſupero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Caſſia.

ORATIO

O Fortunatam remp. ſi quidem hanc ſentinam huius vrbis eiecerit. vno mehercule Catilina exhauſto, releuata mihi, & recreata reſp. videtur. quid enim mali, aut ſceleris fingi, aut excogitari poteſt, quod non ille conceperit? quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis ſicarius, quis parricida, quis teſtamentorum ſubiector, quis circumſcriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quae mulier infamis, quis corruptor iuuentutis, quis corruptus, quis perditus inueniri poteſt, qui ſe cum Catilina non familiariſſime vixiſſe fateatur? quae caedes per hoſce annos ſine illo facta eſt? quod nefarium ſtuprum non per illum? iam vero quae tanta in vllo vnquam homine iuuentutis illecebra fuit, quanta in illo? qui alios ipſe amabat turpiſſime, aliorum amori flagitioſiſſime ſeruiebat: aliis fructus libidinum, aliis mortem parentum non modo impellendo, verum etiam adiuuando pollicebatur. nunc vero quam ſubito non ſolum ex vrbe, verum etiam ex agris ingentem numerum perditorum hominum collegerat? nemo non modo Romae, ſed nec vllo in angulo totius Italiae oppreſſus aere alieno fuit, quem non ad hoc incredibile ſceleris faedus adſciuerit. atque, vt eius diuerſa ſtudia in diſſimili ratione perſpicere poſſitis; nemo eſt in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior, qui ſe non intimum Catilinae eſſe fateatur; nemo in ſcena leuior, & nequior, qui ſe non eiuſdem prope ſodalem fuiſſe commemoret. atque idem tamen, ſtuprorum, & ſcelerum exercitatione aſſuefactus, frigore, & fame, & ſiti, ac vigiliis perferendis, fortis ab iſtis praedicabatur, cum induſtriae ſubſidia, atque inſtrumenta virtutis in libidine, audaciaque conſumeret. hunc vero ſi ſui fuerint comites ſecuti, ſi ex vrbe exierint, deſperatorum hominum flagitioſi greges, o nos beatos o remp. fortunatam, o praeclaram laudem conſulatus mei. non enim iam ſunt mediocres hominum libidines, non humanae audaciae, ac tollerandae: nihil cogitant, niſi caedem, niſi incendia, niſi rapinas: patrimonia ſua profuderunt, fortunas ſuas abligurrierunt: res eos iampridem, fides deficere nuper coepit: eadem tamen illa, quae erat in abundantia, libido permanet. quod ſi in vino, & alea comeſſationes ſolum, & ſcorta quaererent; eſſent illi quidem deſperandi, ſed tamen eſſent ferendi: hoc vero quis ferre poſſit, inertes homines fortiſſimis viris inſidiari, ſtultiſſimos prudentiſſimis, ebrios ſobrijs, dormientes vigilantibus? qui mihi accubantes in conuiuijs, complexi mulieres impudicas vino languidi, conſecti cibo ſertis redimiti, vnguentis obliti, debilitati ſtupris, eructant ſermonibus ſuis caedem bonorum, atque vrbis incendia. quibus ego confido impendere fatum aliquod, & poenas iamdiu improbitatē, nequitiae, ſceleri, libidini debitas aut inſtare iam plane, aut certe iam appropinquare. quos ſi meus conſulatus, quoniam ſanare non poteſt, ſuſtulerit: non breue neſcio quod tempus, ſed multa ſaecula propagarit reip. nulla eſt enim natio, quā pertimeſcamus; nullus rex, qui bellum populo Ro. inferre poſſit: omnia ſunt externa, vnius virtute, terra, marique pacata domeſticum bellum manet: intus inſidiae ſunt: intus incluſum periculum eſt: intus eſt hoſtis: cum luxuria nobis, cum amentia, cum ſcelere certandum eſt. huic ego me bello ducem profiteor, Quirites: ſuſcipio inimicitias hominum perditorum. quae ſanari poterunt, quacumque ratione ſanabo: quae reſecanda erunt, non patiar ad perniciem ciuitatis manare. proinde aut exeant, aut quieſcant, aut, ſi & in vrbe, & in eadem mente permanent, ea, quae merentur, exſpectent.

EXPLANATIO

CIRCVMSCRIPTOR,] circumſcribit is, qui aliquem incautum decipit, vt ab eo aliquid auertat. proprieq. circumſcribi dicuntur pupilli, & adoleſcentes: quibus inſidias, & fraudes noſſe, & cauere per aetatem non licet. Iuuenalis de pupillo ſat. 15. Pupillum ad iura vocantem. Circumſcriptorem de adoleſcentibus Cicero Phil. 14. Aut eijciunt vicinos, aut adoleſcentulos circumſcribunt. Et lib. III. off. Circumſcriptio adoleſcentulorum lege Plaetoria. DIVERSA *ſtudia in diſſimili ratione.*] quid. n. tam diſsimile quam gladiator, & hiſtrio? illum caedes. hūc ſcenica leuitas, & nequitia delectat. Elegāter in primis, & ornate Cicero hoc expreſsit in eā pro Coelio: Neque ego, inquit, vnquam fuiſſe tale monſtrum in terris vllum puto, tam ex contrarijs, diuerſisq. inter ſe pugnantib naturae ſtudijs, cupiditatibusq. conflatum STVPRORVM, *& ſcelerum exercitatione aſſuefactus,*] eadem ſtupra, eademq. ſcelera or. I attigit his verbis: Ad huius vitae ſtudium meditati ſunt illi, qui feruntur, labores tui; iacere humi non modo ad obſidendum ſtuprum, verum etiam ad facinus obeundum. Statimq. ſubijcit, vt interdum copia delectatur; Vigilare non ſolum ad inſidiandum ſomno maritorum, verum etiam bonis otioſorum. FRIGORE, *& fame, & ſiti,*] or. I. Habes vbi oſtentes illam praeclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiæ rerum omnium. INDVSTRIAE *ſubſidia,*] quibus rebus adiuuari ſolet induſtria, frigore, fame, ſiti. vigilijs perferendis. INSTRVMENTA *virtutis*] quibus ad bene agendum tamquam inſtrumentis, vtitur virtus. IN. LIBIDINE, *audaciaq.*] Libidine, in ſtupris: Audacia, in ſceleribus. FIDES] cum ijs nemo iam pecuniam credat. Caeſar lib. III. bel. ci. Cū fides in Italia eſſet anguſtior. COMESSATIONES] ientacula matutina, ante prandium; comeſſationes veſpertinae, poſt cenam erant; vt exemplis intelligitur. QVI *mihi*] Mihi, quod ad ſententiam attinet, abundat: ſed ornatum quendam, & vim habet, a contemnente pronūciatum. ERVCTANT] apte: cum dixerit, Vino languidi, confecti cibo. CAEDEM *bonorum, atque vrbis incendia.*] quod orationis initio de Catilina dixit, Vobis, atque huic ferrum, flammamq minitantem. VNIVS *virtute,*] Cn. Pompeium ſignificat, multis antea bellis nunc etiam Mithridatico victorem. RESECANDA] vt in morbis medicinam chirurgiae requirentibus: in qua tranſlatione ſubiunxit Manare, vt in ep. ad Caſsium: Manabat illud malum vrbanum Phil. I. duobus verbis vſus eſt. Cum ſerperet in vrbe infinitum malum, idq. manaret in dies latius.

ORATIO

AT etiam ſunt, Quirites, qui dicant a me in exſulium eiectum eſſe Catilinam. quod ego ſi verbo aſſequi poſſem, iſtos ipſos eijcerem, qui haec loquuntur. homo enim videlicet timidus, & permodeſtus vocem conſulis ferre non potuit: ſimul atque ire in exſulium iuſſus eſt, paruit, quieuit. Heſterno die cum domi meae paene interfectus eſſem ſenatum in aedem Iouis Statoris vocaui, rem omnem ad patres conſcriptos detuli. quo cum Catilina veniſſet, qui eum ſenator appellauit? quis ſalutauit? quis denique ita adſpexit vt perditum ciuem, ac non potius vt importuniſſimum hoſtem? quinetiam principes eius ordinis partem illam ſubſelliorum, ad quam ille acceſſerat, nudam, atque inanem reliquerunt. hic ego vehemens ille conſul, qui verbo ciues in exſulium eijcio, quaeſiui a Catilina, an nocturno conuentu apud M. Laecam fuiſſet, nec ne. cum ille, homo audaciſſimus, conſcientia conuictus primo reticuiſſet; patefeci cetera: quid ea nocte egiſſes, quid in proximam cōſtituiſſet, quemadmodum eſſet ei ratio totius belli deſcripta, edocui. cum haeſitaret, cum cunctaretur, quaeſiui, quid dubitaret proficiſci eo, quo iampridem pararat, cum arma, cum ſecures, cum faſces, cum tubas, cum ſigna militaria, cum Aquilam illam argenteam, cui ille etiam ſacrarium ſcelerum domi ſuae fecerat, ſcirem eſſe praemiſſam. in exſulium eijciebam, quem iā ingreſſum in bellum eſſe videbam? etenim, credo, iſte centurio, qui in agro Faeſulano caſtra poſuit, bellum populo R. ſuo nomine indixit; & illa caſtra nunc non Catilinam ducem exſpectant; & ille, eiectus in exſulium ſe Maſſiliam, vt aiunt, non in haec caſtra conferet. O condicionem miſeram non modo adminiſtrandae, verum etiam conſeruandae reip. nunc ſi L. Catilina, conſilijs, laboribus, periculis meis circumcluſus, ac debilitatus, ſubito pertimuerit, ſententiam mutauerit, deſeruierit ſuos, conſilium belli faciundi abiecerit, ex hoc curſu ſceleris, & belli iter ad fugam, atque in exſulium conuerterit: non ille a me ſpoliatus armis audacia, non obſtupefactus, ac perterritus mea diligentia, nō de ſpe, conatuq. depulſus, ſed indemnatus, innocēs in exſulium eiectus a conſule vi, & minis eſſe dicetur: & erūt, qui illum, ſi hoc fecerit, non improbum, ſed miſerum, me non diligentiſſimum conſulem, ſed crudeliſſimum tyrannum exiſtimari velint. Eſt mihi tanti, Quirites, huius inuidiae falſae, atque iniquae tempeſtatem ſubire, dummodo a vobis huius horribilis belli, ac nefarij periculum depellatur. dicatur ſane eiectus eſſe a me dummodo eat in exſulium: ſed, mihi credite, non eſt iturus.

EXPLANATIO

AQVILAM *illam argenteam,*] vide orat. I. ISTE *centurio.*] Mallium Feſulanum ſignificat, qui belli faciundi poſtea dux fuit, vt ait Saluſtius. MASSILIAM, *vt aiunt,*] qua de re ſic apud Salluſtium.

Salluſtium. At Catilina ex itinere pleriſque conſularibus, praeterea optimo cuique litteras mittit: ſe, falſis criminibus circumuentum, quoniam factioni inimicorum reſiſtere nequiuerit, fortunae cedere, Maſſiliam in exſulium proficiſci Ibant autem Romani exſules Maſſiliam in exſulium. quod exemplo Milonis, qui Clodium occidit perſpicuum ſatis eſt. Est *mihi tanti.*] non recuſo. orat. I. ſed eſt tanti dummodo iſta tua priuata ſit calamitas, & a reip. periculis ſeiungatur.

O R A T I O

Nunquam ego a dijs immortalibus optabo, Quirites, inuidiae meae leuandae cauſſa, vt L. Catilinam ducere exercitum hoſtium, atque in armis volitare audiatis: ſed triduo tamen audietis; multoq. magis illud timeo, ne mihi ſit inuidioſum aliquando, quod illum emiſerim potius, quam quod eiecerim. ſed, cum ſint homines, qui illum, cum profectus ſit, eiectum eſſe dicant: ijdem, ſi interfectus eſſet, quid dicerent? quamquam iſti, qui Catilinam Maſſiliam ire dictitant, non tam hoc queruntur, quam verentur. nemo eſt iſtorum tam miſericors, qui illum nõ ad Mallium, quam ad Maſſilienſes ire malit. ille autem ſi mehercules hoc, quod agit, numquam ante cogitaſſet, tamen latrocinantem ſe interfici mallet, quam exſulem viuere. nunc vero, cum ei nihil adhuc praeter ipſius voluntatem, cogitationemq. acciderit, niſi quod viuis nobis Roma profectus eſt: optemus potius, vt eat in exſulium, quam queramur. Sed cur tamdiu de vno hoſte loquimur; & de eo hoſte, qui iam fatetur ſe eſſe hoſtem; & quem, quia, quod ſemper volui, murus intereſt, non timeo, de ÿs, qui diſſimulant, qui Romae remanent, qui nobiſcum ſunt, nihil dicimus? quos quidem ego, ſi ullo modo fieri poßet, non tam ulciſci ſtudeo, quam ſanare, & ipſos placare reip. neque, id quare fieri non poſſit, ſi me audire uoluerint, intelligo. exponam enim uobis, Quirites, ex quibus generibus hominum iſtae copiae comparentur: deinde ſingulis medicinam conſilij, atque orationis meae, ſi quam potero, afferam. Vnum genus eſt eorum, qui magno in aere alieno maiores etiã poſſeſſiones habent; quarum amore adducti diſſolui nullo modo poßunt. horum hominum ſpecies eſt honeſtiſſima: ſunt enim locupletes: uoluntas uero, & cauſſa impudentiſſima. tu agris, tu aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus & copioſus ſis, & dubites aliquid de poſſeſſione detrahere, ac fidẽ acquirere? quid enim exſpectas? bellum? quid? ergo in uaſtatione omnium tuas poßeſſiones ſacroſanctas futuras putas? an tabulas nouas? errant, qui iſtas a Catilina exſpectant: meo beneficio tabulae nouae proferentur, uerum auctionariae. neque enim iſti, qui poſſeſſiones habent, alia ratione ulla ſalui eſſe poßunt. quod ſi maturius facere uoluiſſent, neque, id quod ſtultiſſimum eſt certare cum uſuris fructibus praediorum: locupletioribus iis, & melioribus ciuibus uteremur. ſed hoſce homines minime puto pertimeſcendos: quod aut deduci de ſententia poßunt; aut, ſi permanebunt, magis mihi uidentur uota facturi contra remp. quam arma laturi. Alterum genus eſt eorum, qui quamquam premuntur aere alieno, dominationem tamen exſpectant, rerum potiri uolunt, honores, quos quieta rep. deſperant, perturbata conſequi ſe poſſe arbitrantur. quibus hoc praecipiendum uidetur: unum ſcilicet & idem, quod ceteris omnibus, ut deſperent ſe id, quod conantur, conſequi poße: primum, omnium, me ipſum uigilare, adeße, prouidere reip. deinde magnos animos eſſe in bonis uiris, magnam concordiam, maximam multitudinem, magnas praeterea copias militum: deos denique immortales huic inuicto populo, clariſſimo imperio, pulcherrimae urbi cõtra tantam uim ſceleris praeſentis auxilium eſſe laturos. quod ſi iam ſint id, quod cum ſummo furore cupiunt, adepti: num illi in cinere urbis, & ſanguine ciuium, quae mente conſcelerata, ac nefaria concupierunt, ſe conſules, aut dictatores, aut etiam reges ſperant futuros? non uident ſe cupere id, quod ſi adepti fuerint, fugitiuo alicui, aut gladiatori concedi ſit neceſſe?

E X P L A N A T I O

Hoc *quod agit,*] vt patriam oppugnet. Qvam *queramur.*] non enim ibit. Maiores *etiam poßeſſiones habent;*] itaque poſſunt, ſi velint, aere alieno liberari. Qvarvm *amore adducti diſſolui nullo modo poßunt.*] diſſolui, quo ſunt obſtricti, aere alieno. De hoc hominũ genere ſi in oratione pro Sulla. Illud erat genus hominum horribile, & pertimeſcendum, qui tanto amore ſuas poſſeſſiones amplexi tenebant, vt ab ijs membra diuelli citius ac diſtrahi poſſe diceres. Fidem *acquirere?*] quam amiſerunt; quia non ſoluunt, quibus debent Supra de alio dixit hominum genere: Res eos iampridem, fides deficere nuper coepit. Tabvlas?] vt nemini ſoluatur. Avctionariae.] vt eorum bona proſcribantur, & in auctione vendantur. Alia *ratione vlla*] niſi hac, vt venditione ſuarum poſſeſſionum ſatisfaciant creditoribus ſuis. Certare] cum tamen vſurae fructus praediorum vincant. Vota *facturi*] domi quieſcentes amore poſſeſſionum ſuarum. Arma *laturi.*] ad bellum profecti. Praesentis *auxilium eße laturos.*] non dubito, quin, Praeſentis, rectius ſit: vt ad, Deos referatur, non ad Sceleris. nam & or. 3. Ita praeſentes his temporibus opem & auxilium nobis tulerunt, vt eos paene oculis videre poſſemus. Fvgitivo *alicui aut gladiatori*] qui arma cum his contra remp. tulerint.

O R A T I O

Tertivm genus eſt aetate iam affectum, ſed tamen exercitatione robuſtum: quo ex genere iſte eſt Mallius, cui nunc Catilina ſucceſſit. hi ſunt omnes ex iis coloniis, quas Sulla conſtituit: quas ego uniuerſas ci-

ciuium

ni um eſſe optimorum, & fortiſſimorum virorum ſentio: ſed tamen hi ſunt coloni, qui ſe inſperatis, repentinisq. pecuniis ſumptuoſius, inſolentiusq. iactarunt: hi dum aedificant tamquam beati, dum praediis lectis, familiis magnis, conuiuiis apparatis delectantur, in tantum aes alienum inciderunt, vt, ſi ſalui eſſe velint, Sulla ſit iis ab inferis excitandus. qui etiam nonnullos agreſtis, homines tenues, atque egentes, in eandem illam ſpem rapinarum veterum impulerunt. quos ego vtroſque, Quirites, in eodem genere praedatorum, direptorumq. pono. ſed eos hoc moneo: deſinant furere, & proſcriptiones, & dictaturas cogitare. tantus enim illorum temporum dolor inuſtus eſt ciuitati, vt iam iſta non modo homines, ſed ne pecudes quidẽ mihi paſſurae eſſe videantur, Quartum genus eſt ſane varium, & mixtum, & turbulentum: qui iampridem premuntur: qui numquam emergent: qui partim inertia, partim male gerendo negotio, partim etiam ſumptibus in vetere aere alieno vacillant: qui vadimoniis, iudiciis, proſcriptionibus bonorum defatigati, permulti & ex vrbe, & ex agris ſe in illa caſtra conferre dicuntur. hoſce ego non tam milites acres, quam infitiatores lentos eſſe arbitror. qui homines primum, ſi ſtare non poſſunt, corruant, ſed ita, vt non modo ciuitas, ſed ne vicini quidem proximi ſentiant. nam illud non intelligo, quamobrem, ſi viuere honeſte non poſſunt, perire turpiter velint; aut cur, minore dolore perituros ſe cum multis, quam ſi ſoli pereant, arbitrentur,

E X P L A N A T I O

AETATE *iam effoetum,*] ſupra: Ego illum exercitum magnopere contemno, collectum ex ſenibus deſperatis. RAPINARVM *veterum*] Sullani temporis. PROSCRIPTIONES, *& dictaturas*] proſcripſit Sulla dictator, quos in bello aduerſarios habuerat. VARIVM,] quia non vno tantum vitio ſed partim inertia, partim male gerendo negotio partim etiam ſumptibus in vetere aere alieno vacillant. PREMVNTVR:] aere alieno. VACILLANT:] non videntur ſtare poſſe. itaque ſubiungitur: Si ſtare non poſſunt, corruant. INFITIATORES] qui negent ſe debere, quod iure negare non poſſunt qui mos eorum eſt, qui ſoluendo non ſunt. LENTOS,] Lentos, & acres, oppoſuit. Lentos autem infitiatores dixit quia ſolutionem infitiando differrent, omniaq. lente agerent. procraſtinantes. NON *modo ciuitas.*] non modo nullo reip. ſed ne priuati quidem hominis damno. ſentiant, metaphoram abſoluit, quae coepit in verbo, Vacillant: & ad eandem illud pertinet. Si ſtare non poſſunt, corruant. SI. VIVERE *honeſte non poſſunt,*] in vrbe propter aes alienum, quo numquam emergent. PERIRE *turpiter*] ciuili bello, cum hoſtibus reip. coniuncti. CVM *multis.*] Catilinae ſocijs. SI SOLI *pereant,*] domi, procul ab armis.

O R A T I O

QVintum genus eſt parricidarum, ſicariorum, denique omnium facinoroſorum: quos ego a Catilina non reuoco. nam neque diuelli ab eo poſſunt; & pereant ſane in latrocinio, quoniam ſunt ita multi, vt eos carcer capere non poſſit. Poſtremum autem genus eſt non ſolum numero, verum etiam genere ipſo, atque vita, quod proprium eſt Catilinae, de eius delectu, immo vero de complexu eius, ac ſinu, quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis, & talaribus tunicis, velis amictos, non togis: quorum omnis induſtria vitae, & vigilandi labor in antelucanis tenis expromitur. in his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudiciq verſantur. hi pueri tam lepidi, ac delicati, non ſolum amare, & amari, neque cantare, & ſaltare, ſed etiam ſicas vibrare, & ſpargere venena didicerunt: qui niſi exeunt. niſi pereunt; etiam ſi Catilina perierit, ſcitote hoc in rep. ſeminarium Catilinarium futurum. verumtamen quid ſibi iſti miſeri volunt? num ſuas ſecum mulierculas ſunt in caſtra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his praeſertim iam noctibus? quo autem pacto illi Apenninum, atque illas pruinas, ac niues perferent? niſi iccirco ſe facilius hiemem toleraturos putãt, quod in conuiuiis nudi ſaltare didicerunt. o bellum magnopere pertimeſcendum, cum hanc ſit habiturus Catilina ſcortatorum cohortem praetoriam. Inſtruite nunc, Quirites, contra has tam praeclaras Catilinae copias veſtra praeſidia, veſtrosque exercitus: & primum gladiatori illi confecto, & ſaucio conſules, imperatoresque veſtros opponite: deinde contra illam naufragorum eiectam, ac debilitatam manum florem totius Italiae, ac robur educite: iam vero urbes coloniarum, ac municipiorum reſpondebunt Catilinae tumulis ſilueſtribus. neque vero ceteras copias, ornamenta, praeſidia veſtra cum illius latronis inopia, atque egeſtate debeo conferre. ſed ſi, omiſſis his rebus omnibus, quibus nos ſuppeditamus, eget ille, ſenatu, equitibus R. populo, vrbe, aerario, vectigalibus, cuncta Italia, prouinciis omnibus, exteris nationibus, ſi, inquam, his rebus omiſſis, ipſas cauſſas, quae inter ſe confligunt, contendere velimus: ex eo ipſo, quam valde illi iaceant, intelligere poſſumus. ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc ſtuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc ſcelus; hinc conſtantia, illinc furor; hinc honeſtas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido: hinc denique aequitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignauia, cum temeritate, cum vitiis omnibus: poſtremo copiae cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit. in huiuſmodi certamine, ac proelio non ne etiam ſi hominũ ſtudia deficiant, dii ipſi immortales cogent ab his praeclariſſimis virtutibus tot, & tanta vitia ſuperari?

EXPLA-

EXPLANATIO

BENE *barbatos,*] cum ſubiungat, Hi pueri tam lepidi, ac delicati: non videtur in eos conuenire, Bene barbatos: & legendum fortaſſe, Paene barbatos. MANICATIS,] cum probro: quale illud Virgilij lib. IX. Et tunica manicas, & habent redimicula mitra. TOLERIBVS] quod muliebre eſt. VELIS] tenuiſſimis togis. ANTELVCANIS] quae cum hora nona coeptae ſint, vſque eo nocte producantur, vt ad lucem prope accedant ſequentis diei. RESPONDEBVNT] ſimiles erunt. cum ironia. SVPPEDITAMVS,] abundamus.

ORATIO

QVAE cum ita ſint, Quirites; vos, quemadmodum iam ante, veſtra tecta cuſtodijs, vigilijsq. defendite; mihi, ut vrbi ſine veſtro motu, as ſine ullo tumultu ſatis eſſet praeſidij, conſultum, as prouiſum eſt. coloni omnes, municipesq. veſtri, certiores a me facti de hac nocturna excurſione Catilinae, facile vrbes ſuas, finesq. defendent: gladiatores, quam ſibi ille maximam manum, & certiſſimam fore putauit, quamquam meliore animo ſunt, quam pars patriciorum, poteſtate tamen in veſtra continebuntur: Q. Metellus, quem ego, proſpiciens hoc; in agrum Gallicanum, Picenumq. praemiſi, aut opprimet hominem, aut omnes eius motus, conatusq. prohibebit; reliquis autem de rebus conſtituendis, maturandis, agendis iam ad ſenatum referemus, quem vocari videtis. Nunc illos, qui in vrbe remanſerunt, atque adeo qui contra vrbis ſalutem omniumq. veſtrorum in vrbe a Catilina relicti ſunt, quamquam ſunt hoſtes, tamen, quia nati ſunt ciues, monitos etiam atque etiam volo. mea lenitas adhuc ſi cui ſolutior viſa eſt, hoc exſpectauit, vt id, quod latebat, erumperet. quod reliquum eſt, iam non poſſum obliuiſci, meam hanc eſſe patriam, me horum eſſe conſulem; mihi aut cum his viuendum, aut pro his eſſe moriendum. nullus eſt portae cuſtos, nullus inſidiator viae: ſi qui exire volunt, conſulere ſibi poſſunt: qui vero in vrbe ſe commouerit, cuius ego non modo factum, ſed inceptum vllum, conatumue contra patriam deprehendero, ſentiet in hac urbe eſſe conſules vigilantes, eſſe egregios magiſtratus, eſſe fortem ſenatum, eſſe, arma, eſſe carcerem, quem vindicem nefariorum ac manifeſtorum ſcelerum maiores noſtri eſſe uoluerunt. atque haec omnia ſic agentur, Quirites, vt res maximae minimo motu, pericula ſumma nullo tumultu, bellum inteſtinum, ac domeſticum, post hominum memoriam crudeliſſimum, & maximum, me uno togato duce, & imperatore ſedetur. quod ego ſic adminiſtrabo, Quirites, ut, ſi ullo modo fieri poterit, ne improbus quidem quiſquam in hac urbe poenam ſui ſceleris ſufferat. ſed ſi uis manifeſtae audaciae, ſi impendens patriae periculum me neceſſario de hac animi lenitate deduxerint: illud profecto perficiam, quod in tanto, & tam inſidioſo bello uix optandum uidetur, ut neque bonus quiſquam intereat, paucorumq. poena uos omnes ſalui eſſe poſſitis quae quidem ego neque mea prudentia, neque humanis conſilijs fretus polliceor uobis, Quirites, ſed multis, & non dubijs deorum immortalium ſignificationibus: quibus ego ducibus in hanc ſpem, ſententiamq. ſum ingreſſus: qui iam non procul, ut quondam ſolebant, ab extero hoſte, atque longinquo, ſed hic praeſentes ſuo numine, atque auxilio ſua templa, atque urbis tecta defendunt: quos uos, Quirites, precari, uenerari, atque implorare debetis, ut, quam urbem pulcherrimam florentiſſimam, potentiſſimamq. eſſe uoluerunt, hanc, omnibus hoſtium copijs terra, mariq. ſuperatis, a perditiſſimorum ciuium nefario ſcelere defendant.

EXPLANATIO

GLADIATORES] qui ne cum Catilina coniungi poſſent, decreuit ſenatus, vti Capuam, & in cetera municipia diſtribuerentur pro cuiuſque opibus. Salluſtius PARS *patriciorum,*] qui Catilinae fauent. POTESTATE *tamen in ueſtra continebuntur.*] diſtributi Capuam, & in cetera municipia. Q. METELLVS,] Celer, qui praetor erat. OMNES *eius motus, conatuſq. prohibebit.*] de quo Salluſtius: Q. Metellus Celer cum tribus regionibus in agro Piceno praeſidebat, ex difficultate rerum eadem illa exiſtimans, quae ſupra diximus, Catilinam agitare. igitur, vbi iter eius ex perfugis cognouit, caſtra propere mouit, ac ſub ipſis radicibus montium conſedit: qua illi deſcenſus erat in Galliam properanti. VIX *optandum videtur,*] potius enim optandum videtur, vt in tanto, & tam inſidioſo bello improbi multi morte multentur.

IN·ORATIONEM·III·CICERONIS

IN . CATILINAM

PAVLLI·MANVTII

COMMENTARIVS

ORATIO · XXI.

REmpub. Quirites, vitamque omnium veſtrum, bona, fortunas, coniuges, liberosque veſtros, atque hoc domicilium clariſſimi imperij, fortunatiſſimam pulcherrimamque vrbem, hodierno die, deorum immortalium ſummo erga vos amore, laboribus, conſilijs, periculis meis, ex flamma, atque ferro, ac paene ex faucibus fati ereptam, & vobis conſeruatam ac reſtitutam videtis. & ſi non minus nobis iucundi, atque illuſtres ſunt ij dies, quibus conſeruamur, quam illi, quibus naſcimur; quod ſalutis certa laetitia eſt, naſcendi incerta condicio; & quod ſine ſenſu naſcimur, cum voluptate conſeruamur: profecto, quoniam illum, qui hanc vrbem condidit, ad deos immortales beneuolentia, famaque ſuſtulimus, eſſe apud vos, poſterosque veſtros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam, amplificatamque ſeruauit. nam toti urbi templis, delubris, tectis omnibus, ac moenibus ſubiectos prope iam ignes circundatosq. reſtrinximus: ijdemque gladios in remp. diſtrictos retudimus; mucronesq. eorum a iugulis veſtris reiecimus. quae quoniam in ſenatu illuſtrata, patefacta, comperta ſunt per me: vobis iam exponam breuiter, Quirites: vt, & quanta, & quam manifeſta, & qua ratione inueſtigata, & comprehenſa ſint, vos, qui & ignoratis, & exſpectatis, ſcire poſſitis. Principio vt Catilina paucis ante diebus erupit ex vrbe, cum ſceleris ſui ſocios, & huiuſce nefarij belli acerrimos duces Romae reliquiſſet; ſemper vigilaui, & prouidi, Quirites, quemadmodum in tantis, & tam abſconditis inſidijs ſalui eſſe poſſemus. nam tum, cum ex vrbe Catilinam eijciebam, (non enim iam vereor huius uerbi inuidiam, cũ illa magis ſit timenda, quod viuus egreſſus eſt) ſed tum, cum illum exterminari volebam; aut reliquam coniuratorum manum ſibi exituram, aut eos, qui remanſiſſent, infirmos ſine illo ac debiles fore putabam. atque ego, vt vidi, quos maximo furore, & ſcelere eſſe inflammatos ſciebã, eos eſſe nobiſcum, & Romę remanſiſſe, in eo omnes dies noctesque conſumpſi, vt, quid agerent, quid molirentur, ſentirem, ac viderem: vt, quoniam auribus ueſtris, propter incredibilem magnitudinem ſceleris, minorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehẽderem, vt tum demum animis ſaluti ueſtrae prouideretis, cum oculis maleficium ipſum uideretis. itaque vt comperi legatos Allobrogum, belli tranſalpini & tumultus Gallici excitandi cauſſa, a P. Lentulo eſſe ſollicitatos, eosq. in Galliam ad ſuos ciues, eodem itinere cum litteris, mandatiſque ad Catilinam eſſe miſſos, comitemque ijs adiunctum Vulturtium, atque huic datas eſſe ad Catilinam litteras: facultatem mihi oblatam putaui, ut, quod erat difficillimum, quodque ego ſemper optabam a dijs immortalibus, tota res non ſolum a me, ſed etiam a ſenatu, & a uobis manifeſte deprehenderetur. itaque heſterno die L. Flaccum, & C. Pontinium, praetores, fortiſſimos, atque amantiſſimos reip. uiros, ad me uocaui: rem omnem expoſui: quod fieri placeret, oſtendi. illi autem, qui omnia de rep. praeclara atque egregia ſentirent, ſine recuſatione, ac ſine vlla mora negotium ſuſceperunt; &, cum aduesperaſceret, occulte ad pontem Muluium peruenerũt; atque ibi in proximis villis ita bipartiti fuerunt, vt Tiberis inter eos & põs intereſſet. eodem autem & ipſi ſine cuiuſquam ſuſpicione multos fortes viros eduxerunt: & ego de praefectura Reatina complures delectos adoleſcentes, quorum opera vtor aſſidue in rep. praeſidio, cum gladijs miſeram. interim, tertia fere vigilia exacta, cum iam pontem cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, vnaq. Vulturtius: fit in eos impetus: educuntur & ab illis gladij, & a noſtris. res erat praetoribus nota ſolis, ignorabatur a ceteris. tum interuentu Pontinij, atque Flacci pugna, quae erat commiſſa, ſedatur: litterae, quaecumque erant in eo comitatu, integris ſignis, praetoribus traduntur: ipſi comprehenſi ad me, cum iam diluceſceret, deducuntur. atque horum omnium ſcelerum improbiſſimum machinatorem Cimbrum Gabinium ſtatim ad me, nihil dum ſuſpicantem, vocaui: deinde item arceſſitur L. Statilius, & poſt eum Cethegus: tardiſſime autem Lentulus venit, credo, quod in litteris dandis praeter conſuetudinem proxima nocte vigilarat. Cum ſummis ac clariſſimis huius ciuitatis viris, qui, audita re, frequentes ad me mane conuenerant, litteras a me prius aperiri, quam ad ſenatum referrem, placeret; ne, ſi nihil eſſet inuentum, temere a me tantus tumultus iniectus ciuitati uideretur: negaui me eſſe facturum, vt de periculo publico non ad conſilium publicum rem integram deferrem. etenim, Quirites, etiam ſi ea quae erant ad me delata, reperta non eſſent: tamen ego non arbitrabar in tantis reip. periculis eſſe mihi nimiam diligentiam pertimeſcendam. Senatum frequentem celeriter, vt uidiſtis, coegi: atque interea ſtatim, admonitu Allobrogum, C. Sulpicium, praetorem, fortem

virum,

virum. miſi, qui ex aedibus Cethegi, ſi quid telorum eſſet, efferret. ex quibus ille maximum ſicarum numerum, & gladiorum extulit. Introduxi Vulturtium ſine Gallis: fidem ei publicam iuſſu ſenatus dedi: hortatus ſum, vt ea, quae ſciret, ſine timore indicaret. tum ille, cum vix ſe ex magno timore recepiſſet, dixit, a P. Lentulo ſe habere ad Catilinam mandata, & litteras, vt ſeruorum praeſidio vteretur, & ad vrbem quamprimum cum exercitu accederet: id autem eo conſilio, vt, cum vrbem omnibus ex partibus, quemadmodum deſcriptum, diſtributumq. erat, incendiſſent, caedemq. infinitam ciuium feciſſent, praeſto eſſet ille, qui & fugientes exciperet, & ſe cum his vrbanis ducibus coniungeret.

EXPLANATIO

HODIERNO *die*]patefacta Allobrogum indicio coniuratione, & in cuſtodiam traditis coniurationis principibus, epiſt. 1. lib. 2. ad Att. Is,]de ſe ipſo dicit. Gemina comparatio eſt: vna inter eos dies quibus conſeruamur & eos, quibus naſcimur; altera inter Romulum, qui vrbem condidit, & ſeipſum, qui conditam ſeruauit. LEGATOS *Allobrogum.*]publice, priuatimq. aere alieno oppreſſos. A. P. LENTVLO]praetore. VVLTVRTIVM,] Salluſtius Publium appellat. & Crotonienſem, cui poſtea ſenatus praemia dedit ampliſſima: orat. 4 L. FLACCVM,] pro quo exſtat oratio. C. PONTINIVM,] qui poſt aliquot annos de Allobrogibus triumphauit, Ciceroniſq. legatus in prouincia fuit. DE PRAEFECTVRA *Reatina*] opida Italiae cuncta, vel municipia, vel coloniae, vel praefecturae erant, legis Iuliae beneficio, quae belli Marſici tempore, ciuitatem Italis cunctis, arma deponentibus, largita eſt, praefecturae autem ſuis legibus vtebantur. RES *vni praetoribus nota ſolis*] ſi Salluſtio credimus, Allobrogum quoque legatis nota erat. cum enim diu in incerto habuiſſent, quid conſilij caperent; tandem Q. Fabio Sangae, cuius patrocinio plurimum ciuitas eorum vtebatur, rem omnem, vti cognouerant, aperiendam eſſe cenſuerunt. Cicero autem, per Sangam conſilio cognito, Allobrogibus praecepit vt ſtudium coniurationis vehementer ſimularent; ceteros adirent; bene pollicerentur; darentq. operam, vti eos, quam maxime manifeſtos haberent. Haec Salluſtius. HORVM *omnium ſcelerum improbiſſimum machinatorem Cimbrum Gabinium*] de quo Salluſtius: Gabinium accerſit, quo maior auctoritas ſermoni ineſſet: eo praeſente coniurationem aperit: nominat ſocios. CETHEGVS:] C. Cornelius Cethegus ſenator. IN *litteris dandis*]ad Catilinam. PRAETER *conſuetudinem*] quia vigilare ſolitus non eſſet: propterea infra: Quem quidem ego cum ex vrbe pellebam, hoc prouidebã animo. Quirites, remoto Catilina, nec mihi eſſe P. Lẽtuli ſomnũ, nec L. Caſſij adipẽ nec C. Cethegi furioſam temeritatem pertimeſcendam. REPERTA *non eſſent;*] nondum apertis litteris, nec dum confitentibus Gabinio, Statilio, Cethego, Lentulo. COEGI.]in aede Concordiae. infra & Salluſtius. VT *ſeruorum praeſidio vteretur,*]in litteris, quarum exemplum Salluſtius ponit, hoc erat Conſideres, quid tuae rationes poſtulent: auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis. Et Cicero, eaſdem litteras recitans, cum aliqua tamen varietate, inquit: Cura, vt omnium tibi auxilia adiungas, etiam infimorũ.

ORATIO

INtroducti autem Galli, iusiurandum ſibi, & litteras a P. Lentulo, Cethego, Statilio ad ſuam gentem datas eſſe dixerunt, atque ita ſibi ab his, & a L. Caſſio eſſe praeſcriptum, vt equitatum in Italiam quamprimum mitterent, pedeſtres ſibi copias non defuturas: Lentulum autẽ ſibi confirmaſſe, ex libris ſibyllinis, aruſpicumq. reſponſis ſe eſſe tertium illum Cornelium, ad quem regnum huius vrbis, atque imperium peruenire eſſet neceſſe: Cinnam ante ſe, & Sullam fuiſſe: eundemq. dixiſſe, fatalem hunc eſſe annum ad interitum huius vrbis, atque imperij, qui eſſet decimus annus poſt virginum abſolutionem, poſt Capitolij autem incenſionem vigeſimus. Hanc autem Cethego cum ceteris controuerſiam fuiſſe dixerunt, quod Lentulo, & ceteris, Saturnalibus caedem fieri, atque vrbem incendi placeret, Cethego nimium id longum videretur. Ac, ne longum ſit, Quirites, tabellas proferri iuſſimus, quae a quoque dicebantur datae. primum oſtendimus Cethego: ſignum cognouit. nos linum incidimus, legimus. erat ſcriptum ipſius manu Allobrogum ſenatui, & populo, ſeſe, quae eorum legatis confirmaſſet, eſſe facturum: orare, vt item illi facerent, quae ſibi legati eorum recepiſſent. tum Cethegus, qui paullo ante aliquid tamẽ de gladijs, ac ſicis, quae apud ipſum erant deprehenſae, reſpondiſſet, dixiſſetq. ſe ſemper bonorum ferramentorum ſtudioſum fuiſſe, recitatis litteris, debilitatus, atque abiectus, conſcientia conuictus repente conticuit. Introductus eſt Statilius: cognouit & ſignum, & manum ſuam. recitatae ſunt tabellae in eandem fere ſententiam: confeſſus eſt. Tum oſtendi tabellas Lentulo, & quaeſiui, cognoſceret ne ſignum: annuit. eſt vero, inquam, ſignum notum, imago aui tui, clariſſimi viri, qui amauit vnice patriã, & ciues ſuos; quae quidem te a tanto ſcelere etiam muta reuocare debuit. Leguntur eadem ratione ad ſenatum Allobrogum populumq. litterae. ſi quid de his rebus dicere vellet, feci poteſtatem. atque ille quidem primo negauit: poſt autem aliquanto, toto iam indicio expoſito, atque edito, ſurrexit: quaeſiuit a Gallis, quid ſibi eſſet cum ijs, quamobrem domum ſuam veniſſent; itemq. a Vulturtio. qui cum illi breuiter conſtanterq. reſpondiſſent, per quem ad eum, quotieſq. veniſſent; quaeſiſſentq. ab eo, nihil ne ſecum eſſet de libris ſibyllinis locutus: tum ſubito ille ſcelere demens, quanta vis conſcientiae eſſet, oſtendit: nam, cum id poſſet infitiari, repente

praeter opinionem omnium confeſſus eſt. ita eum non modo ingenium illud, & dicendi exercitatio, qua ſemper valuit, ſed etiam, propter vim ſceleris manifeſti, atque deprehenſi, impudentia, qua ſuperabat omnes, improbitaſq. defecit. Vulturtius vero ſubito proferri litteras, atque aperiri iubet, quas ſibi a Lentulo ad Catilinam datas eſſe dicebat: atque ibi vehementiſſime perturbatus Lentulus, tamen ſignum, & manum ſuam cognouit. erant autem ſcriptae ſine nomine, ſed ita. Qui. ſim. ex. eo. quem. ad. te. miſi. cognoſces. cura. vt. vir. ſis. &. cogita. quem. in. locum. ſis. progreſſus. &. vide. quid. iam. tibi. ſit. neceſſe. cura. vt. omnium. tibi. auxilia. adiungas. etiam. infimorum. Gabinius deinde introductus, cum primo impudenter reſpondere coepiſſet, ad extremum nihil ex ijs, quae Galli inſimulabant, negauit. Ac mihi quidem, Quirites, cum illa certiſſima ſunt viſa argumenta, atque indicia ſceleris, tabellae, ſigna, manus, denique vniuſcuiuſque confeſſio: tum multo illa certiora, color oculi, vultus, taciturnitas. ſic enim obſtupuerant, ſic terram intuebantur, ſic furtim nonnumquam inter ſe adſpiciebant, vt non iam ab alijs indicari, ſed ipſi a ſe viderentur. Iudicijs expoſitis, atque editis, Quirites, ſenatum conſului, de ſumma reip. quid fieri placeret. dictae ſunt a principibus acerrimae ac fortiſſimae ſententiae, quas ſenatus ſine ulla varietate eſt conſecutus. & quoniam nōdum eſt perſcriptum S. C. ex memoria vobis, Quirites, quid ſenatus cenſuerit, exponam. Primum mihi gratiae verbis ampliſſimis aguntur, quod virtute, conſilio, prouidentia mea reſp. periculis ſit maximis liberata: deinde L. Flaccus, & C. Pontinius, praetores, quod eorum opera forti fideliq. vſus eſſem, merito ac iure laudantur: atque etiam viro forti collegae meo, laus impertitur, quod eos, qui huius coniurationis participes fuiſſent, a ſuis & reip. conſilijs remouiſſet. atque ita cenſuerunt, vt P. Lentulus, cum ſe praetura abdicaſſet, tum in cuſtodiam traderetur: itemq. vt C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius, qui omnes praeſentes erant, in cuſtodiam traderentur: atque idem hoc decretum eſt in L. Caſſium, qui ſibi Procurationem incendēdae vrbis depopoſcerat; in M. Cepariū, cui ad ſolicitandos paſtores Apuliam eſſe attributam erat indicatum; in P. Furium, qui eſt ex ijs colonis, quos Faeſulas L. Sulla deduxit; in Q. Magium Chilonem qui vna cum hoc Furio ſemper erat in hac Allobrogum ſolicitatione verſatus; in P. Vmbrenum, libertinum hominem, a quo primum Gallos ad Gabinium perductos eſſe conſtabat. atque ea lenitate ſenatus eſt vſus, Quirites, vt ex tanta coniuratione, tantaq. vi ac multitudine domeſticorum hoſtium nouem hominum perditiſſimorum poena rep. conſeruata, reliquorum mentes ſanari poſſe arbitraretur.

EXPLANATIO

A L. CASSIO] Longino, qui Ciceronis competitor fuerat in conſulatu. Pedianus haec de illo candidato conſulari, Caſſium, qui iners, ac ſtolidus tum magis, quam improbus, videretur, poſt paucos menſes in coniuratione Catilinae eſſe apparuit, ac cruentiſſimarum ſententiarum fuiſſe auctorem. TERTIVM *illum Cornelium*,] eadem Salluſtius, omiſſa tamen Virginum abſolutione. Lentulum, inquit. diſſimulantem coarguunt, praeter litteras, ſermonibus, quos ille habere ſolitus erat, ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Cornelijs portendi. Cinnam, atque Sullam antea, ſe tertium eſſe, cui fatum foret vrbis potiri: praeterea, ab incenſo Capitolio illum eſſe vigeſſimum annum, quem ſaepe ex prodigijs haruſpices reſpondiſſent bello ciuili cruentum fore. Quibus verbis conſtat, quod Cicero non explicat, illud, de tribus Cornelijs, e Sibyllinis libris ductum eſſe, de Capitolij autem incenſione, ex haruſpicum reſponſis. VIRGINVM] Veſtalium. ABSOLVTIONEM,] de inceſtu. Abſolutae ſunt Veſtales virgines M. Piſone defendente. de quo ſic in Bruto: Is, cum ſatis floruiſſet adoleſcens, minor haberi eſt coeptus poſtea: deinde ex Virginum iudicio magnam laudem eſt adeptus. CAPITOLII *incenſionem*] quod poſtea Q. Catulus refecit. SATVRNALIBVS] quorum dies erat primus XVI. Kal Ian. TABELLAS] litteras: vt in Piſonem: Ne tum quidem, Paulle noſter, tabulas Romam cum laurea mittere audebas? Et paullo poſt: An amici tui tabellas abdiderint. IMAGO *aui tui*,] P. Lentuli principis ſenatus, qui contra C Gracchum pugnauit. & in ea pugna graue vulnus accepit. quam hiſtoriam orat. 4 attigit his verbis. Niſi vero cuipiam L. Caeſar, vir fortiſſimus, & amantiſſimus reip. crudelior nudius tertius eſt viſus, cum ſororis ſuae, feminae lectiſſimae, virum, praeſentem, & audientem, vita priuandum eſſe dixit; cuius aui iuſſu, conſularem interfectum, filiumq. eius impuberem, legatum, a patre miſſum, in carcere necatum eſſe dixit. DICENDI *exercitatio, qua ſemper ualuit*,] refert eum Cicero in Bruto inter oratores, Hortenſij aequales. QVI *ſim ex eo*,] eaſdem litteras retulit in ſuam hiſtoriam Salluſtius, non nihil tamen ab his diuerſas. A PRINCIPIBVS] D. Silano, & C. Caeſare: qui poſtridie ſententias dixerunt. S.C.] non de nece coniuratorum, ſed vt in cuſtodiam traderentur. nam de nece S.C. in ſententiam Catonis factum eſt nonis Dec. quo die quarta eſt habita oratio. CVM *ſe praetura abdicaſſet*.] conſul ante aliquot annos fuerat: poſtea, cum ſenatu motus eſſet a cenſoribus, praeturam petijt, vt ordinem ſenatorium, quem cenſoria notatione amiſerat, iure magiſtratus recuperaret. QVI *omnes praeſentes erant*.] ceteri igitur, infra nominati, non aderant, Caſſius, Ceparius, Furius, Chilo, Vmbrenus. M. CEPARIVM,] qui paullo ante domo egreſſus, cognito indicio, ex vrbe profugerat: ſed ex fuga retractus, Cn. Terentio ſenatori traditus in cuſtodiam eſt. Q. MAGIVM. *Chilonem*,] Salluſtius Q. Annium vocat: ego, Magium, vt magis probem, cognomine Chilonis adducor. Sulpitius in ep. ad Ciceronem de morte Marcelli. GALLOS *ad Gabinium perductos eſſe*] Salluſtius non Gallos ad Gabinium, ſed eos in domum D. Bruti perductos, eodemq. Gabinium acceerſitum docet, quo maior ſermoni auctoritas ineſſet.

NOVEM

Novem hominum] de quinque tantum, auctore Salluſtio, ſumptum Supplicium eſt, Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario: reliqui quattuor deprehenſi non ſunt, Caſſius, Furius, Magius, Vmbrenus. Quod autem nouem hominum poena remp. eſſe conſeruatam ait, ſignificat id, quod ſenatus de ijs cenſuerat, quamquam in poteſtate non eſſent.

ORATIO

Atque etiam ſupplicatio dijs immortalibus pro ſingulari eorum merito, meo nomine decreta eſt, Quirites: quod mihi primum poſt hanc vrbem cōditam togato contigit: & ijs decreta verbis, quod vrbem incendijs, caede ciues, Italiam bello liberaſſem. quae ſupplicatio, ſi cum ceteris conferatur, Quirites, hoc intereſt: quod cetere bene geſta, haec vna conſeruata rep. conſtituta eſt. atque illud, quod faciendum primum fuit, factum, atque tranſactum eſt. nam P. Lentulus, quamquam, patefactus indicijs, & confeſſionibus ſuis, iudicio ſenatus non modo praetoris ius, verum etiam ciuis amiſerat, tamen magiſtratu ſe abdicauit; vt, quae religio C. Mario clariſſimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, praetorem occideret, ea nos religione in priuato P. Lentulo puniendo liberaremur. Nunc, quoniam, Quirites, ſceleratiſſimi periculoſiſſimiq. belli nefarios duces captos iam, & comprehenſos tenetis; exiſtimare debetis, omnes Catilinae copias ſpes, opesque his depulſis vrbis periculis, concidiſſe. quem quidem ego cum ex vrbe pellebam, hoc prouidebam animo Quirites, remoto Catilina, nec mihi eſſe P. Lētuli ſomnum, nec L. Caſſij adipem, nec C. Cethegi furioſam temeritatem pertimeſcendam. ille erat vnus timendus ex his omnibus, ſed tamdiu, dum moenibus vrbis continebatur: omnia norat: omnium aditus tenebat: appellare, tentare, ſolicitare poterat, audebat: erat ei conſilium ad facinus aptum: conſilio autem neque lingua, neque manus deerat: iam ad certas res conficiendas certos homines delectos, ac deſcriptos habebat: neque vero, cum aliquid mandauerat, confectum putabat; nihil erat, quod non ipſe obiret, occurreret, vigilaret, laboraret: frigus, ſitim, famē ferre poterat. hunc ego hominem tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in ſcelere vigilantē, tam in perditis rebus diligentem niſi ex domeſticis inſidijs in caſtrenſe latrocinium compuliſſem; (dicam id, quod ſentio, Quirites) non facile hanc tantam molem mali a ceruicibus veſtris depuliſſem. non ille vobis Saturnalia conſtituiſſet; neque tanto ante exitij, ac fati diem reip. denunciaſſet; neque commiſiſſet, vt ſignum, vt litterae ſuae, teſtes denique manifeſti ſceleris deprehenderentur. quae nūc illo abſente ſic geſta ſunt, vt nullum in priuata domo furtum vmquam ſit tam palam inuentum, quam haec tanta in rep. coniuratio manifeſto inuenta, atque deprehēſa eſt. quod ſi Catilina in vrbe ad hanc diem remanſiſſet: quamquā, quoad fuit, omnibus eius conſilijs occurri, atque obſtiti, tamen, vt leuiſſime dicam, dimicandum nobis cum illo fuiſſet; neque nos vmquam, dum ille in vrbe hoſtis fuiſſet, tantis periculis remp. tanta pace, tanto otio, tanto ſilentio, liberaſſemus. quamquam haec omnia, Quirites, ita ſunt a me adminiſtrata, ut deorum immortalium nutu, atque conſilio & geſta, & prouiſa eſſe videātur. idque cum coniectura conſequi poſſumus, quod vix videtur humani conſilij tantarum rerum gubernatio eſſe potuiſſe; tum vero ita praeſentes his temporibus opem & auxilium nobis tulerunt, vt eos paene oculis videre poſſemus. nam, vt illa omittam, viſas nocturno tempore ab occidente faces, ardoremque caeli, ut fulminum iactus, vt terrae motus, ceteraque, quae tam multa nobis conſulibus facta ſunt, ut haec, quae nunc fiunt, canere dij immortales viderentur: hoc certe, Quirites, quod ſum dicturus, neque praetermittendum, neque relinquendum eſt. nam profecto memoria tenetis, Cotta, & Torquato cos. complures in Capitolio turres de caelo eſſe percuſſas, cum & ſimulacra deorum immortalium depulſa ſunt, & ſtatuae veterum hominum deiectae, & legum aera liquefacta. tactus eſt etiam ille, qui hanc vrbem condidit, Romulus; quem inauratum in Capitolio, paruum, atque lactentem, vberibus lupinis inhiantem, fuiſſe meminiſtis. quo quidem tempore, cum haruſpices ex tota Etruria conueniſſent, caedes, atque incendia, & legum interitum, & bellum ciuile ac domeſticum, & totius urbis ac imperij occaſum appropinquare dixerunt, niſi dij immortales omni ratione placati, ſuo numine prope fata ipſa flexiſſent. itaque illorum reſponſis tunc & ludi decem per dies facti ſunt; neque res ulla, quae ad placandum deos pertineret, praetermiſſa eſt: idemq. iuſſerunt ſimulacrum Iouis facere maius. & in excelſo collocare, &, contra atque ante fuerat, ad orientem conuertere: ac ſe ſperare dixerunt, ſi illud ſignum, quod videtis, ſolis ortum, & forum curiamq. conſpiceret, fore, ut ea conſilia, quae clam eſſent inita contra ſalutem urbis, atque imperij, illuſtrarentur, vt a ſenatu, populoque R. perſpici poſſent. atque illud ita collocandum conſules illi ſtatuerunt: ſed tanta fuit operis tarditas, ut neque a ſuperioribus conſulibus, neque a nobis ante hodiernum diem collocaretur. Hic quis poteſt eſſe, Quirites, tam auerſus a vero, tam praeceps, tam mente captus, quin neget haec omnia, quae videmus, praecipueq. hanc vrbem deorum immortalium nutu, atque poteſtate adminiſtrari? etenim cum eſſet ita reſponſum, caedes, incendia, interitumq. rep. comparari, & ea per ciues: quae tum propter magnitudinem ſcelerum nonnullis incredibilia videbantur, ea non modo cogitata a nefarijs ciuibus, verum etiam ſuſcepta eſſe ſenſiſtis. Illud vero non ne ita praeſens eſt, ut nutu Iouis Optimi Maximi factum eſſe videatur? ut, cum hodierno die mane per forum meo iuſſu & coniurati, & eorum indices in aedem Concordiae ducerentur, eo ipſo tempore ſignum ſtatueretur: quo collocato, atque ad vos, ſenatumq. conuerſo, omnia & ſenatus, & vos, quae erant contra ſalutem omnium cogitata, illuſtrata, & patefacta vidiſtis. quo etiam maiore ſunt illi odio ſupplicioq. digni, qui non ſolum veſtris domicilijs, atque tectis, ſed etiam deorum templis, atque delubris ſunt funeſtos ac nefarios ignes inferre conati, quibus ego ſi me reſtitiſſe dicam, nimium mihi ſummā, & non ſim ferendus: ille, ille Iupiter reſtitit: ille Capitolium, ille haec templa, ille hanc urbem, ille vos omnes ſaluos eſſe voluit. dijs ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemq. ſuſcepi, atque ad haec

tanta indicia perueni. Iam vero illa Allobrogum ſolicitatio, iam a Lentulo, ceteriſq. domeſticis hoſtibus tanta res tam dementer credita & ignotis, & barbaris, commiſſaeq. litterae numquam eſſent profecto, niſi a dijs immortalibus huic tantae audaciae cōſilium eſſet ereptum. Quid vero, vt homines Galli, ex ciuitate male pacata, quae gens vna reſtat, quae populo R. bellum facere & poſſe, & non nolle videatur, ſpem imperij, & rerum amplißimarum, vltro ſibi a patricijs hominibus oblatam, negligerēt, veſtramq. ſalutem ſuis opibus anteponerent; id non ne diuinitus factum eſſe putatis? praeſertim qui nos non pugnando, ſed tacendo ſuperare potuerunt.

EXPLANATIO

QVOD *mihi primum poſt hanc vrbem conditam togato contigit:*] orat. 4. Meo nomine ſupplicationem decreuiſtis: qui honos togato habitus ante me eſt nemini. Ea vero ſupplicatio ex L. Cottae ſētentia decreta eſt. nam Phil. 2. L. Cotta, inquit, vir ſummo ingenio, ſummaque prudentia, rebus ijs geſtis quas tu reprehendis, ſupplicationē decreuit verbis ampliſſimis, eiq. illi ipſi, quos modo nominaui, cōſulares ſenatuſq. cunctus aſſenſus eſt, qui honos poſt conditā hanc vrbē habitus eſt togato ante memini. C. CETHEGI *furioſam temeritatem*] orat 4 Verſatur mihi ante oculos adſpectus Cethegi, & furor in veſtra cæde baechantis Et pro Sulla. Cū Catilina egrederetur ad exercitū; Lētulus in vrbe relinqueretur; Caſſius in cendijs, Cethegus caedi praeponeretur. De hoc Salluſtius: Natura ferox, vehemens, manu promptus erat: maximū bonū in celeritate putabat. OPEM, *& auxilium nobis tulerunt.*] coniurationem ſignis non obſcuris praedicentes. De Harup. reſp. IN *Capitolio*] hac e prodigia Dio quoque narrat lib XXXVII. LEGVM *aera liquefacta.*] aereis enim tabulis in ciſae leges in Capitolio ſeruabantur. PROPE] correctio quaedam. fata enim mutari flecti ve non poſſunt. LVDI] in honorem deorum. CONIVNCTI,] Lentulus, Cethegus, Statilius Gabinius. nam ceteri quinque aberant. quamquam Ceparius paullo poſt ex fuga retractus eſt vt ait Salluſtius. EORVM *indices*] Allobrogum legati & Vulturtius. A. PATRICIIS *hominibus*] a P Cornelio Lentulo praetore, Catilina, & alijs, qui patricij generis erant. non enim dubitabant, quin Catilina, quamquam, cum ſollicitati ſunt, abeſſet, vrbe iam egreſſus, cum Lentulo, Gabinio, & alijs, qui in vrbe erat, cōſentiret.

ORATIO

QVAMOBREM, *Quirites, quoniam ad omnia puluinaria ſupplicatio decreta eſt; celebratote illos dies cum coniugibus, ac liberis veſtris. nam multi ſaepe honores dijs immortalibus iuſti habiti ſunt, ac debiti, ſed profecto iuſtiores numquam. erepti enim ex crudeliſſimo ac miſerrimo interitu, & erepti ſine caede, ſine ſanguine, ſine exercitu, ſine dimicatione. togati me vno togato duce & imperatore viciſtis. etenim recordamini, Quirites, omnes ciuiles diſſenſiones, neque ſolum eas, quas audiſtis, ſed & has, quas voſmetipſi meminiſtis, & vidiſtis. L. Sulla P. Sulpicium oppreſſit: C. Marium, cuſtodem huius vrbis, multoſq. fortes viros partim eiecit ex ciuitate, partim interemit. Cn. Octauius conſul armis ex urbe collegam ſuū expulit. omnis hic locus aceruis corporum, & ciuium ſanguine redundauit. ſuperauit poſtea Cinna cū Mario. tum uero, clariſſimis viris interfectis, lumina ciuitatis extincta ſunt. vltus eſt huius victoriae crudelitatem poſtea Sulla, ne dici quidem opus eſt quāta deminutione ciuium, & quanta calamitate reip. diſſenſit M. Lepidus a clariſſimo, & fortiſſimo viro, Q. Catulo: attulit non tam ipſius interitus reip. luctum, quam ceterorum. atque illae diſſenſiones erant huiuſmodi, Quirites, quae non ad delēdam ſed ad commutandam remp. pertinerent non illi nullam eſſe remp. ſed in ea, quae eſſet, ſe eſſe principes, neque hanc vrbem conflagrare, ſed ſe in hac vrbe florere voluerunt. atque illae tamen omnes diſſenſiones, quarum nulla exitium reip. quaeſiuit, eiuſmodi fuerunt, vt non reconciliatione concordiae, ſed internecione ciuium dijudicatae ſint. in hoc autem uno poſt hominum memoriam maximo, crudeliſſimoq. bello, quale bellum nulla umquam barbaria cum ſua gente geſſit, quo in bello lex haec fuit a Lentulo, Catilina, Caſſio, Cethego conſtituta, ut omnes, qui ſalua urbe ſalui eſſe poſſent, in hoſtium numero ducerentur, ita me geſſi, Quirites, ut omnes ſalui conſeruaremini. & cum hoſtes veſtri tantum ciuium ſuperfuturum putaſſent, quantum infinitae caedi reſtitiſſet; tantum autem urbis, quantum flamma obire non potuiſſet: & urbem, & ciues integros incolumesq. ſeruaui. Quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum ego a uobis praemium uirtutis, nullum inſigne honoris, nullum monumentum laudis poſtulo, praeterquam huius diei memoriam ſempiternam. in animis ego ueſtris omnes triumphos meos. omnia ornamenta honoris, monumenta gloriae, laudis inſignia condi, & collocari uolo. nihil me mutum poteſt delectare, nihil tacitum, nihil denique huiuſmodi, quod etiam minus digni aſſequi poſſint. memoria ueſtra, Quirites, noſtrae res alentur, ſermonibus creſcent, litterarum monumentis inueteraſcent, & corroborabuntur: eandemq. diem intelligo, quam ſpero aeternam fore, & ad ſalutem urbis, & ad memoriam conſulatus mei propagatam; unoq. tempore in hac rep. duos ciues extitiſſe, quorum alter fines ueſtri imperij non terrae, ſed caeli regionibus terminaret, alter eiuſdem imperij domicilium, ſedesq. ſeruaret. ſed, quoniam earum rerum, quas ego geſſi, non eſt eadem fortuna, atque condicio, quae illorum, qui externa bella geſſerunt; quod mihi uiuendum eſt cum illis, quos uici, ac ſubegi; illi hoſtes aut interfectos, aut oppreſſos reliquerunt: ueſtrum eſt, Quirites, ſi ceteris ſua recte facta proſunt, mihi mea ne quando obſint, prouidere. mentes enim hominum audaciſſimorum ſceleratae, ac nefariae ne uobis nocere poſſent, ego prouidi; ne mihi noceant, ueſtrum eſt prouidere. quamquam, Quirites, mihi quidem ipſi nihil iam ab iſtis noceri poteſt. ma*

gnum

gnum enim eſt in vobis praeſidium, quod mihi in perpetuum comparatum eſt; magna in rep. dignitas, quae me ſemper tacita defendet; magna vis eſt conſcientiae; quā qui negligent, cum me violare volent, ſe ipſi indicabunt. eſt etiam in nobis is animus, Quirites, vt non modo nullius audaciae cedamus, ſed etiam omnes improbos vltro ſemper laceſſamus. quod ſi omnis impetus domeſticorum hoſtium, depulſus a vobis, ſe in me vnum conuerterit: vobis erit prouidendum, Quirites, qua condicione poſthac eos eſſe velitis, qui ſe pro ſalute veſtra obtulerint inuidiae, periculisq. omnibus: mihi quidem ipſi, quid eſt, quod iam ad vitae fructum poſſit acquiri? praeſertim cum neque in honore veſtro, neque in gloria virtutis quidquam videam altius, quo quidem mihi libeat aſcendere. illud perficiam profecto, Quirites, vt ea, quae geſſi in conſulatu, priuatus tuear, atque ornem: vt, ſi qua eſt inuidia in conſeruanda rep. ſuſcepta, laedat inuidos, mihi valeat ad gloriam. denique ita me in rep. tractabo, vt meminerim ſemper quae geſſerim, curemq. vt ea virtute, non caſu geſta eſſe videantur. Vos. Quirites, quoniam iam nox eſt, veneramini illum Iouem, cuſtodem huius vrbis, ac veſtrum, atque in veſtra tecta diſcedite, & ea, quamquam iam periculum eſt depulſum, tamen aeque, ac priori nocte feciſtis, cuſtodijs, vigilijsq. defendite. id ne vobis diutius faciundum ſit, atque vt in perpetua pace eſſe poſſitis, prouidebo.

EXPLANATIO

COLLEGAM *ſuum*] Cinnam OMNIS *hic locus*] vrbs vniuerſa. LVMINA *ciuitatis extincta ſunt*] Q. Catulus, M. Antonius, C. & L. Iulij fratres. Q. Scaeuola pont. max. M. LEPIDVS] conſul, Sullae factionis aduerſarius: cui, poſt obitum Sullae de reſcindendis eius actis legem promulganti, Catulus collega obſtitit. IPSIVS *interitus*] pugnauit cum Catulo in campo Martio, magnaq. ſuorum caede victus eſt: & cum in Sardiniam nauigaſſet, morbo perijt. Appianus lib. 1. CETERORVM] qui cum eo caeſi ſunt. DVOS *ciues*] Cn. Pompeium, & ſe ipſum ſignificat. NON *terra, ſed caeli*] cum dicit, caeli, mare ſignificat. orat. 2. omnia ſunt externa vnius virtute terra, marique pacata. IN. HONORE *veſtro*,] cum dederitis conſulatum, qui ſummus magiſtratus eſt. IN. GLORIA *uirtutis*] parta meis rebus geſtis, rep. domeſticis inſidijs meo labore, conſilio, periculo liberata. Coniungit honorem, ſibi a populo datum cum virtutis gloria, a ſe quaeſita. ſimiliter in ep. ad Appium: Ita & accepi, & geſſi maxima imperia, vt mihi nihil neque ad honorem neque ad gloriam acquirendum putarem. VT. EA *virtute, non caſu, geſta eſſe videantur*.] in ep. ad Metellum: Huius ego temeritati, ſi virtute, atque animo non reſtitiſſem, quis eſſet, qui me in conſulatu non caſu potius exiſtimaret, quam conſilio, fortem fuiſſe? ILLVM *Iouem*,] cum hoc diceret, Iouis templum Statoris indicabat, in cliuo Capitolino poſitum: quo in templo prima in Catilinam oratio habita eſt. nam ante hanc iterum ſenatum habuit in aede Concordiae comprehenſis Allobrogum indicio coniuratis: vt & ipſe in hac oratione, & Salluſtius auctor eſt. CVSTODEM *huius vrbis, ac veſtrum*,] qui hanc vrbem a flamma, vos a cede ſuo numine atque auxilio liberauit. Cuſtodem appellat & in prima oratione, Romuli tempora ſignificans cum Romanis fugientibus animos reſtituit. PROVIDEBO.] Hoc verbo daturum ſe operam ſignificat, vt S. C. de puniendis coniuratis quamprimum fiat.

IN·ORATIONEM·IV·CICERONIS IN. L. SERGIVM. CATILINAM IN. SENATV

PAVLLI·MANVTII COMMENTARIVS

ORATIO. XXII.

VIDEO, *P. C. in me omnium veſtrum ora, atque oculos eſſe conuerſos: video vos nõ ſolum de veſtro, ac reip. uerum etiã, ſi id depulſum ſit, de meo periculo eſſe ſolicitos. eſt mihi iucunda in malis, & grata in dolore ueſtra erga me voluntas: ſed eã per deos immortales, quaeſo deponite; atque obliti ſalutis meae, de vobis, ac de liberis veſtris cogitate. mihi quidem ſi haec conditio conſulatus data eſt: vt omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatusq. perferrem; feram non ſolum fortiter, ſed etiam libenter, dummodo meis laboribus vobis, populoq. Ro. dignitas, ſalusq. pariatur. ego ſum ille conſul, P. C. cui non forum, in quo omnis aequitas continetur; non campus, conſularibus auſpicijs conſecratus; non curia, ſummum auxilium omnium gentium; non domus, commune perfugium; non lectus, ad quietem datus; non denique haec ſedes honoris, ſella curulis, vmquam vacua mortis periculo, atque inſidijs fuit. ego multa tacui, multa pertuli, multa conceſſi, multa meo quodam dolore in veſtro timore ſanaui. nunc, ſi hunc exitum conſulatus mei dij immortales eſſe voluerunt, ut uos, P. C. populumque R. ex caede miſera, coniuges, liberosq. veſtros, virginesque Veſtales ex acerbiſſima vexatione, templa, atque delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium noſtrum ex foediſſima flamma; totam Italiam ex bello, & vaſtitate eriperem: quaecumque mihi vni proponetur fortuna, ſubeatur. etenim ſi P. Lentulus ſuum nomen inductus a vatibus, fatale ad perniciem reip. fore putauit: cur ego non laeter meum conſulatum ad ſalutem reip. prope fatalem extitiſſe? quare, P. C. conſulite uobis, proſpicite patriae, conſeruate uos coniuges, liberos, fortunasq. ueſtras; populi R. nomen, ſalutemq. defendite; mihi parcere, ac de me cogitare deſinite. nam primum debeo ſperare omnes deos, qui huic urbi praeſident, pro eo mihi, ac mereor, relaturos gratiã eſſe: deinde, ſi quid obtigerit, aequo animo, paratoq. moriar. neque enim turpis mors forti uiro poteſt accidere, neque immatura conſulari, nec miſera ſapienti. nec tamen ego ſum ille ferreus, qui fratris cariſſimi atque amantiſſimi praeſentis maerore non mouear, horumq. omnium lacrymis, a quib. me circumſeſſum uidetis: neque meam mentem non domum ſaepe reuocat exanimata uxor, abiecta metu filia, & paruulus filius, quem mihi uidetur amplecti reſp. tamquam obſidem conſulatus mei; neque ille, qui expectans huius exitum diei, adſtat in conſpectu meo, gener. moueor his rebus omnibus, ſed in eam partem, ut ſalui ſint nobiſcũ omnes, etiam ſi uis aliqua me oppreſſerit, potius, quam ut illi & nos una reip. peſte pereamus. quare, P. C. incumbite ad reip. ſalutem, circumſpicite omnes procellas, quae impendent, niſi prouidetis. non Ti. Gracchus, qui iterum tribunus pl. fieri uoluit; non C. Gracchus, qui agrarios concitare conatus eſt; non L. Saturninus, qui C. Memmium occidit, in diſcrimen aliquod, atq. in ueſtrae ſeueritatis iudicium adducitur: ſed tenentur ij, qui ad urbis incendium, ad ueſtrum omnium caedem, ad Catilinam accipiendum Romae reſtiterunt: tenentur litterae, ſigna, manus: denique uniuſcuiuſque confeſſio: ſollicitantur Allobroges: ſeruitia excitantur: Catilina arceſſitur: id eſt initum conſilium, ut, interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum quidem populi R. nomen, atque ad lamẽtandum tanti imperij calamitatem relinquatur. haec omnia indices detulerunt, rei confeſſi ſunt, uos multis iam iudicijs iudicauiſtis: primum, quod mihi gratias egiſtis ſingularibus uerbis, & mea uirtute, atq. diligentia perditorum hominum patefactam eſſe coniurationem decreuiſtis: deinde, quod P. Lentulum, ut ſe abdicaret praetura, coegiſtis: tum, quod eum, & ceteros, de quibus iudicaſtis, in cuſtodiam dandos cenſuiſtis: maximeque, quod meo nomine ſupplicationem decreuiſtis; qui honos togato habitus ante me eſt nemini: poſtremo, heſterno die praemia legatis Allobrogum, Titoque Vulturtio dediſtis ampliſſima. quae ſunt omnia eiuſmodi, ut ij, qui in cuſtodiam nominatim dati ſunt, ſine ulla dubitatione a uobis damnati eſſe uideantur. ſed ego inſtitui referre ad uos, P. C. tamquam integrum, & de facto, quid iudicetis; & de poena, quid cenſeatis. illa praedicam, quae ſunt conſulis.*

EXPLA-

EXPLANATIO

VIDEO. P. C.] bis antea ſenatum habuerat, ſed in templo Iouis Statoris, cum in Catilinam præſentem eſt inuectus: iterum in æde Concordiæ, cũ introduxit principes coniurationis, Allobrogum indicio comprehenſos: tertio nunc, ſenatu in eiuſdem Iouis templum conuocato, hanc orationem de puniendis coniuratis habet. nam cum infra dicat: Neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere, neq. immatura cõſulari: & in Phil. 2. Si ab hinc annis prope viginti hoc ipſo in templo negaui poſſe mortem immaturã eſſe conſulari: quanto verius nunc negabo ſeni? hęc, inquam, dicens perſpicue demonſtrat, quo in templo illa in Antonium oratio habita ſit, eodem hanc in Catilinam quartam habitam eſſe. illam vero in Antonium in templo Iouis Statoris eſſe habitã, ipſo teſte Cicerone cognoſcitur. Hanc autem orationẽ, dictis a Silano, & Cæſare ſententijs, cum nondũ Cato rogatus eſſet, habendam putauit, vt ſenatũ ad ſeueritatẽ hortaretur, veritus ne ſentẽtiam Caeſaris ſequeretur, quæ mortis pęnam remouebat, ceterorum ſuppliciorũ acerbitates amplectebatur. SI. ID *depulſum ſit,*] morte illorum, qui traditi in cuſtodiam ſunt. NON *campus conſularibus auſpicijs conſecratus;*] auſpicatum locum vocat in oratione pro Rabirio perd r. NON *lectus, ad quietem datus;*] or. 1. in Catil. repertos eſſe duos equites Romanos, qui ſeſe illa ipſa nocte paullo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur. SELLA *curulis,*] ſella curuli ſedebant aedilis, praetor, conſul Sed cum dixerit, Hęc ſedes honoris: venit in mẽtem ſuſpicari, ne, Sella curulis additum ſit interpretandi gratia nõa Cicerone ſcriptum. HORVMQ. *omnium lacrumis,*] non propinquorum, ſed amicorum, qui ſenatores erant. nam propinqui ſunt frater, filius, gener, quos nominat. PARVVLVS *filius.*] bimus natus enim eſt Cotta & Torquato cos. vt ex ep. 1. ad Att intelligitur. QVEM *mihi videtur amplecti reſp.*] fortaſſe rectius: Qui mihi videtur amplecti remp. vt hoc dicatur: ideo amplecti remp. videtur, ut per eã ſibi caueatur ab improbis ciuibus ob cõſulatum meum ſeueriſſime, ideſt pro ipſa rep. geſtum. ADSTAT *in conſpectu meo*] extra curiae valuas. vt opinor. nam cum quaeſtor fuerit Piſone & Gabinio cos. ut in orat. poſt Red in ſen. non uidetur Cicerone conſule ſenator eſſe potuiſſe: cum præſertim ſenatũ aliquot annis ante cẽſores legiſſent Lentulus & Gellius. GENER.] C Piſo L. F. Frugi, cui Tulliolã biennio ante, ideſt Cotta & Torquato cos. collocauit: ut ep 2. ad Att. lib 1 QVI *C. Memmium occidit,*] conſulatum petentem, uirum optimum. Appianus NOMINATIM] Lentulus P. Lentulo Spintheri, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caeſari Gabinius M. Craſſo, Ceparius Cn Terentio. Salluſtius. DE *factis,*] de eo, quod ab ijs commiſſum eſſe conſtat, qui in cuſtodiam dati ſunt.

ORATIO

EGo magnum in rep. verſari furorem, & noua quaedam miſceri, & concitari mala, iampridem videbam: ſed hanc tantam, tam exitioſam haberi coniurationem a ciuibus, numquam putaui. nunc, quidquid eſt, quocumque veſtræ mentes inclinant, atque ſententia, ſtatuendum vobis ante noctem eſt quantum facinus ad vos delatum ſit, videtis. huic ſi paucos putatis affines eſſe, vehementer erratis. latius opinione diſſeminatum eſt hoc malum: manauit non ſolum per Italiam, verum etiam tranſcendit alpes, & obſcure ſerpens multas iam prouincias occupauit. id opprimi ſuſtentando ac prolatando nullo pacto poteſt. quacumque ratione placet, celeriter vobis vindicandum eſt. Video duas adhuc eſſe ſententias. vnam D. Silani, qui cenſet eos, qui haec delere conati ſunt, morte eſſe multandos; alteram C. Caeſaris. qui mortis poenam remouet, ceterorum ſuppliciorum omnes acerbitates amplectitur. uterque & pro ſua dignitate, & pro rerum magnitudine in ſumma ſeueritate verſatur. alter eos, qui nos omnes, qui populum Romanum vita priuare conati ſunt, qui delere imperium, qui populi Romani nomen exſtinguere, punctum temporis frui vita, & hoc communi ſpiritu non putat oportere: atque hoc genus poenae ſaepe in improbos ciues in hac rep. eſſe vſurpatum recordatur. alter intelligit, mortem a dijs immortalibus non eſſe ſupplicij cauſſa conſtitutam, ſed aut neceſſitatem naturae, aut laborum, ac miſeriarum quietem eſſe: itaque eam ſapiẽtes numquam inuiti, fortes etiam ſaepe libenter appetiuerunt: vincula vero, & ea ſempiterna, certe ad ſingularem poenam nefarij ſceleris inuenta ſunt. municipijs diſpertiri iubet. habere videtur iſta res iniquitatem, ſi imperare velis; difficultatem, ſi rogare decernatur tamen, ſi placet: ego enim ſuſcipiam, &, vt ſpero, reperiam, qui id, quod ſalutis omnium cauſſa ſtatueritis non putet eſſe ſuae dignitatis recuſare. adiungit grauem poenam municipibus: ſi quis eorum vincula ruperit: horribiles cuſtodias circumdat: & digna ſcelere hominum perditorũ ſancit, ne quis eorum poenam, quos condemnat, aut per ſenatum, aut per populum leuare poſſit: eripit etiam ſpem, quae ſola hominem in miſerijs conſolari ſolet: bona praeterea publicari iubet: vitam ſolam relinquit nefarijs hominibus: quam ſi eripuiſſet, multas uno dolore animi, ac corporis, & omnes ſcelerum poenas ademiſſet. itaque, vt aliqua in vita formido improbis eſſe poſita, apud inferos eiuſmodi quaedam illi antiqui ſupplicia impijs conſtituta eſſe voluerunt: quod videlicet intelligebant, his remotis, non eſſe mortem ipſam pertimeſcendam. Nunc, P. C. ego me a video quid interſit. ſi eritis ſecuti ſententiam C. Caeſaris; quoniam hanc is in repub. uiam, quae popularis habetur, ſecutus eſt: fortaſſe minus erunt hoc monitore, & auctore, huiusce ſententiae mihi populares impetus pertimeſcendi. ſin illam alteram ſecuti eritis, neſcio, an amplius mihi negotij contrahatur: ſed tamen meorum periculorum rationes utilitas reip. vincat.

cat. habemus enim a C. Caeſare, ſicut ipſius dignitas, & maiorum eius amplitudo poſtulabat, ſententiam tamquam obſidem perpetuae in rempub. voluntatis; intellectum eſt, quid interſit inter leuitatem concionatorum, & animum uere popularem, ſaluti populi conſulentem. uideo, de iſtis, qui ſe populares haberi uolunt, abeſſe non neminem; ne de capite uidelicet ciuium Ro. ſententiam ferat. is & nudius tertius in cuſtodiam ciues Ro. dedit; & ſupplicationem eſſe decreuit; & indices heſterno die maximis praemijs affecit. iam hoc nemini dubium eſt, qui reo cuſtodiam, quaeſitori gratulationem, indici praemium decreuit, quid de tota re, & cauſſa iudicarit. at vero C. Caeſar intelligit legem Semproniam eſſe de ciuib. Rom. conſtitutam; qui autem reip. ſit hoſtis, eum ciuem eſſe nullo modo poſſe; denique ipsum latorem legis Semproniae iuſſu populi poenas reip. dependiſſe. idem etiam ipſum largitorem Lentulum, & prodigum non putat, cum de pernicie reip. & exitio huius urbis tam acerbe, tamq. crudeliter cogitarit, appellari poſſe popularem. itaque homo mitiſſimus, atque leniſſimus, non dubitat P. Lentulum aeternis tenebris, uinculisq mandare: & ſancit in poſterum, ne quis huius ſupplicio leuando ſe iactare, & in perniciem reip. poſthac popularis eſſe poſſit. adiungit etiam publicationem bonorum; ut omnis animi cruciatus, & corporis etiam egeſtas ac mendicitas conſequatur. Quamobrem, ſiue hoc ſtatueritis, dederitis mihi comitem ad concionem populo R. carum, atque iucundum: ſiue illam Silani ſententiam ſequi malueritis, facile me, atque uos a crudelitatis uituperatione defendetis, atque obtinebo, eam multo leuiorem fuiſſe. quamquam, P. C. quae poteſt eſſe in tanti ſceleris immanitate punienda crudelitas? ego enim de meo ſenſu iudico. nam, ita mihi ſalua repub. vobiſcum perfrui liceat, ut ego, quod in hac cauſſa uehementior ſum, non atrocitate animi moueor, (quis enim eſt me mitior?) ſed ſingulari quadam humanitate, & miſericordia. uideor enim mihi hanc urbem uidere, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, ſubito uno incendio concidentem; cerno animo ſepultam patriam, miſeros, atque inſepultos aceruos ciuium: uerſatur mihi ante oculos adſpectus Cethegi & furor in ueſtra caede bacchantis. cum uero mihi propoſui regnantem Lentulum, ſicut ipſe ſe ex fatis ſperaſſe confeſſus eſt, purpuratum eſſe hunc Gabinium, cum exercitu ueniſſe Catilinam, tum lamentationem matrumfamilias, tum fugam uirginum, atque puerorum, ac uexationem uirginum Veſtalium, perhorreſco; &, quia mihi uehementer haec uidentur miſera, atque miſeranda, iccirco in eos, qui ea perficere uoluerunt, me ſeuerum, uehementemq. praebeo. etenim quaero, ſi quis paterfamilias, liberis ſuis a ſeruo interfectis, uxore occiſa, incenſa domo, ſupplicium de ſeruis quam acerbiſſimum ſumpſerit; utrum is clemens, ac miſericors, an inhumanus, & crudeliſſimus eſſe uideatur? mihi uero importunus, ac ferreus, qui non dolorem ſuum & cruciatum dolore nocentis, & cruciatu leuierit. ſic nos in ijs hominibus, qui nos, qui coniuges, qui liberos noſtros trucidare uoluerunt, qui ſingulas uniuſcuiuſque noſtrum domos, & hoc uniuerſum reip. domicilium delere conati ſunt, qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in ueſtigijs huius urbis, atque in cinere deflagrati imperij collocarent; ſi uehementiſſimi fuerimus, miſericordes habebimur; ſin remiſſiores eſſe uoluerimus ſummae nobis crudelitatis in patriae ciuiumque pernicie fama ſubeunda eſt.

E X P L A N A T I O

SVSTENTANDO] morando, vt ad Q. fr. lib. 2. Aedificationem Areani ad tuum aduentum ſuſtētari placebat. Et lib. 2. de Inuen. Vtrum ſtatim fieri neceſſe, vtrum habeat aliquam moram & ſuſtentationem. DVAS] nondum ſententiam Cato dixerat. D. SILANI,] conſulis deſignati. qui enim priore loco deſignatus erat conſul, is in ſenatu primus omnium ſententiam, rogabatur. Hoc *genus poenae ſaepe in improbos ciues in hac rep. eſſe vſurpatum recordatur.*] orat. 1. Perſaepe etiam priuati in hac rep. pernicioſos ciues morte multarunt. Quae ſentētia reſpicit, vt arbitror, priſca tempora, cum lex Porcia, quae virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit, lata nondum eſſet. nam poſt eam legem ſepe ciues Romanos morte multatos eſſe non arbitror. SI. IMPERARE *velis*;] municipijs, vt eos cuſtodiant. DIFFICVLTATEM,] nam ſi vt eos cuſtodiant, rogemus, non facile impetrabimus. DECERNATVR *tamen*,] quod Cæſar ſentit. SVSCIPIAM,] in me recipiam. VOLVERVNT;] quod Cicero credere non videtur: idq. non hic modo, ſed etiam in Cluētiana, & in Tuſc. 1. ſignificat. Horatius quoque ode 4 lib. 1. & Plato in Phaedone, & lib. 1. de rep. fabulam appellat. Homerus tamen vera illa ſupplicia putat, ſicuti ſunt. POENAS *reip. dependiſſe*.] interfectus eſt enim C. Gracchus, vt auctor pernicioſarum legum, ab Opimio conſule. Ex *fatis*] ex libris ſibillinis, fata praedicentibus. PVRPVRATVM *eſſe*] praetextatum, in magiſtratu. ET *Gabinium*,] etiam Gabinium quamquam ſenator non ſit. erat enim, vt Salluſtius docet, equeſtris ordinis. IN *ueſtigijs huius urbis*,] non in hac vrbe, quam illi incendio tollere, ac delere cogitabant, ſed, vrbe incenſa, in eius veſtigijs. propterea ſequitur, In cinere deflagrati imperij.

O R A T I O

NIſi vero cuipiam L. Caeſar, uir fortiſſimus, & amantiſſimus reip. crudelior nudius tertius eſt, uiſus, cum ſororis ſuae, feminae lectiſſimae, uirum praeſentem, & audientem uita priuandum eſſe dixit, cuius aui iuſſu conſularem interfectum, filiumq. eius impuberem, legatum a patre miſſum, in carcere necatum eſſe dixit, quorum, quod ſimile fuit factum? quod initum delendae reip. conſilium? largitionis uoluntas tum in rep. uerſata eſt, & partium quaedam contentio. atque illo tempore huius auus Lentuli, clariſſimus uir, armatus

Gracchum

Gracchum eſt perſecutus, & graue tum vulnus accepit, ne quid de ſumma dignitate reip. minueretur: hic ad euertenda fundamenta reip. Gallos accerſiuit, ſeruitia concitauit, Catilinam euocauit, attribuit nos trucidandos Cethego, ceteros ciues interficiendos Gabinio, vrbem inflammandam Caſſio, totam Italiam vaſtandam, diripiendamq. Catilinae. Vereamini, cenſeo, ne in hoc ſcelere tam immani ac nefario nimis aliquid ſeuere ſtatuiſſe videamini: cum multo magis ſit verendum, ne remiſſione poenae crudeles magis in patriam, quam ſeueritate animaduerſionis nimis vehementes in acerbiſſimos hoſtes fuiſſe videamur. Sed ea, quae exaudio P.C. diſſimulare non poſſum. iactantur enim voces, quae perueniunt ad aures meas, eorum, qui vereri videntur, vt habeam ſatis praeſidij ad ea, quae vos ſtatueritis hodierno die, tranſigenda. omnia prouiſa, parata, & conſtituta ſunt, P. C. cum mea ſumma cura, atque diligentia, tum multo etiam maiore populi R. ad ſummum imperium retinendum, & ad communes fortunas conſeruandas voluntate. omnes adſunt omnium ordinum homines, omnium denique aetatum: plenum eſt forum: pleni omnes aditus huius loci, ac templi. cauſſa enim eſt poſt vrbem conditam haec inuenta ſola, in qua omnes ſentirent vnum atque idem, praeter eos, qui cum ſibi viderent eſſe pereundum, cum omnibus potius; quam ſoli perire voluerunt. hoſce ego homines excipio, & ſecerno libenter: neque enim in improborum ciuium, ſed in acerbiſſimorum hoſtium numero habendos puto. ceteri vero, dij immortales, qua frequentia, quo ſtudio, qua virtute ad communem dignitatem, ſalutemq. conſentiunt? quid ego hic equites R. commemorem? qui vobis ita ſumma ordinis conſilijq. concedunt, vt vobiſcum de amore reip. certent: quos ex multorum annorum diſſenſione ad huius ordinis ſocietatem, concordiamq. reuocatos, hodiernus dies vobiſcum, atq. haec cauſſa coniungit: quam coniunctionem ſi in conſulatu confirmatam meo, perpetuam in rep. tenuerimus; confirmo vobis, nullum poſthac malum ciuile ac domeſticũ ad vllam reip. partem eſſe venturum. pari ſtudio defendendae reip. conueniſſe video tribunos aerarios, fortiſſimos viros, ſcribas item vniuerſos: quos cum caſu hic dies ad aerarium frequẽtes conuocaſſet video ab exſpectatione ſortis ad communem ſalutem eſſe conuerſos. omnis ingenuorum adeſt multitudo, etiam tenuiſſimorum. quis eſt enim, cui non haec templa, aſpectus vrbis, poſſeſſio libertatis, lux denique haec ipſa, & hoc commune patriae ſolum cum ſit carum, tum vero dulce, atque iucundum?

E X P L A N A T I O

SORORIS *ſuae,*] matris Antonij, qui triumuir poſtea fuit: nunc P. Lentuli, coniuratorum principis, vxor erat. PRAESENTEM,] in ſenatu. CVIVS *aui*] P. Lentuli, principis ſenatus: de quo orat. 3. Eſt vero, inquam, ſignum notum, imago aui tui, clariſſimi viri, qui amauit vnice patriam, & ciues ſuos. CONSVLAREM] M. Fuluium Flaccum. INTERFECTVM] Opimij Conſulis iuſſu. FILIVMQ. *eius*] minorem filium, qui nihil peccauerat: in quo Opimius, vt nimium crudelis, accuſatus eſt. AD EA *tranſigenda.*] ad ſupplicium de coniuratis ſumendum. TEMPLI.] Iouis Statoris. CVM *ſibi viderent eſſe pereundum.*] aere alieno. hi ſunt, quos orat. 2. in quartum genus improborũ ciuiũ retulit. quo loco haec dixit: Non intelligo, quamobrẽ ſi viuere honeſte nõ poſſunt, perire turpiter velint; aut cur, minore dolore perituros ſe cũ multis, quã ſi ſoli pereant arbitrentur. CVM *omnibus*] ſi de ſocijs Catilinae loqueretur, cum multis, diceret, non, cũ omnibus: vt orat. 2. communem igitur perniciem ſignificat: quam illi maluerunt, quam ſoli perire. EX *multorum annorum diſſenſione*] propter iudicia: quae cum C. Gracchus adempta ſenatoribus ad equeſtrem ordinem tranſtuliſſet, poſtea Sulla victor ab equitibus ad ſenatũ reuocauit. nunc etſi vterque ordo Aurelia lege iudicabat; adhuc tamen inter eos diſſenſiones erant. IN CONSVLATV *confirmatam meo,*] id ſignificat ep. 15. lib. 1. ad Att. his verbis. Tueor, ut poſſum, illam a me conglutinatam concordiam. Et ad eundem epiſt. 1. lib. 2. Nunc vero, cum equitatus ille, quem ego in cliuo Capitolino, te ſignifero, ac principe, collocaram, ſenatum deſeruerit. PERPETVAM] perpetua non fuit ea coniunctio, duabus de cauſis primum, quia, publicanis a ſenatu petentibus, vt induceretur locatio, qua redemerant Aſiae vectigalia, in qua fatebantur, ſe, cupiditate prolapſos, nimium magno conduxiſſe, ſenatus nõ conceſſit. qua de re ſic ep. 16. lib. 1. ad Att. Cato miſeros publicanos tertium iam menſem vexat, neque eis a ſenatu reſponſum dari patitur. Et ep. 1. lib. 2. ad eundem: Quid impudentius publicanis renũciantibus? fuit tamen, retinendi ordinis cauſſa, facienda iactura. reſtitit, & peruicit Cato. Altera cauſſa eſt de accuſandis ijs, qui ob rem iudicãdam pecuniam accepiſſent quod perſpicue ad equeſtrem ordinem pertinebat, ideſt ad illa tempora, quibus cum ſoli equites iudicarent, acceptae pecuniae infamia laborarunt. de quo in eadẽ ep. Quid verius, quã in iudiciũ venire qui ob rem iudicandã pecuniã acceperint? cenſuit hoc Cato: aſſenſit ſenatus. equites curiae bellum. HIC DIES] nonae Dec. AB *exſpectatione ſortis*] quae ſortitio futura eſſet, hiſtoria non oſtendit. fortaſſe, qui ſcribae operam aerario dare deberent anno ſequẽti, ſorti permittebatur. HAEC *templa,*] quae circa forũ erant.

O R A T I O

OPERAE PRETIVM eſt, P. C. libertinorum hominum ſtudia cognoſcere, qui ſua virtute fortunam ciuitatis conſecuti, hanc vere ſuam patriam eſſe iudicant: quam quidam hinc nati, & ſummo nati loco, non patriam ſuam, ſed urbem hoſtium eſſe iudicauerunt. ſed quid ego huiuſce ordinis homines commemorẽ? quos

priuatae fortunae, quos communis reſp. quos denique libertas ea, quae, dulciſſima eſt, ad ſalutem patriae defendendam excitauit. ſeruus eſt nemo, qui modo tolerabili condicione ſit ſeruitutis, qui non audaciam ciuium perditorum perhorreſcat, qui non obſtare cupiat, qui non tantum quantum audet, & quantum poteſt, conferat ad communem ſalutis voluntatem. Quare, ſi quem veſtrum forte commouet hoc, quod auditum eſt, lenonem quendam Lentuli concurſare circum tabernas, pretio ſperantem ſolicitari poſſe animos egentium, atque imperitorum: eſt id quidem coeptum, atque tentatum; ſed nulli ſunt inuenti tam aut fortuna miſeri, aut voluntate perditi, qui non ipſum illum ſellae, atque operis, & quaeſtus quotidiani locum, qui non cubile, ac lectulum ſuum, qui denique non curſum hunc otioſum vitae ſuae ſaluum eſſe velint. multo vero maxima pars eorum, qui in tabernis ſunt, immo vero (id enim potius eſt dicendum) genus hoc vniuerſum amantiſſimum eſt otij. etenim omne eorum inſtrumentum, omnis opera, ac quaeſtus frequentia ciuium ſuſtinetur, alitur otio: quorum ſi quaeſtus, occluſis tabernis, minui ſolet; quid tandem, incenſis, futurum eſt? Quae cum ita ſint, P.C. vobis populi R. praeſidia non deſunt: vos, ne populo R. deeſſe videamini, prouidete. habetis conſulem ex plurimis periculis, & inſidijs, atque ex media morte non ad vitam ſuam, ſed ad ſalutem veſtram reſeruatum. omnes ordines ad conſeruandam remp. mente, voluntate, ſtudio, virtute, voce conſentiunt. obſeſſa facibus, & telis impiae coniurationis, vobis ſupplex manus tendit patria communis: vobis ſe, vobis vitam omnium ciuium, vobis arcem, & Capitolium, vobis aras, penates, vobis illum ignem Veſtae perpetuum, ac ſempiternum, vobis omnia templa deorum, atque delubra, vobis muros, atque vrbis tecta commendat. praeterea de veſtra vita, de coniugum veſtrarum, ac liberorum anima, de fortunis omnium, de ſedibus, de focis veſtris hodierno die vobis iudicandum eſt. habetis ducem memorem veſtri, oblitum ſui: quae non ſemper facultas datur. habetis omnes ordines, omnes homines, vniuerſum populum R. id quod in ciuili cauſſa hodierno die primum videmus, vnum atque idē ſentientem. cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute ſtabilitam libertatem, quanta deorum benignitate auctas, exaggeratasq. fortunas vna nox paene delerit. id ne vmquam poſthac non modo confici, ſed ne cogitari quidē poſſit, vobis hodierno die prouidendum eſt. Atque haec, non vt vos, qui mihi ſtudio paene praecurritis, excitarem, locutus ſum; ſed vt mea vox, quae debet eſſe in rep. princeps, officio functa conſulari videretur. nunc, antequam ad ſententiam redeo, de me pauca dicam. Ego, quanta manus eſt coniuratorum, quam videtis eſſe permagnam, tantam me inimicorum multitudinem ſuſcepiſſe video: ſed eam eſſe iudico turpem, & infirmam, contemptam, & abiectam. quod ſi aliquando alicuius furore, & ſcelere concitata manus iſta plus valuerit, quam veſtra, ac reip. dignitas: me tamen meorum factorum, atque conſiliorum numquam, P.C. paenitebit. etenim mors, quam illi mihi fortaſſe minitantur, omnibus eſt parata: vitae tantam laudem, quanta vos me veſtris decretis honeſtaſtis, nemo eſt aſſecutus. ceteris enim ſemper bene geſtae, mihi vni conſeruatae reipub. gratulationem decreuiſtis. ſit Scipio clarus ille cuius conſilio, atque virtute Hannibal in Africam redire, atque ex Italia decedere coactus eſt: ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas vrbes huic imperio infeſtiſſimas, Carthaginem, Numantiamque, deleuit: habeatur uir egregius L. Paullus ille, cuius currum rex potentiſſimus quondam, & nobiliſſimus Perſes honeſtauit: ſit in aeterna gloria Marius, qui bis Italiam obſidione, & metu ſeruitutis liberauit: anteponatur omnibus Pompeius, cuius res geſtae, atque uirtutes iiſdem, quibus ſolis curſus, regionibus, ac terminis continentur. erit profecto inter horum laudes aliquid loci noſtrae gloriae. niſi forte maius eſt patefacere nobis prouincias, quo exire poſſimus; quam curare, vt etiam illi, qui abſunt, habeant quo victores reuertantur. quamquam eſt in vno loco condicio melior externae uictoriae, quam domeſticae: quod hoſtes alienigenae aut oppreſſi ſeruiunt, aut recepti beneficio ſe obligatos putant; qui autem ex numero ciuium dementia aliqua deprauati, hoſtes patriae ſemel eſſe coeperunt, eos, cum a pernicie reip. repuleris, neque vi coercere, neque beneficio placare poſſis. quare mihi cum perditis ciuibus aeternum bellum ſuſceptum eſſe video: quod ego veſtro bonorumq. omnium auxilio, memoriaq. tantorum periculorum, quae non modo in hoc populo, qui ſeruatus eſt, ſed etiam in omnium gentium ſermonibus, ac mentibus ſemper haerebit, a me, atque a meis facile propulſari poſſe confido. neque vlla profecto tanta vis reperietur, quae coniunctionem veſtram equitumq. R. & tantam conſpirationem bonorum omnium perfringere, & labefactare poſſit. Quae cū ita ſint, P.C. pro imperio, pro exercitu, pro prouincia, quam neglexi; pro triumpho, ceteriſq. laudis inſignibus, quae ſunt a me propter vrbis, veſtraeq. ſalutis cuſtodiam repudiata; pro clientelis, hoſpitijſq. prouincialibus, quae tamē vrbanis opibus nō minore labore tueor, quam comparo; pro his igitur omnibus rebus, & pro meis in vos ſingularibus ſtudijs, proq. hac, quam conſpicitis, ad conſeruandam remp. diligentia nihil aliud a vobis, niſi huius temporis, totiuſq. mei conſulatus memoriam poſtulo: quae dum erit veſtris mentibus infixa, firmiſſimo me muro ſaeptum eſſe arbitrabor. quod ſi meā ſpem vis improborum fefellerit, atque ſuperauerit; commendo vobis paruum meum filium: cui profecto ſatis erit praeſidij non ſolum ad ſalutem, verum etiam ad dignitatem, ſi eius, qui haec omnia ſuo ſolus periculo conſeruauerit, illum eſſe filium memineritis. Quapropter de ſumma ſalute ueſtra, populiq. R. P.C. de ueſtris coniugibus, ac liberis, de aris, ac focis, de fanis, ac templis, de totius urbis tectis, ac ſedibus, de imperio, de libertate, de ſalute Italiae, deq. uniuerſa rep. decernite diligenter, ut inſtituiſtis, ac fortiter: habetis enim conſulem, qui & parere ueſtris decretis non dubitet; & ea, quae ſtatueritis, quo ad uiuet, defendere, & per ſe ipſum praeſtare poſſit.

EXPLANATIO

LIBERTINORVM] qui non erant ingenui. SVA *uirtute*] ſua probitate, ſuiſq. meritis erga eos, quibus antea ſeruiebant. FORTVNAM *ciuitatis*] vt a dominis manumiſſi ciues Romani eſſent.

eſſent. VERE] cum vere non ſit. nati enim ſerui ſunt, nec in vrbe omnes, aut etiam in Italia. SVMMO *loco nati*,] vt Lentulus, vt Catilina, patricij generis vterque. HODIERNO *die primum*,] nam cum ſp. Melio, quem occidit Seruilius Ahala, & cum Gracchis, quorum alterum P. Scipio pont. max. alterum L. Opimius conſul, & cum Saturnino, & Glaucia, quos C. Marius conſul, multi fuerunt. SIT. *Scipio clarus ille*.] ita quattuor laudat imperatores, vt varietate lectorem delectet: primum, ſit clarus: alterum, Ornetur eximia laude: tertium Habeatur vir egregius: quartum, Sit in aeterna gloria. Quae tamquam communis laudatio eſt. ſic enim, non modo quicumque res bello praeclaras geſſerit, verũ etiam, quicumq aliqua virtute praeſtet, laudari poteſt. at Põpeij propria quaedam laus & ſingularis eſt: cuius res geſtae atq. virtutes iiſdem, quibus ſolis curſus, regionibus ac terminis continentur. & or. 3. de eodem: Fines veſtri imperij non terrae, ſed coeli regionibus terminaret. CONSILIO,] quia putauit in Africam tranſeundum, vt Hannibal Italiam relinquere cogeretur. VIRTVTE] ſine qua conſilium inutile fuiſſet. QVI *bis Italiam obſidione, & metu ſeruitutis liberauit*.] Bis dicit, propter Ambrones, & Teutonas in Gallia, Cimbros in Italia deuictos. PRO *exercitu*] quem habuiſſet in prouincia PRO *prouincia, quam neglexi*,] ea Gallia fuit. vt in oratione in Piſonem. de qua in ep. ad Catonem lib. xv. Et prouinciam ornatam, & ſpem non dubiam triumphi neglexi. VT *inſtituiſtis*] nam ſuperiore ſenatu, quem habuit in aede Concordiae, indicijs contra coniuratos expoſitis, confeſſiſq coniuratis, cum ſenatum conſuluiſſet, de ſumma reip. quid fieri placeret; dictaeq. eſſent a principibus acerrimae ac fortiſſimae ſententiae; ſenatus eas ſine vlla varietate eſt conſecutus: vt orat. 3. PER *ſe ipſum praeſtare*] efficere, nequis ea ciuis improbus infirmare poſſit. Per ſe ipſum, dicit, quod aliorum opem exſpectaturus in ea defenſione non ſit.

IN. ORATIONEM. CICERONIS
PRO. L. LICINIO. MVRENA
PAVLLI· MANVTII
COMMENTARIVS

A R G V M E N T V M.

COMITIIS *conſularibus, quæ conſul Cicero habuit, D. Iunius Silanus, & L. Licinius Murena conſules deſignati ſunt poſt comitia Murenam de ambitu competitor eius accuſauit clari nominis iuriſconſultus Ser. Sulpicius cum tribus ſubſcriptoribus, M. Catone, probitate, ſenſuq. erga remp. inſigni viro, Cn. Poſtumio, Ser. Sulpicio adoleſcente Defendit eum Cicero, defenſum iam a Q. Hortenſio, & M. Craſſo. Iucunda in primis oratio eſt. nam & iuriſconſulti propter Sulpicium exagitantur: & Stoica diſciplina, cui deditus erat Cato, facete lepideq. deluditur: adeo vt Cato, dignam conſule grauitatem ei detrahens, dixerit id, quod in Plutarcho legimus: Dij boni, quam ridiculum conſulem habemus.*

M. TVLLII. CICERONIS
PRO. L. MVRENA
ORATIO. XXIII.

*Q*VAE *precatus ſum a dijs immortalibus, iudices, more inſtitutoque maiorum, illo die, quo auſpicato comitijs centuriatis L. Murenam conſulem renunciaui; vt ea res mihi, magiſtratuiq. meo, populo plebiq. R. bene atque feliciter eueniret: eadem precor ab ijſdem dijs immortalibus ob eiuſdem hominis conſulatum vna cum ſalute obtinendum; & vt veſtrae mentes, atque ſententiae cum populi R. voluntate, ſuffragijsq. conſentiant; eaq. res vobis, populoque Rom. pacem, tranquillitatem, otium, concordiamq. afferat. quod ſi illa ſollemnis comitiorum precatio, conſularibus auſpicijs conſecrata, tantam habet in ſe vim, & religionem, quantam reip. dignitas poſtulat: idem ego ſum precatus, vt ijs quoque hominibus, quibus hic conſulatus me rogante datus eſſet, ea res fauſte, feliciter, proſpereq. eueniret. Quae cum ita ſint, iudices; & cum omnis deorum immortalium poteſtas aut tranſlata ſit ad vos, aut certe communicata nobiſcum: idem conſul eum veſtrae fidei cõmendat, qui antea dijs immortalibus commendauit, vt eiuſdem hominis voce & declaratus conſul, & defenſus, beneficium populi R. cum veſtra atque omnium ciuium ſalute tueatur. & quoniam in hoc officio ſtudium meae defenſionis ab accuſatoribus, atque etiam ipſa ſuſceptio cauſſae reprehenſa eſt. antequam pro L. Murena dicere inſtituo, pro me ipſo pauca dicam: non quo mihi potior hoc quidem in tempore ſit officij mei, quam huiuſce ſalutis, defenſio; ſed vt, meo facto vobis probato, maiore auctoritate ab huius honore, fama, fortunisq. omnibus inimicorum impetus propulſare poſſim. & primum M. Catoni, vitam ad certam rationis normam dirigenti, & diligentiſſime perpendenti momenta officiorum omnium, de officio meo reſpondebo.*

EXPLANATIO

PRO. L. MVRENA] ſic lapides Capitolini: Muraena, tamen ratio poſtulat, cum a piſce deducatur: cuius nomen Graeci ſcribunt Μύραινα. AVSPICATO] non enim ſine auſpicijs comitia in campo habebantur: ideo campus ipſe & in oratione pro Rabirio locus auſpicatus, & in Catil. 4. conſularibus auſpicijs conſecratus appellatur. RENVNCIAVI;] cur non eius collega Antonius? quia conſul priore loco creatus, comitia habebat conſularia. ME *rogante*] non, precante, ſed interrogante: vt cum diceret: Rogo vos, Quirites, velitis ne L. Licinium Murenam conſulem fieri. quod ſi populus probabat, ſuffragiorum tabellas ferebat ita inſcriptas, V. R. id eſt vti rogas. AD *certam rationis normam dirigenti*] e Stoica diſciplina.

ORATIO

*N*EGAT *fuiſſe rectum Cato, me & conſulem, & legis ambitus latorem, & tam ſeuere geſto conſulatu, cauſſam L. Murenae attingere. cuius reprehenſio me vehementer monet, non ſolum ut vobis, iudices, quibus maxime debeo, verum etiam vt ipſi Catoni, grauiſſimo atque integerrimo viro, rationem facti mei probem. A quo tandem, M. Cato, eſt aequius conſulem defendi, quam a conſule? quis mihi in rep. poteſt, aut debet eſſe coniunctior, quam is, cui reſp. a me vna traditur ſuſtinenda, magnis meis laboribus & periculis ſuſtentata? quod ſi in ijs rebus repetendis, quae mancipij ſunt, is periculum iudicij praeſtare debet, qui ſe nexu obligauit: profecto etiam rectius in iudicio conſulis deſignati is potiſſimum conſul, qui conſulem declarauit, auctor beneficij populi R. defenſorq. periculi eſſe debebit. ac ſi, vt nonnullis in ciuitatibus fieri ſolet, patronus huic cauſſae publice conſtitueretur, is potiſſime honore affecto defenſor daretur, qui eodem honore praeditus non minus afferret ad dicendum auctoritatis, quam facultatis. quod ſi e portu ſoluentibus ij, qui iam in portum ex alto inuehuntur, praecipere ſummo ſtudio ſolent & tempeſtatum rationem, & praedonum, & locorum; quod natura affert, vt eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo tandem animo me eſſe oportet, prope iam ex magna iactatione terram videntem in hunc, cui video maximas reip. tempeſtates eſſe ſubeundas? quare, ſi eſt boni conſulis, non ſolum videre quid agatur, verum etiam prouidere quid futurum ſit: oſtendam alio loco, quantum ſalutis communis interſit, duos conſules in rep. Kalendis Ian. eſſe. quod ſi ita eſt; non tam me officium debuit ad hominis amici fortunas, quã reſp. conſulem ad communem ſalutem defendendam vocare. Nam quod legem de ambitu tuli, certe ita tuli, vt eam, quam mihimet ipſi iampridem tulerim de ciuium periculis defendendis, non abrogarem. etenim, ſi largitionem factam eſſe confiterer, idq. recte factum eſſe defenderem: facerem improbe, etiam ſi alius legem tuliſſet. cum vero nihil commiſſum contra legem eſſe defendam: quid eſt, quod meam defenſionem latio legis impediat? Negat eſſe eiuſdem ſeueritatis, Catilinam, exitium reip. intra moenia molientem, verbis, & paene imperio vrbe expuliſſe, & nunc pro L. Murena dicere. Ego*

aut. m

autem has partes lenitatis, & miſericordiae, quas me natura ipſa docuit, ſemper egi libenter: illam vero grauitatis ſeueritatisq. perſonam non appetiui, ſed a rep. mihi impoſitam ſuſtinui, ſicut huius imperij dignitas in ſummo periculo ciuium poſtulabat. quod ſi tum, cum reſp. vim, & ſeueritatem deſiderabat, vici naturam, & tam vehemens fui, quam cogebar, non quam volebam: nunc, cum omnes me cauſſae ad miſericordiam, atque ad humanitatem vocent, quanto tandem ſtudio debeo naturae meae, conſuetudiniq. ſeruire? ac de officio defenſionis meae, ac de ratione accuſationis tuae fortaſſe etiam alia in parte orationis dicendum nobis erit.

EXPLANATIO

QVAE *mancipij ſunt*] quae mancipio alienatae ſunt. IS *periculum iudicij praeſtare debet*] efficere, vt alienatio illa, & venditio rata ſit: ne quid is, qui emit, damni patiatur. QVI *ſe nexu obligauit*] qui pro rebus mancipio alienatis ita promiſit, vt corpus etiam obligaret. Varro de L. L. lib. III. & in ep. Curij: Cuius proprium te eſſe ſcribis mancipio, & nexu. Nexus autem dicebatur, quod per aes, & libram gereretur. EX. MAGNA *iactatione*] poſt magna pericula. TERRAM *videntem*,] ad finem conſulatus, tamquam ad portum accedentem. DVOS *conſules*] Silanum, & Murenam. vnus enim eſſet, Murena condemnato. Decembri menſe, & poſt nonas habita videtur ratio, coniuratis interfectis: cum dixerit ſupra, Qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur. LEGEM *de ambitu tuli*] in qua erat, vt condemnatis decem annorum exſulium, praeter veteres poenas irrogaretur. NON *abrogarem.*] ferre & abrogare legem, contraria: ex contrarijs autem ſententia leporem aſſumit. Putas, inquit, me tuliſſe ciuibus omnibus legē de ambitu, quā vero mihi metipſi de ciuibus defendēdis iampridē tulerim, eam abrogaſſe? Argute, ſibi ipſi legē ferre de ciuibus defendēdis, pro, ſtatuere ſibi ciues eſſe defendendos. AB *rep. mihi impoſitam*] pro ſalute ſua. HVIVS *imperij*] conſularis.

ORATIO

SED *me, iudices, non minus hominis ſapientiſſimi, atque ornatiſſimi, Ser. Sulpicij conqueſtio, quam Catonis accuſatio commouebat: qui grauiſſime & acerbiſſime ferre dixit, me familiaritatis neceſſitudinisq. oblitum, cauſſam L. Murenae contra ſe defendere. huic ego, iudices, ſatisfacere cupio, voſq. adhibere arbitros. nam cum graue eſt, vere accuſari in amicitia: tum etiam, ſi falſo accuſeris, non eſt negligendum. Ego, Ser. Sulpici, me in petitione tua tibi omnia ſtudia, atque officia pro noſtra neceſſitudine & debuiſſe confiteor, & praeſtitiſſe arbitror. nihil tibi conſulatum petenti a me defuit, quod eſſet aut ab amico, aut a grativoſo, aut a conſule poſtulandum. abijt illud tempus: mutata ratio eſt: ſic exiſtimo, ſic mihi perſuadeo, me tibi contra honorem L. Murenae, quantum tu a me poſtulare auſus ſis, tantum debuiſſe; contra ſalutem, nihil debere. neque enim, ſi tibi tum, cum peteres conſulatum, affui, idcirco nunc, cum Murenam ipſum petas, adiutor eodem pacto eſſe debeo. atque hoc non modo non laudari, ſed ne concedi quidem poteſt, vt, amicis noſtris accuſantibus, non etiam alieniſſimos defendamus. Mihi autem cū Murena, iudices, & vetus, & magna amicitia eſt: quae in capitis dimicatione a Ser. Sulpicio non idcirco obruetur, quod ab eodem in honoris contentione ſuperata eſt. quae ſi cauſſa non eſſet; tamen vel dignitas hominis, vel honoris eius, quem adeptus eſt, amplitudo ſummam mihi ſuperbiae, crudelitatisq. famam inuſſiſſet, ſi hominis & ſuis, & populi R. ornamentis ampliſſimi cauſſam tanti periculi repudiaſſem. neque enim iam mihi licet, neque eſt integrum, vt meum laborem hominum periculis ſubleuandis non impertiam. nam, cum praemia mihi tanta pro hac induſtria ſint data, quanta antea nemini; labores, per quos ea ceperis, cū adeptus ſis, deponere, eſſet hominis & aſtuti & ingrati. quod ſi licet deſinere, ſi te auctore poſſum, ſi nulla inertiae, nulla ſuperbiae turpitudo, nulla inhumanitatis culpa ſuſcipitur: ego vero libenter deſino. ſin autem fuga laboris deſidiam, repudiatio ſupplicum ſuperbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit: nimirum haec cauſſa eſt eiuſmodi; quam nec induſtrius, quam nec miſericors, nec officioſus deſerere poſſit. atque huiuſce rei coniecturam de tuo ipſius ſtudio, Serui, facillime ceperis. nam, ſi tibi neceſſe putas etiam aduerſarijs amicorum tuorum de iure conſulentibus respondere; & ſi turpe exiſtimas, te aduocato illum ipſum, quem contra veneris, cauſſa cadere: noli tam eſſe iniuſtus, vt, cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, noſtros riuulos etiam amicis putes clauſos eſſe oportere. etenim, ſi me tua familiaritas ab hac cauſſa remouiſſet, & ſi hoc idem Q. Hortenſio, M. Craſſo, clariſsimis viris, ſi item ceteris, a quibus intelligo tuam gratiam magni aeſtimari, accidiſſet: in ea ciuitate conſul deſignatus defenſorem non haberet, in qua nemini vmquam infimo maiores noſtri patronum deeſſe voluerunt. ego vero, iudices, ipſe me exiſtimarem nefarium, ſi amico; crudelem, ſi miſero; ſuperbum, ſi conſuli defuiſſem. quare, quod dandum eſt amicitiae, large dabitur a me, vt tecum agam, Serui, non ſecus, ac ſi meus eſſes frater, qui mihi eſt cariſsimus: iſto in loco quod tribuendum eſt officio, fidei, religioni; id ita moderabor, vt meminerim me contra amici ſtudium pro amici periculo dicere.*

EXPLANATIO

ETIAM *alieniſsimos*] nedum Murenam, qui cum & vetus, & magna mihi amicitia eſt. NON *idcirco obruetur*] non idcirco fructum amico nullum feret. AB *eodem*] a Sulpicio. SVPERATA *eſt*]

eſt] quia Sulpitio potius, quam Murenae, in petitione cõſulatus adiutor fui. in quo amcitia, quae mihi cum Murena eſt, ab ea, quae cum Sulpicio, ſuperata eſt, ſupra: Sic exiſtimo, ſic mihi perſuadeo, me tibi contra honorem L. Murenae, quantum tu a me poſtulare auſus ſis, tantum debuiſſe; contra ſalutẽ, nihil debere. QVAE *ſi cauſſa non eſſet*] amicitia cum Murena. TANTI *periculi*] in qua ſummus eius honos agitur: nam damnatus conſulatum amitteret. TE *aduocato*] hic, aduocatus, non eſt is qui ad iudicium venit, vt ſuam præſentiam commodet reo, quemadmodum ait Aſconius; verum is, qui de iure conſulenti reſpõſum dedit & cuius conſilio litigatur. quo item ſenſu ſcripſit ad Trebatium: Quod ſi ſcribere oblitus es, minus multi iam te aduocato cauſſa cadent. ILLVM *ipſum, quem contra veneris.*] aduerſarium amici tui, contra quem alio tempore, in alio iudicio, veneris. Argumẽtum eſt: Si tu ne inimicis quidem tuis deeſſe vis: cur ego deſim amicis meis? quamquam ego in arte mea parũ, tu in tua vales plurimum: vt, ſi ego tecum conferar riuuli cum fontibus conferri videantur. QVEM *contra veneris.*] cuius cauſſam oppugnaueris modus loquendi, vt pro Q. Roſcio: Quid tu, Saturi, qui contra hunc venis, exiſtimas aliter? Lib. 2. in Verrem. Quid, ſi omnium mortaliũ Sthenio nemo inimicior, quam hic C. Claudius, tum ſemper, tum in his ipſis rebus, & tẽporibus, fuit? ſi de litteris corruptis contra venit? Phil. 2. Contra rem ſuam me neſcio quando veniſſe, queſtus eſt Phil. 8. Cum ſuo magno eſſet beneficio, veniſſe eum contra ſe. CAVSSA *cadere*] litem perdere contra reſponſum, conſiliumq. tuum. Q. HORTENSIO, *M. Craſſo,*] qui Murenae cauſſam ante defenderant. nam perorandi locus in quo plurimum valet oratio, Ciceroni dabatur. quod ipſe ſcripſit in Bruto. ISTO *in loco*] in hac dignitate conſulari. OFFICIO *fidei, religioni*] eſt enim officij, fideiq. meae, quem conſul renunciauerim, eundem defendere, eſt etiam religionis, cum eum auſpicato renunciauerim.

O R A T I O

INTELLIGO, *iudices, tres totius accuſationis partes fuiſſe, & earum vnam in reprehenſione vitae, alteram in contenſione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam. atque harum trium partium prima illa, quae grauiſſima eſſe debebat, ita fuit infirma, & leuis, vt illos lex magis quaedam accuſatoria, quam vera maledicẽdi facultas de vita L. Murenae dicere aliquid coegerit. Obiecta eſt enim Aſia: quae ab hoc nõ ad voluptatem, & luxuriam expetita eſt ſed in militari labore peragrata. qui ſi adoleſcens patre ſuo imperatore non meruiſſet; aut hoſtem, aut patris imperium timuiſſe, aut a parente repudiatus videretur. an, cum ſedere in equis triumphantium praetextati potiſſimum filij ſoleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, vt, rebus communiter geſtis, paene ſimul cum patre triumpharet? hic vero, iudices, & fuit in Aſia, & viro fortiſſimo parenti ſuo magno adiumẽto in periculis, ſolatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. & ſi habet Aſia ſuſpicionem luxuriae quandam; non Aſiam numquam vidiſſe, ſed in Aſia cõtinenter vixiſſe, laudandum eſt. quamobrem non Aſiae nomen obijciendum Murenae fuit, ex qua laus familiae, memoria generi, honos, & gloria nomini conſtituta eſt; ſed aliquod aut in Aſia ſuſceptũ, aut ex Aſia deportatum flagitium, ac dedecus. meruiſſe vero ſtipendia in eo bello, quod tum populus Rom. non modo maximum, ſed etiam ſolum gerebat, virtutis; patre imperatore libentiſſime meruiſſe, pietatis; finem ſtipendiorum patris victoriam, ac triumphum fuiſſe, felicitatis fuit. maledicto quidem idcirco nihil in hiſce rebus loci eſt, quod omnia laus occupauit. Saltatorem appellat L. Murenam Cato. maledictum eſt, ſi vere obijcitur, vehementis accuſatoris: ſin falſo, maledici conuiciatoris. quare, cum iſta ſis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex triuio, aut ex ſcurrarum aliquo conuicio, neque temere conſulem populi R. ſaltatorem vocare; ſed conſpicere, quibus praeterea vitiis affectum eſſe neceſſe ſit eum, cui vere iſtud obiici poſſit. nemo enim fere ſaltat ſobrius, niſi forte inſanit, neque in ſolitudine, neque in conuiuio moderato, atque modeſto. tempeſtiui conuiuii, amoeni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio. tu mihi arripis id, quod neceſſe eſt omnium vitiorum eſſe poſtremum: relinquis illa, quibus remotis hoc vitium omnino eſſe non poteſt. nullum turpe conuiuium, non amor, non comeſſatio, non libido, non ſumptus oſtenditur: & cum ea non reperiantur, quae voluptatis nomen habent, quaeque vitioſa ſunt; in quo ipſam luxuriam reperire non potes, in eo te vmbram luxuriae reperturum putas? nihil igitur in vitam L. Murenae dici poteſt? nihil, inquam, omnino, iudices. ſic a me conſul deſignatus defenditur, vt eius nulla fraus, nulla auaritia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum petulans dictum in vitam proferatur. Bene habet. iacta ſunt fundamenta defenſionis: nondum enim noſtris laudibus, quibus vtar poſtea, ſed prope inimicorum confeſſione virum bonum, atque integrum hominem defendimus. quo conſtituto, facilior eſt mihi aditus ad contentionem dignitatis, quae pars altera fuit accuſationis.*

E X P L A N A T I O.

DONIS *militaribus*] ob virtutem a patre acceptis. PATRE *imperatore*] Murenae pater, Sullae legatus, de Mithridate triumphauit. TEMPESTIVI *conuiuii*] vide, quae diximus lib. III. in Verrem, ad illud: Statuitur Lollius in illo tempeſtiuo gladiatorum conuiuio.

ORATIO

SVMMAM video eſſe in te, Ser. Sulpici, dignitatem generis, integritatis, induſtriae, ceterorumq. ornamentorum omnium, quibus fretum ad conſulatus petitionem aggredi par eſt. paria cognoſco eſſe iſta in L. Murena, atque ita paria, vt neque ipſe dignitate vinci potuerit, neque te dignitate ſuperarit. Contempſiſti L. Murenae genus, extuliſti tuum. quo loco ſi tibi hoc ſumis, niſi qui patricius ſit, neminem bono eſſe genere natum: facis, vt rurſus plebs in Auentinum ſeuocanda eſſe videatur. ſin autem ſunt amplae & honeſtae familiae plebeiae; & proauus L. Murenae, & auus praetores fuerunt, & pater, cum ampliſſime atque honeſtiſſime ex praetura triumphaſſet, hoc faciliorem huic gradum conſulatus adipiſcendi reliquit, quod is, iam patri debitus, a filio petebatur. tua vero nobilitas, Ser. Sulpici, tametſi ſumma eſt, tamen hominibus litteratis, & hiſtoricis eſt notior, populo vero, & ſuffragatoribus obſcurior. pater enim fuit equeſtri loco, auus nulla illuſtri laude celebratus: itaque non ex ſermone hominum recenti, ſed ex annaliũ vetuſtate eruenda eſt memoria nobilitatis tuae. quare ego te ſemper in noſtrum numerum aggregare ſoleo, quod virtute, induſtriaq. perfeciſti, vt, cum equitis R. eſſes filius, ſumma tamen amplitudine dignus putarere. nec mihi vmquam minus in Q. Pompeio, nouo homine, & fortiſſimo viro, virtutis eſſe viſum eſt, quam in homine nobiliſſimo M. Aemilio. etenim eiuſdem animi, atque ingenij eſt, poſteris, quod Pompeius fecit, amplitudinem nominis, quam non acceperit, tradere, &, vt Scaurus, memoriam, prope intermortuam, generis ſui, virtute renouare. quamquam ego iam putabam, iudices, multis viris fortibus ne ignobilitas obijceretur generis, meo labore eſſe perfectum, qui non modo Curijs, Catonibus, Pompeijs, antiquis illis fortiſſimis viris, nouis hominibus, ſed his recentibus Marijs, & Didijs, & Coelijs commemorandis iacebant. cum ego vero tanto interuallo clauſtra iſta nobilitatis refregiſſem, vt aditus ad conſulatum poſthac, ſicut apud maiores noſtros fuit, non magis nobilitati, quam virtuti, pateret: non arbitrabar, cum ex familia vetere, & illuſtri conſul deſignatus ab equitis R. filio conſule defenderetur, de generis nouitate accuſatores eſſe dicturos. etenim mihi ipſi accidit, vt cum duobus patricijs, altero improbiſſimo, atque audaciſſimo, altero modeſtiſſimo, atque optimo viro, peterem: ſuperaui tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. quod ſi id crimen homini nouo eſſe deberet: profecto mihi neque inimici, neque inuidi defuiſſent. omittamus igitur de genere dicere, cuius eſt magna in vtroque dignitas: videamus cetera.

EXPLANATIO

HOMINIBVS *litteratis, & hiſtoricis*] ijs, qui vetera legunt. nam a patre, & auo nobilis non es. PATER *enim fuit equeſtri loco*] animaduerte patricij generis equitem Romanum eſſe. nam Sulpicia gens patricia. equeſtri autem loco is eſt, qui ab equeſtri ordine in ſenatoriũ non tranſijt. AVVS *nulla illuſtri laude celebratus*:]hic videtur ſenator quidẽ fuiſſe, ſed honores eos quibus nobilitas comparatur, adeptus non eſſe. Q. POMPEIO,] qui cum L. Sulla conſul fuit. de hoc lib. v. in Verrem. Q. Pompeius, humili, atque obſcuro loco natus, nonne plurimis inimicitijs maximiſq. ſuis periculis, ac laboribus ampliſſimos honores eſt adeptus? MEMORIAM *prope intermortuam*]hoc Aſconij verbis explanatur. Scaurus, inquit, ita fuit patricius, vt tribus ſupra eũ aetatibus iacuerit domus eius fortuna. nã neque pater, neque auus, neque etiã proauus, vt puto, propter tenues opes, & nullã vitae induſtriã honores adepti ſunt. itaque Scauro aeque ac nouo homini laborandũ fuit. CVRIIS, *Catonibus*.]M' Curio Dentato, M Porcio Catone, nouis hominibus. POMPEIIS] mendoſum ſuſpicor. non enim Q. Pompeius. vt nouus homo proxime nominatus, qui cõſul fuit adoleſcẽtulo Cicerone, inter antiquos referri poteſt, cũ praeſertim recentes appellentur C. Marius, T. Didius, C. Coelius, qui omnes ante illũ conſules fuere: ita vt omniũ recentiſſimus ipſe dici poſſit. Appijs fortaſſe legi poſſet, vt ſignificetur Appius ille Claudius, qui ex Sabinorũ vrbe Regillo Romã profectus in patricios adſcriptus eſt. Sed huic opinioni aduerſatur illa ratio, quod ante Curiũ, & Catonẽ vtroque vetuſtior nominandus fuit. veteres igitur libri conſulendi. COELIIS] C. Coelius Caldus eſt, de quo in Verrẽ lib. v. & de petitione cõſulatus. ALTERO *modeſtiſſimo, atque optimo viro*]duo patricij P. Sulpicius Galba, L. Sergius Catilina conſulatũ cũ Cicerone petierunt. Galbã Aſconius Sobriũ ſanctumq. virũ appellat.

ORATIO

QVAESTVRAM vna petijt, & ſum ego factus prior. Non eſt reſpondendum ad omnia. neque enim quemquam veſtrum fugit, cum multi pares dignitate fiant, vnus autem primum ſolus poſſit obtinere, non eundem eſſe ordinem dignitatis, & renunciationis; propterea quod renunciatio gradus habeat, dignitas autem ſit perſaepe eadem omnium. ſed quaeſtura vtriuſque propemodum pari momento ſortis fuit. habuit hic lege Titia prouinciam tacitam, & quietam: tu illam, cui, cum quaeſtores ſortiuntur, etiam acclamari ſolet, Oſtienſem, non tam gratioſam, & illuſtrem, quam negotioſam, & moleſtam. conſedit vtriuſque nomen in quaeſtura: nullum enim vobis ſors campum dedit, in quo excurrere virtus, cognoſciq. poſſet. reliqui temporis ſpatium in contentionem vocatur, ab vtroque diſſimillima ratione tractatum. Seruius hic nobiſcum hanc vrbanam

militiam

militiam reſpondendi, ſcribendi, cauendi, plenam ſolicitudinis, ac ſtomachi, ſecutus eſt: ius ciuile didicit: multum vigilauit: laborauit: praeſto multis fuit: multorum ſtultitiam perpeſſus eſt: arrogantiam pertulit: difficultatem exſorbuit: vixit ad aliorum arbitrium, non ad ſuum. magna laus, & grata hominibus, vnum hominem elaborare in ea ſcientia, quae ſit multis profutura. Quid Murena interea? fortiſſimo, & ſapientiſſimo uiro, ſummo imperatori, legatus L. Lucullo fuit. qua in legatione duxit exercitum: ſigna contulit: manum conſeruit: magnas copias hoſtium fudit: vrbes partim vi, partim obſidione cepit: Aſiam iſtam refertam, & eandem delicatam ſic obiit, vt in ea neque auaritiae, neque luxuriae veſtigium reliquerit: maximo in bello ſic eſt verſatus, vt hic multas res & magnas ſine imperatore geſſerit, nullam ſine hoc imperator. atque haec, quamquam praeſente L. Lucullo loquar, tamen, ne ab ipſo propter periculum noſtrum conceſſam uideamur habere licentiã fingendi, publicis litteris teſtata ſunt omnia: quibus L. Lucullus tantum laudis impertiit, quantum neque ambitioſus imperator, neque inuidus tribuere alteri in communicanda gloria debuit. Summa in utroque eſt honeſtas, ſumma dignitas quam ego, ſi mihi per Seruium liceat, pari, atque eadem in laude ponam: ſed non licet: agitat rem militarem: inſectatur totam hanc legationem: aſſiduitatis, & operarum harum quotidianarum putat eſſe conſulatum.

E X P L A N A T I O

PROPTEREA *quod renunciatio gradus habeat*] neceſſe enim eſt vnum primo loco ſolum renunciari, alterum ſecundo, & deinceps inferiore quemque gradu. PARI *momento ſortis*] nullum enim ſors campum dedit, in quo excurrere virtus, cognoſciq. poſſet. LEGE, *Titia*] abeſſe mendum numquam credidi: primum quia Murena prouinciam habuit ſorte, non lege; deinde quia ſic prouinciã Murenae nominari oportuit, vt Sulpicij nominatur Oſtienſis. reponendum fortaſſe Lautia: quae munera fuerunt, Legatis exterarum nationũ dari ſolita, & ad quaeſtores ea cura pertinuit huic ego tamen coniecturae, niſi ſuffragantibus antiquis libris, nõ aſſentior. OSTIENSAM] de re frumentaria: quam curam ab Oſtienſi quaeſtore L. Saturnino ad M. Scaurum tranſtulit ſenatus; eaq. res ab optimatum partibus alienatum ad mentem impulit ſeditionis concitandae. HIC *nobiſcum*] in vrbano otio excuſare Seruium videtur, cum dicit, Nobiſcum: ſed eſt irriſio quaedam: ſicuti cũ ſubiungit, Hãc vrbanã militiam. quae enim in vrbe militia? aut quis eas res, quas vel peritiſſimus, & diligentiſſimus iuriſconſultus in vrbe agit, cum ijs conferat, quas fortiſſimus in bello dux contra hoſtes pro rep gerit? ille reſpondet ſcribit, cauet: hic exercitum ducit: ſigna confert: manum conſerit: hoſtiũ copias fundit: vrbes capit. RESPONDENDI, *ſcribendi cauendi*] tribus verbis iuriſconſultorum conſuetudinem expreſſit. reſpondent enim de iure conſulentibus, cum dicunt: hoc in lege ſcriptum eſt, hoc ius poſtulat. id reſponſum vel voce tantum, vel ſi rudior. & imperitior eſſet is, qui conſulebat, ſcriptum dabatur inde natus eſt iocus ille in ep. ad Valerium iuriſconſultũ: Qui iſtinc nunc veniunt, partim te ſuperbum eſſe dicunt, quod nihil reſpondeas partim contumelioſum quod male reſpondeas. Et ad Trebatium Qui iſtinc veniunt ſuperbiam tuam accuſant, quod negent te percunctantibus reſpondere Scribere autem dicuntur, cum formulas ſcribunt litigantibus. quo ſpectat illud ad Trebatium: Quod ſi ſcribere oblitus es; minus multi iã te aduocato cauſſã cadent. Cauere, de iiſdẽ proprie vſurpatur. cauent enim cum aliquẽ conſilio iuuant, atque inſtruunt, ſiue is litiget, ſiue contrahat. ad Appium ep. I. lib. III. L. Valerium iuriſconſultum valde tibi commẽdo, ſed ita etiã, ſi nõ eſt iuriſconſultus melius enim ei cauere volo, quam ipſe alijs ſolet & ad Trebatium: Tu, qui ceteris cauere ſoles, in Britannia ne ab eſſedarijs decipiaris, caueto & in prooemio Topicorum ad eundẽ: Cum tu mihi, meiſq. ſaepe caviſſes ASIAM *iſtam*] cuius nomen Murenae obijcitur. REFERTAM] opibus: vt, in ea nullum auaritiae veſtigium reliquiſſe, laus Murenae magna ſit. DELICATAM] luxui deditam. quo maiore laude Murena dignus videtur, cuius in ea prouincia ſignum luxuriae nullum appareat. IN BELLO] Mithridatico L. LVCVLLO] vel iudice, vel aduocato ſed aduocato potius: nam iudicem Seruius, vt Murenae amantiſſimum, reieciſſet. PVBLICIS] a Lucullo publice miſſis. QVANTVM *neque ambitioſus imperator*] quantum Lucullus, vt ei tribueret, numquam adductus eſſet, ſi vel ambitioſus fuiſſet, vel alienae gloriae inuidiſſet. Laudat Lucullum, qui aderat. SI MIHI *per Seruium liceat*] per quem non licet: plus enim ſibi aſſumit honeſtatis, & dignitatis, quam Murenae concedit. AGITAT] reprehendit: vt Murenae ſimul detrahat. ASSIDVITATIS] qua ipſe vtitur: aſſiduus enim in foro eſt. Haec aſſiduitas his etiam declaratur ſequentibus verbis, Qui in foro habitarunt. OPERARVM *harum quotidianarum*] trium verborum ſimiliter deſinentium ſonitum ad irriſionẽ quaeſiuit, vt in Catil. orat. I. Illam praeclarã tuam patientiam. PVTAT *eſſe conſulatum*] mercedem & praemium putat, non rebus in bello geſtis, verum aſſiduitati, & operis his quotidianis deberi conſulatũ.

O R A T I O.

APud exercitum mihi fueris, inquit, tot annos: forum non attigeris: abfueris tamdiu, &, cum longo interuallo ueneris, cum iis, qui in foro habitarunt, de dignitate contendas? Primum, iſta noſtra aſſiduitas, Serui, neſcis, quantum interdum afferat hominibus faſtidii, quantum ſatietatis. mihi quidem uehementer ex-

pedijt. poſitam in oculis eſſe gratiam: ſed tamẽ ego mei ſatietatem magno meo labore ſuperaui; & tu idem fortaſſe; verumtamen vtrique noſtrum deſiderium nihil obfuiſſet. ſed vt, hoc omiſſo, ad ſtudiorum, atque artium contentionem reuertamur: qui poteſt dubitari, quin ad conſulatum adipiſcendum multo plus afferat dignitatis rei militaris, quam iuris ciuilis gloria? vigilas tu de nocte, vt tuis conſultoribus reſpondeas. ille, vt, quo intendit, mature cum exercitu perueniat. te gallorum, illum bucinarum cantus exſuſcitat. tu actionem inſtituis: ille aciem inſtruit. tu caues, ne tui conſultores, ille, ne vrbes aut caſtra capiantur. ille tenet, & ſcit, vt hoſtium copiae; tu, vt aquae pluuiae arceantur. ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis. ac nimirum (dicendum eſt enim, quod ſentio) rei militaris virtus praeſtat ceteris omnibus: haec nomen populo R., haec huic vrbi aeternam gloriam peperit: haec orbem terrarum parere huic imperio coegit. omnes vrbanae res, omnia haec noſtra praeclara ſtudia, & haec forenſis laus, & induſtria latent in tutela ac praeſidio bellicae virtutis. ſimul atque increpuit ſuſpicio tumultus, artes illico noſtrae conticeſcunt. Et quoniam mihi videris iſtam ſcientiam iuris tamquam filiolam oſculari tuã; non patiar te in tanto errore verſari, vt iſtud neſcio quid, quod tãtopere didiciſti, praeclarum aliquid eſſe arbitrere. alijs ego te virtutibus, continentiae, grauitatis, iuſtitiae, fidei, ceteris omnibus, conſulatu, & omni honore ſemper digniſſimum iudicaui: quod quidem ius ciuile didiciſti, non dicam, operam perdidiſti, ſed illud dicam, nullam eſſe in illa diſciplina munitam ad conſulatum viam. omnes enim artes, quae nobis populi R. ſtudia cõciliant, & admirabilem dignitatem, & pergratam vtilitatem debent habere. ſumma dignitas eſt in ijs, qui militari laude antecellunt; omnia enim, quae ſunt in imperio, & in ſtatu ciuitatis, ab ijs defendi, & firmari putantur: ſumma etiam vtilitas; ſiquidem eorum conſilio, & periculo cum rep. tum etiam noſtris rebus perfrui poſſumus. grauis etiam illa eſt, & plena dignitatis dicendi facultas, quae ſaepe valuit in conſule deligendo, poſſe conſilio, atque oratione & ſenatus, & populi, & eorum, qui res iudicant, mentes permouere. quaeritur conſul, qui dicendo nonnumquam comprimat tribunicios furores, qui concitatum populum flectat, qui largitioni reſiſtat. non mirum, ſi ob hanc facultatem homines ſaepe etiam non nobiles conſulatum conſecuti ſunt; praeſertim cum haec eadem res plurimas gratias, firmiſſimas amicitias, maxima ſtudia pariat. quorum in iſto veſtro artificio, Sulpici, nihil eſt. primum, dignitas in tam tenui ſcientia quae poteſt eſſe? res enim ſunt paruae, prope in ſingulis litteris, atque interpunctionibus verborum occupatae. deinde, etiamſi quid apud maiores noſtros fuit in iſto ſtudio admirationis, id, enunciatis veſtris myſterijs, totum eſt contemptum, & abiectũ. poſſet agi lege, nec ne, pauci quondam ſciebant: faſtos enim vulgo non habebant; erant in magna potentia, qui conſulebantur: a quibus etiam dies, tamquam a Chaldaeis, petebantur. inuentus eſt ſcriba quidam Cn. Flauius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis cautis iuriſconſultis eorum ſapientiam compilarit. itaque irati illi, quod ſunt, veriti, ne dierum ratione prouulgata, & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, notas quaſdam compoſuerunt, vt omnibus in rebus ipſi intereſſent. cum hoc fieri belliſſime poſſet; fundus Sabinus meus eſt, immo meus, deinde iudicium: noluerunt. fundus, inquit, qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur. ſatis verboſe, cedo, quid poſtea? ego eum ex iure meum eſſe aio. quid tum? inde ego te ex iure manu conſertum voco. quid huic tam loquaciter litigioſo reſponderet ille, vnde petebatur, non habebat. tranſit idem iuriſconſultus tibicinis Latini modo: vnde tu me, inquit, ex iure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te reuoco. praetor interea ne pulchrum ſe ac beatum putaret, atque aliquid ipſe ſua ſponte loqueretur, ei quoque carmen compoſitum eſt; cum ceteris rebus abſurdum, tum vero nullo vſu. Vtriſque ſuperſtitibus praeſentibus iſtam viam dico: inite viam. praeſto aderat ſapiens ille, qui inire viam doceret. redite viam: eodem duce redibant. haec iam tum apud illos barbatos ridicula, credo, videbantur, homines, cum recte atque in loco conſtitiſſent, iuberi abire, ut, unde abiſſent, eodem ſtatim redirent. iſdem ineptijs fucata ſunt illa omnia, Quando te in iure conſpicio; & haec, Sed anne tu dicis, qua cauſſa uindicaueris? quae dum erant occulta, neceſſario ab eis, qui ea tenebant, petebantur: poſtea uero peruulgata, atque in manibus iactata, & excuſſa, inaniſſimae prudentiae reperta ſunt, fraudis autem, & ſtultitiae pleniſſima. nam, cum permulta praeclare legibus eſſent conſtituta, ea iure conſultorum ingenijs pleraque corrupta, ac deprauata ſunt. mulieres omnes propter infirmitatem conſilij maiores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt: hi inuenerunt genera tutorum, quae poteſtate mulierum continerentur. ſacra interire illi noluerunt: horum ingenio ſenes ad coemptiones faciendas interimendorum ſacrorum cauſſa reperti ſunt. in omni denique iure ciuili aequitatem reliquerunt, uerba ipſa tenuerunt: ut, quia in alicuius libris exempli cauſſa id nomen inuenerant, putarunt omnes mulieres, quae coemptionem facerent, Caias uocari. Iam illud mihi quidem mirum uideri ſolet, tot homines, tam ingenioſos, per tot annos etiã nunc ſtatuere non potuiſſe, utrum diem tertium, an perendinum; iudicem, an arbitrum; rem, an litem dici oporteret. itaque, ut dixi, dignitas in iſta ſcientia conſularis numquam fuit, quae tota ex rebus fictis commenticijsq. conſtaret; gratiae uero multo etiam minus. quod enim omnibus patet, & aeque promptum eſt mihi, & aduerſario meo, id eſſe gratum nullo pacto poteſt. itaque non modo beneficij collocãdi ſpem, ſed etiam illud, quod aliquando fuit, Licet conſulere, iam perdidiſtis. ſapiens exiſtimari nemo poteſt in ea prudentia, quae neque extra Romam uſquam, neque Romae, rebus prolatis, quidquam ualet. peritus ideo haberi nemo poteſt, quod in eo, quod ſciunt omnes, nullo modo poſſunt inter ſe diſcrepare. difficilis autem res ideo non putatur, quod & perpaucis, & minime obſcuris litteris continetur. itaque ſi mihi, homini uehementer occupato, ſtomachum moueritis; triduo me iuriſconſultum eſſe profitebor, etenim, quae de ſcripto aguntur, ſcripta ſunt omnia: neque tamẽ quidquam tam anguſte ſcriptum eſt, quo ego non poſſim, qua de re agitur, addere. quae conſuluntur autem, minimo periculo reſpondentur. ſi id, quod oportet, reſponderis; idem uideare reſpondiſſe, quod Seruius: ſin aliter; etiam controuerſum ius noſſe, & tractare uideare. Quapropter non ſolum illa gloria militaris ueſtris formulis, atque actionibus anteponenda eſt; uerum etiam dicendi conſuetudo longe, & multum iſti ueſtrae exercitationi ad honorem antecellet. itaque mihi uidentur plerique

initio

initio multo hoc maluiſſe: poſt, cum id aſſequi non potuiſſent, iſtuc potiſſimum ſunt delapſi. vt aiunt in Graecis artificibus, eos auletas eſſe, qui citharoedi fieri non potuerint: ſic nonnullos videmus, qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris ſtudium deuenire. magnus dicendi labor, magna res, magna dignitas, ſumma etiā gratia. etenim a vobis ſalubritas quaedam, ab ijs, qui dicunt, ſalus ipſa petitur. deinde veſtra reſponſa, atque decreta & euertuntur ſaepe dicendo, & ſine defenſione oratoris firma eſſe non poſſunt. in quare ſi ſatis profeciſſem, parcius de eius laude dicerem: nunc nihil de me dico, ſed de ijs, qui in dicendo magni ſunt, aut fuerunt. Duae ſunt artes, quae poſſunt locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis, vna imperatoris, altera oratoris boni. ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur. ceterae tamen virtutes ipſae per ſe multum valent, iuſtitia, fides, pudor, temperantia: quibus te, Serui, excellere omnes intelligunt: ſed nunc de ſtudijs ad honorem diſpoſitis, non de inſita cuiuſque virtute, diſputo. omnia iſta nobis ſtudia de manibus excutiuntur, ſimul atque aliquis motus nouus bellicum canere coepit. etenim, vt ait ingenioſus poeta, & auctor valde bonus, proelijs promulgatis TOLLITVR E. MEDIO *non ſolum iſta veſtra verboſa ſimulatio prudentiae, ſed etiam ipſa illa domina rerum* SAPIENTIA. VI. GERITVR. RES. SPERNITVR. ORATOR *non ſolum odioſus in dicendo, ac loquax, verum etiam* BONVS. HORRIDVS. MILES. AMATVR. *Veſtrum vero ſtudium totum iacet.* NON *ex. iure. manu. conſertum. ſed. mage. ferro, inquit, rem. repetunt. Quod ſi ita eſt, cedat opinor, Sulpici, forum caſtris, otium militiae, ſtylus gladio, umbra ſoli: ſit denique in ciuitate ea prima res, propter quam ipſa eſt ciuitas omnium princeps.*

EXPLANATIO

MAGNO *meo labore*] defenſionibus amicorum. IDEM *fortaſſe:*] quia Seruius & ipſe cauſſas, nec ſine laude. agebat: ſed minime cū Cicerone conferendus. VTRIQVE *noſtrum deſiderium nihil obfuiſſet*] ſi abfuiſſemus, vt abfuit Murena, nobis non obfuiſſet: ideſt, fortaſſe magis expediſſet. ACTIONEM] formulam de modo litigandi. nam actio, & formula idem ſunt. VT. AQVAE *pluuiae arceantur*]ne noceant. nocent enim aut loci vitio, aut manu. Cicero in Top. & L. 1. §. 1. D. de aq. pluuia arc. IN. REGENDIS] agrorum: ne quis de alieno detrahat. Murena vero fines imperij propagare ſolitus eſt. quanto igitur publica priuatis, tāto ille tibi praeſtat. EORVM *qui res iudicant*] iudicum. Sic enim ſignificabantur: vt exemplis intelligitur. LARGITIONI] quae fit in comitijs ab ijs, qui magiſtratum petunt. SAEPE *etiam non nobiles*] quo ſe ipſum in numero ponit. PROPE *in ſingulis litteris, atque interpretationibus verborum occupatae*] extenuat res, ex quibus iuriſconſultorum ſcientia efficitur, cū eas dicit nō in verbis, ſed in litteris, atque adeo ī ſingulis litteris, nec vero in litteris tantū, ſed in ipſis verborū interpunctionibus, quae litterae nō ſunt, eſſe poſitas. mos apud veteres quoque fuit interpungendi. inde iuriſconſulti ſuas nonnumquā interpretationes colligebāt. quod autē ex minimo fit, ipſū quoque minimū eſſe neceſſe eſt. Iā, occupatae, obſcurae diligentiae ſignificationē habet. POSSET *agi lege,*] agere lege, eſt, ſuū ius in iudicio a praetore legibus petere. lib. 2. in Verr. Quis vnquā iſto praetore, Chelidone inuita, lege agere potuit? Lege agere, non quotidie, ſed faſtis tantū diebus licebat. Faſti autē dies nō omnibus olim noti erant, ſed a pōtificibus petebantur; poſtea publicati ſunt ab eorū ſcriba Cn. Flauio. ad Att lib vi. Quid ergo profecit, qui protulit faſtos? occultatā putant quodā tempore iſtā tabulā, vt dies agendi peterētur a paucis. nec vero pauci ſunt auctores Cn. Flauiū ſcribā faſtos protuliſſe, actionesq compoſuiſſe. Liuius lib ix. Ciuile ius, repoſitū in penetralibus pontificum, euulgauit; faſtoſq. circa forū in albo propoſuit; vt, quādo lege agi poſſet, ſciretur. Ou. li 1. Faſt. Ille nefaſtus erit, p quē tria verba ſilentur:,, Faſtus erit, per quē lege licebit agi. QVI *conſulebantur*] de iure. qui rū pontifices erant. DIES] quibus lege agi poſſet. TANQVAM *a Chaldaeis.*] qui, ſiderum obſeruatione, quid cuiq. euenturū, & quo quiſque fato natus eſſet. praedicebāt. petebantur igitur agendi dies a pontificibus, tamquā ab ijs, qui, tamquā Chaldaei, de bonis, maliſue diebus diuinare poſſent. SCRIBA *quidam*] verbis vtitur iuriſconſultos contemnentibus. QVI *cornicum oculos confixerit,*] qui ſapientes fefellerit: vt in ea pro Flacco. Hic Hercule cornici oculū, vt dicitur: nā hunc Hermippum, hominē eruditum, ciuē ſuum, cui debebat eſſe notiſſimus, percuſſit: eius enim fide ſumpſit a Fufijs. CATIS] cautis, prudentibus: a caueo. lib. 1. de Orat. & Tuſc. 1. Egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus. IVRECONSVLTIS] ſic Ciceronem ſcripſiſſe, dicendum tamen, iuriſconſultus, auctor Chariſius. ego Ciceronē eo ſequor libētius, quia ſic ab alijs quoque ſcribi ſolitum animaduerto. eſt enim haec Romae in aedib. patricij ornatiſſimi Flaminij Galgani antiqua inſcriptio L AQVILIVS. IVRECONSVLTI. GEMELLVS. NOTAS *quaſdam*] obſcura quaedam verba. De quibus Manilius in lib. Aſtron. Hinc etiam legum tabulas, & condita iura
,, Nouerit, atque notis leuibus pendentia verba,,, Et licitum ſciet, & vetitum quae poena ſequatur,
,, Perpetuus populi priuato & limine praetor. IPSI *intereſſent*] tamquam earum notarum doctores. EX. IVRE *manu conſertum*] ſic loquebantur, pro, ad litigandum. verſus Ennij ſunt apud Gellium lib. xx. cap. 9. Non ex iure manu conſertū ſed mage ferro,, Rem repetunt, regnumq. petunt, vadunt ſolida vi. ILLE, *vnde petebatur* modus loquendi, quem videntur veteres libentius uſurpaſſe, quā vt dicerent debitor, aut debitores. Ad Trebatiū: ego omnibus, vnde petitur, hoc cōſilij dederī, vt a ſingulis interregibus binas aduocationes poſtulēt. & lib. 1. de Ora. Homo ex diſertorū nume-

ro poſtulabat, vt illi, vnde peteretur, vetus, atque vſitata exceptio daretur, Cuius pecuniae dies fuiſſet. TRANSIT *idem iuriſconſultus*] tranſit ab eo, qui petit, ad eũ. vnde petitur, & ei quoque ſuum carmẽ componit, hoc ſcilicet: Vnde tu me ex iure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te reuoco. TIBICINIS *Latini modo*:] vt Latinus tibicen tranſire ſolitus eſt: quem ignotum nobis eſſe morem, cogimur fateri. NE. PVLCHRVM *ſe, ac beatum putaret,*] ne condicione ſe eſſe putaret optima. VTRISQVE *ſuperſtitibus praeſentibus*] Vtriſque litigantibus. Superſtitibus autem valet, praeſentibus. itaque neceſſe nõ fuit addere, Praeſentibus: quod additũ ab aliquo fortaſſe eſt interpretãdi gratia. Plautus: Superſtitem vtrumque monui, ne iniuſſi abeant, INITE *viam.*] Quid ſit, inire viam, & redire viam quod praetor iubebat, explanatur ſequentibus illis verbis Homines, cũ recte, atque in loco conſtitiſſent iuberi abire, vt, vnde abiſſent, eodẽ ſtatim redirent. Id enĩ fiebat in iudicio ante praetorem, docente iuriſconſulto. SAPIENS *ille,*] iuriſconſultus: cuius in his ineptiis poſita ſapientia erat. IAM *tum*] priſcis illis temporibus. APVD *illos barbatos*] homines minime malos, vt illis temporibus erãt, qui tamẽ haec fortaſſe ridebant. Triplex in barbis mos fuit: ante minorẽ Africanũ, vt nemo raderetur: poſt Africanũ, vt iuuenes tantũ: poſtremis reip. tẽporibus, vt omnes, exceptis quibuſdam adoleſcentulis laſciuiae deditis: de quibus ad Att. 16 I. Cõcurſabant barbatuli iuuenes, duce filiola Curionis, & pro Coelio: Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt ex barbatis illis, nõ hac barbula, qua iſta delectatur, ſed illa horrida, quã in ſtatuis antiquis, & imaginibus videmus. Quibus ex verbis priſcorũ quoque temporũ mos de non raſa barba demonſtratur de more autẽ, qui fuit minoris Africani aetate, lib III. cap. 4 auctor eſt Gellius. Hic Cicero cũ ait, Apud illos barbatos, perſpicue morẽ ſignificat priſcorũ temporũ, exempli gratia, cũ viueret Appius Caecus; cuius exemplũ ſubiecit in oratione pro Coelio, cũ dixiſſet: Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt ex barbatis illis. DICIS *qui cauſſa*] alij obiter diſtinguunt. micantes videlicet, vt dici ſolet, in tenebris. ego haec, & ipſius aetate Ciceronis obſcura, & breuiter hic ab eo pronunciata, vix arbitror eſſe. qui intelligat. antiquũ eſſe, Dicis cauſſã, ait Varro. id quale ſit, quoue ſenſu accipiatur, explanauimus in Verrẽ lib. IV. IN *tutorum poteſtate*] quod etiã in oratione pro Caecina cognoſcitur: ex ea vero pro Flacco, morẽ eundem apud Graecos fuiſſe. QVAE *poteſtatem mulierum continerentur.*] vidit ante nos huius loci difficultatẽ, ciuilis iuris illuſtrator, ſummaeq. doctrinae vir Andreas Alciatus, & aliquid tamẽ attulit, quod aequus lector, mea quidẽ ſententia, probare poſſit. Eius opinionẽ iiſdẽ verbis, quibus ille ſcriptã reliquit, ſubijciã. loco enĩ Ciceronis recitato, haec adſcripſit. Quale id ſit, vix poſſim inuenire, niſi dicamus, mulieres ſeruos ſuos actori publico cõceſſiſſe, & poſtquã publici effecti eſſent, procuraſſe, vti ſibi in tutores darẽtur etenim tales hodie quoque nõ plane ſerui ſunt, nec magis a tutela reijci, quã ceteri tabularij, poſſunt, & tamen nec omnino liberi vidẽtur &, propter reliquas prioris dominij, aliquo modo poſſunt dici poteſtate mulierũ cõtineri. Non abſimilis fraudis mentio eſt & apud Corneliũ Tacitũ lib. 2. Negante reo agnoſcentes ſeruos per tormenta interrogari placuit: & quia vetere ſenatuſcõſulto quaeſtio in caput domini prohibeatur, callidus, & noui iuris repertor Tiberius, mancipari ſingulos actori publico, iubet, ſcilicet vt in Libonẽ ex ſeruis ſaluo ſenatuſconſulto quaereretur. SACRA *interire illi noluerunt*:] ſacrorũ priuatorũ cõſeruatio magnae curae fuit apud Romanos. hinc illud in or. pro domo. Quid ſacra Clodiae gentis, cur intereunt quod in te eſt? & lib. 2. de leg. Sacra priuata perpetua manento. Quod Cicero cũ interpretaretur: De ſacris, inquit, haec ſit vna ſentẽtia, vt cõſeruentur, & deinceps familijs prodãtur. SENES *ad coemptiones faciendas*] iuriſconſulti, extinguẽdorũ ſacrorũ cauſſa, quae perpetua eſſe debebãt, rationẽ hanc excogitarunt, vt ſenes coemerent ea bona, quę qui haberẽt, ſacris adſtringerẽtur. ij uero ſenes cũ interirẽt, nemine ſuccedẽte, ſacra ſimul interibãt. hunc morẽ Curius elegãter expreſſit in epiſtola ad Ciceronẽ. Sum, inquit, χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici noſtri. ergo fructus eſt. tuus, mancipiũ illius. quod quidẽ ſi inter ſenes coemptionales venale proſcripſeris. egerit nõ multũ Coemptio autẽ actio illa tota dicebatur, cũ, ſenibus illis eã partẽ bonorũ, quae ſacris obnoxia eſſet, coemẽribus, reliqua omnia mulieris in mariti poteſtatẽ dotis nomine trãſibant. pro Flacco: In manũ, inquit, cõuenerat. nũc audio: ſed quaero, vſu, an coẽptione vſu non potuit: nihil enim poteſt tutela legitima ſine omniũ tutorũ auctoritate diminui, coemptione: omnibus ergo auctoribus. INTERIMENDORVM] tollendorũ, vt ea interimerẽt, neque ijs mulieres adſtringerentur. IVDICEM, *an arbitrum*;] apud Ciceronẽ ipſũ haec nomina confunduntur, vt alibi docuimus. REM, *an litem*] propterea iudices res iudicare dicebãtur. ſupra: Grauis etiã illa eſt, & plena digitatis dicendi facultas, quae ſaepe valuit in conſule deligẽdo, poſſe conſilio, atque oratione & ſenatus, & populi, & eorũ, qui res iudicãt, mẽtes permouere. NON *modo beneficij ſpem,*] vt beneficiũ in quemquã conferre poſſitis. QVOD *aliquando fuit,*] cũ de iure conſulẽtibus apertiora reſponſa dabantur LICET *conſulere,*] quod ij dicere ſolebãt, qui ſuũ ius perſequi iudicio cogitabãt. dicebant enim. Licet iuriſconſultos conſulere. quod iã non licere, propter obſcuritatẽ reſponſorũ Cicero ſignificat. REBVS *prolatis,*] Res prolatae dicebãtur, cũ feriari licebat, munerũ vrbanorum vacatione cõceſſa: quo tẽpore ludi fiebãt, Votiui, Romani, Victoriae, Plebeij ideo dixit Plautus in Capt. ex perſona paraſiti: Vbi res prolatae ſunt, cũ rus homines eunt, „Simul prolatae res ſunt noſtris dentibus. Et ad Att. ep. 12. lib VII Nec enim rerũ prolatio, nec ſenatus, magiſtratuumq. diſceſſus, nec aerariũ clauſum tardabit. Ep 5. lib. XIV. Meam ſtultam verecundiã, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deſerere viderer hunc rerũ tumorem Et ep. 8. lib. III. ad Q. fratrem. Res prolatae: ad interregnũ comitia adducta. NEMO *poteſt,*] nemo iuriſconſultus. IN, EO, *quod ſciunt omnes,*] quod ſe ſcire ſolos

re ſolos iuriſconſulti profitentur, id ſciunt omnes itaque de eo cōtrouerſia oriri nullo modo poteſt. MINIME *obſcuris litteris*] loquitur de iure ſcripto: quod cum & breue ſit, & minime obſcurum, cognoſci ab omnibus facile poſſit: vt exſultare, quaſi difficilē aliquam rem conſecuti, iuriſconſulti nō debeant. HOMINI *vehementer occupato*] argumentum contra iuriſconſultos; ne, tamquam difficili re cognita, glorientur: quippe, cum id vel homo vehementer occupatus triduo poſſit percipere. STOMACHVM *moueritis*,] & hoc ludibrio dictum. nam niſi ſtomachum moueritis; veſtram iſtā ſcientiā non attingam; iuriſconſultus vt ſim, non laborabo. PROFITEROE,] Vt vos, tamquam rem magnam, & difficilem adepti, profitemini DE. SCRIPTO *aguntur*,] in iudicijs. SCRIPTA *ſunt omnia*:] a ſuperioribus iuriſconſultis: vt ea noſſe cuiuis liceat. QVA *de re agitur. addere.*] Videre, pro Addere, reponendum crediderim: cur credam, his adducor exemplis. lib. 2 de Fin. Omnis in quaerendo, quae via quaedam, & ratione habetur oratio perſcribere primum debet, vt quibuſdam in formulis quae res agatur: vt, inter quos diſſeritur, conueniat, quid ſit id, de quo diſſeritur. Subiungitq. de Epicuro Negat definiri rem placere: ſine quo fieri interdum non poteſt, vt inter eos qui ambigunt, conueniat, quid ſit id, de quo agatur. Et lib. v. Si eſt quiſquam, qui acute in cauſſis videre ſolear quae res agatur. Et de Fato Haec diſſerens, qua de re agatur & in quo cauſſa conſiſtat, non videt. Et in Bruto: Qua de re agitur, illud, quod multis locis in iuriſconſultorū includitur formulis, id vbi eſſet, videbat. IDEM *videare reſpondiſſe, quod Seruius*:] prudenter, & recte reſpondiſſe videare. Eximit Seruium ex imperitorum numero. CONTROVERSVM *ius*] quod interpretationis eſt dubiae, & de quo diſputare licet in vtramque partem. FORMVLIS, *atque actionibus*] idem eſt actio, quod formula modus enim, & certa ratio a iuriſconſultis excogitata, vt priuatae res in iudicio caute agerentur, actiones, & formulae dicebantur, Notae ſunt Aquilij formulæ, de dolo malo, de aceeptilatione, de poſtumis. Formula eſt illa quoque petitoris: Fundus, qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, meus eſt. eum ego ex iure Quiritium meum eſſe aio. Formula eius, vnde petitur: Vnde tu me ex iure manu conſertū vocaſti, inde ibi ego te reuoco. Formula pretoris: Vtriſque ſuperſtitibus iſtam viam dico: inite viam. Formularum autē libri actiones vocabantur: vnde Manilianae, Hoſtilianeq. actiones ita peruulgatae Ciceronis ętate, vt eas etiā ruſticis in manibus fuiſſe Varro dicat. Hoc] dicendi facultatē ISTVC] ad veſtram ſcientiā. DELAPSI] caſus potius, quā voluntas indicantur. nam quod voluntatis erat, vt eloquentiam adipiſcerentur, id non ſucceſſit. ita, quod initio minime placuit, eo ſunt delapſi non ſponte deuenerunt, non iudicio ſe contulerunt. AVLETAS] Auletes cognomen fuit regis Aegyptij Ptolemæi, Cleopatrę patris nouiſſimæ feminę, quia tibijs maximae delectaretur. Sed quo nobilior cithara, quam tibia, eo nobiliores citharedi, quam auletae. In Gręcis artificibus, dixit quia Romę ars muſica, & genus illud oblectationis, vt indignum Romana grauitate contēneretur SALVBRITAS *quaedam*,] non omnino ſalus ipſa, quę pētitur ab oratoribus, ſed quędam ſalubritas, vt ſalubriter agatur; ne quid cōmittatur, quo ſalus ipſa periclitetur. eſt enim ſalubritas quaſi quoddā ſalutis inſtrumentū. quod autē propter aliud fit, non eſt cum eo cōferendum, cuius cauſſa fit: quemadmodū artes ijs, quib. illae vtuntur, inſtrumentis nobiliores eſſe nemo negabit. VESTRA *reſponſa, atque decreta*] nam quę reſpondetis, & decernitis, ea deferuntur in iudicio. ibi ſubiecta ſunt eloquentiae: aut. n. euertuntur dicendo, aut confirmantur. FIRMA *eſſe*] contrarium contrario opponitur, Euertuntur, Firma eſſe. PARCIVS *de eius laude dicerem*:] nam ſi copioſe dicerem, ideo laudare viderer eloquentiam, vt me ipſum laudarem. NVNC *nihil de me dico.*] Nunc, pro, ſed, vt pro Archia: Nunc inſidet quędam in optimo quoq. virtus. & alibi ſaepe. PACIS *ornamenta*] pacem ornat dignitas: dignitatē pariunt magiſtratus: ad magiſtratus eloquentia duce peruenitur. IVSE *per ſe*] ſeparatim ſingulae, etiam ſine eloquentia. IVSTITIA,] ne cui fiat iniuria. FIDES,] non ſolum, ne quid fiat, vltra quam promiſimus, ſed etiam contra quam debemus, vel propinquitatis, vel amicitiæ cauſſa. vnde illud ad Coeliū: Te tamen oramus, quibuſcūque erimus in terris, vt nos, liberoſq. noſtros ita tueare vt amicitia noſtra, & tua fides poſtulabit. PVDOR,] in conſuetudine, & conuictu: quae virtus, cū omnes ætates, tum in primis adoleſcentiā decet. itaq. dixit Cicero pro Sex. Roſcio: Quoniā ad dicendum impedimento eſt aetas. & pudor, qui ornat aetatem cauſſam mihi tradidit. TEMPERANTIA:] in omni vita: quę virtus ea reijcit, vnde oritur dānum, aut infamia. AD. HONOREM] cuius oritur ſplendor ex magiſtratus, & populi gratia: NON *de inſita cuiuſq. virtute*,] nam neque ars imperatoris, neque boni facultas oratoris virtutes inſitæ ſunt, ſed extrinſecus aſſumuntur, quæ autem inſitae, earum fructus non ita late patet. OMNIA *iſta*] ius ciuile, & dicendi facultatem ſignificat, quod Ennij verſus infraſcripti declarant. AVCTOR *ualde bonus*,], cui credendum ſit, vt probo, & ſapienti viro: de quo etiam in Catone: Ille vir haud magna cum re, ſed fido plenus. PROMVLGATIS,] publicatis, iuſtitio indicto. VERBOSA] in quo ſupra quoque iuriſconſultos reprehendit, in eo loco: Cum hoc fieri belliſſime poſſet; fundus Sabinus meus eſt, immo meus: deinde iudicium: noluerunt. fundus, inquit, qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur. ſatis verboſe. DOMINA *rerum*] quae res tantum ipſas amplectitur, verba reſpuit.

O R A T I O

VEtum haec Cato nimium nos noſtri verbis magna facere demonſtrat, & obliuos eſſe bellum illud omne Mithridaticum cum mulierculis eſſe geſtum. quod ego lōge ſecus exiſtimo, iudices; deq. eo pauca diſſeram

neque

neque enim cauſſa in hoc continetur. Nam, ſi omnia bella, quae cum Graecis geſſimus, contemnenda ſunt: derideatur de rege Pyrrho triumphus M. Curij, de Philippo T. Flaminini, de Aetolis M. Fuluij, de rege Perſe L. Paulli, de Pſeudophilippo Q. Metelli, de Corinthijs L. Mummij. ſin haec bella grauiſſima, uictoriaeq. eorum bellorum grauiſſimae fuerunt: cur Aſiaticae nationes, atque ille a te hoſtis contemnitur? atqui ex veterum rerum monumentis vel maximum bellum populum R. cũ Antiocho geſſiſſe video: cuius belli victor L. Scipio, parta cum P. fratre gloria, quam laudem ille Africa oppreſſa cognomine ipſo praeſe ferebat, eandẽ hic ſibi ex Aſiae nomine aſſumpſit. quo quidem in bello virtus enituit egregia M. Catonis, proaui tui. quo ille, cum eſſet, vt ego mihi ſtatuo, talis qualem te eſſe video, num quam cum Scipione eſſet profectus, ſi cum mulierculis bellandum eſſe arbitraretur. neque vero cum P. Africano ſenatus egiſſet, vt legatus patri proficiſceretur, cum ipſe paullo ante, Hannibale ex Italia expulſo, ex Africa eiecto, Carthagine oppreſſa, maximis periculis remp. liberauiſſet, niſi illud graue bellum, & vehemens putaretur. atqui ſi diligenter, quid Mithridates potuerit, & quid effecerit, & qui vir fuerit, conſideratis, omnibus regibus, quibuſcum populus Ro. bellum geſſit, hunc regem nimirum antepones. quem L. Sulla maximo, & fortiſſimo exercitu, pugna excitatum, nõ rudis imperator, vt aliud nihil dicam, cum bello inuectum totam in Aſiã cum pace dimiſit: quem L. Murena, pater huiuſce, vehementiſſime vigilantiſſimeq. vexatum, repreſſum magna ex parte, non oppreſſum reliquit: qui rex, ſibi aliquot annis ſumptis ad confirmandas rationes, & copias belli, tantum ipſe opibus conatuque inualuit, vt ſe Oceanum cum Ponto, Sertorij copias cum ſuis coniuncturum putaret. ad quod bellum duobus conſulibus ita miſſis, ut alter Mithridatem perſequeretur, alter Bithyniam tueretur; alterius res & terra, & mari calamitoſae, uehementer & opes regis, & nomen auxerunt; L. Luculli uero res tantae exſtiterunt, ut neque maius bellum commemorari poſſit, neque maiore conſilio, & uirtute geſtum. nam, cum totius impetus belli ad Cyzicenorum moenia conſtitiſſet; eamq. urbem ſibi Mithridates Aſiae ianuam fore putauiſſet, qua effracta, & reuulſa, tota pateret prouincia: perfecta ab Lucullo haec ſunt omnia, ut urbs fideliſſimorum ſociorum defenderetur, ut omnes copiae regis diuturnitate obſidionis conſumerentur. quid, illam pugnam naualem ad Tenedum, cũ contento curſu, acerrimis ducibus, hoſtium claſſis Italiam ſpe, atq. animis inflata peteret, mediocri certamine, & parua dimicatione commiſſam arbitraris? mitto proelia: praetereo oppugnationes opidorum: expulſus regno tandem aliquando, tantum tamen conſilio, atque auctoritate ualuit, ut ſe, rege Armeniorum adiuncto, nouis opibus, copijsq renouarit. Ac ſi mihi nunc de rebus geſtis eſſet noſtri exercitus imperatoriſq. dicendum, plurima & maxima proelia commemorare poſſem: ſed non id agimus: hoc dico: bellum hoc ſi hic hoſtis, ſi ille rex contemnendus fuiſſet, neque tanta cura ſenatus, & populus R. ſuſcipiendum putaſſet, neque tot annos geſſiſſet, neque tanta gloria L. Luculli; neque uero eius belli conficiendi curam tanto ſtudio populus R. ad Cn. Pompeium detuliſſet: cuius ex omnibus pugnis, quae ſunt innumerabiles, uel acerrima mihi uidetur illa, quae cũ rege commiſſa eſt, & ſumma cõtentione pugnata. qua ex pugna cum ſe ille eripuiſſet, & Boſphorum confugiſſet, quo exercitus adire non poſſet: etiam in extrema fortuna, & fuga nomen tamen retinuit regium. itaque ipſe Pompeius, regno poſſeſſo, ex omnibus oris ac notis ſedibus hoſte pulſo, tamen tantum in unius anima poſuit, ut, cum omnia, quae ille tenuerat, adierat, ſperarat, uictoria poſſideret, tamen non ante quam illum uita expulit, bellum cõfectum iudicarit. Hunc tu hoſtem, Cato, contemnis? quo cum per tot annos, tot proelijs, tot imperatores bella geſſerunt: cuius expulſi, & eiecti uita tanti aeſtimata eſt, ut, morte eius nunciata, tum denique bellum confectum arbitraremur. Hoc igitur in bello L. Murenam legatum fortiſſimi animi, ſummi cõſilij, maximi laboris cognitum eſſe, defendimus, & hanc eius operam non minus ad conſulatum adipiſcendum, quam hanc noſtram forenſem induſtriã, dignitatis habuiſſe.

E X P L A N A T I O

De rege *Pyrrho*] Epirotarum rege, qui anno vrbis CDLXXIII. e Tarentinis vocatus, in Italiã contra Romanos venit. de eo triũphauit poſt annos quinque M Curius Dentatus. teſtis omnis hiſtoria. De philippo] Perſei patre, vltimi Macedoniae regis: de quo, & de Macedonia capta triũphauit L. Aemilius Paullus: de Philippo autẽ T. Quinctius Flamininus. Liuius, Plutarchus, alij. De *Aetolis*] de quibus triumphauit M. Fuluius Nobilior, anno vrbis DLXVI. Liuius, Eutropius, alij. De *Pſeudophilippo*] de quo, & de Macedonia deuicta triumphauit Q. Metellus propraetor: unde Macedonici cognomen quod Liuius Pauſanias, alij praeterea tradiderunt. De. *Corinthijs*] de quibus, & de Achaeis Mummius triũphauit, Achaiciq. cognomen eſt adeptus. eũ ſignificauit Virgilius his verſibus: Ille triũphata Capitolia ad alta Corintho, ,, Victor aget currũ, caeſis inſignis Achiuis. Cum. *Antiocho*] cui victo pacis condiciones hae datae ſunt, vt Europa abſtineret, Aſiaq. omni, quae cis Taurũ eſt, decederet: xv. millia talentorũ Euboicorũ daret: mille talentũ per XII. annos daret: Eumeni regi, qui populũ Romanũ in bello iuuerat, CCCC talenta redderet. Virtus *enituit egregia M. Catonis*] praeſertim ad Thermophylas, cũ eſſet tribunus mil. M' Acilij Glabrionis conſulis. Plutarchus, Cicero alij. Pugna *excitatum*,] non repreſſum, ſed commotum, vt deinde cum pace dimittendum Sulla putauerit. Non *rudis Imperator*,] vidit, cum rudis Imperator non eſſet, cum pace potius eſſe dimittendum, quã cum eo, dubio Marte, pugnandum. Vt *aliud nihil dicam*,] maior enim in eo bellica virtus, & ſcientia fuit, quam vt dicendum ſit, non rudis imperator. Oceanum *cum Ponto*,] Oceanũ tenebat Sertorius, in Põto regnabat Mithridates. Vide pro lege Manilia: vt hiſtorias omittam. Alterius *res*] M Aurelij Cottae, quem Mithridates, irruptione in Bithyniam facta, terra fudit,

ra fudit, mari claſſe pulcherrima exuit. Salluſtius. AD. CYZICENORVM *moenia*] pro Archia, & apud Plutarchum. REGE *Armeniorum*] Tigrane, genero Mithidratis. SVPERARI *poſſe*] in conſulatus petitione. CONTENTO *curſu,*] Raperetur, dixit in Maniliana. ACERRIMIS *ducibus*] Sertorianis. in eadem. SPE, *ducibus atque animis inflata*] ſtudio inflammato. ibidem. SENATVS, *& populus Romanus Romanus*] bellum igitur Mithridaticum Lucullo mandatum eſt & S.C. & lege. POPVLVS *Romanus*] legem ferente C. Manillo. ſenatus hic nulla mentio: quia princeps optimatum Q. Catulus, & Q. Hortenſius aduerſati ſunt. VITA *expulit,*] expulſum iam locis omnibus.

O R A T I O

AT enim in praeturae petitione prior renunciatus eſt Seruius. Pergitis ne vos, tamquam ex ſyngrapha, agere cum populo, vt, quem locum ſemel honoris cuipiam dederit, eũdem reliquis honoribus debeat? quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos aeſtus habet ratio comitiorum? dies intermiſſus vnus, aut nox interpoſita ſaepe perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnumquam commutat aura rumoris. ſaepe etiam ſine vlla aperta cauſſa fit aliud, atque exiſtimamus; vt nonnumquam ita factum eſſe etiam populus admiretur; quaſi vero non ipſe fecerit. nihil eſt incertius vulgo, nihil obſcurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. quis L. Philippum, ſummo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio ſuperari poſſe arbitratus eſt? quis Q. Catulum, humanitate, ſapientia, integritate antecellentem, a Cn. Mallio? quis M. Scaurum, hominem grauiſſimum, ciuem egregium, fortiſſimum ſenatorem, a Q. Maximo: non modo horum nihil ita fore putatum eſt, ſed ne cum eſſet factum quidem, quare ita factum eſſet, intelligi potuit. nam, vt tempeſtates ſaepe certo aliquo caeli ſigno commouentur, ſaepe improuiſo, nulla ex certa ratione, obſcura aliqua ex cauſſa excitantur: ſic in hac comitiorũ tempeſtate populari ſaepe intelligas, quo ſigno commota ſit; ſaepe ita obſcura eſt, vt caſu excitata eſſe videatur. ſed tamen ſi eſt reddenda ratio, duae res vehemẽter in praetura deſideratae ſunt, quae ambae in cõſulatu tum Murenae profuerunt; vna, exſpectatio muneris, quae & rumore nonnullo, & ſtudijs, ſermonibusq. cõpetitorum creuerat; altera, quod ij, quos in prouincia, ac legatione omnis & liberalitatis, & virtutis ſuae teſtes habuerat, nondum deceſſerant. horum vtrumque ei fortuna ad conſulatus petitionem reſeruauit. nam & L. Luculli exercitus, qui ad triumphum conuenerat, idẽ comitijs L. Murenae praeſto fuit; & munus ampliſſimum, quod petitio praeturae deſiderabat, praetura reſtituit. num tibi haec parua videntur adiumenta, & ſubſidia conſulatus? voluntas militum: quae cum per ſe valet multitudine, tum apud ſuos gratia; tum vero in conſule declarando multum etiam apud vniuerſum populum R. auctoritatis, habet ſuffragatio militaris. imperatores enim comitijs conſularibus, non verborum interpretes deliguntur. quare grauis eſt illa oratio: me ſaucium recreauit: a me praeda donauit: hoc duce caſtra cepimus, ſigna contulimus: numquam iſte plus militi laboris impoſuit, quam ſibi ſumpſit; ipſe cum fortis, tum etiam felix. hoc quanti putas eſſe ad famam hominum, ac voluntatem? etenim, ſi tanta illis comitijs religio eſt, vt adhuc ſemper omen valuerit praerogatiuum: quid mirum eſt, in hoc felicitatis famam, ſermonemq. valuiſſe? ſed, ſi haec leuiora ducis, quae ſunt grauiſſima; & hanc vrbanam ſuffragationem militari anteponis: noli ludorum huius elegantiam, & ſcenae magnificentiam valde contemnere, quae huic admodum profuerunt. nam quid ego dicam populum, ac vulgus imperitorum ludis magnopere delectari? minus eſt mirandum. quamquam huic cauſſae id ſatis eſt. ſunt enim populi, ac multitudinis comitia. quare, ſi populo ludorum magnificentia voluptati eſt; nõ eſt mirandum, eam L. Murenae apud populum profuiſſe. ſed, ſi noſmetipſi, qui & ab delectatione omni negotijs impedimur, & in ipſa occupatione delectationes alias multas habere poſſumus, ludis tamẽ oblectamur, & ducimur: quid tu admirere de multitudine indocta? L. Otho, vir fortis, meus neceſſarius, equeſtri ordini reſtituit non ſolum dignitatem, ſed etiam voluptatem. itaque lex haec, quae ad ludos pertinet, eſt omnium gratiſſima, quod honeſtiſſimo ordini cum ſplendore fructus quoque iucunditatis eſt reſtitutus. quare delectant homines, mihi crede, ludi, etiam illos qui diſſimulant, non ſolum eos, qui fatentur: quod ego in mea petitione ſenſi: nam nos quoque habuimus ſcenam competitricem. quod ſi ego, qui trinos ludos aedilis feceram, tamen Antonij ludis commouebar: tibi, qui caſu nullos feceras, nihil huius iſtam ipſam, quam irrides, argenteã ſcenam aduerſatam putas? ſed haec ſane ſint paria omnia: ſit par forenſis opera militari: ſit par militari ſuffragatio vrbana: ſit idem, magnificentiſſimos, & nullos vmquam feciſſe ludos: quid? in ipſa praetura nihil ne exiſtimas inter tuam & iſtius ſortem intereſſe? huius ſors ea fuit, quam omnes tui neceſſarij tibi optabamus, iuris dicũdi, in qua gloriam cõciliat magnitudo negotij, gratiam aequitatis largitio: qua in ſorte ſapiens praetor, qualis hic fuit, offenſionem vitat aequabilitate decernẽdi, beneuolentiam adiungit lenitate audiendi. egregia, & ad conſulatum apta prouincia, in qua laus aequitatis, integritatis, facilitatis, ad extremum ludorum voluptate concluditur. Quid tua ſors? triſtis, atrox, quaeſtio peculatus, ex altera parte lacrumarum, & ſqualoris, ex altera plena catenarum, atque indicum. cogendi iudices inuiti, retinendi contra voluntatem, ſcriba damnatus, ordo totus alienus: Sullana gratificatio reprehenſa: multi viri fortes, & prope pars ciuitatis offenſa eſt; lites ſeuere aeſtimatae: cui placet, obliuiſcitur; cui dolet, meminit. poſtremo tu in prouinciam ire noluiſti. non poſſum id in te reprehẽdere, quod in me ipſo & praetor, & conſul probaui: ſed tamen L. Murenae prouincia multas bonas gratias cum optima exiſtimatione attulit. habuit proficiſcens delectum in Vmbria. dedit ei facultatem reſp. liberalitatis: qua vſus, multas ſibi tribus, quae municipijs Vmbriae conficiuntur, adiunxit. ipſe autem in Gallia, vt noſtri homines deſperatas iam pecunias exigerent, aequitate, diligentiaq. perfecit. Tu interea Romae ſcilicet amicis praeſto fuiſti. fateor. ſed tamen

men illud cogita, nonnullorum amicorum ſtudia minui ſolere in eos, a quibus prouincias contemni intelligant. Et, quoniam oſtendi, iudices, parem dignitatem ad conſulatus petitionem, diſparem fortunam prouincialium negotiorum in Murena, atque in Sulpicio fuiſſe: dicam iam apertius, in quo meus neceſſarius fuerit inferior Seruius; & ea dicam vobis audientibus, amiſſo iam tempore, quae ipſi ſoli, re integra, ſaepe dixi. Petere conſulatum neſcire te, Serui perſaepe dixi: & in ijs rebus ipſis quas te magno, & forti animo & agere, & dicere videbam, tibi ſolitus ſum dicere, magis te fortem ſenatorem mihi videri, quam ſapientem candidatum. primum accuſandi terrores, & minae quibus tu quotidie vti ſolebas, ſunt fortis viri; ſed & populi opinionem a ſpe adipiſcendi auertunt, & amicorum ſtudia debilitant. neſcio quo pacto ſemper hoc fit, neque in vno, aut altero animaduerſum eſt, ſed iam in pluribus: ſimul atque candidatus accuſationem meditari viſus eſt, vt honorem deſperaſſe videatur. quid ergo? acceptam iniuriã perſequi non placet? immo vehementer placet: ſed aliud tempus eſt petendi, aliud perſequendi. petitorem ego, praeſertim conſulatus, magna ſpe, magno animo, magnis copijs & in forum, & in campum deduci volo: non placet mihi inquiſitio candidati, praenuncia repulſae; non teſtium potius quam ſuffragatorum comparatio; non minae magis, quam blanditiae; non declamatio potius, quam ſalutatio: praeſertim cum iam hoc nouo more omnes fere domos omnium concurſent, & ex vultu candidatorum coniecturam faciant, quantum quiſque animi, & facultatis habere videatur. vides ne tu illum triſtem, demiſſum? iacet, diffidit, abiecit haſtas. ſerpit hic rumor. ſcis tu illum accuſationem cogitare? inquirere in competitores? teſtes quaerere? alium faciam: quoniam ſibi hic ipſe deſperat. eiuſmodi candidatorum amici intimi debilitantur; ſtudia deponunt: aut teſtatam rem abijciunt: aut ſuam operam, & gratiam iudicio, & accuſationi reſeruant. accedit eodem, vt etiam ipſe candidatus totum animum, atque omnem curam, operam, diligentiamq. ſuam in petitione non poſſit ponere. adiungitur enim accuſationis cogitatio, nõ parua res, ſed nimirum omnium maxima. magnum eſt enim te comparare ea, quibus poſſis hominem e ciuitate, praeſertim non inopem, neque infirmum, exturbare, qui & per ſe, & per ſuos, & vero etiam per alienos defendatur: omnes enim ad pericula propulſanda concurrimus; & qui non aperte inimici ſumus, etiam alieniſſimis in capitis periculis amiciſſimorum officia & ſtudia praeſtamus, quare ego expertus & petendi, & defendendi, & accuſandi moleſtiam, ſic intellexi, in petendo ſtudium eſſe acerrimum, in defendendo officium, in accuſando laborem. itaque ſic ſtatuo, fieri nullo modo poſſe, vt idem accuſationem, & petitionem conſulatus diligenter adornet, atque inſtruat. vnum ſuſtinere pauci poſſunt, vtrumque nemo. tu, cum de curriculo petitionis deflexiſſes, animumq. ad accuſandum tranſtuliſſes, exiſtimaſti te vtrique negotio ſatisfacere poſſe? vehementer erraſti. quis enim dies fuit, poſteaquam in iſtam accuſandi denunciationem ingreſſus es, quem tu non totum in iſta ratione conſumpſeris? Legem ambitus flagitaſti, quae tibi non deerat: erat enim ſeueriſſime ſcripta Calpurnia: geſtus eſt mos & voluntati, & dignitati tuae: ſed tota illa lex accuſationem tuam, ſi haberes nocentem reum, fortaſſe armaſſet: petitioni vero refragata eſt. Poena grauior in plebem tua voce efflagitata eſt: commoti animi tenuiorum. exſilium in noſtrum ordinem: conceſſit ſenatus poſtulationi tuae, ſed non libenter duriorem fortunae communi cõditionem te auctore conſtituit. morbi excuſationi poena addita eſt: voluntas offenſa multorum, quibus aut contra valetudinis commodum laborandum eſt, aut incommodo morbi etiam ceteri vitae fructus relinquendi. quid ergo? haec quis tulit? is, qui auctoritati ſenatus voluntati tuae paruit: denique is tulit, cui minime proderant. illa, quae mea ſumma voluntate ſenatus frequens repudiauit, mediocriter aduerſata tibi eſſe exiſtimas? confuſionem ſuffragiorum flagitaſti, prorogationem legis Maniliae, aequationem gratiae, dignitatis, ſuffragiorum. grauiter homines honeſti, atque in ſuis ciuitatibus, & municipijs gratioſi tulerunt a tali viro eſſe pugnatum, vt omnes & dignitatis, & gratiae gradus tollerentur. Idem editicios iudices eſſe voluiſti, vt odia occulta ciuium, quae tacitis nunc diſcordijs continentur, in fortunas optimi cuiuſq erumperent. Haec omnia tibi accuſandi viam muniebant, adipiſcendi obſaepiebant.

O R A T I O .

QVOD *enim fretum*.] anguſtum mare fretum eſt. ibi crebri fluctuum motus. QVEM *Euripum*] fretum eſt inter Aulidem Boeotię portum, & Euboeam inſulam. horis XXIIII. magno impetu ſepties recurrens. A. CN. MALLIO?] & hic deiecto Catulo, conſul factus eſt: vt in orat. pro Plãcio. legendum autem, Mallio, non Manlio, docuimus in ea pro Sex. Roſcio. M. SCAVRVM] qui poſtea ſenatus princeps fuit. patrẽ eius, pro quo exſtãt fragmenta quędã orationis apud Pedianũ. HOMINEM *grauiſſimum*.] grauitatem & conſtantiam, in ep. ad Lentulum tribuit illi Cicero his verbis: In quo cũ oẽs homines, tum M. illum Scaurum ſingularẽ virum conſtãtia, & grauitate ſuperaſſet. Et in Verrẽ. Si ſoceris Scauri conſtantiam, vt ne quis te de vera, & certa poſſit ſentẽtia dimouere. A Q. MAXIMO] cui Eburno cognomen fuit propter cãdorem. DVAE. RES] vna, quod, cum præturã petijt Murena, exercitus Luculli qui teſtis in Aſia prouincia, & liberalitatis eius, & virtutis fuerat, nõ[illegible]ũ ex prouincia deceſſerat: qui ſi affuiſſet, ita prior in præturę petitione Murena renunciatus eſſet, vt corũ ſuffragijs. te repulſo, conſul creatus eſt. affuit enim hoc anno cum ad Luculli triũphũ veniſſet. Triũphaſſe autẽ Lucullũ quo anno cõſulatũ Murena petijt, id eſt Cicerone, & Antonio coſ. Cicero ipſe Acad. libro, qui Lucullus inſcribitur, auctor eſt. Altera res, quæ Murenæ profuit in conſulatu, munus illud fuit, quod prætor populo ampliſſimum dedit. EXSPECTATIO *muneris*] exſpectatio ludorum Apollinarium, quos prætor vrbanus dabat, vt oſtendit Cicero Phil. 5. Liuius lib. XXVII. praetorem autem vrbanum fuiſſe Murenam, infra patet. AD. CONSVLATVS *petitionem reſeruauit*.] vt ei prodeſſet:

primum

primum exercitus Luculli, deinde memoria muneris in prętura dati. QVOD *petitio praeturae deſiderabat.*] quod iam tum deſiderabatur, cum praetura peteretur. PRAETVRA *reſtituit.*] vt promiſſum ac debitum: non quia dari non ſoleret, ſed quia Murena dedit ampliſſimum. OMEN *praerogatiuum:*] praerogatiua centuria: cuius voluntatē, & iudiciū cēturiatis comitijs reliquae cēturiae ſequebātur: vt omen ea comitiorum fuerit. LVDORVM *huius elegantia*] de Apollinaribus loquitur. SCENAE *magnificentiam*] argenteam ſcenam dediſſe Murenam infra cognoſce: de qua Plinius lib xxxiii. cap. 3. L. Murena, & Caius in circo paegma duxit, in quo fuere argenti pondo cxxiiii. L. OTHO] L. Roſcius Otho, tribunus plebis. Cicerone cōſule, legē tulit, vt ī theatro equitib. Romanis quattuordecī gradus proximi ſpectandi cauſſa, darentur qua lege reſtitutā ait Cicero equeſtri ordini cū dignitate voluptatem. Liuius Aſconius Plutarchus. ANTONII *ludis commouebat*] qui ſcenam totam argento praetexuerat Valerius Max. lib 2. & Plinius lib. xxxiii cap. 3. CASV *nullus ſ erras,*] verbum, caſu, ad ſortē ſpectat, quae Sulpicio nō dedit, ſed Murenae, vt praetor vrbanus eſſet, ad quē Ludorum Apollinarium cura pertinuit. AEQVITATIS *largitio*] recte largitionis nomen ad aequitatem adiunxit. nam ſaepe quod ius negat aequitas largitur. CATENARVM,] oratorie. non enim catenae in iudiciū afferebāntur. & catenas videtur pro carcere vſurpaſſe. quamquā ī carcere vincula potius, quam catenae, videntur fuiſſe. COGENDI *iudices inuitis,*] hominem homini natura conciliat: ideo libenter nemo iudicat in eo crimine, vnde ſummam reo calamitatē impendere videt. SCRIBA *damnatus, ordo totus alienus:*] ſcribam Seruius praetor de peculatu damnauerat: quo totus ordo ſcribarū offenſus quin comitijs poſtea cōſularibus Murenā Seruio praepoſuerit, non eſt cur dubitetur. SVLLANA *gratificatio reprehenſa:*] Sulla victorijs, qui ſuas partes in bello iuuerant de publico largitus eſt. ea largitio poſt illius interitū, peculatus nomine ī iudiciū vocata multiq Seruio Praetore cōdemnati vnde illi pars ciuitatis infenſa. eodē crimine Fauſtū ipſius Sullae filiū, accuſatum eſſe, locum tamen ei ab iudicibus non eſſe conſtitutū, cognoſcitur ex oratione pro Cluentio. MVLTI *viri fortes,*] qui pro Sulla pugnauerant, & quibus ille poſt victoriam gratificatus erat. LITES *ſeuere aeſtimatae*] damnatis reis, vel de repetundis, vel de peculatu, lites aeſtimari ſolebant: cū quibus tamē interdū benignius agebatur: ſeuerius autē actū eſſe Seruio praetore in cauſſa peculatus, hic locus oſtendit. CVI *placet,*] placet autem accuſatori. L. MVRENAE *prouincia*] Gallia tranſalpina, quam poſt praeturam rexit. AMISSO *iam tempore,*] cum praeterierit occaſio. ACCVSANDI *terrores,*] accuſandi de ambitu, vt nunc accuſas Murenam. quos terrores iam tū candidatus iaciebas. POPVLI *opinionem a ſpe adipiſcendi auertunt*] efficiunt, vt populus opinetur, eū qui terroribus eiuſmodi vtitur, adipiſci conſulatū non poſſe. qui enim candidatus cōpetitoribus ſuis minatur, is parū ſperare conſulatum videtur. quod cū populus animaduertit, deſperantē deſerit, & amicorū ſtudia debilitantur. ET. IN *forum, & in campum*] in foro prenſatur, in campo petitur. HOC *nouo more*] quem ambitio peperit. alius enim erat mos maiorum. DOMOS *omnium*] candidatorum. ABIECIT *haſtas.*] translatio ab ijs qui ſe victos in pugna, haſtis abiectis confitentur. TESTATAM *rem abijciunt*] ſuffragationem omittunt, teſtati cur omittant; ne ſcilicet ei faueant, qui ſibi ipſe deſperet. IVDICIO, *& accuſationi*] cum amicus eorum candidatus aliquem e ſuis competitoribus de ambitu accuſauit. E CIVITATE,] damnati enim de ambitu poſt legem, quam hoc anno Cicero conſul ante comitia conſularia tulit, in exſulium ibant. ET. VERO *etiam per alienos*] auget, Vero, vt lib. iii. in Verrem. Quod tum magnitudine pecuniae, tum iniuriae genere quemuis debet commouere, & vero eo magis, quod ad hoc crimen non ingenioſa aliqua defenſio, ſed improbiſſima confeſſio comparatur. ET *accuſandi*] accuſauerat C. Verrem. ACCVSANDI *denunciationem*] ante ipſa comitia denunciauit Seruius accuſare ſe uelle de ambitu. LEGEM *ambitus flagitaſti,*] petijſti a ſenatu, vt noua de ambitu lex ferretur: cum tu Calpurnia lege, praeſertim ſeueriſſime ſcripta, contentus eſſe poſſes. TOTA *illa lex*] quam flagitaſti, & quae lata eſt. EXSVLIVM *in noſtrum ordinem.*] a te flagitatum eſt: quod Calpurnia lex non irrogabat. MORBI *excuſationi poena addita eſt:*] videtur Seruius & petijſſe a ſenatu, & obtinuiſſe vt lex ferretur de cogendis omnibus ad comitia conſularia, poena addita, ſiquis morbum excuſaret. LABORANDVM *eſt*] eundū ad comitia, AVT *incommodo morbi ceteri vitae fructus relinquendi.*] aut, ſi propter morbum ad comitia non iuiſſent, poteſtate ſuffragandi in poſterum priuarentur. Sic enim illud accipio: ceteri vitae fructus relinquendi. IS. QVI *auctoritati ſenatus, voluntati tuae paruit:*] ego tuli, ſed inuitus: nam & ſenatui, & tibi, neceſſario meo, parendum putaui. CVI *minime proderant*] non enim ideo legem illam tuli, quia mihi prodeſſet ILLA] dixit ea, quae lata ſunt in lege, ſe quidem inuito: nunc ea narrat, quae lata non ſunt, ſumma ſua voluntate. vtraque autem ſignificat Seruio nocuiſſe. CONFVSIONEM *ſuffragiorum flagitaſti*] petierat Seruius, non ut, latis ſuffragijs, centuriae numerarentur, quod fieri ſolebat; ſed vt omnia centuriarum omnium ſuffragia confunderentur: ijſq. numeratis quis conſul factus eſſet qui reiectus, intelligeretur. ita fiebat, vt ambitus tolleretur, cum nullius cēturiae beneficiū appareret. PROROGATIONEM *legis Maniliae,*] vt lex Manilia de ſuffragiorū confuſione, quae iam abrogata fuerat, in poſterū valeret. AEQVATIONEM *gratiae, dignitatis, ſuffragiorum.*] confuſis ſuffragijs hoc ſequebatur, vt eorū, qui ſuffragia ferebant, non gratia, non dignitas extaret. IN. SVIS *ciuitatibus, & municipijs*] ciuitatū nomine colonias, & praefecturas deſignat, quae, praeter municipia ferendi ſuffragij ius habebāt. ET *dignitatis, & gratiae gradus*] acquirit enī dignitatē, & gratiā municipiū illud, & illa colonia, & praefectura, cuius aliquē ſuffragijs conſulē creatū eſſe conſtat. quod ſi ſuffragia confunduntur ſuffragatorū omniū gratia, & dignitas aequatur: beneficiū

enim vnde ſit, non apparet. Editicios iudices] vt accuſator ipſe ederet, quos de ambitu iudicare vellet, quod ſenatus repudiauit. vidit enim fore, vt ederentur iudices ij tantum, qui reo quacunque de cauſſa infenſi eſſent. hoc poſtea latum eſt in crimine ſodalitij, quod ad ambitum pertinuit. id ex oratione pro Plancio perſpicuum fit.

ORATIO

ATQVE ex omnibus illa plaga eſt iniecta petitioni tuae non tacente me maxima: de qua ab homine ingenioſiſſimo & copioſiſſimo Hortenſio multa grauiſſime dicta ſunt: quo etiam mihi durior locus eſt dicendi datus: vt, cum ante me & ille dixiſſet, & vir ſumma dignitate, & diligentia, & facultate dicendi, M. Craſſus, ego in extremo non partem aliquam agerem cauſſae, ſed de tota re dicerem, quod mihi videretur. itaque in iiſdem rebus fere verſor, & quod poſſum iudices, occurro veſtrae ſapientiae. Sed tamen, Serui, quam te ſecurim putas inieciſſe petitioni tuae, cum tu populum R. in eum metum adduxiſti, vt pertimeſceret, ne conſul Catilina fieret, dum tu accuſationem comparares, depoſita atque abiecta petitione? etenim te inquirere videbant triſtem ipſum: maeſtos amicos, obſeruationes, teſtificationes, ſeductiones teſtium, ſeceſſionem ſubſcriptorum animaduertebant: quibus rebus certe ipſi candidatorum vultus obſcuriores videri ſolent. Catilinam interea alacrem, atque laetum, ſtipatum choro iuuentutis, vallatum indicibus, atque ſicarijs, inflatum cum ſpe militum, tum collegae mei, quemadmodum dicebat ipſe, promiſſis, circumfluente colonorum Arretinorum, & Faeſulanorum exercitu: quam turbam diſſimillimo ex genere diſtinguebant homines, perculſi Sullani temporis calamitate. vultus erat ipſius plenus furoris, oculi ſceleris, ſermo arrogantiae, ſic, vt ei iam exploratus, & domi conditus conſulatus videretur. Murenam contemnebat: Sulpicium accuſatorem ſuum numerabat, non competitorem: ei vim denunciabat: reip. minabatur. quibus rebus qui timor bonis omnibus iniectus ſit, quantaq. deſperatio reip. ſi ille factus eſſet, nolite a me commoueri velle, vosmetipſi vobiſcum recordamini. meminiſtis enim, cum illius nefarij gladiatoris voces percrebuiſſent, quas habuiſſe in concione domeſtica dicebatur; cum miſerorum fidelem defenſorem negaſſet inueniri poſſe, niſi eum, qui ipſe miſer eſſet; integrorum, & fortunatorum promiſſis ſaucios, & miſeros credere non oportere; quare qui conſumpta replere, erepta recuperare vellent, ſpectarent, quid ipſe deberet, quid poſſideret, quid auderet; minime timidum, & valde calamitoſum eſſe oportere eum, qui eſſet futurus dux, & ſignifer calamitoſorum: tum igitur, his rebus auditis, meminiſtis fieri S. C. referente me, ne poſtero die comitia haberentur, vt de his rebus in ſenatu agere poſſemus. itaque poſtridie frequenti ſenatu Catilinam excitaui, atque eum de iis rebus iuſſi, ſi quid vellet, quae ad me allatae eſſent, dicere. atque ille, vt ſemper fuit apertiſſimus, non ſe purgauit, ſed indicauit, atque induit. tum enim dixit, duo corpora eſſe reipublicae, vnum debile infirmo capite, alterum firmum ſine capite. huic, cum ita de ſe meritum eſſet, caput ſe viuo non defuturum. congemuit ſenatus frequens, neque tamen ſatis ſeuere pro rei indignitate decreuit. nã partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant: partim, quia timebant. tum erupit e ſenatu triũphans gaudio, quem omnino viuum illinc exire non oportuerat, praeſertim cum idem ille in eodem ordine paucis diebus ante Catoni, fortiſſimo viro, iudicium minitanti, ac denuncianti, reſpondiſſet, ſi quod eſſet in ſuas fortunas incendium excitatum, id ſe non aqua, ſed ruina reſtincturum. His tum rebus commotus, & quod homines iam tum coniuratos cum gladijs in campum deduci a Catilina ſciebam, deſcendi in campum cum firmiſſimo praeſidio fortiſſimorum virorum, & cum illa lata inſigniq. lorica, non quae me tegeret, (etenim ſciebam Catilinam non latus, aut ventrem, ſed caput, & collum ſolere petere) verum vt omnes boni animaduerterent, &, cum in metu & periculo conſulem viderent, id quod eſt factum, ad opem praeſidiumq. meum concurrerent. Itaque cum te, Serui, remiſſiorem in petendo putarent, Catilinam & ſpe, & cupiditate inflammatum viderent, omnes, qui illam ab rep. peſtem depellere cupiebant, ad Murenam ſe ſtatim contulerunt. magna eſt autem comitijs conſularibus repentina voluntatum inclinatio, praeſertim cum incubuit ad virum bonum, & multis alijs adiumentis petitionis ornatum. qui cum honeſtiſſimo patre, atque maioribus, modeſtiſſima adoleſcentia, clariſſima legatione, praetura probata in iure, grata in munere, ornata in prouincia, petiſſet diligenter, & ita petiſſet, vt neque minanti cederet, neque cuiquam minaretur: huic, mirandum eſt, magno adiumento Catilinae ſubitam ſpem conſulatus adipiſcendi fuiſſe?

EXPLANATIO

ILLA *plaga eſt iniecta*]. id maxime nocuit. infra: Quam te ſecurim putas inieciſſe petitioni tuae: translatis vt verbis rem augeret. NON *tacente me*] monente me, ne accuſationem, depoſita petitione, comparares. OBSERVATIONES,] quis largiretur, quis acciperet. TESTIFICATIONES;] comparationes teſtium. SVBSCRIPTORVM] qui ſubſcriberent accuſationi. VVLTVS *obſcuriores*] non, vt candidatorum bene ſperantium ſolent eſſe, alacres, atque laeti. Sibi autem diffidentibus populus non fauet. CHORO *iuuentutis*] quae facile ad res nouas impellitur. Chorum pro comitatu poſuit, in quo ſpecies quaedam eſſet. INDICIBVS,] ijs, quorum indicio ad aliquem circumueniendum, atq. accuſandum vti ſolitus eſſet. SPE *militum*,] qui ad triumphum Luculli conuenerant. PROMISSIS,] cum Catilina C. Antonium conſulem conſenſiſſe, opinio multorum fuit. teſtes Salluſtius, & Cicero. COLONORVM *Arretinorum, & Faeſulanorum*] hos numerabat amicos ſuos Catilina, quia cum

illas

illas colonias Sulla miſiſſet, ciuis in partibus fuerat, iure quodã ijs ſuffragantibus, bene ſperare poſſe videbatur. Exercitv,] per ſimilitudinem erant enim multi. Simillimo *ex genere*] quid enim diſſimilius, quã qui Sulla victore beneficia acceperunt, & qui ſuas fortunas amiſerunt? hoc autẽ genus hominum ideo libenter Catilinam conſulẽ expetebat, vt, eo duce, rep. perturbata, amiſſas fortunas in tumultu recuperare poſſent. Vnvm *debile, infirmo capite*,] ſi contrarijs contraria referenda legendum videtur, Firmo capite: vt vnius corporis debilitas cum alterius firmitate, & eiuſdem firmũ caput cum nullo capite conferatur. Vnũ autẽ debile corpus firmo capite, ſunt partes optimatũ, quarũ caput eſt ſenatus, conſul, praetor, & reliqui magiſtratus. alterũ vero corpus firmũ ſine capite, plebs eſt, cuius multitudo ſi ducẽ habeat optimates facile vinci. Sed quid diſputo, quaſi ambigua cõiectura ſit? mecũ ſentit Plutarchus, aut ego potius cũ illo, vt antiquitati honor habeatur. Eius haec verba ſunt in Ciceronis vita. *Τί γὰρ, ἔφη, δεινὸν πράττω, εἰ, δυοῖν σωμάτων, τοῦ μὲν ἰσχνοῦ καὶ κατεφθινηκότος, ἔχοντος δὲ κεφαλὴν, τοῦ δ᾽ ἀκεφάλου μὲν ἰσχυροῦ δὲ καὶ μεγάλου, τούτῳ κεφαλὴν αὐτὸς ἐπιτίθημι*: Neqve *tamen ſatis ſeuere pro rei indignitate decreui.*] quid ſenatus decreuerit, non apparet. proprie tamen nihil eũ in Catilinam decreuiſſe, licet ex eo conijcere, quia ſubijcitur. Erupit e ſenatu triumphans gaudio: & quia non deſijt ire in campum tamquam petiturus conſulatum. Dio autem non petijſſe Catilinam conſulatum, lege de ambitu lata deterritũ, auctor eſt. quod Salluſtius, vt mihi videtur, in dubio relinquit: tantũ enim ait, Catilinae petitionẽ proſpere non ceſsiſſe: vt pariter intelligi poſſit, vel eũ petitionẽ abieciſſe, vel petijſſe quidem, ſed repulſam tuliſſe. Mihi Ciceronis verba petitionẽ videntur oſtendere, & aperte Plutarchus eum petijſſe dicit. Rvina *reſtincturum*] Salluſtius, Catilinam ait ſimiliter dixiſſe, non quo die Cato ei iudicium minitatus eſt, ac denunciauit, ſed quo Cicero conſul in eum oratione illa eſt inuectus, quae nunc prima inter quattuor legitur. Ad haec, inquit, maledicta alia cũ adderet; obſtrepere omnes, hoſtem atque paricidã vocare. Tum ille furibundus, Quoniam quidẽ circumuentus, inquit, ab inimicis praeceps agor; incendium meum ruina reſtinguam. Cvm *illa lata, inſigniq. lorica,*] de qua etiam Plutarchus. Capvt *& collum ſolere petere*] cõijcit hoc in Sullanã proſcriptionẽ: quo tẽpore qui proſcriptorũ ciuiũ capita ad Sullam afferebant, praemio donabantur: in quibus Catilinã fuiſſe, documento ſunt illa verba in oratione cõtra competitores. Populum vero, cum, in ſpectante populo, collũ ſecuit hominis maxime popularis, quanti faceret oſtendit. Et illa Pediani: Caput M. Marij Gratidiani, etiã tum plenũ animae, & ſpiritus, ad Sullã vſque ab Ianiculo ad aedem Apollinis manibus ipſe ſuis Catilina detulit. Et eiuſdẽ: Catilinã, cũ in Sullanis partibus fuiſſet, crudeliter feciſſe, nominatĩ etiã. poſtea Cicero dicit, quod occiderit Q. Caeciliũ, M. Volumniũ, L. Tantaſiũ. M. etiã Marij Gratidiani, ſumme popularis hominis, qui ob id bis praetor fuit, caput abſciſſum per vrbẽ ſua manu Catilina tulerat. Huc & illa ſpectant pro Sex. Roſcio: Neſcimus, per iſta tempora eoſdẽ fere ſectores fuiſſe collorum, & bonorum? Ad *virum bonum*,] qualis eſt Murena. Adivmentis] quae ſtatim dicuntur. Grata *in munere*,] ludorum Apollinarium. Ornata *in prouincia*,] propter liberalitatem, & virtutem: dixit enim ſupra: Quod ij, quos in prouincia, ac legatione omnis & liberalitatis, & virtutis ſuae teſtes habuerat, nondum deceſſerant. Minanti] Catilinae. Catilina. *E ſubitam ſpem*] ortam ex eo, quia te videbat accuſationẽ comparare, depoſita, atque abiecta petitione.

O R A T I O

*N*Vnc *mihi tertius ille locus eſt orationis de ambitus criminibus, per purgatus ab ijs, qui ante me dixerunt, a me, quoniam ita Murena voluit, retractandus. quo in loco Poſtumio, familiari meo, ordinatiſſimo viro, de diuiſorum indicijs, & de deprehenſis pecunijs; adoleſcenti ingenioſo, & bono, Ser. Sulpicio, de equitum centurijs; M. Catoni, homini in omni virtute excellenti, de ipſius accuſatione, de S. C. de rep. reſpondebo. ſed pauca, quae meum animum repente mouerunt, prius de L. Murenae fortuna conquerar. Nam cum ſaepe antea, iudices, & ex aliorum miſerijs, & ex meis curis, laboribusq. quotidianis fortunatos eos homines iudicarem, qui remoti a ſtudijs ambitionis, otium, ac tranquillitatem uitae ſecuti ſunt: tum vero in his L. Murenae tantis, tamq. improuiſis periculis ita ſum animo affectus, vt nõ queam ſatis neque communem omnium noſtrum condicionem, neque huius euentum, fortunamq. miſerari: qui primum dum ex honoribus continuis familiae, maiorumq. ſuorum unum adſcendere gradum dignitatis conatus eſt, venit in periculum, ne & ea, quae relicta, & haec, quae ab ipſo parta ſunt, amittat: deinde propter ſtudium nouae laudis etiam in veteris fortunae diſcrimen adducitur. quae cum ſunt grauia, iudices, tum illud acerbiſſimum eſt, quod habet eos accuſatores, non qui odio inimicitiarum ad accuſandum, ſed qui ſtudio accuſandi ad inimicitias deſcenderent. nam, vt omittam Ser. Sulpicium, quem intelligo non iniuria L. Murenae, ſed honoris contentione permotum; accuſat paternus amicus Cn. Poſtumius, vetus, vt ait ipſe, vicinus, ac neceſſarius, qui neceſſitudinis cauſſas complures protulit, ſimultatis nullam commemorare potuit; accuſat Ser. Sulpicius, ſodalis filij; cuius ingenio paterni omnes neceſſarij munitiores eſſe debebant; accuſat M. Cato; qui, quamquam a Murena nulla re vmquam alienus fuit, tamen ea condicione nobis erat in hac ciuitate natus, vt eius opes, & ingenium praeſidio multis etiam alieniſſimis, vix cuiquam inimicus eſſe deberet. Reſpondebo igitur Poſtumio primum: qui neſcio quo pacto mihi videtur praetorius candidatus in conſularem, quaſi deſultorius in quadrigarum curriculum, incurrere. cuius competitores ſi nihil deliquerunt; dignitati eorum conceſſit, cum petere deſtitit: ſin autem eorum aliquis largitus eſt; expetendus amicus eſt, qui alienam potius iniuriã, quam ſuam perſequatur.*

Ea omnia, quae & Poſtumio, & Ser. Sulpicio adoleſcenti reſponſa ſunt, deſiderantur.

EXPLANATIO

DIVISORVM] a quibus pecunias populo pro Murena diuiſas eſſe, Poſtumius dicebat. ADOLESCENTI] quis non intelligit, Ser. Sulpicij filium ſignificari? qui & ipſe cum Poſtumio, & Catone, patri, Murenam accuſanti, ſubſcripſerat. DE *equitum centurijs*] a L. Natta, Murenae priuigno, ad prandium inuitatis. quod infra narratur. Equitum centurias ex inſtituto Seruij regis XIIX fuiſſe. Liuius, & Dionyſius docet. eas e cenſu in prima claſſe ſuffragium tuliſſe, nemo ambiget, qui claſſis primae cenſum fuiſſe ſupra centum millia, equeſtris autem ordinis CD millia, non iguorabit quod & Dionyſius perſpicue narrat. propterea, cum L. Aelium Lamiam praeturam petentem, Cicero D. Bruto commendaret, Quando, inquit, equitum centurias tenes, in quibus regnas; mitte ad Lupum, vt eas nobis centurias conficiat. DE. S. C.] infra: Dixiſti, S. C. me referente eſſe factum, ſi mercede corrupti obuiam candidatis iſſent; ſi conducti ſectarentur. DE. R. P.] quia dixerat Cato, ſe ad accuſandum a rep. eſſe adductum. infra. ETIAM *in veteris fortunae diſcrimen adducitur.*] primum eſt ei timendum, ne dignitatem, & quam habet relictam a patre, auo, maioribusq. ſuis, & quam ipſe adeptus eſt, amittat; deinde, ne, dum ſtudet nouae laudi veteris etiam fortunae iacturam faciat. Diuidit Cicero Murenae ſtatum in dignitatem, & fortunam. SODALIS *filij*,] honeſtae ſodalitates quaedam erant. exemplum occurrit illud in or. de Haruſp. reſp. Quod frater conſul, ne fieret, obſtiterat, quod affinis, & ſodalis, clariſſimus vir. Et pro Coelio. Neque vero illud me commouet, quod ſibi in lupercis ſodalem eſſe Coelium dixit. CVIVS *ingenio*] nemini creari periculum debuit ex eius ingenio, ſed talus potius defendi paternorum amicorũ. Tale illud infra: Primũ illud deprecabor, ne ea ſoli huic obſint bona M. Catonis, quae ille adeptus eſt, vt multis prodeſſe poſſet PRAETORIVS *candidatus*] Praetorius cãdidatus Poſtumius praeturam petere deſtiterat, vt candidatum conſularem accuſaret Murenam. quod mirari iure licuit. cur enim ſuos potius competitores non accuſaret? an exſpectabat, vt amicus aliquis alienam perſequeretur iniuriã? nimirũ, ait Cicero, eiuſmodi hoc eſt, vt ſi deſultorius in quadrigarũ curriculũ incurrat. quid enim de ſultorio cum quadrigis? Deſultorij dicebantur, qui ex vno equo in alterũ, non intermiſſo curſu, celerrime deſiliebant. Varro lib. 2. de re ruſt. c. 7. Aliter quadrigarius, ac deſultor. Liuius lib. XXIII. Deſultorũ in modum binos trahentibus equos, inter acerrimam ſaepe pugnam in recentẽ equum ex feſſo armatis tranſultare moris erat. SI. NIHIL *deliquerunt*;] ſi largiti non ſunt, vt praeturam adipiſcerentur,

ORATIO

VENIO nunc ad M. Catonem; quod eſt firmamentum, ac robur totius accuſationis: qui tamen ita grauis eſt accuſator, & vehemens, vt multo magis eius auctoritatem, quam criminationem pertimeſcam. in quo ego accuſatore, iudices, primum illud deprecabor, ne quid L. Murenae dignitas illius, ne quid exſpectatio tribunatus, ne quid totius vitae ſplendor, & grauitas noceat; denique ne ea ſoli huic obſint bona M. Catonis, quae ille adeptus eſt, vt multis prodeſſe poſſet. bis conſul fuerat P. Africanus, & duos terrores huius imperij, Carthaginem, Numantiamq. deleuerat, cum accuſauit L. Cottam. erat in eo ſumma eloquentia, ſumma fides, ſumma integritas, auctoritas tanta, quanta in ipſo imperio populi R. quod illius opera tenebatur. ſaepe hoc maiores natu dicere audiui, hanc accuſatoris eximiam dignitatem plurimum L. Cottae profuiſſe. noluerunt ſapientiſſimi homines, qui tum rem illam iudicabant, ita quemquam cadere in iudicio, vt nimijs aduerſarij viribus abiectus videretur. Quid? Ser. Galbam (nam traditum memoriae eſt) non ne proauo tuo, fortiſſimo, atque florentiſſimo viro, M. Catoni, incumbenti ad eius perniciem, populus R. eripuit? ſemper in hac ciuitate nimis magnis accuſatorum opibus & populus vniuerſus, & ſapientes, ac multum in poſterum proſpicientes iudices reſtiterunt. nolo, accuſator in iudicium potentiam afferat, non vim maiorem aliquam, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam: ualeant haec omnia ad ſalutem innocentium, ad opem impotentum, ad auxilium calamitoſorum; in periculo uero, & in pernicie ciuium repudientur. nam, ſi quis hoc forte dicet, Catonem deſcenſurum ad accuſandum non fuiſſe, niſi prius de cauſſa iudicaſſet: iniquam legem, iudices, & miſeram conditionem inſtituet periculis hominum, ſi exiſtimabit iudicium accuſatoris in reum pro aliquo praeiudicio ualere oportere. ego tuum conſilium, Cato, propter ſingulare animi mei de tua uirtute iuditium, uituperare non audeo, nonnulla in re forſitan conformare, & leuiter emendare poſſim. non multa peccas, inquit ille fortiſſimo uiro ſenior magiſter: ſed, ſi peccas, te regere poſſum. at ego te ueriſſime dixerim peccare nihil, neque ulla in re te eſſe huiuſmodi, ut corrigendus potius, quam leuiter inflectendus eſſe uideare. finxit enim te ipſa natura ad honeſtatem, grauitatem, temperantiam magnitudinem animi, iuſtitiam, ad omnes denique uirtutes magnum hominẽ, & excelſum. acceſſit his tot doctrina non moderata, nec mitis, ſed, ut mihi videtur, paullo aſperior, & durior, quam aut veritas, aut natura patiatur. & quoniam non eſt nobis haec oratio habenda aut cum imperita multitudine aut in aliquo conuentu agreſtium; audacius paullo de ſtudijs humanitatis, quae & mihi, & vobis nota, & iucunda ſunt, diſputabo. In M. Catone, iudices, haec bona, quae videmus, diuina, & egregia, ipſius ſcitote eſſe propria: quae nonnumquam requirimus, ea ſunt omnia non a natura, ſed a magiſtro. fuit enim quidam, ſummo ingenio vir, Zeno, cuius inuentorum aemuli Stoici nominantur. huius ſententiae ſunt, & praecepta eiuſmodi; ſapientem gratia numquam moueri, numquam cuiuſquam delicto ignoſcere, ueminem

nem

nem miſericordem eſſe, niſi ſtultum & leuem; viri non eſſe, neque exorari, neque placari; ſolos ſapientes eſſe, ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos; ſi mendiciſſimi, diuites; ſi ſeruitutem ſeruiant, reges: nos autem, qui ſapientes non ſumus, fugitiuos, exſules, hoſtes, inſanos denique eſſe dicunt; omnia peccata eſſe paria; omne delictum ſcelus eſſe nefarium; nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem ſuffocauerit; ſapientem nihil opinari, nullius rei paenitere, nulla in re falli, ſententiam mutare nunquam. haec homo ingenioſiſſimus M. Cato, auctoribus eruditiſſimis inductus, arripuit, neque diſputandi cauſſa, vt magna pars, ſed ita viuendi. Petunt aliquid publicani: caue quidquam habeat momenti gratia. ſupplices aliqui veniunt miſeri, & calamitoſi: & ſceleratus, & nefarius fueris, ſi quidquam miſericordia adductus feceris. fatetur aliquis ſe peccaſſe, & eius delicti veniam petit: nefarium eſt facinus ignoſcere. at leue delictum eſt: omnia peccata ſunt paria. dixiſti quippiam: fixum, & ſtatutum eſt. non re ductus es, ſed opinione: ſapiens nihil opinatur. erraſti aliqua in re: male dici putat. hac ex diſciplina nobis illa ſunt. dixi in ſenatu me nomen conſularis candidati delaturum. iratus dixiſti: nunquam, inquit, ſapiens iraſcitur. at temporis cauſſa: improbi, inquit, hominis eſt mendacio fallere; mutare ſententiam, turpe eſt; exorari, ſcelus; miſereri, flagitium. noſtri autem illi, (fatebor enim, Cato, me quoque in adoleſcentia, diffiſum ingenio meo, quaeſiſſe adiumenta doctrinae) noſtri, inquam, illi, a Platone, & Ariſtotele, moderati homines, & temperati, aiunt, apud ſapientem valere aliquando gratiam; viri boni eſſe, miſereri; diſtincta genera eſſe delictorum, & diſpares poenas; eſſe apud hominem conſtantem ignoſcendi locum; ipſum ſapientem ſaepe aliquid opinari, quod neſciat; iraſci nonnunquam, exorari eundem, & placari; quod dixerit, interdum, ſi ita rectius ſit, mutare, de ſententia decedere aliquando; omnes virtutes mediocritate quadam eſſe moderatas, hos ad magiſtros ſi qua te fortuna, Cato, cum iſta natura detuliſſet; non tu quidem uir melior eſſes, nec fortior, nec temperantior, nec iuſtior, (neque enim eſſe potes) ſed paullo ad lenitatem propenſior: non accuſares, nullis adductus inimicitijs, nulla laceſſitus iniuria, pudentiſſimum hominem, ſumma dignitate, atque honeſtate praeditum: putares, cum in eiuſdem anni cuſtodia te atque L. Murenam fortuna poſuiſſet, aliquo te cum hoc reip. vinculo eſſe coniunctum: quod atrociter in ſenatu dixiſti, aut non dixiſſes, aut ſepoſuiſſes, aut mitiorem in partem interpretare. ac te ipſum, quantum ego opinione auguror, nunc & animi quodam impetu concitatum, & vi naturae atque ingenij elatum, & recentibus praeceptorum ſtudijs flagrantem iam vſus flectet, dies leniet, aetas mitigabit. etenim iſti ipſi mihi videntur veſtri praeceptores, & virtutis magiſtri, fines officiorum paullo longius, quam natura vellet, protuliſſe, vt, cum ad vltimum animo contendiſſemus, ibi tamen, vbi oporteret, conſiſteremus. nihil ignoueris: immo aliquid, non omnia. nihil gratiae cauſſae feceris: immo reſiſtito gratiae, cum officium, & fides poſtulabit. miſericordia commotus ne ſis: etiam, in diſſoluenda ſeueritate: ſed tamen eſt laus aliqua humanitatis. in ſententia permaneto; enimuero, niſi ſententia alia vicerit melior. huiuſcemodi Scipio ille fuit, quem non paenitebat facere idem, quod tu; habere eruditiſſimum hominem, & paene diuinum domi, cuius oratione, & praeceptis, quanquam erant eadẽ iſta, quae te delectant, tamen aſperior non eſt factus, ſed, vt accepi a ſenibus, leniſſimus. quis vero C. Laelio comior? quis iucundior eodem ex ſtudio iſto? quis illo grauior? ſapientior? poſſum de L. Philippo, de C. Gallo dicere haec eodem; ſed te domum iam deducam tuam. quemquam ne exiſtimas Catone, proauo tuo, commodiorem, comiorem, moderatiorem fuiſſe ad omnem rationem humanitatis? de cuius praeſtanti uirtute cum uere grauiterq; diceres, domeſticum te habere dixiſti exemplum ad imitãdum. eſt illud quidem exemplum tibi propoſitum domi: ſed tamen naturae ſimilitudo illius ad te magis, qui ab illo ortus es, quam ad vnumquemque noſtrum peruenire potuit: ad imitandum vero tam mihi propoſitum exemplar illud eſt, quam tibi. ſed, ſi illius comitatem, & facilitatem tuae grauitati, ſeueritatique adſperſeris; non iſta quidem erunt meliora, quae nunc ſunt optima, ſed certe condita iucundius.

EXPLANATIO

EXSPECTATIO *tribunatus,*] erat enim tribunus pl. deſignatus Plutarchus, & alij. ACCVSAVIT *L. Cottam.*] vide in Diuinatione, in extremo. SER. *Galbam.*] Ser. Sulpicium Galbam, hominem eloquentiſſimum, accuſauit ad populum L. Libo tribunus pl. rogatione in eũ lata, quod Luſitanos contra interpoſitam fidem prætor occidiſſet. eam rogationem M. Cato Cẽſorius paullo ante mortem ſuaſit. non .n. ipſe Galbam in iudiciũ vocauit: & ſuaſionem illã hic Cicero ſignificat ſubiungens, incumbenti ad eius perniciem. vide in Bruto. DESCENSVRVM *ad accuſandum non fuiſſe,*] proprie, ad accuſandum deſcendere, vt in Diuin. Subito nunc mutata volũtate ad accuſandum deſcẽdere. INIQVAM *legem*] ſimile abſurdum illud eſt, & ſimiliter inducitur, in ep. ad Appium. Sin autẽ eo genere delectaris, vt, quæ tibi in mentẽ veniant, alijs attribuas: genus ſermonis inducis in amicitiam minime liberale. INQVIT *ille fortiſſimo uiro ſenior magiſter:*] ex aliqua fortaſſe tragoedia ſumptũ, de Chirone Achillem, cuius magiſter fuit, inſtruente. HVIVS *ſententiae ſunt, & praecepta eiuſmodi;*] expedit Laertium videre, & Paradoxa Ciceronis. DESVNT *aliquid publicani:*] a ſenatu: vt cum petiere non multo poſt, de minuẽda vectigalium mercede, quoniam quidem cũpiditate prolapſi nimium magno conduxiſſent. quibus reſtitit vnus, & peruicit Cato ad Att. lib. 1. MALE *dici putat.*] errare enim, ſapientis non eſt. IRATVS *dixiſti:*] Dixi, legerem: vt conſentiat cum ſuperiore verbo, Dixi in ſenatu. TE, *atque L. Murenam*] te tribunum pl. Murenam conſulem. ETIAM, *in diſſoluenda ſeueritate:*] ſenſus, vt opinor, hic eſt. Fateor: probo: cum praeſertim agitur de diſſoluenda ſeueritate. nam, etiam, aduerbium eſt aſſentiendi, notum exemplis. SCIPIO *ille;*] Africanus minor, qui Stoico

Panaetio,

Panaetio, doctiſſimo homine, magiſtro vſus eſt. C. LAELIO] qui ſapiens dictus eſt, Africani amiciſſimus. DE. *L. Philippo,*] locus unus ex ijs, quibus, contra veteres libros, coniecturam libenter ſequor. quis enm hiſtoriæ peritus, De L. Phi.o, non probabit magis, quam de L. Philippo? Philus doctrina, & ſapientia clarus: itaque coniungitur, item vt hic, cum Scipione, Laelio, Catone in oratione pro Archia. Ex hoc, inquit, eſſe hunc numero, quem patres noſtri viderunt, diuinum hominem, Africanum, ex hoc C. Lælium, L. Furium, modeſtiſſimos homines & continentiſſimos, ex hoc fortiſsimum virum, & illis temporibus doctiſſimum M Catonem illum ſenem. Et orat. I. in Rullum: Catones, Phili, Laelij. At de L. Philippo, tamquam ſapiente, & docto, quae loquitur hiſtoria? DE. *C. Gallo*] C. Sulpicio Gallo, clariſſimo viro, aſtrologiae peritiſsimo, qui de Liguribus triumphauit. *in* Catone: Mori videbamus ſtudio paene dimetiendi caeli C. Gallum Plinius lib 2. cap. 12. Rationem defectus vtriuſque primus Romani generis in vulgus extulit Sulpicius Gallus. Liuius lib. XLIV. C. Sulpicius Gallus, conſulis permiſſu ad concionem militibus vocatis, pronunciauit, nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda vſque ad quartam horam noctis Lunam defecturam eſſe. CONDITA] translatum translato reddidit: dixerat enim, Adſperſeris.

O R A T I O

QVare, vt ad id, quod inſtitui, reuertar, tolle mihi e cauſſa nomen Catonis: remoue ac praetermitte auctoritatem, quae in iudicijs aut nihil valere, aut ad ſalutem debet valere: congredere mecum criminibus ipſis: quid accuſas, Cato? quid affers in iudicium? quid arguis? ambitum accuſas: non defendo. me reprehendis, quod idem defendam, quod lege punierim: puniui ambitum, non innocentiam: ambitum vero ipſum vel tecum accuſabo, ſi voles. Dixiſti, S. C. me referente eſſe factum; ſi mercede corrupti obuiam candidatis iſſent, ſi conducti ſectarentur; ſi, gladiatoribus, vulgo loco tributus, & item prandia ſi vulgo eſſent data, contra legem Calphurniam factum uideri. ergo ita ſenatus iudicat, contra legem facta haec videri, ſi facta ſint: decernit quod nihil opus eſt, dum candidatis morem gerit. nam, factum ſit nec ne, vehementer quaeritur: ſi factum ſit, quin contra legem ſit, dubitare nemo poteſt. eſt igitur ridiculum, quod eſt dubium, id relinquere incertum; quod nemini dubium poteſt eſſe, id iudicare. atque id decernitur omnibus poſtulantibus candidatis: ut ex S. C. neque cuius interſit, neque contra quem ſit, intelligi poſſit. quare doce, a L. Murena illa eſſe commiſſa: tum egomet tibi contra legem commiſſa eſſe concedam. Multi obuiam prodierunt de prouincia decedenti, conſulatum petenti: ſolet fieri. eccui autem non proditur reuertenti? quae fuit iſta multitudo? primum, ſi tibi iſtam rationem non poſſim reddere; quid habet admirationis, tali viro, aduenienti, cãdidato conſulari obuiam prodiſſe multos? quod niſi eſſet factum, magis mirãdum videretur. Quid, ſi etiam illud addam, quod a conſuetudine non abhorret, rogatos eſſe multos? num aut criminoſum ſit, aut mirandum, qua in ciuitate rogati infimorum hominum filios prope de nocte ex ultima ſaepe urbe deductum uenire ſoleamus, in ea non eſſe grauatos homines prodire hora tertia in campum Martium, praeſertim talis uiri nomine rogatos? Quid, ſi omnes ſocietates uenerunt? quarum ex numero multi hic ſedent iudices. Quid, ſi multi homines noſtri ordinis, honeſtiſſimi? quid, ſi illa officioſiſſima, quae neminem patitur non honeſte in urbem introire, tota natio candidatorum? ſi denique ipſe accuſator noſter Poſtumius obuiam cum bene magna caterua ſua venit? quid habet iſta multitudo admirationis? omitto clientes, vicinos, tribules, exercitum totum Luculli, qui ad triumphum per eos dies venerat: hoc dico, frequentiam in iſto officio gratuitam non modo dignitati vllius vmquam, ſed ne voluntati quidem defuiſſe. at ſectabantur multi: doce, mercede; concedam eſſe crimen: hoc quidem remoto; quid reprehendis? quid opus eſt, inquit, ſectatoribus? a me tu id quaeris? quid opus ſit eo, quo ſemper vſi ſumus? homines tenues vnum habent in noſtrum ordinem aut promerendi, aut referendi beneficij locum, hanc in noſtris petitionibus operam, atque aſſectationem. neque enim fieri poteſt, neque poſtulandum eſt a nobis, aut ab equitibus R. vt ſuos neceſſarios candidatos ſectentur totos dies: a quibus ſe domus noſtra celebratur, ſi interdum ad forum deducimur, ſi vno baſilicae ſpatio honeſtamur, diligenter obſeruari videmur, & coli. tenuiorum, & non occupatorum amicorum eſt iſta aſſiduitas, quorum copia bonis, & beneficis deeſſe non ſolet. noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officij, Cato: ſine eos, qui omnia a nobis ſperant, habere ipſos quoque aliquid, quod nobis tribuere poſſint. ſi nihil erit praeter ipſorum ſuffragium, tenue eſt, ſi, vt ſuffragentur: nihil valent gratia; ipſi denique, vt ſolent loqui, non dicere pro nobis, non ſpondere, non vocare domum ſuam poſſunt; atque haec a nobis petunt omnia; neque vlla re alia, quae a nobis conſequuntur, niſi opera ſua compenſari putant poſſe. itaque & legi Fabiae, quae eſt de numero ſectatorum, & S. C. quod eſt L. Caeſare conſule factum, reſtiterunt. nulla eſt enim poena, quae poſſit obſeruantiam tenuiorum ab hoc vetere inſtituto officiorum excludere. At ſpectacula ſunt tributim data, & ad prandium vulgo vocati. Etſi hoc factum a Murena omnino, iudices, non eſt, ab eius amicis autem more & modo factum eſt: tamen admonitus re ipſa recordor quantum hae quaeſtiones in ſenatu habitae punctorum nobis, Serui, detraxerint. quod enim tempus fuit, aut noſtra, aut patrum noſtrorum memoria, quo haec ſiue ambitio eſt, ſiue liberalitas, non fuerit, vt locus & in Circo, & in foro daretur amicis, & tribulibus? haec homines tenuiores primum ne dum qui ea ſuis tribulibus vetere inſtituto aſſequebantur

Deſunt nonnulla.

praefectum fabrum ſemel locum tribulibus ſuis dediſſe; quid ſtatuent in uiros primarios, qui in circo totas tabernas tribulium cauſſa compararunt? haec omnia ſectatorum, ſpectaculorum, prandiorum item crimina a multitudine in tuam nimiam diligentiam, Serui, coniecta ſunt:

ſunt: in quibus tamen Murena ab ſenatus auctoritate defenditur. quid enim? ſenatus num, obuiam prodire, crimen putat? non, ſed mercede: conuince. num ſectari multos? non, ſed conductos: doce. num locum ad ſpectandum dare, aut ad prandium inuitare? minime, ſed vulgo, paſſim. quid eſt vulgo? vniuerſos. non igitur, ſi L. Natta, ſummo loco adoleſcens, qui & quo animo iam ſit, & qualis vir futurus ſit, videmus, in equitum centurijs voluit eſſe, & ad hoc officium neceſſitudinis, & ad reliquum tempus gratioſus, id erit eius vitrico fraudi, aut crimini: nec, ſi virgo Veſtalis, huius propinqua, & neceſſaria, locum ſuum gladiatorium conceſſit huic, non & illa pie fecit, & hic a culpa eſt remotus. omnia haec ſunt officia neceſſariorum, commoda tenuiorum, munia candidatorum.

EXPLANATIO

GLADIATORIBVS,] cum gladiatores populo dantur. ROGATOS] vt in campum Martium aduenienti ex prouincia Murenae obuiam prodirent. DEDVCTVM] in campum, honorem aliquem petentibus infimorum hominum filijs. SOCIETATES] publicanorum. TOT *natio candidatorum?*] praetorij candidati, aedilicij, quaeſtorij, alij. NON *modo dignitati*] officium illud non modo propter dignitatem eius praeſtatur, cui obuiam proditur, ſed voluntati etiam interdum non dignitati, tribuitur. VNO *baſilicae ſpatio*] cum ſpatiamur in baſilica, vel ſemel, non modo iterum & ſaepe. SI VT *ſuffragentur.*] hoc mihi videtur abundare: nihil enim poſt illud requiritur; Si nihil erit praeter ipſorũ ſuffragium, tenue eſt. RESTITERVNT.] parere noluerunt. MODO] modice. TRIBVTIM] non omnibus tribubus, ſed Murenae tribulibus. infra: Vt locus daretur amicis, & tribulibus. Et locum tribulibus ſuis dediſſe. DATA,] Circenſibus ludis in Circo, gladiatoribus in foro. PVNCTORVM] ſuffragiorum. quorum numerus poſt comitia punctis excipiebatur. pro Plãcio: Nonnullas tribus punctis paene totidem tulerunt. quod imitatus dixit Horatius: Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci. TOTAS *tabernas*] vt ex ijs ludos ſpectare poſſet. A MVLTITVDINE] ab ijs, qui ſuffragia comitijs centuriatis tulerunt. IN TVAM *nimiam diligentiam conieceſt*] non in Murenae culpam. Videt populus, nimium te diligentem in his criminibus fuiſſe, Murenam tamen expertem culpae putat. AB SENATVS *auctoritate*] qui non decreuit crimen eſſe, cum obuiam proditur, aut cum ſectantur multi, ſed cum proditur mercede, & mercede item ſectantur multi. SED *vulgo, paſſim.*] quod a Murena commiſſum non eſt. tantum enim L. Natta, Murenae priuignus, equitum centurijs prandium dedit, non tam, vt hoc munere vitrico ſuo Murenae prodeſſet, quam vt ipſe ad reliquum tempus gratioſus eſſe poſſet in quo munere ſi crimen eſſet non id Murenae, qui non dedit, fraudi, aut crimini deberet eſſe. L. NATTA,] Nattae, Pinarij ſunt: vt lib. 2. de Diuin. Tacitus lib. IV Faſti Capitolini anno vrbis CCCXC Hic eſt L. Natta, qui poſtea pontifex fuit, quoque praeeunte, & poſtem tenente P. Clodius tribunus pl. eiecti Ciceronis domum conſecrauit. de quo ſic in oratione pro domo: Quem ego tamen credo, ſi eſt ortus ab illis, quos, memoriae proditum eſt, ab ipſo Hercule, perfunctorum laboribus, ſacra didiciſſe, in viri fortis aerumnis non ita crudelem fuiſſe, vt in viui, & iam ſpirantis caput, buſtum ſuis manibus imponeret. Subiungitq; paullo poſt: Viderat ille Murenam, vitricum ſuum, conſulem deſignatum, ad me conſulem cum Allobrogibus communis exitij indicia afferre. ADOLESCENS.] non ſenator, ſed adhuc eques Romanus, ideo centurias equitum ad prandium inuitauit. AD HOC *officium neceſſitudinis;*] ad populum pro vitrico ſuo Murena rogandum quod neceſſitudinis, & propinquitatis officium eſt. FRAVDI,] damno. AVT *crimini:*] quod eſt grauius. VIRGO *Veſtalis,*] cum alijs priuilegijs tum hoc Veſtales Virgines fruebantur, vt, cum gladiatores pugnarent, ſpectare poſſent. VERVM *eſſe,*] pro aequum eſſe, de quo iam diximus.

ORATIO

AT enim agit mecum auſtere, & Stoice, Cato: negat verum eſſe, allici beneuolentiam cibo: negat iudicium hominum in magiſtratibus mandandis corrũpi voluptatibus oportere. ergo, ad cenam petitionis cauſſa ſi quis vocat, condemnetur. quippe, inquit: tu mihi ſummum imperium, ſummam auctoritatem, tu gubernacula reip. petas fouendis hominum ſenſibus, & deleniendis animis, & adhibendis voluptatibus? vtrum lenocinium, inquit, a grege delicatae iuuentutis an orbis terrarum imperium a populo R. petebas? Horribilis oratio: ſed eam vſus, vita, mores, ciuitas ipſa reſpuit. neque tamen Lacedaemonij, auctores iſtius vitae, atque orationis, qui quotidianis epulis in robore accumbunt, neque vero Cretes, quorum nemo guſtauit vmquam cubans, melius, quam Romani homines, qui tempora voluptatis, laboriſq. diſpertiunt, reſp. ſuas retinuerunt: quorum alteri vno aduentu noſtri exercitus deleti ſunt; alteri, noſtri imperij praeſidio, diſciplinam ſuam, legeſq. conſeruant. Quare noli, Cato, maiorum inſtituta, quae res ipſa publica, quae diuturnitas imperij comprobat, nimium ſeuera oratione reprehendere. Fuit eodem ex ſtudio vir eruditus apud patres noſtros, & honeſtus homo, & nobilis, Q. Tubero. is, cum epulum Q. Maximus Africani, patrui ſui, nomine populo R. daret, rogatus eſt a Maximo, vt triclinium ſterneret, cum eſſet Tubero eiuſdem Africani ſororis filius. atque ille, homo eruditiſſimus, ac Stoicus, ſtrauit pelliculis haedinis lectulos Punicanos, & expoſuit vaſa Samia: quaſi vero eſſet Diogenes Cynicus mortuus, & non diuini hominis Africani mors honeſtaretur: quem cum ſupremo eius die Maximus

mus

mus laudaret, gratias egit dijs immortalibus, quod ille vir in hac rep. potiſſimum natus eſſet; neceſſe enim fuiſſe, ibi eſſe terrarum imperium, ubi ille eſſet, huius in morte celebranda grauiter tulit populus R. hanc peruerſam ſapientiam Tuberonis: itaque homo integerrimus, ciuis optimus, cum eſſet L. Paulli nepos, P. Africani, vt dixi, ſororis filius, his haedinis pelliculis praetura deiectus eſt. odit populus R. priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit: non amat profuſas epulas. ſordes & inhumanitatem multo minus: diſtinguit rationem officiorum, ac temporum, viciſſitudinem laboris, ac voluptatis.

EXPLANATIO

DELICATAE *iuuentutis.*] ad cenam vocatae. IN *robore accumbunt,*] cum nos accumbamus in lectis. TEMPORA *voluptatis,*] malunt enim cum voluptate, quam, vt Lacedaemonii, & Cretes, cum labore cibum capere. VNO *aduentu noſtri exercitus*] de Cretibus loquitur: quos Q Metellus, qui cum Q. Hortenſio conſul fuit ingentibus praelijs intra triennium, vt ait Eutropius, debellauit, & ex ea inſula triumphum duxit, Cretici cognomen adeptus Oratorie minuit rem Cicero, cum ait, vno aduentu noſtri exercitus deleti ſunt. nam & diu, nec ſine diſcrimine pugnatum eſt Poſſit tamen aliquis interpretari. Vno aduentu, quod exercitus Metelli bellũ confecit: vt in eam inſulam alios poſtea exercitus mittere, quod Mithridatico bello contigit, neceſſe non fuerit. In quare non eſt omittendum, nondũ triũphaſſe Metellum cum haec Cicero diceret, impeditum paucorum inuidia: triumphaſſe autem anno ſequenti, Silano, & Murena cos. quod Velleius, Eutropiusq. docent. DISCIPLINAM *ſuam,*] antiquiſſimam, a Lycurgo cũ legibus acceptam. CONSERVANT,] vt ſocij noſtri, quibus inferre bellum nemo audet. EODEM *ex ſtudio*] e Stoica diſciplina. ET *honeſtus homo, & nobilis,*] nõ ſolum honeſto loco natus, verum etiam nobilis. Q. TVBERO] Aeliae gentis. Q. MAXIMVS] Q. Fabius Maximus, Paulli Aemilij nepos, qui poſtea Allobrogicus appellatus eſt. VT *triclinium ſterneret.*] vt epulum populo daret in Capitolio ante caellam Iouis. Tricliniũ poſuit pro lectis in triclinio poni ſolitis infert enim: ſtrauit pelliculis haedinis lectulos Punicanos, Sic & Plinius triclinia aerata, pro lectos aeratos appellauit lib. xxxiv. c. 3. LECTVLOS *Punicanos,*] ſimiles ijs, quibus olim Phoenices vtebãtur. ij lignei erant, vt lib xv. ep. ad Lucilium docet Seneca. Plinius infra Deliacam ſpeciem Punicam ponit lib. xxxiii. c. 2. VASA, *Samia*] fictilia: vt idem Seneca. Offendit populum R. Tubero, dum e Stoicorũ inſtituto ſplendorem, & magnificentiam contemnit, in tribus rebus, lectulis ligneis pellibus haedinis, vaſibus fictilibus: cũ alij lectos aeratos, eburneos, argenteos etiam pretioſa veſte ſternere ſolerent, exponere autem nõ fictilia vaſa, ſed Corinthia, vel Deliaca, ad gratiam populi colligendã. HIS *haedinis pelliculis*] cum ludibrio dictum: vt ſimul Stoicum Catonem irrideret. VOLVPTATIS.] Voluptas autem populi quaerenda fuit in illo epulo, quo diuini hominis Africani mors honeſtabatur.

ORATIO

NAM, quod ais nulla re allici hominum mentes oportere ad magiſtratum mandandum, niſi dignitate: hoc tu ipſe, in quo ſumma eſt dignitas, non ſeruas. cui enim quemquam, vt ſtudeat tibi, vt te adiuuet, rogas? rogat tu me, vt mihi praeſis, vt committam ego me tibi? quid tandem? iſtuc me rogari oportet abs te, aute potius a me, vt pro mea ſalute laborẽ, periculumq. ſuſcipias? quid, quod habes nomenclatorem? in eo quidem fallis, & decipis. nam, ſi nomine appellari abs te ciues tuos honeſtum eſt; turpe eſt eos notiores eſſe ſeruo tuo, quam tibi: ſin etiam noris; tamen per monitorem appellandi ſunt? cur non ante petis, quam inſuſurrauit? aut quid, cum admoneris, tamen, quaſi tute noris, ita ſalutas? quid, poſteaquam es deſignatus, multos ſalutas negligentius? haec omnia ad rationem ciuitatis ſi dirigas, recta ſunt; ſin perpẽdere ad diſciplinae praecepta velis, reperiantur prauiſſima. quare nec plebi R. eripiendi fructus iſti ſunt ludorum, gladiatorum, conuiuiorum, quae omnia maiores noſtri comparauerunt: nec candidatis iſta benignitas adimenda eſt, quae liberalitatem magis ſignificat, quam largitionem. At enim te ad accuſandum reſp. adduxit. Credo, Cato, te iſto animo, atque ea opinione veniſſe: ſed tu imprudentia laberis: ego, quod facio, iudices, cum amicitiae dignitatiſq. L. Murenae gratia facio, tum me pacis, otij, concordiae, libertatis, ſalutis, vitae denique omnium veſtrum cauſſa facere clamo, atque obteſtor. Audite, audite conſulem, iudices: nihil dicam arrogantius: tantum dicam, totos dies, atque noctes de rep. cogitantem. vſque eo L. Catilina remp. deſpexit, atque contempſit, vt ea copia, quam ſecum eduxit, ſe hanc ciuitatem oppreſſurum arbitraretur? latius patet illius ſceleris contagio, quam quiſquam putat; ad plures pertinet: intus, intus, inquam, eſt equus Troianus, a quo numquam, me conſule, dormientes opprimemini. Quaeris a me, quid ego Catilinam metuam? nihil; & curaui, ne quis metueret. ſed copias illius, quas hic video, dico eſſe metuendas: nec tam timendus eſt nunc exercitus L. Catilinae, quam iſti, qui illum exercitum deſeruiſſe dicuntur: non enim deſeruerunt, ſed ab illo in ſpeculis, atque inſidijs relicti, in capite, atque in ceruicibus noſtris reſtiterunt. hi & integrum conſulem, & bonum imperatorem, & natura, & fortuna cum reip. ſalute coniunctum, deijci de vrbis praeſidio, & de cuſtodia ciuitatis veſtris ſententijs deturbari volunt. quorum ego ferrum, & audaciam reieci in campo, debilitaui in foro, compreſſi etiam domi meae ſaepe, iudices; his vos ſi alterum conſulem tradideritis, plus multo erunt veſtris ſententijs, quam ſuis gladijs conſecuti. magni intereſt, iudices, id quod ego multis repugnantibus egi, atque perfeci, eſſe Kal. Ian. in

rep.

rep. deos conſules, ſolite arbitrari, mediocribus conſiliis, aut veſtris vitiis, aut lege improba, aut pernicioſa largitione, auditum aliquando aliquod malum reip. quae vicinita ſunt in hac ciuitate conſilia, iudices, vrbis delendae, ciuium trucidandorum, nominis R. extinguendi. atque haec ciues, ciues, inquam (ſi eos hoc nomine appellari fas eſt) de patria ſua & cogitant, & cogitauerunt. horum ego quotidie conſiliis occurro, audaciam debilito, ſceleri reſiſto. ſed vos moneo, iudices: in exitu eſt iam meus conſulatus: nolite mihi ſubtrahere vicarium meae diligentiae: nolite adimere eum, cui remp. cupio tradere incolumem ab his tantis periculis defendendam. atque ad haec mala, iudices, quid accedat aliud, non videtis? te, te appello, Cato: nonne proſpicis tempeſtatem anni tui? iam enim heſterna concione intonauit vox pernicioſa deſignati tribuni collegae tui: contra quem multum tua mens, multum omnes boni prouiderunt, qui te ad tribunatus petitionem vocauerunt. omnia, quae per hoc triennium agitata ſunt iam ab eo tempore, quo a L. Catilina, & Cn. Piſone initum conſilium ſenatus interficiendi ſcitis eſſe, in hos dies, in hos menſes, in hoc tempus erumpunt. qui locus eſt, iudices, quod tempus, qui dies, quae nox, cum ego non ex iſtorum inſidiis ac mucronibus non ſolum meo, ſed multo etiam magis diuino conſilio eripiar, atque euolem? neque iſti me meo nomine interfici, ſed vigilantem conſulem de reip. praeſidio demouere volunt. nec minus vellent, Cato, te quoque aliqua ratione, ſi poſſent, tollere: id quod, mihi crede, & agunt, & moliuntur. vident, quantum in te ſit animi, quantum ingenii, quantum auctoritatis, quantum reip. praeſidii. ſed cum conſulari auctoritate, & auxilio ſpoliatam vim tribuniciam viderint; tum ſe facilius inermem, & debilitatum te oppreſſuros arbitrantur. nam, ne ſufficiatur conſul, non timent: vident in tuorum poteſtate collegarum fore: ſperant ſibi Silanum, clarum virum, ſine collega, te ſine conſule, remp. ſine praeſidio obiici poſſe. his tantis in rebus, tantisq. in periculis eſt tuum, M. Cato, qui non mihi, non tibi, ſed patriae natus es, videre quid agatur, retinere adiutorem, defenſorem, ſocium in rep. conſulem non cupidum, conſulem, quod maxime tempus hoc poſtulat, fortuna conſtitutum ad amplexandum otium, ſcientia ad bellum gerendum, animo, & vſu ad quod velis negotium. quamquam huiuſce rei poteſtas omnis in vobis ſita eſt, iudices: totam remp. vos in hac cauſſa tenetis, vos gubernatis. ſi L. Catilina cum ſuo conſilio nefariorum hominum, quos ſecum eduxit, hac de re poſſet iudicare, condemnaret L. Murenam: ſi interficere poſſet, occideret. petunt enim rationes illius vt orbetur auxilio reſp. vt minuatur contra ſuum furorem imperatorum copia, vt maior facultas tribunis pl. detur, depulſo aduerſario, ſeditionis ac diſcordiae concitandae. idemne igitur delecti ampliſſimis ex ordinibus honeſtiſſimi atque ſapientiſſimi viri iudicabunt, quod ille importuniſſimus gladiator, hoſtis reip. iudicaret? mihi credite, iudices, in hac cauſſa non ſolum de L. Murenae, verum etiam de veſtra ſalute ſententiam feretis. in diſcrimen extremum venimus: nihil eſt iam, vnde nos reficiamus, aut vbi lapſi reſiſtamus. non ſolum minuenda non ſunt auxilia, quae habemus, ſed etiam noua, ſi fieri poſſit, comparanda. hoſtis eſt enim non apud Anienem, quod bello Punico grauiſſimum viſum eſt, ſed in vrbe, in foro, (dii immortales, ſine gemitu hoc dici non poteſt) non nemo etiam in illo ſacrario reip. in ipſa, inquam, curia non nemo hoſtis eſt. dii faxint vt meus collega, vir fortiſſimus, hoc Catilinae nefarium latrocinium armatus opprimat: ego togatus, vobis bonisq. omnibus adiutoribus, hoc, quod conceptum reſp. periculum parturit, conſilio diſcutiam, & comprimam. ſed quid tandem fiet, ſi haec elapſa de manibus noſtris in eum annum, qui conſequitur, redundarint? vnus erit conſul, & is non in adminiſtrando bello, ſed in ſufficiendo collega occupatus. hunc iam qui impedituri ſint.

Deſunt nonnulla.

illa peſtis immanis, importuna Catilinae prorumpet: qua minatur, in agros ſuburbanos repente aduolabit: verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro coniuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas: omni autem in ſede, ac loco ferrum, flammamq. metuemus: quae iamdiu comparantur: eadē iſta omnia, ſi ornata ſuis praeſidiis erit reſp. facile & magiſtratuū conſiliis, & priuatorum diligentia opprimentur.

EXPLANATIO

VT. MIHI *praeſis*,] cum eris in magiſtratu. NOMENCLATOREM?] ſeruum, cui ciuium omnium nomina nota erant, eaq. domino ſuo cādidato, vt is ſuo quemque nomine ſalutaret, inſuſurrabat in campo. AD *rationem ciuitatis*] ad morem ciuitatis. DISCIPLINAE] Stoicae. VIQVE *eo L. Catilin m*] quorſum hoc? vt oſtendat, quamquam egreſſus Catilina ſit, reip. tamen a ſociis eius, qui in vrbe remanſerint, vehementer timendum: itaque non eſſe priuandam optimi cōſulis cuſtodia infra: Hi & integrum cōſulem, & bonum imperatorem, & natura, & fortuna cum reip. ſalute coniunctum, deiici de vrbis praeſidio, & de cuſtodia ciuitatis veſtris ſententiis deturbari volunt. EQVVS *Troianus*,] in quo latent qui caedem ciuibus, vrbi, flammam inferunt. QVOD *ego Catilinam metuam?*] iam egreſſum. Cur ideo vis abſolui Murenam, aiebat Cato, quia bonus imperator, an Catilinam, cum paucis egreſſum, times? INTEGRVM *conſulem*.] malis conſiliis non infectum. NATVRA, *& fortuna*] qui & ipſe per ſe bene animatus in remp. eſt, &, vt fit, fortuna etiam adducitur: res enim nouas quaerunt, qui mala fortuna vtuntur. infra: Conſulem, quod maxime tempus hoc poſtulat, fortuna conſtitutum ad amplexandum otium. IN *campo*,] Catilina conſulatū petente. Supra: His tamen rebus commotus & quod homines iam tum coniuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina ſciebam, deſcendi in campum cum firmiſſimo praeſidio fortiſſimorum virorū, & cū illa lata, inſigniq. lorica. Et or. 1. in Catil. Cū proximis comitiis conſularibus me cōſulē in cāpo, & competitores tuos interficere voluiſti; compreſſi tuos nefarios cōnatus amicorum praeſidio & copiis. IN: FORO,] ab iiſdem petitus.

ETIAM *domi meae*] cum ad me, miſſi a Catilina, venerunt, vt ſpecie ſalutationis me interficerent. or. 1. in Catil. IN QVOD *ego, multis repugnantibus, egi, atque perfeci.*] habitis comitiis. quae multi protrahebant id ſpectantes, vt praeſidio cuſtodiaq. conſulum initio ſequentis anni carente rep. facilius eam inteſtini hoſtes, nullo contra reſiſtente, opprimerent. INTONVIT *vox pernicioſa*] pro coniuratis cõtra remp. DESIGNATI *tribuni pl.*] Non dubito, quin haec in Metellum Nepotem conferantur, qui cum ſe hoc anno tribunatum pl. eſſe petiturum profiteretur, M. Cato, male de illo ſentiens, tribunatum & ipſe, vt eius perdita conſilia frangeret, petere voluit. quod cũ Plutarchus, tum Cicero ipſe docet ſequentibus verbis: Contra quẽ multũ tua mens, multũ omnes boni prouiderunt, qui te ad tribunatus petitionẽ vocauerunt. Improbi animi ſignũ illud hic Metellus, magiſtratum ingreſſus, primũ dedit, cũ pridie Kal. Ian abeuntẽ magiſtratu Ciceronem concionis habendae poteſtate priuauit, dicẽdi poteſtatẽ ei fieri negãs oportere, qui in alios animaduertiſſet indicta cauſſa ep. 2. lib. v. in Piſonẽ, & apud Plutarchum. AB *eo tempore.*] ab extremo die conſulatus Lepidi. & Tulli. or. 1. in Catil. Poteſt ne tibi huius vitae lux, Catilina, aut huius caeli ſpiritus eſſe iucũdus, cum ſcias horum eſſe neminẽ, qui neſciat, te pridie Kal. Ian. Lepido, & Tullo cos. ſteriſſe in Comitio cum telo? manũ, conſulũ & principum ciuitatis interficiendorum cauſſa parauiſſe? EX *iſtorum inſidijs, ac mucronibus*] hinc illa exclamatio or. 4. in Catil. Ego ſum ille conſul, P. C. cui non forum, in quo omnis aequitas cõtinetur; nõ campus, conſularibus auſpicijs conſecratus; non curia ſummũ auxiliũ omniũ gentium; nõ domus, commune perfugium; non lectus, ad quietẽ datus; non denique haec ſedes honoris, ſella curulis, vnquã vacua mortis periculo, atque inſidijs fuit. VIDENT *in tuorum poteſtate collegarum fore:*] tacite ſignificat non optime ſperare ſe de tribunis pl, vno Catone excepto, nam ſi, Murena damnato, ne conſul ſufficiatur, nõ timent, id fore videntes in tribunorum pl poteſtate: nimirũ voluntatem eorũ habent cognitã: qui ſi alter cõſul Silanus comitia cõſularia habere voluerit, obſiſtent, vel interceſſione, vel auſpicijs, vel quacumque ratione. Pertinet ad hanc ſententiã, quod paullo ante dictum eſt: Iam enim heſterna concione intonuit vox pernicioſa deſignati tribuni, collegae tui. Et quod infra de Catilina ſubijcitur. Petunt illius rationes, vt orbetur auxilio reſp. vt minuatur contra ſuum furorem imperatorum copia, vt maior facultas tribunis pl. detur, depulſo aduerſario, ſeditionis ac diſcordiae concitandae. Et illud: Vnus erit conſul, & is non in adminiſtrando bello, ſed in ſufficiendo collega occupatus. hunc iam qui impedituri ſint. SILANVM,] quem Cato, ſororis ſuae virum, accuſare de ambitu noluit, cum tamen ante comitia in concione iuraſſet, ſeſe omniũ qui largitionem feciſſent, accuſatorem fore Plutarchus. NON *cupidum.*] rerum nouarum. QVANQVAM *huiuſce rei poteſtas omnis in vobis ſita eſt.*] correctio: quia nimium Catoni tribuere viſus eſt. IN *campo exercitus,*] Catilinae ſocij, cum Silanus collegae ſufficiendo comitia habebit. ORNATA] inſtructa: vt ornare claſſem, prouinciam. PRIVATORVM] in quibus ipſe erit. nam de ſe potiſſimum, non dubito, quin hoc dicat.

ORATIO

QVae cum ita ſint, iudices, primum reip. cauſſa, qua nulla res cuiquam potior debet eſſe, vos pro mea ſumma, & vobis cognita in remp. diligentia moneo, pro auctoritate conſulari hortor, pro magnitudine periculi obteſtor, vt otio, vt paci, vt ſaluti, vt vitae veſtrae, & ceterorum ciuium conſulatis: deinde ego fidem veſtram, vel defenſoris, & amici officio adductus, oro, atque obſecro, iudices, vt ne hominis miſeri, & cum corporis morbo, tum animi dolore confecti, L. Murenae recentem gratulationem noua lamentatione obruatis. modo maximo beneficio populi R. ornatus, fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquiſſimum conſulatum attuliſſet: nunc idem ſqualore ſordidus, confectus morbo, lacrumis, ac maerore perditus, veſter eſt ſupplex, iudices, veſtram fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, veſtram poteſtatem, ac veſtras opes intuetur. nolite, per deos immortales, iudices, hac eum re, qua ſe honeſtiorem fore putauit, etiam ceteris ante partis honeſtatibus, atque omni dignitate, fortunaq. priuare. atque ita vos Murena, iudices, orat, atque obſecrat: ſi iniuſte neminem laeſit; ſi nullius aures, voluntatem ve violauit; ſi nemini, vt leniſſime dicam, odio nec domi, nec militiae fuit; ſit apud vos modeſtiae locus; ſit demiſſis hominibus perfugium; ſit auxilium pudori. miſericordiam ſpoliatio cõſulatus magnam habere debet, iudices: una enim eripiuntur cum conſulatu omnia. inuidiam vero his temporibus habere conſulatus ipſe nullam poteſt. obijcitur enim concionibus ſeditioſorum, inſidijs coniuratorum, telis Catilinae: ad omne denique periculum, atque ad omnem inuidiam ſolus opponitur. quare, quid inuidendum Murenae, aut cuiquam noſtrum ſit in hoc praeclaro conſulatu, non video, iudices: quae vero miſeranda ſunt, ea & mihi ante oculos verſantur, & vos videre, & perſpicere poteſtis. Si, quod Iuppiter omen auertat, hũc veſtris ſententijs afflixeritis, quo ſe miſer vertet? domum ne? ut eam imaginem clariſſimi uiri parentis ſui, quam paucis ante diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominia, lugentemq. uideat? an ad matrem? quae miſera modo conſulem oſculata filium ſuum, nunc cruciatur, & ſolicita eſt, ne eundem paullo poſt ſpoliatum omni dignitate conſpiciat. ſed quid ego matrem, aut domum appello? quem noua poena legis & domo, & parente, & omnium ſuorum conſuetudine. conſpectuq. priuat. ibit igitur in exſilium miſer? quo? ad orientis ne partes, in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas geſſit? at habet magnum dolorem, vnde cum honore deceſſeris, eodem cum ignominia reuerti. an ſe in contrariam partem terrarum abdet? ut Gallia tranſalpina, quem nuper ſummo cum imperio libentiſſime uiderit, eundem lugentem, maerentem, exſulem uideat? in ea porro prouincia-

uincia-

uincia quo animo C. Murenam fratrem ſuum adſpiciet? qui huius dolor? qui illius maeror erit? quae vtriuſque lamentatio? quanta autem perturbatio fortunae, atque ſermonis? quod, quibus in locis, paucis ante diebus, factum eſſe conſulem Murenam nuncij, litteraeq. celebraſſent, & vnde hoſpites, atque amici gratulatum Romam concurrerint, repente eo accedat ipſe nuncius ſuae calamitatis. Quae ſi acerba, ſi miſera, ſi luctuoſa ſunt, ſi alieniſſima manſuetudine, & miſericordia veſtra, iudices; conſeruate populi R. beneficium, reddite reip. conſulem. date hoc ipſum pudori, date patri mortuo, date generi, & familiae, date etiam Lanuuio, municipio honeſtiſſimo, quod in hac cauſſa frequens, maeſtumq. uidiſtis: nolite a ſacris patrijs Iunonis Soſpitae, cui omnes conſules facere neceſſe eſt, domeſticum, & ſuum conſulem potiſſimum auellere. quem ego uobis, ſi quid habet aut momenti commendatio, aut auctoritatis confirmatio mea, conſul conſulem, iudices, ita commendo, ut cupidiſſimum otij, ſtud oſiſſimum bonorum, acerrimum contra ſeditionem, fortiſſimum in bello, inimiciſſimum huic coniurationi, quae nunc remp. labefactat, futurum eſſe promittam, & ſpondeam.

EXPLANATIO

FIDEM *veſtram uel defenſoris,*] hic mihi ſuſpicionē mēdi varietas affert antiquorum exemplarium. in duobus, Veſtram, abeſt: in altero legitur, Fide in vos defenſoris: vnum cū peruulgatis libris conſentit. placeret, Fide defenſoris, & amici officio adductus. fides enim proprie defenſoris eſt, officium amici. Quid porro fidem hic iudicum orare opus eſt? quale autem videtur, (vt verba quoque conſideremus) fidem veſtram oro? Quae ſi parum aut nihil habent momenti, diſſenſio certe veterum librorum contemnenda non videtur. IN *municipium antiquiſſimum*] Lanuuium: vt in extrema oratione. DEMISSIS] qui efferri ſuperbia non ſolent, qualem ſe Murena praebuit in omni vita. IN *hoc praeclaro conſulatu*] quem praeclarum eſſe quiddam homines opinantur: cum tamen plena res laboribus, curis, periculiſq. ſit. QVO *ſe vertet? domum ne?*] locus ad commouendam miſericordiam aptiſſimus, vt ille C. Gracchi lib. III. de Orat. Quo me miſer conferam? in Capitolium ne? at fratris ſanguine redundat. an domum? matrem ne vt miſeram, lamentantemq. videam, & abiectam? Hoc de genere plura diximus lib. v. in Verr in eo loco: Quo confugient ſocij? quem implorabunt? qua ſpe denique, vt viuere velint, tenebuntur, ſi vos eos deſeritis? ad ſenatum deuenient, qui de Verre ſupplicium ſumat? non eſt vſitatum, non ſenatoriū. Ad populū Romanum confugient? facilior eſt cauſſa populi. LVGENTEMQ.] pro, Lugenti ſimilem. Oratoria licentia. mago enim non luget. NOVA *poena legis*] decem annorum exſiliū irrogabat lex, hoc anno ab ipſo lata Cicerone cōſule. LEGATVS] L. Luculli. bello Mithridatico. IN *contrariam partem terrarum*] occidentem verſus. C. MVRENAM] quē decedens Lucullus prouinciae praepoſuit, vt Cicero Ciliciae C. Coelium Caldum. FORTVNAE,] paucis diebus a ſumma laetitia ad ſummam miſeriam conuerſa. SERMONIS?] inter homines prouinciales. CELEBRASSENT,] peruulgaſſent, multis notum feciſſent. nam, celebrare, frequentiam ſignificat. itaque celebris locus opponitur deſerto: &, Domus celebratur, ob conuentum multorum, alibi Cicero dixit. PVDORI,] quem ſupra quoque in Murena laudauit: Sit apud vos modeſtiae locus: ſit demiſſis hominib. perfugium: ſit auxilium pudori. GENERI, *& familiae,*] latius patet genus, quam familia. plures enim eiuſdem generis familiae eſſe poſſunt: vt Pulchrorum, Neronum, Marcellorum familiae, Claudij generis: Scipionum, Lentulorum, Dolabellarum, Sullarum, Merularū, aliorum familiae Cornelij. Generi igitur, Licinio: familiae, Murenarum. DATE *etiam Lanuuio, municipio honeſtiſſimo,*] libentius lego cum tribus antiquis Maffaeiorum libris, Lanuuio municipio honeſtiſſimo. quidam libri mendoſe, Lauinio: cum Iuno Soſpita Lanuuij non Lauinij, coleretur. VIDISTIS:] non, quod abijſſent municipes ante quam ſententiae ferrentur: ſed uidiſtis, dū cauſſa ageretur. alloquitur enim iudices in exitu iudicij, cum ſententias de reo laturi iam eſſent. PATRIIS] quae in eius patria Lanuuio Iunoni Soſpitae fiunt. IVNONIS *Soſpitae,*] non Lanuuij ſolum, verum etiā Romae delubrum Soſpitae Iunonis fuit, auctore P. Victore. de Lanuuina autē Iunone Liuius lib. IIX. & XL. Ouidius lib. I. Faſt. Silius lib. XIII. Simulacrum eius fingi ſolitum cū pelle caprina, & haſta, & ſcuto, & calceis repandis, oſtendit Cicero lib. I. de Nat. de. FACERE] ſacra facere: vetere loquendi more. AVELLERE] ab inuita. gratius enim ei, ſi ſacra ſua facientem videat domeſticū, ſuumq. conſulem, quam ſi ceteros omnes conſules, qui quotannis ei facere cōſueuerunt. NECESSE *eſt,*] more a maioribus accepto. MOMENTI] tenuiter dixit: cur enim commendatio cuiuſquam valeat apud iuratos iudices? auxit igitur ſubiungens, Auctoritatis. aequum eſt enim, auctoritatis habere aliquid conſulem de conſulis innocentia confirmantem. CVPIDISSIMVM *otij*] & natura, & fortuna: natura quia bonus: fortuna quia ſtatu optimo: quo qui ſunt, ijs mutatio rerum odio eſt. propterea dixit ſupra, fortuna conſtitutum ad amplexandum otium: & paullo ante, Natura. & fortuna cum reip. ſalute coniunctum. *ſeditionem,*] tribuniciam fauere enim, qui tribuni pl. deſignati erant, Catilinae conſilijs, iam demonſtrauimus. IN *bello,*] quod cum Catilina geretur. aliud enim bellum ſignificari non poteſt: & quaecumque hic Cicero de Murena promittit, ac ſpondet, nullam in partem, niſi ad Catilinam, eiuſq. coniurationem, ſpectant. LABEFACTAT,] perturbat, vt ipſa reſp. talem plane conſulem requirere videatur, qualem ego vobis futurum eſſe Murenam promitto, ac ſpondeo.

IN . ORATIONEM . CICERONIS
PRO . L . VALERIO . FLACCO
PAVLLI . MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

ACcuſatum a P. Laelio L. Flaccum de repetundis ex Aſia, cui triennium poſt praeturam praefuerat, Cicero defendit. Tota fere defenſio ex confutatione teſtium Aſiaticorum, & Graecorum, qui Flaccum oppugnabant, & ex ipſius Flacci ſuperiore vita, magnisq. erga remp. meritis conſtat. Egit eandem cauſſam & Q. Hortenſius: de quo ſic in oratione: De hoc teſte, totoque Mithridatico crimine diſſeruit ſubtiliter & copioſe Q. Hortenſius. Et epiſt. vlt. lib. 2. ad Att. Hortenſius quam plena manu, quam ingenue, quam ornate noſtras laudes in aſtra ſuſtulit, cum de Flacci praetura, & de illo tempore Allobrogum diceret. Atque ex illa quidem epiſtola, accuſatum eſſe Flaccum, Caeſare & Bibulo cos. ſatis intelligitur. quod hiſtoriae quoque ratio docet. nam cum praetor Flaccus fuerit Cicerone conſule, triennium autem Aſiam rexerit, quod ipſa oſtendit oratio: quis non videt, eius accuſationem in Caeſarem & Bibulum conſules incidere?

M · TVLLII · CICERONIS
PRO · L. VALERIO · FLACCO
ORATIO · XXIV.

CVm in maximis periculis huius vrbis atque imperij, grauiſſimo, atque acerbiſſimo reip. caſu, ſocio, atque adiutore conſiliorum, periculorumque meorum L. Flacco caedem a vobis coniugibus, liberis veſtris, vaſtitatem a tẽplis, delubris, vrbe, Italia depellebam, ſperabam, iudices, honorum potius L. Flacci me adiutorem futurum, quam miſeriarum deprecatorem. quod enim eſſet praemium dignitatis, quod populus Ro. cum huius maioribus ſemper detuliſſet, huic denegaret? cum L. Flaccus veterem Valeriae gentis in liberanda patria laudem prope quingenteſimo anno reipub. retuliſſet. ſed ſi forte aliquando aut beneficij huius obtrectator, aut virtutis hoſtis, aut laudis inuidus exſtitiſſet; exiſtimabam L. Flac. a multitudinis potius imperitae, nullo tamen cum periculo quam ſapientiſſimorum & lectiſſimorum virorum iudicium eſſe ſubeundum. etenim, quibus auctoribus, & defenſoribus omnium tum ſalus eſſet non ciuium ſolum, verum etiam gentium defenſa, ac retenta, neminem vnquam putaui per eos ipſos periculum huius fortunis, atque inſidias creaturum. quod ſi eſſet aliquando futurum, vt aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret: numquam tamen exiſtimaui, iudices, D. Laelium, optimi viri filium, optima ipſum ſpe praeditum, ſummae dignitatis, eam ſuſcepturum accuſationem, quae ſceleratorum ciuium potius odio, & furori, quam ipſius virtuti, atque inſtitutae adoleſcentiae conueniret. etenim, cum a clariſſimis viris iuſtiſſimas inimicitias ſaepe cum bene meritis ciuibus depoſitas eſſe vidiſſem, non ſum arbitratus quemquam amicum reipub. poſteaquam L. Flacci amor in patriam perſpectus eſſet, nouas huic inimicitias, nulla accepta iniuria, denunciaturum. ſed, quoniam, iudices, multa nos & in noſtris rebus, & in repub. feſellerunt: ferimus ea, quae ſunt ferenda: tantum a vobis petimus, vt omnia reipub. ſubſidia, totum ſtatum ciuitatis, omnem memoriam temporum praeteritorum, ſalutem praeſentium, ſpem reliquorum in veſtra poteſtate, in veſtris ſententijs, in hoc vno iudicio poſitam eſſe, & defixam putetis. ſi vnquam reſpub. conſilium, grauitatem, ſapientiam, prouidentiam iudicum implorauit, hoc tempore, hoc, inquam, tempore implorat. non eſtis de Lydorum, aut Myſorum, aut Phrygum, qui huc compulſi concitatique venerunt, ſed de veſtra repub. iudicaturi, de ciuitatis ſtatu, de communi ſalute, de ſpe bonorum omnium, ſi qua reliqua eſt etiam nunc, quae fortium ciuium mentes, cogitationesque ſuſtentet. omnia alia perfugia bonorum, praeſidia innocentum, ſubſidia reip. conſilia, auxilia, iura ceciderunt. quem enim alium appellem? quem obteſter? quem implorem? ſenatum ne? at is ipſe auxilium petit a vobis, & confirmationem auctoritatis ſuae veſtrae poteſtati permiſſam eſſe ſentit. an equites Rom.? iudicabitis principes eius ordinis quinquaginta, quid cum omnibus ſenſeritis. an populum Rom? at is quidem omnem ſuam de bonis poteſtatem tradit vobis. quamobrem niſi hoc loco, niſi apud vos, niſi per vos, iudices, non auctoritatem, quae amiſſa eſt, ſed ſalutem noſtram, quae ſpe exigua extremaq. pendet, tenuerimus: nihil eſt praeterea, quo confugere poſſimus. niſi forte, quae res hoc iudicio tentetur, quid agatur, cui cauſſae fundamenta iaciantur, iudices non videtis. damnatus eſt is, qui Catilinam, ſigna patriae inferentem, interemit. quid eſt cauſſae, cur non is, qui Catilinam ex vrbe repulit, pertimeſcat? rapitur ad poenam, qui indicia communis exitij cepit: cur ſibi confidat is, qui ea proferenda, & patefacienda curauit? ſocij conſiliorum, miniſtri, comitesq. vexantur: quid auctores, quid duces, quid princeps ſibi exſpectent? atque vtinam inimici noſtri, ac bonorum omnium mecum potius contendant, vtrum tamen omnes boni duces noſtri, an comites fuerint ad communem conſeruandam ſalutem.

EXPLANATIO

HVIVS *maioribus*] propter memoriam P. Valerij Poplicolae qui pro libera ciuitate contra Tarquiniũ Regẽ proſpere pugnauit, legesq. populo Romano gratas tulit. PROPE *quingenteſimo anno*] anni vere numerantur a Valerio Poplicola, patriæ liberatore, ad conſulatũ Ciceronis, quo p̃tor Valerius Flaccus patriã a coniuratione Catilinae incolumen ſeruauit, CDLXVI. ſed Ciceroni mos eſt nõ ſubtiliter annos interdũ numerare. SPE *praeditum ſummae dignitatis*,]ita coniunge, vt in ep. ad Lentulum, Eximia ſpe ſummae virtutis adoleſcentẽ. SENATVM *ne?*] de hac figura ſatis multa diximus lib vltimo in Verrẽ, in eo loco: Quo cõfugient ſocij? quem implorabũt? qua ſpe denique, vt viuere velint, tenebũtur, ſi vos eos deſeritis? ad ſenatũ deuenient, qui de Verre ſuppliciũ ſumat? non eſt vſitatũ, non ſenatoriũ. Ad populum Romanum cõfugient? facilis eſt cauſſa populi. Legem enim ſociorũ cauſſa iuſſiſſe & ei legi vos cuſtodes ac vindices praepoſuiſſe dicet. CONFIRMATIONEM *auctoritatis ſuae*] vt ſenatus mentem de L. Flacci ſalutae veſtrae ſententiae confirmẽt. PRINCIPES *eius ordinis quinquaginta.*] ſenatores, equites, tribuni aerarij lege Aurelia iudicabant. DAMNATVS *eſt is*,] C. Antonius, a M. Coelio accuſatus, a Cicerone defenſus. infra Oppreſſus eſt C. Antonius. eſto, habuit quandã ille infamiam ſuam, neque tamẽ ille ipſe (pro meo iure dico) vobis

iudicibus

iudicibus damnatus eſſet: cuius damnatione ſepulcrum L. Catilinae floribus ornatum hominum audaciſſimorum, ac domeſticorum hoſtium conuentu epuliſq. celebratum eſt, iuſta Catilinae facta ſunt: nunc a Flacco Lentuli poenae per vos expetuntur. CVR *non is,*] Flaccus. REPVLIT,] adempto ei ſubſidio coniuratorum, qui ad vrbem illum vocabant. RAPITVR *ad poenam*] Antonius. EXCEPIT] tradita a Flacco, qui ea protulit, & patefecit: infra: Tu, tu Flacce praetor communis exitij nuncios cepiſti: tu periculorum indicia, tu ſalutis auxilia ad me, & ad ſenatum attuliſti. VTRVM *tamen*] imperfecta ſententia: cum nonnulla deſiderentur.

ORATIO

Deeſt aliquid.

Hunc igitur virum, Laeli, quibus tandem rebus oppugnas? fuit P. Seruilio imperatore in Cilicia tribunus mil. ea res ſiletur. fuit M. Piſoni quaeſtor in Hiſpania: vox de quaeſtura nulla miſſa eſt. bellum Creteuſe ex magna parte geſſit, atque vna cum ſummo imperatore ſuſtinuit: muta eſt huius temporis accuſatio. praeturae iuriſdictio, res varia, & multiplex ad ſuſpiciones, & ſimultates, non attingitur: at vero in ſummo & periculoſiſſimo reip. tempore etiam ab inimicis laudatur. At a teſtibus laeditur. Ante quam dico, a quibus, qua ſpe, qua re concitatis, qua leuitate, qua egeſtate, qua perfidia, qua audacia praeditis, dicam de genere vniuerſo, & de condicione omnium noſtrum. Per deos immortales, iudices, vos, quo modo is, qui anno ante Romae ius dixerat, anno poſt in Aſia ius dixerit, a teſtibus quaeretis ignotis, ipſi coniectura nihil iudicabitis? in tam varia iuriſdictione tam multa decreta, tot hominum gratioſorum laeſae voluntates: quae eſt vmquam iacta non ſuſpicio, quae tamen ſolet eſſe falſa, ſed iracundiae vox, aut doloris? & is eſt reus auaritiae, qui in vberrima re turpe compendium, in maledicentiſſima ciuitate, in ſuſpicioſiſſimo negotio maledictum omne, nō modo crimen, effugit. praetereo illa, quae praetereunda non ſunt; nullum huius in priuatis rebus factum auarum, nullam in re pecuniaria contentionem, nullam in re familiari ſordem poſſe proferri. quibus igitur teſtibus ego hoſce poſſum refutare, niſi vobis? Tmolites ille vicanus, homo non modo nobis, ſed ne inter ſuos quidem notus, vos docebit qualis ſit L. Flaccus? quem vos modeſtiſſimum adoleſcentem, prouinciae maximae ſanctiſſimum virum, noſtri exercitus fortiſſimum militem, diligentiſſimum ducem, temperatiſſimum legatum, quaeſtoremq. cognouerunt: quem vos praeſentes conſtantiſſimum ſenatorem, iuſtiſſimum praetorem, ac amantiſſimum reip. ciuem iudicaſtis. de quibus vos alijs teſtes eſſe debetis, de ijs ipſi alios teſtes audietis? at quos teſtes? primum dicam, id quod eſt commune, Graecos: non quo nationi huic ego vnus maxime fidem derogem: nam, ſi quis vmquam de noſtris hominibus a genere iſto, ſtudio ac voluntate non abhorrens fuit, me & eſſe arbitror, & magis etiam tum, cum plus erat otij, fuiſſe: ſed ſunt in illo numero multi boni, docti, pudentes, qui ad hoc iudicium deducti non ſunt; multi impudentes, illitterati, leues, quos varijs de cauſſis video concitatos. verumtamen hoc dico de toto genere Graecorum. tribuo illis litteras: do multarum artium diſciplinam: non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique etiam, ſi qua ſibi alia ſumunt, non repugno: teſtimoniorum religionem, & fidem numquam iſta natio coluit, totiusq. huiuſce rei quae ſit vis, quae auctoritas, quod pondus, ignorant. unde illud eſt, Da mihi teſtimonium mutuum? num Gallorum, num Hiſpanorum putatur? totum iſtud Graecorum eſt: vt, etiam qui Graece neſciunt, hoc quibus verbis a Graecis dici ſoleat, ſciant. itaque videte, quo vultu, qua confidentia dicant: tum intelligetis, qua religione dicant. numquam nobis ad rogatum reſpondent, ſemper accuſatori plus quam ad rogatum: numquam laborant, quemadmodum probent, quod dicunt, ſed quemadmodum ſe explicent dicendo. Iratus Flacco dixit M. Lurco, quod, vt ipſe aiebat, libertus erat eius turpi iudicio cōdemnatus: nihil dixit, quod laederet eum, cum cuperet: impediebat enim religio: tamen id, quod dixit, quanto cum pudore, quo tremore, & pallore dixit? Quam promptus homo P. Septimius? quam iratus de iudicio, & de villico? tamen haeſitabat, tamen eius iracundiae religio nonnumquam repugnabat. Inimicus M. Coelius, quod cum in re manifeſta putaſſet nefas eſſe publicanum iudicare contra publicanum, ſublatus erat e numero recuperatorum: tamen tenuit ſe, neque attulit in iudicium quidquam ad laedendum, niſi voluntatem. hi ſi Graeci fuiſſent. ac ſi noſtri mores ac diſciplina plus valerent, quam dolor, ac ſimultas: omnes ſe ſpoliatos, vexatos, fortunis euerſos eſſe dixiſſent. Graecus teſtis cum ea voluntate proceſſit, vt laedat, non iuriſiurandi, ſed laedendi verba meditatur. vinci, refelli, coargui, putat eſſe turpiſſimum: ad id ſe parat, nihil curat aliud: itaque non optimus quiſque, nec grauiſſimus, ſed impudentiſſimus, loquaciſſimusq. deligitur. vos autem in priuatis minimarum rerum iudicijs teſtem diligenter expenditis: etiam ſi formam hominis, ſi nomen, ſi tribum noſtis, mores tamen exquirendos putatis. qui autem dicit teſtimonium ex noſtris hominibus, vt ſe ipſe ſuſtentat, vt omnia verba moderatur, vt timet, ne quid cupide, ne quid iracunde, ne quid plus minus ve, quam ſit neceſſe, dicat. num illos idem putatis? quibus iuſiurandum, iocus eſt; teſtimonium, ludus; exiſtimatio veſtra, tenebrae; laus, merces, gratia, gratulatio propoſita eſt omnis in impudenti mendacio. ſed non dilatabo orationem meam: etenim poſſet eſſe infinita, ſi mihi libeat totius gentis in teſtimonijs dicendis explicare vanitatem. ſed propius accedam: de his noſtris teſtibus dicam. Vehementem accuſatorem nacti ſumus, iudices, & inimicum in omni genere odioſum, ac moleſtum; quem ſpero his rebus forte magno vſui & amicis, & reip. ſed certe inflammatus incredibili cupiditate hanc cauſſam accuſationemq. ſuſcepit. qui comitatus in inquirendo? comitatum dico? immo vero quantus exercitus? quae iactura? qui ſumptus? quanta largitio? quae quamquam vtilia ſunt cauſſae, timide tamen dico, quod vereor, ne Laelius ex his rebus, quas ſibi ſuſcepit gloriae cauſſa, putet aliquid oratione mea ſermonis in ſeſe, aut inuidiae eſſe quaeſitam. itaque hanc partem totam relinquam: tan-

tum

tum a nobis petam, iudices, ut ſi quid ipſi audiſtis communi fama, atque ſermone de vi, de manu, de armis, de copiis, memineritis, quarum rerum inuidia, lege hac recenti, ac noua, certus eſt inquiſitioni comitum numerus conſtitutus,

EXPLANATIO

P. SERVILIO] Iſaurico, qui de Cilicia, & Iſauris triumphauit, vnde cognomen. M. PISONI] Pupio, Hiſpaniam, ex qua Hortenſio, & Metello coſ. triumphauit, poſt praeturam adminiſtranti. nam cum Flaccus Cicerone conſule praetor fuerit, non potuit M. Piſoni poſt eius conſulatum, quem biennio poſt Ciceronem cōſulem geſſit, quæſtor eſſe. GESSIT,] legatus cum Q. Metello, qui de Creta triūphauit, & Creticus dictus eſt. infra: Prodeſſe Flacco debet, quod ſe tribunū mil. quod quæſtorem, quod legatum imperatoribus clariſſimis, exercitib. ornatiſſimis, prouincijs grauiſſimis dignum ſuis maioribus præſtitit. MVTA *eſt huius temporis accuſatio.*] ſilet prorſus accuſator de Cretici belli tempore. PRAETVRAE] fuit Flaccus prætor vrbanus, vt iam dixi. Cicerone conſule: deinde in Aſiam iuit. infra: Aſiaticae iuriſdictioni vrbana iuriſdictio reſpondebit. AT, VERO] malim, Et vero, notiſſimo, & in primis venuſto loquēdi genere. IN. SVMMO, *& periculoſiſſimo reip. tempore*] quod fuit prætore Flacco, & quo multorum hominum gratioſorum voluntates lædere, cum ius diceret, coactus eſt. TMOLLITES] a Tmolo, vel, vt putat Stephanus, a Tymolo, Lydie vrbe: vt Tmolus per ſyncopen factum ſit. PROVINCIAE *maximae*] Cilicia, in qua tribunus mil. Hiſpania, vbi quaeſtor, Creta, vbi legatus fuit. IRATVS] ira autem teſtimonio fidem derogat. CONDEMNATVS.] a Flacco Aſiae praetore. infra. In Lurconis libertum iudicium ex edicto dedit: hoſtis eſt Lurco. CVM *experet:*] modus loquendi, vt in ep. ad Gallum Reſpondi, nullo modo me facere poſſe, cum vellem. Alij ſine cauſſa mutant. QVAM *promptus homo P. Septimius, quam iratus de iudicio, & de villico?*] infra: Litteras miſit de villico P. Septimij, hominis ornati, qui villicus caedem fecerat. Septimium ardentem iracundia videre potuiſtis. RELIGIO] iuriſiurandi nam teſtes iurati dicebant. PVTASSET] Flaccus, Aſiae praetor. SVBLATVS *erat*] ipſe Coelius. HIS *rebus*] ſunt, qui legant contra veteres libros, Alijs rebus: ego nihil muto, &, His rebus, dictum arbitror pro hoc tam vehementi ſtudio, hac tanta diligentia. CAVSSAE] noſtrae. vbi enim odium accuſatoris contra reum apparet, non facile fidem facit accuſatio. GLORIAE *cauſſa,*] quam ex Flacci condemnatione ſperauit. DE. VI, *de manu, de armis, de copiis,*] quae, quod inquiſitionis fieri ſoleant, vel etiam quod ab ipſo Laelio accuſatore inquirente facta ſunt: ideo lata lex eſt, quae lata numquam fuerat, vt certus inquiſitioni comitum numerus conſtitueretur. Haec proprie conferri in Laelium, indicant illa verba, quae ſequuntur: Vt hanc vim omittam, quanta illa ſunt? quae quoniam accuſatorio iure & more facta ſunt, reprehendere non poſſumus. Cum enim Cicero ita loquitur, oſtendit, vim illam accuſatorij iuris & moris non fuiſſe, a Laelio tamen gloriae cupiditate eſſe factam. RECENTI, *ac noua*] Recenti, ad propinquum tempus, Noua, ad vniuerſum refertur. proxime: Inique lata eſt lex quae lata numquā fuerat. ſic in ep. ad D. Brutum: Segulium negligamus qui res nouas quaerit: non quo veterem comederit: nullam enim habuit: ſed hanc ipſam recentem nouam deuorauit.

ORATIO

SEd, vt hanc vim omittam, quanta illa ſunt? quae quoniam accuſatorio iure, & more ſunt, facta, reprehendere non poſſumus; queri tamen cogimur: primum, quod, diſtributis partibus, ſermo eſt tota Aſia diſſipatus, Cn. Pompeium, quod L. Flacco eſt vehementer inimicus, contendiſſe a D. Laelio, paterno amico, ac perneceſſario, ut hunc hoc iudicio arceſſeret, omnemq. ei ſuam auctoritatem, gratias, copias, opes ad hoc negotium conficiendum detuliſſe. id hoc veriſimilius Graecis hominibus videbatur, quod paullo ante in eadem prouincia familiarem Laelium Flacco viderant. Pompeij autem auctoritas cum apud omnes tanta eſt, quanta eſſe debet: tum excellit in iſta prouincia, quam nuper & praedonum, & regum bello liberauit. Adiunxit illa, vt eos, qui domo exire nolebant, teſtimonij denunciatione terreret; qui domi ſtare non poterant, largo & liberali viatico commoueret. ſic adoleſcens ingenij plenus locupletes metu, tenues praemio, ſtultos errore permouit: ſic ſunt expreſſa iſta praeclara, quae recitantur, pſephiſmata, non ſententijs, neque auctoritatibus declarata, nec iureiurando conſtricta; ſed porrigenda manu, profundendoque clamore multitudinis concitatae. O morem praeclarum, diſciplinamque quam a maioribus accepimus, ſi quidem teneremus, ſed neſcio quo pacto iam de manibus elabitur. nullā illi noſtri ſapientiſſimi, & ſanctiſſimi viri vim concionis eſſe voluerunt. quae ſciſceret plebs, aut quae populus iuberet, ſummota concione, diſtributis partibus tributim, & centuriatim, deſcriptis ordinibus, claſſibus, aetatibus, auditis auctoribus, re multos dies promulgata, & cognita, iuberi, vetarique voluerunt, Graecorum autem tota reſp. ſedentis concionis temeritate adminiſtrantur: itaque vt hanc Graeciam, quae iamdiu ſuis conſilijs perculſa & afflicta eſt, omittam: illa vetus, quae quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc vno malo concidit, libertate immoderata ac licentia concionum, cum in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes, ignarique, conſederant, tum bella inutilia ſuſcipiebant; tum ſeditioſos homines reip. praeficiebant; tum optime meritos ciues e ciuitate eijciebant. quod ſi haec Athenes tum, cum illae non ſolum in Graetia, ſed prope cunctis genti-

gentibus enitebant, accidere ſunt ſolita: quam moderationem putatis in Phrygia, aut in Myſio concionũ fuiſſe? noſtras conciones illarum nationum homines plerunque perturbant: quid, cum ſoli ſunt ipſi, tandem fieri putatis? caeſus eſt virgis Cymaeus ille Athenagoras, qui in fame frumentum exportare erat auſus: data Laelio concio eſt. proceſſit ille, & Graecus apud Graecos non de culpa ſua dixit, ſed de pena queſtus eſt. porrexerunt manus: pſephiſma natum eſt. hoc teſtimonium eſt? nuper epulati, paullo ante omni largitione ſaturati Pergameni, quod Mithridates, qui multitudinem illam non auctoritate, ſed ſagina tenebat, ſe velle dixit, id ſutores, & zonarij conclamarunt. hoc teſtimonium eſt ciuitatis? ego teſtes a Sicilia publice duxi: verum erant ea teſtimonia non concitatae concionis, ſed iurati ſenatus. quare iam non eſt mihi contentio cum teſte: vobis videndum eſt, ſint ne haec teſtimonia putanda. adoleſcens bonus, honeſto loco natus, diſertus, cum maximo ornatiſſimoque comitatu venit in opidum Graecorum: poſtulat concionem: locupletes homines, & graues, ne ſibi aduerſentur, teſtimonij denunciatione deterret: egentes, & leues ſpe legationis & viatico publico, priuata etiam benignitate prolectat: opifices & tabernarios, atque illam omnem faecem ciuitatis quid eſt negotij concitare? in eum praeſertim, qui nuper ſummo cum imperio fuerit, ſummo autem in amore eſſe propter nomen ipſum imperij non potuerit. mirandum vero eſt, homines eos, quibus odio ſunt noſtrae ſecures, nomen acerbitati, ſcriptura, decumae, portorium morti, libenter arripere facultatem laedendi, quaecumque detur. mementote igitur, cum audietis pſephiſmata, non audire vos teſtimonia, audire vocem leuiſſimi cuiuſque, audire ſtrepitum imperitorum, audire concionem concitatam leuiſſimae nationis. itaque perſcrutamini penitus naturam, rationemq. criminum: iam nihil praeter ſpem, nihil praeter terrorem, ac minas reperietis.

E X P L A N A T I O

DISTRIBVTIS *partibus*] a Lelio: vt alij ſcilicet alijs in locis eum ſermonẽ diſſiparent. eodem ſenſu, Partibus diuiſis, dixit in Iulio Suetonius: Primum cũctati, vtrum ne illum in campo, per comitia tribus ad ſuffragia vocantem, partibus diuiſis e ponte deijcerent, atque exceptum trucidarent. PATERNO *amico*, cui veriſimile videatur, adoleſcẽtem Laelium Pompeij patris, ſummi viri, qui ante annos xx. perierat, amicum ac perneceſſarium fuiſſe? ſuſpicor omnino, Paterno, ſincerũ non eſſe. FAMILIAREM] vt eius crimina propter familiaritatem noſſe potuerit. REGVM] Mithridatis, & Tigranis. ADIVNXIT *illa*:] Laelius. QVAE *recitantur*,] in iudicio contra Flaccum. PSEPHISMATA,] Cymaeorum, Pergamenorum de quibus infra. TRIBVTIM, *& centuriatim*] tributim, cum ſciſceret plebs. centuriatim, cum populus vniuerſus iuberet. AVCTORIBVS,] ijs, qui plebiſcitum, populiue iuſſum ſuaderent. SEDENTIS] cum Romana concio ſtaret. ILLA *vetus*,] a Piſiſtrato ad Philippum Macedoniae regem, non amplius annis CL. TVM *optime meritos ciues e ciuitate eijciebant*.] vt Themiſtoclem, Ariſtidem Cononem. CAESVS *eſt virgis*] quod Romae per Valeriam legem, & Semproniam non licebat. Caeſus autem iuſſu Flacci praetoris. CYMEVS] a Cyma, Aſiae vrbe. IN FAME] nedum in caritate. ſic pro Domo: vt iam plane inopia, ac fames, non caritas timeretur. DATA. *Laelio concio eſt*:] non Laelius, verum Athenagoras concionatus eſt: vt e ſequentibus patet. quare legendum puto, A Laelio: qui concionandi facultatem Athenagorae dederit HOC *teſtimonium eſt?*] Cymaeae ciuitatis, quæ pſephiſmata contra Flaccum in iudicium miſerat. NVPER *epulati*;] epulo accepto a Mithridate. PERGAMENI] qui & ipſi pſephiſma contra Flaccum miſerant. EGO] cum accuſarem C. Verrem LEGATIONIS,] ſunt, qui legant, largitionis. quod non probo ſuperuacaneum eſſet id quod ſubiungitur, Priuata etiam benignitate prolectat. hic autem agitur de viatico publico, quod eos Laelius a ciuitate ſperare volebat, cum fore diceret, non vt teſtes, verum vt legati mitterentur. SCRIPTVRA *decumae, portorium*] vectigalia, quae prouinciales inuiti pendebant, acerbius interdum publicanis exigentibus.

O R A T I O

Deeſſe videntur nonnulla.

In aerario nihil habent ciuitates, nihil in vectigalibus. duae rationes conficiendae pecuniae, aut verſura, aut tributo. nec tabulae creditoris proferuntur: nec tributi confectio vlla recitatur. quam vero facile falſas rationes inferre, & in tabulas quodcumque commodum eſt, referre ſoleant, ex Cn. Pompeij litteris ad Hypſaeum, & Hypſaei ad Pompeium miſſis, quaeſo, cognoſcite. Litterae Pompeij. & hypſaei. Satis ne vobis coarguere his auctoribus diſſolutam Graecorum conſuetudinem, licentiamque impudentem videmur? niſi forte, qui Cn. Pompeium, qui praeſentem, qui nullo impellente fallebant, eos vrgente Laelio in abſentem, & in L. Flaccum aut timidos fuiſſe, aut religioſos putamus. ſed fuerint incorruptae litterae domi: nunc vero quam habere auctoritatẽ, aut quam fidem poſſunt? triduo lex ad praetorem deferri, iudicum ſignis obſignari iubet: trigeſimo die vix deferuntur. ne corrumpi tabulae facile poſſint, iccirco lex obſignatas in publico poni voluit: at obſignantur corruptae. quid refert igitur, tanto poſt ad iudices deferantur, an omnino non deferantur? quid, ſi teſtium ſtudium cum accuſatore ſociatum eſt? tamen ne iſti teſtes habebuntur? vbi eſt igitur illa exſpectatio, quae verſari in iudicijs ſolet? nam antea, cum dixerat accuſator acriter, & vehementer, cumq. defenſor ſuppliciter, demiſſeque reſponderat; tertius ille erat exſpectatus locus teſtium;

ſtium; qui aut ſine vllo ſtudio dicebant, aut cum diſſimulatione aliqua cupiditatis. hoc vero quid eſt? vna ſedent, ex accuſatorum ſubſellijs ſurgunt, non diſſimulant, non verentur. de ſubſellijs queror? vna ex domo prodeunt: ſi verbo titubauerint, quo reuertantur, non habebunt. an quiſquam eſſe teſtis poteſt, quem accuſator ſine cura interroget; nec metuat, ne ſibi aliquid quod ipſe nolit, reſpondeat? vbi eſt igitur illa laus oratoris, quae vel in accuſatore antea, vel in patrono ſpectari ſolebat? bene teſtem interrogauit: callide acceſſit: reprehendit: quo voluit, adduxit; conuicit, & elinguem reddidit. Quid tu iſtum roges, Laeli, qui, priuſquam hoc, Te rogo, dixeris, plura etiam effundet, quam tu ei domi ante praeſcripſeris? Quid ego autem defenſor rogem? nam aut oratio teſtium refelli ſolet, aut vita laedi. qua diſputatione orationẽ refellam eius, qui dicit, Dedimus, nihil amplius? in hominem dicendum eſt igitur, cum oratio argumentationem non habet. quid dicam in ignotum? querendum eſt ergo, & deplorandum, id quod iam dudum facio, de omni accuſationis iniquitate, primum de communi genere teſtium: dicit enim natio minime in teſtimonijs dicendis religioſa. propius accedo: nego eſſe iſta teſtimonia, quae tu ipſe pſephiſmata appellas, ſed & fremitum egentium, & motum quendam temerariũ Graeculae concionis. intrabo etiam magis. qui geſſit, nõ adeſt: qui numeraſſe dicitur, non eſt deductus: priuatae litterae nullae proferuntur, publicae retentae ſunt in accuſatorum poteſtate; ſumma eſt in teſtibus: hi viuunt cum inimicis, adſunt cum aduerſarijs, habitant cum accuſatoribus. vtrum hic tandem, diſceptationem, & cognitionem veritatis, an innocentiae labem aliquam, aut ruinam fore putatis? multa enim ſunt eiuſmodi iudices; vt, etiamſi in homine ipſo, de quo agitur, negligenda ſint, tamen in condicione, atque in exemplo pertimeſcenda videantur. ſi quem infimo loco natum, nullo ſplẽdore vitae, nulla commendatione famae, defenderem: tamen ciuem a ciuibus communis humanitatis iure, ac miſericordia deprecarer; ne ignotis teſtibus, ne incitatis, ne accuſatoris conſeſſoribus, conuiuis, contubernalibus, ne hominibus leuitate Graecis, crudelitate barbaris ciuem, ac ſupplicem veſtrum dederitis; ne periculoſam imitationem exempli reliquis in poſterum proderetis. ſed, cum L. Flacci res agatur, cuius ex familia qui primus conſul factus eſt, primus in hac ciuitate conſul fuit; cuius virtute regibus exterminatis, libertas in rep. conſtituta eſt; quae vſque ad hoc tempus honoribus, imperijs, rerum geſtarum gloria continuata permanſit. cumq. ab hac perenni, conteſtataq. virtute maiorum non modo non degenerarit L. Flaccus, ſed, id quod maxime florere in generis ſui gloria viderat, laudẽ patriae in libertatẽ vindicandae praetor adamauerit: in hoc reo ne quod perniciosum exemplum prodatur, pertimeſcam? in quo, etiam ſi quid erraſſet, omnes boni conniuendum eſſe arbitrarentur: quod quidem ego non modo non poſtulo, ſed contra, iudices, vos oro, & obteſtor, vt totam cauſſam quam maxime intentis oculis, vt aiunt, acerrime contemplemini nihil religione teſtatum, nihil veritate fundatum, nihil dolore expreſſum; contraq. omnia corrupta libidine, iracundia, ſtudio, pretio, periurio reperientur. etenim, iam vniuerſa iſtorum cognita cupiditate, accedam ad ſingulas querellas, criminationesq. Graecorum.

E X P L A N A T I O

PROFERVNTVR:] ab accuſatore. COMMODVM *eſt*,] libet. non enim commodum, ſed libido oſtenditur: vt infra: Si quando tibi peregrinari commodum eſt. HYPSAEVM] qui Pompeij Mithridatico bello quaeſtor fuit. HIS *auctoribus*] Pompeio, & Hypſaeo. QVI *numeraſſe dicitur*,] pecuniam Flacco. IN CONDICIONE,] in communi ſorte, fortuna, ſtatu: vnde infimae condicionis homo.

O R A T I O

CLaſſis nomine pecuniam ciuitatibus imperatam queruntur. quod nos factum, iudices, confitemur: ſed, ſi hoc crimen eſt; aut in eo eſt, quod non licuerit imperare; aut in eo, quod non opus fuerit nauibus; aut in eo, quod nulla hoc praetore claſſis nauigarit. licuiſſe vt intelligas, cognoſce quid me conſule ſenatus decreuerit, cum quidem nihil a ſuperioribus continuorum annorum decretis deceſſeris. SENATVS CONSVLTVM. Proximum eſt ergo, vt, opus fuerit claſſe, nec ne, quaeramus. vtrum igitur, hoc Graeci ſtatuent, aut vllae exterae nationes, an veſtri praetores, veſtri duces, veſtri imperatores? equidem exiſtimo, in eiuſmodi regione, atque prouincia, quae mari cincta, portibus diſtincta, inſulis circumdata eſſet, non ſolum praeſidij, ſed etiam ornandi imperij cauſſa nauigandum fuiſſe. haec enim ratio, ac magnitudo animorum in maioribus noſtris fuit, vt, cum in priuatis rebus, ſuiſq. ſumptibus minimo contenti, tenuiſſimo cultu viuerent, in imperio, atque in publica dignitate omnia ad gloriã ſplendoremq. reuocarent. quaeritur enim in re domeſtica continentiae laus, in publica dignitatis. Quod ſi etiam praeſidij cauſſa claſſem habuit: quis erit tam iniquus, qui reprehendat? nulli erant praedones: quid? nullos fore, quis praeſtare poterat? Minuis, inquit gloriam Pompeij. Immo tu auges moleſtiam. ille enim claſſes praedonum, vrbes, portus, receptacula ſuſtulit; pacem maritimam ſumma virtute, atque incredibili celeritate confecit: illud vero neque ſuſcepit, neque ſuſcipere debuit, vt, ſi qua vſpiam nauicula praedonum apparuiſſet, accuſandus videretur. itaque ipſe in Aſia, cum omnia iam bella terra mariq. confeciſſet, claſſem tamen ijſdem iſtis ciuitatibus imperauit. quod ſi tum ſtatuit opus eſſe, cum ipſius praeſentis nomine tuta omnia, & pacata eſſe poterant: quid, cum ille deceſſiſſet, Flacco exiſtimatis ſtatuendum & faciendum fuiſſe? Quid nos hic? non ne, ipſo Pompeio auctore, Silano, & Murena coſ. decreuimus, vt claſſis in Italia nauigaret? non ne eo ipſo tempore, cum L. Flaccus in Aſia remiges imperabat, nos hic in mare ſuperum &

inſerum H-Ster & quadragies erogabamus? quid poſtremo anno? non ne M'. Curio, & P. Sextilio quaeſtoribus, pecunia in claſſem eſt erogata? quid? hoc omni tempore equites in ora maritima non fuerunt? illa eſt enim gloria diuina Pompeij; primum praedones eos, qui tum, cũ illi bellum maritimum gerendum datum eſt, toto mari diſperſi vagabantur, redactos eſſe omnes in poteſtatem; deinde, Syriam eſſe noſtram, Ciliciam teneri, Cyprum per Ptolemaeum regem nihil audere; praeterea, Cretam Metelli virtute eſſe noſtram, nihil eſſe, vnde proficiſcantur, nihil, quo reuertantur; omnes ſinus, promontoriũ, litora, inſulas, vrbes maritimas clauſtris imperij noſtri contineri. quod ſi Flacco praetore nemo in mari praedo fuiſſet, tamen huius diligentia reprehendenda non eſſet. iccirco enim, quod hic claſſem habuiſſet, exiſtimarem non fuiſſe. quid ſi L. Oppij, L. Agrij, C. Ceſtij, equitum R. huius etiam clariſſimi viri Cn. Domitij, qui in Aſia tum legatus fuit, teſtimonio doceo, eo ipſo tempore, quo tu ipſe negas claſſem habendam fuiſſe, complures a praedonibus eſſe captos? tamen Flacci conſilium in remigibus imperandis reprehendetur? quid, ſi etiam occiſus eſt a piratis Adramitenus, homo nobilis, cuius eſt fere nobis omnibus nomen auditum; Athinas pugil Olympionices? hoc eſt apud Graecos (quoniam de eorum grauitate dicimus) prope maius, & glorioſius, quam Romae triumphaſſe. At neminem cepiſti. Quam multi orae maritimae clariſſimi viri praefuerũt, qui cum praedonem nullum cepiſſent, mare tamen tutum praeſtiterunt? caſus eſt enim in capiendo, locus, euentus, occaſio: defendendi facilis eſt cautio, non ſolum latibulis occultorum locorum, ſed etiam tempeſtatum moderatione, & conuerſione. Reliquum eſt, vt quaeratur, vtrum iſta claſſis curſu, & remis, an ſumptu tantum, & litteris nauigarit. num id igitur negari poteſt, cuius rei cuncta teſtis eſt Aſia, bipertito claſſem diſtributam fuiſſe, vt vna pars ſupra Epheſum, altera infra Epheſum nauigaret? hac claſſe M. Craſſus, vir ampliſſimus, ab Aeno in Aſiam, his nauibus Flaccus ex Aſia in Macedoniam nauigauit. in quo igitur praetoris eſt diligentia requirenda? in numero, nauium, & in deſcriptione aequabili ſumptus? dimidium eius, quo Pompeius erat vſus, imperauit; num potuit parcius? deſcripſit autem pecuniam ad Pompeij rationem, quae fuit accommodata L. Sullae deſcriptioni: qui cum omnes Aſiae ciuitates pro portione in prouincias deſcripſiſſet, illam rationem in imperando ſumptu & Pompeius, & Flaccus ſecutus eſt: neque eſt adhuc tamen ea ſumma completa. non refert vero, quid lucretur. cum enim genus imperatae pecuniae ſuſcipit, id, quod tu crimen eſſe vis, confitetur. qui igitur probari poteſt, in ea pecunia non referenda crimen ſibi ipſũ facere, in qua crimen eſſet nullum, ſi referret? At enim negas fratrem meum, qui L. Flacco ſucceſſerit, pecuniã vllam in remiges, imperaſſe. Equidẽ Q. fratris mei laude delector, ſed alijs magis grauioribus, atque maioribus. aliud quiddam ſtatuit, aliud vidit. exiſtimauit, quocumque tempore auditum quid eſſet de praedonibus, quam vellet ſubito, ſe claſſem comparaturum. denique hoc primus frater meus in Aſia fecit, vt hoc ſumptu remigum ciuitates leuaret: crimen autem tum videri ſolet, cum aliquis ſumptus inſtituit eos, qui antea non erant inſtituti, non cum ſucceſſor aliquid immutat de inſtitutis priorum. Flaccus, quid alij poſtea facturi eſſent, ſcire non poterat; quid feciſſent, videbat. Sed, quoniam de communi totius Aſiae crimine dictum eſt; aggrediar iam ad ſingulas ciuitates: ex quibus ſit ſane nobis prima ciuitas Aemonenſis.

E X P L A N A T I O

H S. TER *& quadragies*] CXXIX. millia ſcutatorum. PTOLEMAEVM *regem*] anno ſequenti, Piſone & Gabinio coſ. lege Clodia regno priuatum. CN. DOMITII] Caluini, qui poſtea conſul fuit cum Meſſalla. AB. HEMO *in Aſiam.*] Hemo, deprauatum eſt. maritimum enim huius nominis locum, vnde Craſſus cum claſſe diſceſſerit, inuenire non licet. veteres libri, E no, mendoſe. NON *refert vero. quid lucretur.*] dixerat Laelius, non debuiſſe Flaccum pecuniam imperaſſe, vt lucraretur: lucratum autem eſſe, ex eo conſtare, quia pecuniam illam in publicas rationes non retulerit. Reſpondet Cicero: Quid ad rem? ſiue retulerit, ſiue non retulerit. tu enim in eo crimen ponis, quod pecuniam imperauerit. & ille ſe non negat imperaſſe: crimen tamen eſſe negat: quia, quod fecit, aliorum exemplo fecit quod ſi fatetur id, quod tu crimẽ eſſe vis, de pecunia imperata: quid eſt. cur obijcias de non relata? in quo crimen eſſe, qui probas? At, ſi retuliſſet, lucratus non eſſet. itaque crimine careret. Satis habeas, inquit Cicero, confiteri de imperata pecunia, vnde crimen intendis. nõ enim refert, quid lucretur. ONVS *imperatae pecuniae ſuſcipit,*] malo, Onus, ex Maſaeiorum libris, quam Genus, vt eſt in alijs. congruit enim cum verbo, Suſcipit. ideo autem Onus, quia crimen in eo ſtatuebat accuſator: vt, id confiteri, onus eſſe videretur. FRATRIS *mei laude*] malim, Hac laude: cum ſequatur, Alijs. PRAECONEM *mentiri*] qui vnum citauerit Aſclepiadem, ceteros omiſerit.

O R A T I O

Citat praeco voce maxima legatos Aemonenſes. procedit vnus Aſclepiades. prodeant ceteri. etiam ne praeconem mentiri coegiſti? eſt enim, credo, is vir iſte, vt ciuitatis nomen ſua auctoritate ſuſtineat, damnatus turpiſſimis iudicijs domi, notatus litteris publicis: cuius de probris, adulterijs, ac ſtupris exſtant Aemonenſium litterae: quas ego non ſolum propter longitudinem, ſed etiam propter turpiſſimam obſcenitatem verborum praetereundas puto. Dixit publice datum drachmarum CCVI. dixit tantum: nihil oſtendit, nihil protulit: ſed adiunxit id, quod certe, quoniam erat domeſticum, docere debuit; ſe priuatim drachmas CCVI dediſſe: quantum ſibi ablatum homo impudentiſſimus dicit, tantum numquam eſt auſus, vt haberet, optare.

optare. ab A. Sextilio dicit ſe dediſſe, & a ſuis fratribus. potuit dare Sextilius: nam fratres quidem conſortes ſunt mendicitatis. audiamus igitur Sextilium: fratres denique ipſi prodeant: quam volent impudenter, mentiantur, & quod numquam habuerunt, dediſſe ſe dicant: tamen aliquid fortaſſe coram producti dicent, in quo reprehendantur. Non deduxi, inquit, Sextilium. Cedo tabulas: non deportaui. fratres ſaltem exhibe: non denunciaui. quod ergo vnus Aſclepiades, fortuna egens, vita turpis, exiſtimatione damnatus, impudentia, atque audacia fretus, ſine tabulis, ſine auctore legerit, id nos quaſi crimen, aut teſtimonium pertimeſcamus? Idem laudationem, quam nos ab Acmonenſibus Flacco datam proferebamus, falſam eſſe dicebat. cuius quidem laudationis iactura exoptanda nobis fuit. nam, vt ſignum publicum inſpexit praeclarus iſte auctor ſuae ciuitatis; ſolere ſuos ciues, ceteroſq. Graecos ex tempore, quod opus ſit, obſignare, dixit. tu vero tibi habeto iſtam laudationem. nec enim Acmonenſium teſtimonio Flacci vita, & dignitas nititur. das enim mihi, quod haec cauſſa maxime poſtulat, nullam grauitatem, nullam conſtantiam, nullam firmam in Graecis hominibus conſilium, nullam denique eſſe teſtimonij fidem. niſi vero hactenus iſta formula teſtimonij, atque orationis tuae deſcribi, ac diſtingui poteſt, vt Flacco abſenti aliquid ciuitates tribuiſſe dicantur, Laelio praeſenti, per ſe agenti, vi legis, iure accuſationis, opibus praeterea ſuis terrenti, ac minanti, nihil temporis cauſſa ſcripſiſſe, aut obſignaſſe videantur. equidem in minimis rebus ſaepe res magnas vidi, iudices, deprehendi, ac teneri, vt in hoc Aſclepiade. haec, quae eſt a nobis prolata, laudatio obſignata erat creta illa Aſiatica, quae fere eſt omnibus nota nobis: qua vtuntur omnes non modo in publicis, ſed etiam in priuatis litteris, quas quotidie videmus mitti a publicanis ſaepe vnicuique noſtrum. neque enim teſtis ipſe, ſigno inſpecto, falſum nos proferre dixit, ſed leuitatem totius Aſiae protulit, de qua nos & libenter & facile concedimus. noſtra igitur laudatio, quam ille temporis cauſſa nobis datam dicit, datam quidem confitetur, conſignata creta eſt: in illo autem teſtimonio, quod accuſatori dicitur datum, ceram eſſe vidimus. Hic ego, iudices, ſi vos Acmonenſium decretis, ſreetcrorum Phrygum litteris permoueri putarem; vociferarer, & quantum maxime poſſem, contenderem; teſtarer publicanos; excitarem negotiatores; veſtram etiam conſcientiam implorarem; cera deprehenſa, confiderem totius teſtimonij fictam audaciam manifeſto comprehenſam, atque oppreſſam teneri. nunc vero non inſultabo vehementius; nec volitabo in hoc inſolentius; neque in iſtum nugatorem, tamquam in aliquem teſtem, inuehar; neque in toto Acmonenſium teſtimonio, ſiue hic confictum eſt, vt apparet, ſiue miſſum domo eſt, vt dicitur, commouebor. etenim quibus ego iſtam laudationem remittam, quoniam ſunt, vt Aſclepiades dicit, leues, horum teſtimonium non pertimeſcam.

E X P L A N A T I O

DRACHMARVM. CCVI. *millia*] Maſaeiorum liber, CCVI. Fuluij Vrſini, & M: mendoſe vterque: quod ſi legas cũ vulgatis libris, CCVI. millia: ſcutatorũ erunt XXIV. millia DCCXX. vt drachmae Atticae pro Romanis denarijs accipiantur: quod Graecis vſitatũ: quia nullũ Graecae monetae genus denario ſimilius. DRACHMAS. CCVI. *dediſſe*] ſic veteres libri: ſed mẽdoſa ſumma. quis enim credat, priuatũ hominẽ auſũ eſſe dicere, Flacco ſe tot drachmas dediſſe, quot ciuitatẽ publice? quare velim ex hac ſumma centũ drachmarũ millia detrahere nam etſi hoc quoque modo mendaciũ erit impudens; quod ſequentibus verbis Cicero ipſe demonſtrat: longius tamẽ aberit ab impudẽtia, quam ſi legatur, CCVI. millia. AB. A. SEXTILIO] per A. Sextilium. PRAECLARVS *iſte auctor ſuae ciuitatis*] ironia. Laedebat enim publicam exiſtimationẽ, cũ ſolere dicebat ſuos ciues ex tempore, quod opus eſſet, obſignare. DISTINGVI] vt Flaccum abſentem ſua laudatione ornauerint, Laelio praeſenti nihil temporis cauſſa ſcripſerint. CERAM *eſſe vidimus.*] quod ſignum falſitatis eſt.

O R A T I O

VENIO nunc ad Dorylenſium teſtimonium; qui producti tabulas ſe publicas ad ſpeluncas perdidiſſe dixerunt. o paſtores neſcio quos cupidos litterarum, ſi quidem nihil iſtis praeter litteras abſtulerunt. ſed aliud eſſe cauſſae ſuſpicamur, ne forte iſti parum verſuti eſſe videantur. poena eſt, vt opinor, Dorylae grauior, quam apud alios, falſarum, & corruptarum litterarum. ſi veras protuliſſent, criminis nihil erat; ſi falſas, erat poena. belliſſimum putarunt dicere, amiſſas. quieſcant igitur, & me hoc in lucro ponere, atque aliud agere patiantur. non ſinunt. ſupplet enim ille neſcio qui, & priuatim dicit ſe dediſſe. hoc vero ferri nullo modo poteſt. qui de tabulis publicis recitat, ijs, quae in accuſatoris poteſtate fuerunt, non debet habere auctoritatem. ſed tamen iudicium fieri videtur, cum tabulae illae ipſae, cuiuſque modi ſunt, proferuntur. cum vero is, quem nemo veſtrum vidit umquam, nemo, qui mortalis eſſet, audiuit, tantum dicit, Dedi: dubitabitis, iudices, quin ab hoc ignotiſſimo Phryge nobiliſſimum ciuem vindicetis? atque huic eidem nuper tres equites R. honeſti, & graues, cum in cauſſa liberali eum, qui aſſerebatur, cognatum ſuum eſſe diceret, non crediderunt. qui hoc cauit, vt, qui locuples teſtis doloris, & ſanguinis ſui non fuerit, idem ſit grauis auctor iniuriae publicae? Atque hic Dorylenſis nuper cum efferretur magna frequentia, conſeſſuq. veſtro, mortis illius inuidiam in Flaccum Laelius conferebat. Facis iniuſte, Laeli, ſi putas noſtro periculo viuere tuos contubernales, praeſertim quod tua negligentia factum arbitremur. homini enim Phrygi, qui arborem fici numquam vidiſſet, fiſcinam ficorum obieciſti: cuius mors te ex aliqua parte releuauit: edacem enim hoſpitem amiſiſti: Flacco vero quid profuit? qui valuit

tam diu, dum huc prodiret: mortuus eſt aculeo iam dimiſſo, ac dicto teſtimonio. at iſtud columen actionis tuae Mithridates, poſtea quam biduum retentus teſtis a nobis, effudit, quae voluit, omnia, reprehenſus, conuictus, fractusq. diſceſſit: ambulat cum lorica: metuit homo doctus, & ſapiens, ne L. Flaccus nunc ſe ſcelere alliget, cũ iam teſtem illum effugere non poſſit: vt, qui ante dictum teſtimonium ſibi temperarit, cum tamen aliquid aſſequi poſſet; is nunc id agat, vt ad falſum auaritiae teſtimonium verum maleficij crimen adiungat. Sed de hoc teſte, totoq. Mithridatico diſſeruit ſubtiliter, & copioſe Q. Hortenſius, nos, vt inſtituimus, ad reliqua pergamus.

EXPLANATIO

NE. FORTE *iſti parum verſati eſſe videantur.*] hoc enim fingunt: quod verum eſt, occultant. IVDICIVM *fieri videtur*] ſpecies in eo quaedam iudicij eſt. TRES *equites Romani*,] recuperatores, vt opinor. NOSTRO *periculo viuere*] ideſt, niſi viuant, accuſari nos poſſe vt mortis eorum auctores. PRAESERTIM *quod*] eleganter pro, in eo quod: alij ſine cauſſa mutant. QVI *arborem fici numquam vidiſſet*,] fortaſſe quod arida nimis regio eſſet: vt in aliquot etiam Italiae partibus nec fici, nec vuae naſcuntur. CVIVS *mors te ex aliqua parte releuauit*:] aperta ſententia: nec aliter in ijs quos vidimus, antiquis libris. alijs placet, Te aliqua releuauit. quod mihi quoque placet, ſi modo eſt, vt ipſi dicunt, in vetere libro. Et erit, Aliqua, pro. ex aliqua parte. ACVLEO *iam emiſſo*,] cum in Flaccum, quae voluit, dixiſſet. HOMO *doctus, & ſapiens*,] imperite facit, & ſtulte. CVM *iam teſtem illum effugere non poſſit*:] quia teſtimonium iam in Flaccum dixit.

ORATIO

CAPVT eſt omniũ Graecorum concitandorum, qui cũ accuſatoribus ſedet, Heraclides ille Temnites; homo ineptus, & loquax, ſed, vt ſibi videtur, ita doctus, vt etiam magiſtrum aliorum ſe eſſe dicat; & qui ita ſit ambitioſus, vt omnes vos, nosq. quotidie perſalutet. Temni vſque ad illam aetatem in ſenatum venire non potuit: &, qui ſe artem dicendi traditurum etiam ceteris profiteatur, ipſe omnibus turpiſſimis iudicijs conuictus eſt. Pari felicitate vna legatus venit Nicomedes: qui neque in ſenatum vlla condicione peruenire potuit, & furti, & pro ſocio damnatus eſt. Nam princeps legationis Lyſanias adeptus eſt ordinem ſenatorium; ſed, cum remp. nimium amplecteretur, peculatus damnatus, & bona, & ſenatorium nomen amiſit. Hi tres etiam aerarij noſtri tabulas falſas eſſe voluerunt: nam ſeruos nouem ſe profeſſi ſunt habere, cum omnino ſine comite veniſſent. Decreto ſcribendo primũ video affuiſſe Lyſaniam: cuius fratris bona, quod populo non ſolebat, praetore Flacco publice venierunt. Praeterea Philippus eſt Lyſaniae gener, & Hermobius: cuius frater Poles item pecuniae publicae eſt condemnatus. dicunt ſe Flacco, & ijs, qui ſimul eſſent, drachmarum $\overline{\text{v x}}$ *dediſſe. cum ciuitate mihi res eſt acerrima, & conficientiſſima litterarum: in qua nummus moueri nullus poteſt ſine quinque praetoribus, tribus quaeſtoribus, quattuor menſarijs, qui apud illos a populo creantur. ex hoc tanto numero deductas eſt nemo: &, cum illam pecuniam nominatim Flacco datam referant, maiorem aliam, cum huic iidem darent, in aedem ſacram reficiendam ſe perſcripſiſſe dicunt. quod minime conuenit. nam aut omnia occulte referenda fuerunt, aut aperte omnia. cum perſcribunt nominatim Flacco, nihil timent, nihil verentur; cum operi publico referunt, iidem homines ſubito eundem, quem contempſerant, pertimeſcunt. ſi praetor dedit, vt eſt ſcriptum; a quaeſtore numerauit; quaeſtor a menſa publica; menſa aut ex vectigali, aut ex tributo. numquam erit iſtud ſimile criminis, niſi mihi totam rationem omni & perſonarum genere, & litterarum explicaris. Vel quod eſt in eodem decreto ſcriptum, homines clariſſimos ciuitatis, ampliſſimis vſos honoribus, hoc praetore circumuentos, cur hi neque in iudicio adſunt, neque in decreto nominantur? non enim credo ſignificari iſto loco illum, qui ſe erigit, Heracliam. vtrum enim in clariſſimis eſt ciuibus is, quẽ indicatum hic duxit Hermippus? qui hanc ipſam largitionẽ, quam habet, non accepit a ſuis ciuibus, ſed vſque Tmolo petiuit: cui nullus honos in ſua ciuitate habitus eſt vmquam. res autem ea, quae tenuiſſimis committebatur, huic vna in vita commiſſa ſola eſt. cuſtos T. Aufidio praetore frumento publico eſt poſitus: pro quo cum a P. Varinio praetore pecuniam accepiſſet, celauit ſuos ciues, vltroq. iis ſumptum intulit. quod poſteaquam Temni litteris a P. Varinio miſſis cognitum, atque patefactum eſt; cumq. eadem de re Cn. Lentulus, qui cenſor fuit, Temnitarum patronus litteras miſiſſet: Heracliden iſtum Temni nemo poſtea vidit. atque, vt eius impudentiam perſpicere poſſitis, cauſſam ipſam, quae leuiſſimi hominis animum in Flaccum incitauit, quaeſo cognoſcite. Fundum Cymaeum Romae mercatus eſt de pupillo Mecalonio, cum verbis ſe locupletem faceret, haberet nihil, praeter illam impudentiam, quam videtis: pecuniam ſumpſit mutuam a Sex. Schola, iudice hoc noſtro, primario viro, & qui & rem agnoſcit, neque hominem ignorat: qui tamen credidit P. Fuluii Nerati, lectiſſimi hominis, fidei. is, cum ſolueret, ſumpſit a C. & M. Fufiis, equitibus R. primariis viris. hic hercule cornicis oculum, vt dicitur. nam hunc Hermippum, hominem eruditum, ciuem ſuum, cui debebat eſſe notiſſimus, percuſſit: eius enim fide ſumpſit a Fufiis. ſecurus Hermippus Temnum proficiſcitur, cum iſte ſe pecuniam, quam huius fide ſumpſerat, a diſcipulis ſuis diceret Fufiis perſoluturum: habebat enim rhetor iſte adoleſcentes quoſdam locupletes, quos dimidio redderet ſtultiores, quam acceperat, vbi nihil poſſent diſcere niſi ignorantiam litterarum: neminem quidem adeo infatuare potuit, vt ei nummum vllum crederet: itaque, cum Roma clam eſſet profectus, multosq. minutis mutationibus fraudauiſſet, in Aſiam venit, Hermippoq. percunctanti de nomini Fufiano, reſpondet ſe omnem pecuniam Fufiis perſoluiſſe.*

interim

interim, neque ita longo interuallo, libertus a Fufiis cũ litteris ad Hermippum venit; pecunia petitur ab Hermippo: Hermippus ab Heraclide petit: ipſe tamẽ Fufiis ſatisfacit abſentibus, & fidem ſuam liberat: hunc aeſtuantem, & tergiuerſantem iudicio ille perſequitur: a recuperatoribus cauſſa cognoſcitur. Nolite exiſtimare, iudices, nõ vnam & eandem omnibus in locis eſſe fraudatorũ, & infitiatorum impudentiam: fecit eadem omnia, quae noſtri debitores ſolẽt: negauit ſeſe omnino verſuram vllam feciſſe Romae; Fufiorum ſe affirmauit numquam omnino nomen audiſſe: Hermippum vero ipſum, pudentiſſimum, atque optimum virum, veterem amicum, atque hoſpitem meum, ſplendidiſſimum, atque ornatiſſimum ciuitatis ſuae, probris omnibus maledictisq. vexauit. ſed, cum ſe homo volubilis quadam praecipiti celeritate dicendi in illa oratione iactaret, repente teſtimonijs Fufiorum nominibusque recitatis, homo audaciſſimus pertimuit, loquaciſſimus obmutuit: itaque recuperatores contra iſtum rem minime dubiam prima actione iudicauerunt. cum iudicatum non faceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus eſt. Habetis & honeſtatem hominis, & auctoritatem teſtimonij & cauſſam omnem ſimultatis. Atque it ab Hermippo miſſus, cum ei pauca mancipia vendidiſſet, Romam ſe contulit: deinde in Aſiam rediit, cum iam frater meus Flacco ſucceſſiſſet: ad quem adijt, cauſſamq. ita detulit. recuperatores, vi Flacci coactos, & metu, falſum inuitos iudicauiſſe. frater meus pro ſua aequitate, prudentiaq. decreuit, vt, ſi iudicatum negaret, in duplum iret; ſi metu coactus dicaret, haberet eoſdem recuperatores. recuſauit. &, quaſi nihil eſſet actum, nihil iudicatum, ab Hermippo ibidem mancipia, quae ipſe ei vendiderat, petere coepit. M. Gratidius legatus, ad quem eſt aditum, actionem ſe daturum negauit: re iudicata ſtari oſtendit placere. iterum iſte, cui nullus eſſet vſquam conſiſtendi locus, Romam ſe retulit: perſequitur Hermippus, qui numquam iſtius impudentiae ceſſit: petit Heraclides a C. Plotio ſenatore, viro primario, qui legatus in Aſia fuerat, mancipia quaedam, quae ſe, cum iudicatum eſſet, per vim vendidiſſe dicebat. Q. Naſo, vir ornatiſſimus, qui praetor fuerat, iudex ſumitur. qui cum ſententiam ſecundum Plotium ſe dicturum oſtenderet, ab eo iudice abiret; & quod iudicium lege non erat, cauſſam totam reliquit. Satis ne vobis, iudices, videor ad ſingulos teſtes accedere, neque, vt primo conſtitueram, tantummodo cum vniuerſo genere confligere? Venio ad Lyſaniam eiuſdem ciuitatis, peculiarem tuum, Deciane, teſtem. quem tu cum ephebum Temni cognoſſes; quia tum te nudus delectaret, ſemper nudum eſſe voluiſti. abduxiſti Temno Apollonidem: pecuniam adoleſcentulo grandi fenore, fiducia tamen accepta, occupauiſti: hanc fiduciam commiſſam tibi tenes hodie, ac poſſides. cũ tu teſtem ſpe recuperandi fundi paterni venire ad teſtimonium dicendũ coegiſti: qui quoniam teſtimonium dixit, quidnam ſit dicturus, exſpecto. noui genus hominum, noui conſuetudinem, noui libidinem: itaque, etſi teneo, quid ſit dicere paratus, nihil tamen contra diſputabo prius, quam dixerit. totum enim conuertet, atque alia finget. quamobrem & ille ſeruet, quod parauit; & ego me ad id, quod attulerit, integrum conſeruabo.

E X P L A N A T I O

AD. ILLAM *aetatem*] ad ſenectutem, ad illam quam videtis, aetatem. PARI *felicitate,*] a contrario ſenſu: ideſt, aeque infelix: quia nec ipſe in ſenatũ vlla cõdicione peruenire potuit. HI TRES] legati Temnitarum. FALSAS *eſſe voluerunt:*] pro, corrumpere voluerunt, cum falſum ſeruorum numerum profeſſi ſunt. DECRETO] ſuae ciuitatis in Flaccum. PRAETOR *Flacco*] quae odij cauſſa fuit in Flaccum. CONFICIENTISSIMA *litterarum:*] quae perſcribit omnia diligenter. NVMMVS *moueri nullus poteſt*] ſic ad Att. lib. I. A Caecilio propinqui minore centeſimis nummum mouere non poſſunt. Eſt igitur, mouere, pro, auferre. OCCVLTE *referenda,*] in decretũ, cui ſcribẽdo primus affuerat Lyſanias. illi autẽ occulte illud, de drachmarũ quindecim millib. retulerant. tantum enim ſcripſerant praetorẽ vnum de quinque pecuniam illã Flacco dediſſe. quod ſimile criminis videri non poteſt: cũ in Temno acerrima, & conficientiſſima litterarum ciuitate nũmus moueri non poſſet ſine quinque praetoribus, tribus quaeſtoribus, quattuor menſarijs. De pecunia vero eidẽ Flacco in aedem ſacrã reficiendam data, occulte in decretũ non retulerunt, ſed aperte: nã ſcripſerũt datã a cunctis praetoribus, quaeſtoribus, menſarijs. Cur igitur, acute inquit Cicero, non eodem modo relata ſunt omnia? NIHIL *timent,*] quia, datã ei ab vno tantum praetore illam pecuniã, audacter perſcribunt, odio ſcilicet, ac maleuolẽtia compulſi. CVM *operi publico referunt,*] cũ perſcribunt & referunt pecuniã eidem datam in aedẽ ſacram reficiendam, eundem pertimeſcunt, ideſt, ita ſcribunt, datã ei a cunctis praetoribus, quaeſtoribus, menſarijs, quaſi timeãt, ne ab illo refellantur, ne ſibi datam neget. A QVAESTORE] de quo ſcriptum in decreto non eſt. A MENSA *publica*] & hoc omittunt in decreto: quo modo igitur crimen probas? PERSONARVM] praetorum quinque, qui Flacco dederint, quaeſtorũ trium, qui praetoribus numerarint, menſariorũ quattuor, a quibus quaeſtores acceperint. quae cũ perſcripta nõ ſint, totũ hoc, de drachmarũ quindecim millibus, fictũ crimen eſſe ſatis conſtat. VEL *quod eſt*] modus loquẽdi in augẽdare vſurpatus, vt in ep. ad Gallũ, vel proxime de Tigellio. & alibi. Eſt autem hoc alterum argumentũ contra decretum. IVDICATVM] pecuniae Hermippo debitae condemnatum qui cum iudicatũ nõ ſolueret, Hermippo addictus eſt, & ab eo ductus, vt in eius ſcilicet poteſtate eſſet. id enim ius erat creditoris in debitorem, qui iudicatum non ſolueret. infra: Cũ iudicatũ non ſolueret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus eſt. De hoc verbo diximus lib. 2. in Verrem, in eo loco. ſi petit, ducas. HIC *Hermippus?*] videtur Hermippus fuiſſe Romae, aut etiam in iudicio affuiſſe, cum addatur pronomen, Hic. A SVIS *ciuibus*] a Tẽnitibus, apud quos nec in ſenatũ venire potuit, & omnibus turpiſſimis iudicijs cõuictus eſt. VS-

QVI *Tmolo petiuit:*] non accepit praeſens, ſed vſque a monte Tmolo petiuit. IN. SVA *ciuitate*] nam legatio eſt extra ciuitatem. VNA *in vita commiſſa ſola eſt.*] nulla omnino praeter hanc vnam. auget, Sola. nam, Vna, ſufficere videbatur. & vtrumque alibi quoque Cicero coniungit. VLTROQ. *ijs ſumptum intulit.*] immo hoc amplius: ijs ſumptū intulit. tantū abeſt, vt exactam pro frumento pecuniam ſuis ciuibus retulerit, vt etiam, ſumptū a ſe factum eorū nomine, in rationes contulerit. Et eſt, Intulit, hic, vt alibi, Induxit: de quo verbo iam diximus: cum ſubauditur, in rationes. P. FVLVII] qui pro Heraclide ſpopondit. IS] Heraclides. A. C. ET. M. *Fufiis*] qui nec ipſi crediderunt Heraclidi, ſed Hermippo ſpondente, ſoluerunt. CORNICI *oculum.*] qui callidum hominem fallit, cornici oculum confixiſſe dicitur. pro Murena. Inuentus eſt ſcriba quidā Cn. Flauius, qui cornicū oculos cōfixit. Ductum ab eo, quia mortuorū oculos auide erunt cornices. cornicū autem qui oculos cōfigunt, eas quodā modo fallere, & in eo ipſo, quo illae excellunt, ſuperare prudentia videntur. vt iureconſultos Flauius ille ſcriba, faſtis publice propoſitis, fefellit. PERCVSSIT:] fefellit, damno affecit. CREDERET:] quiſquam. etſi anteceſſit, Neminem, ſed vnde nō minus elici poteſt affirmatio, quam negatio: eſt enim ex vtraque compoſitum: vt alibi docuimus. ILLE] otioſa vox. AB. HOC *ductus eſt.*] in huius poteſtatem traditus. IVDEX *ſumitur*] iudex, pro arbitro. QVOD *iudicium lege non erat.*] non erat iudicium illud lege, ſed partium voluntate conſtitutum itaque licuit actori Heraclidi ab eo iudice abire, & cauſſam totam relinquere. DECIANE,] vnus erat ex accuſatoribus Flacci. NVDVM *eſſe voluiſti.*] Nudum, bis dixit, primum Deciani turpem libidinem, deinde auaritiam carpens. PECVNIAM *adoleſcentulo, grandi fenore, fiducia tamen accepta, occupauiſti:*] occupare pecuniā, eſt, in quaeſtu collocare, vt hic infra: Cum ipſi graui fenore iſtam pecuniam multos annos occupauiſſent. lib. I. in Verrem: Pecunias apud populos occupauerant. Pro lege Manilia: Quorū magnae res aguntur, in veſtris vectigalibus exercendis occupatae. Et apud Nonium. Fiduciam autē, auctore Boetio quarto commētario Topicorū, is dicitur accepiſſe, cui res aliqua ea lege mancipatur, vt mancipanti aliquando remancipet, fide vtrinque data ſine teſtibus, aut litteris: ideoq; fiduciaria mācipatio dicitur: Nunc de fiducia cōmiſſa. Committere multam, vel poenam, eſt, multā, vel poenam eſſe commeritum, in multam, vel poenam incidiſſe. eodē ſenſu dicitur, multa uel poena commiſſa eſt pro Cluētio: Vt illā multā non cōmiſerit. In Verrē lib I. Hereditatem Veneri Erycinae cōmiſſam. Lib. 2. Petant hereditatem, quod eam palaeſtrae commiſſam eſſe dicant. Lib. III. Poenam octupli, ſine vlla dubitatione commiſſam non perſequebantur. Cū vero dicitur, alicui commiſſā eſſe hereditatem; ſignificatur, ad eum deuolutā eſſe hereditatem, ab alio herede, qui nō obſeruauerit ea, quae debuerat ex teſtamento. commiſſae hypothecae dicuntur, vbi accidit vt bona aliqua pignoris loco creditori obligata, propria eius efficerentur, debitore ad diē non ſoluente. HANC *fiduciam commiſſam tibi dicis:*] fiducia erat: iā tui proprij iuris eſſe fundū dicit, elapſo tēpore, de quo conuenerat inter vos, vt is fundus, a Lyſania fiduciario nomine Deciano nuncupatus, niſi Lyſanias certa die pecuniam reddidiſſet, Deciani proprius fieret. Haec igitur verba Hanc fiduciam commiſſam tibi dicis, hoc valent: huc fundum tuum eſſe dicis, tenes hodie, ac poſſides. Carpit autem Cicero Decianū, vt iniquiorem in Lyſaniam, cui fundum paternum ademerit: ſimul oſtēdit, eius fundi recuperandi ſpe veniſſe Lyſaniam ad dicendum teſtimonium in Flaccum. QVI *quoniam teſtimonium dixit,*] teſtimonium a Lyſania nondū eſſe dictum, oſtendunt ea, quae ſequuntur: itaque negationē deſidero.

ORATIO

VENIO nunc ad eam ciuitatem, in quam ego multa, & magna ſtudia, & officia contuli, & quam meus frater in primis colit, atque diligit. quae ſi ciuitas per viros bonos, grauesq. homines querellas ad vos detuliſſet; paullo commouerer magis: nunc vero quid putem? Trallianos Maeandrio cauſſam commiſiſſe, homini egenti, ſordido, ſine honore, ſine exiſtimatione, ſine ſenſu? vbi erant illi Pythodorus, & Lepiſon? ceteri homines apud nos noti, inter ſuos nobiles? vbi illa magnifica, & glorioſa oſtentatio ciuitatis? nonne eſſet pudidum, ſi hanc cauſſam agerem ſeuere, non modo legatum, ſed Trallianū omnino dici Maeandrium? huic illi legato, huic publico teſti, patronum ſuum iam inde a patre, atque maioribus, L. Flaccum mactandum ſtultitis teſtimonio tradidiſſent? non eſt ita, iudices, non eſt profecto. vidi ego in quodam iudicio nuper Philodorum teſtem Trallianum, vidi Parrhaſium, vidi Archidemū, cum quidem idem hic mihi Maeandrius quaſi miniſtrator aderat, ſubijciens, quid in ſuos ciues, ciuitatemq. ſi vellem, dicerem: nihil enim illo homine leuius, nihil egentius, nihil inquinatius. quare, ſi hunc habent auctorem Tralliani doloris ſui, ſi huns cuſtodem litterarum, ſi hunc teſtem iniuriae, ſi hunc actorem querellarum; remittant ſpiritus; comprimant animos ſuos; ſedent arrogantiam; fateantur in Maeandrij perſona eſſe expreſſam faciem ciuitatis: ſin iſtum ſemper illi ipſi domi proterendum eſſe, & conculcandum putauerunt; deſinant putare auctoritatem eſſe in eo teſtimonio, cuius auctor inuentus eſt nemo. ſed exponam, quid in re ſit, vt, quamobrem iſta ciuitas neque ſeuere Flaccum oppugnarit, neque benigne defenderit, ſcire poſſitis. Erat ei Caſtriſiano nomine irata, de quo toto reſpondit Hortenſius: inuita ſoluerat Caſtriſio pecuniam iamdiu debitam: hinc totum odium, hinc omnis offenſio. quo cum veniſſet Laelius ad ir. tos, & illud Caſtricianum vulnus dicendo refricuiſſet; ſiluerunt principes, neque in illa concione affuerunt, neque ipſius decreti ac teſtimonij auctores eſſe voluerunt. vſque eo orba fuit ab optimatibus illa concio, vt princeps principum eſſet Maeandrius: cuius lingua, quaſi flabello ſeditionis, illa tum eſt egentium con-

cio ventilata. itaque ciuitatis pudentis, vt ego ſemper exiſtimaui, & grauis, vt ipſi exiſtimari volunt, iuſtum dolorem, querellasq. cognoſcite. Quae pecunia fuerit apud ſe Flacci patris nomine collata a ciuitatibus, hanc a ſe eſſe ablatam queruntur. Alio loco quaeram, quid licuerit Flacco: nunc tantum a Trallianis requiro, quam pecuniam a ſe ablatam queruntur, ſuam ne dicant, ſibi a ciuitatibus collatam in vſum ſuum. cupio audire. non, inquit, hoc dicimus. quid igitur? delatam ad nos, creditam nobis L. Flacci patris nomine ad eius dies feſtos, atque ludos. quid tum? hanc te, inquit, capere non licuit. iam id videro; ſed primum illud tenebo. queritur grauis, locuples, ornata ciuitas, quod non retinet alienum: ſpoliatam ſe dicit quod id non habet, quod eius non fuit. quid hoc impudentius dici, aut fingi poteſt? delectum eſt oppidum, quo in oppido vno pecunia a tota Aſia ad honores L. Flacci poneretur. haec pecunia ab honoribus translata in quaeſtum, & fenerationem, recuperata eſt multis poſt annis. quae ciuitati facta eſt iniuria? At moleſte fert ciuitas. Credo; amiſſum eſt enim praeter ſpem, quod erat ſpe deuoratum lucrum. At queritur, Impudenter facit; non enim omnia, quae dolemus eadem iure queri poſſumus. At accuſat verbis grauiſſimis. Non iſti iuſtos, ſed imperiti homines, a Maeandrio concitati. quo loco etiam atque etiam facite vt recordemini, quae ſit temeritas multitudinis, quae leuitas propria Graecorum, quid in concione ſeditioſa valeat oratio. hic, in hac grauiſſima & moderatiſſima ciuitate, cum eſt forum plenum iudiciorum plenum magiſtratuum, plenum optimorum virorum, & ciuium; cum ſpeculatur atque obſidet Roſtra vindex temeritatis, & moderatrix officij curia; tamen quantos fluctus excitari concionum videtis? quid vos fieri cenſetis Trallibus? an id, quod Pergami? niſi forte hae ciuitates exiſtimari volunt, facilius vna ſe epiſtola Mithridatis moueri impelliq. potuiſſe, vt amicitiam populi R. fidem ſuam, iura omnia officij, humanitatisq. violarent, quam ve filium teſtimonio laederent, cuius patrem armis pellendum a ſuis moenibus cenſuiſſent. quare nolite mihi iſta nomina ciuitatum nobilium opponere. quos enim hoſtes haec familia contempſit, nunquam eoſdem teſtes pertimeſcet. vobis autem eſt confitendum, ſi conſilijs principum veſtrae ciuitates reguntur, non multitudinis temeritate, ſed optimatum conſilio bellum ab iſtis ciuitatibus cum populo R. eſſe ſuſceptum. ſin ille tum motus eſt temeritate imperitorum excitatus: patiamini me delicta vulgi a publica cauſſa ſeparare. At enim iſtam pecuniam huic capere non licuit. Vtrum vultis, patri Flacci licuiſſe, nec ne? ſi licuit, ſicuti certe licuit; ad eius honores collatam, ex quibus ipſe nihil capiebat, patris pecuniam recte abſtulit filius. ſi non licuit; tamen, illo mortuo, non modo filius, ſed quiuis haeres rectiſſime potuit auferre. ac tum quidem Tralliani, cum ipſi graui fenore iſtam pecuniam multos annos occupauiſſent, a Flacco tamen omnia, quae voluerunt, impetrauerunt; neque tam fuerunt impudentes, vt id, quod Laelius dixit, dicere auderent. hanc eis pecuniam abſtuliſſe Mithridatem. quis enim erat, qui non ſciret in ornandis ſtudioſiorem Mithridatem quam in ſpoliandis Trallianis fuiſſe? quae quidem a me ſi, vt dicenda ſunt, dicerentur; grauius agerem, iudices, quam adhuc egi, quantam Aſiaticis teſtibus fidem habere vos conueniret: reuocarem animos veſtros ad Mithridatici belli memoriam, ad illam vniuerſorum ciuium Rom. per tot vrbes vno puncto temporis miſeram crudelemque caedem; praetores noſtros deditos, legatos in vincula coniectos, nominis prope Romani memoriam cum veſtigio imperij non modo ex aedibus Graecorum, verum etiam ex litteris eſſe deletam. Mithridatem deum, illum patrem, illum conſeruatorem Aſiae, illum Euhyum, Dionyſium, Bacchum, Liberum nominabant. vnum atque idem erat tempus, cum L. Flacco conſuli portas tota Aſia claudebat, Cappadocem autem illum non modo recipiebat ſuis vrbibus, verum etiam vltro vocabat. liceat haec nobis, ſi obliuiſci non poſſumus, aut tacere: liceat mihi potius de leuitate Graecorum queri, quam de crudelitate. auctoritatem iſti habeant apud eos, quos eſſe omnino noluerunt: nam quoſcumque potuerunt togatos, interemerunt; nomen ciuium Rom. quantum in ipſis fuit, ſuſtulerunt. in hac igitur vrbe ſe iactent, quam oderunt, apud eos, quos inuiti vident; in ea rep. ad quam opprimendam non animus eis, ſed vires defuerunt; adſpiciant hunc florem legatorum, laudatorumque Flacci ex vera, atque integra Graecia: tum ſe ipſi expendant: tum cum his ſe comparent: tum, ſi audebunt, dignitati horum opponant ſuam. adſunt Athenienſes, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae, atque in omnes terras diſtributae putantur: de quorum vrbis poſitione, propter pulchritudinem, etiam inter deos certamen fuiſſe proditum eſt: quae vetuſtatem eſt, vt ipſa ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicatur, & eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur; auctoritate autem tanta eſt, vt iam fractum prope, ac debilitatum Graeciae nomen huius vrbis laude nitatur. adſunt Lacedaemonii: cuius ciuitatis ſpectata, ac nobilitata virtus non ſolum natura corroborata, verum etiam diſciplina putatur: qui ſoli toto orbe terrarum ſeptingentos iam annos amplius vnis moribus, & numquam mutatis legibus viuunt. adſunt ex Achaia cuncta multi legati, Boeotia, Theſſalia: quibus locis nuper legatus L. Flaccus, imperatore Metello, praefuit. neque vero te Maſſilia praetereo, quae L. Flaccum militem quaeſtoremque cognoſti: cuius ego ciuitatis diſciplinam, atque grauitatem non ſolum Graeciae, ſed haud ſcio an cunctis gẽtibus anteponendam iure dicam. quae, tam procul a Graecorum omnium regionibus, diſciplinis, linguaq. diuiſa, cum in vltimis terris, cincta Gallorum gentibus, barbariae fluctibus alluatur, ſic optimatum conſilio gubernatur, vt omnes eius inſtituta laudare facilius poſſint, quam emulari. hiſce vtitur laudatoribus Flaccus, his innocentiae teſtibus; vt Graecorum cupiditati Graecorum auxilio reſiſtamus. quamquam quis ignorat, qui modo vnquã mediocriter res iſtas ſcire curauit, quin tria Graecorum genera ſint vere? quorum vni ſunt Athenienſes, quae gens Ionum habebatur. Aeoles alteri, Dores tertij nominabantur. atque haec cuncta Graecia, quae gloria, quae doctrina, quae plurimis artibus, quae etiam imperio & bellica laude floruit, paruum quẽdam locum, vt ſcitis, Europae tenet, ſemperq. tenuit: Aſiae maritimam oram, bello ſuperatam, cinxit vrbibus, non vt munitam colonis illam augeret, ſed vt obſeſſam teneret. quamobrem, quaeſo a vobis, Aſiatici teſtes, vt, cum vere recordari voletis, quantum auctoritatis in iudicium afferatis, voſmet ipſi deſcribatis Aſiam; nec, quid alienigenae de vobis loqui ſoleant, ſed quid voſmet ipſi de genere veſtro ſtatuatis, memineritis. namque, vt opinor, Aſia veſtra conſtat ex Phrygia, Myſia, Caria, Lydia:

utrum

utrum igitur noſtrum eſt, an ueſtrum hoc uetus prouerbium, Phrygem plagis feri ſolere meliorem? quid de tota Caria? non ne hoc ueſtri uoce uulgatum eſt, ſi quid cum periculo experiri uelis, in Caria id potiſſimum eſſe faciũdum? quid porro in Graeco ſermone tam tritum, atque celebratum eſt, quam, ſi quis deſpicatui ducitur, ut Myſorum ultimus eſſe dicatur? nam quid ego dicam de Lydia? quis unquam Graecus comoediam ſcripſit, in qua ſeruus primarum partium non Lydus eſſet? quamobrem quae nobis ſit iniuria, ſi ſtatuimus ueſtro nobis iudicio ſtandum eſſe de nobis? equidem mihi iam ſatis ſuperq. dixiſſe uideor de Aſiatico genere teſtium: ſed tamen ueſtrum eſt, iudices, omnia, quae dici poſſunt in hominum leuitatem, inconſtantiam, cupiditatem, etiam ſi a me minus dicuntur, ueſtris animis, & cogitatione comprehendere.

EXPLANATIO

AD. EAM *ciuitatem,*] Tralles dicit. SINE *cenſu?*] ſine re domeſtica. CVIVS *auctor inuentus eſt nemo.*] quis enim Maeandro credat, auctori leuiſſimo? NEQVE *ſeuere*] quia miſerir eum cuius in teſtimonio auctoritas nulla. SILVERVNT] contra Flaccum de pecunia Caſtricio ſoluta nihil dixerunt. ABLATAM] a Flacco filio. QVID *licuerit Flacco:*] vtrum Flacco licuerit eam auferre. QVERVNTVR,] quia ſequitur, Dicant, orta nonnullis coniectura eſt, legendum, Querantur: quaſi eiuſdem vtrumque temporis eſſe debeat: cum ipſa ſententia, Queruntur, omnino poſtulet, non Querantur. ordo enim hic eſt. Quam pecuniam a ſe ablatam Traliani queruntur, eam ſuam ne dicant, ab iis requiram. FLACCI *patris*] qui & ipſe Aſiae praefuerat, poſt conſulatum, quem cum C. Mario geſſit. ILLVD *tenebo*] collatam a ciuitatibus ad Flacci patris dies feſtos, atque ludos. QVERITVR] iniuſte. cur enim retineat alienum? GRAVIS. *locuples, ornata,*] pungit eam, quae talis cum ſit, quaeratur tamen quod alienum non retineat. QVOD *non retinet alienum:* ſua .n. illa pecunia non fuit: ſed ideo queritur, quia transferebat eam a diebus feſtis, & ludis in quaeſtum, & fenerationem. AN . ID, *quod Pergami?*] ideſt, plane idem, quod Pergami: quod Aſiæ caput erat. MITHRIDATIS] Ponti regis. VNA *epiſtola*] ſignificat id, quod in Maniliana expoſuit his verbis. Vna die tota Aſia, tot in ciuitatibus, vno nuncio, atque vna litterarum ſignificatione ciues Romanos necandos, trucidandoſq. denotauit. VIOLARENT] trucidandis ciuibus Romanis. FILIVM Flaccum. EST *confitendum*] aut ille motus ex Mithridatis epiſtola conſilio principum eſt excitatus: aut, ſi temeritate multitudinis non conſilio principum, ita delicti vulgi & omnium imperitorum, quos Maeandrius concitauit, inſector, vt ea ſeparem a publica cauſſa, & ciuitatem hac laedendi Flacci culpa liberem. EX. QVIBVS *ipſe nihil capiebat.*] ipſe Flaccus filius. quem enim illi honores filio fructum ferebant? QVOD *Laelius dixit,*] eos dixiſſe. DICERE *auderent.*] cum Flaccus filius prętor eam pecuniam peteret. GRAVIVS *agerem,*] fingit ſe parcere Trallianis pro ſua, fratriſq. amicitia: & tamen ſubiungit ea, quibus acerbiora reperire non poterat. EVHYVM] quaſi alterum Bacchum, ornabant Aſiatici Mithridatem iiſdem cognominibus, quibus ipſe Bacchus appellari ſolebat. Euhyus autem dictus quaſi bonus filius. EX. VERA, *atque integra Graecia:*] nam illi, qui contra Flaccum venerant Græci erant Aſiatici corruptibus moribus. ERVGES,] auctore Triptolemo qui aratrum & agriculturam inuenit. LEGES] Latae a Solone, ſapientiſſimo viro. IN *omnes terras diſtributae*] inde ſuas leges & Romani petendas exiſtimarunt. METELLO,] Cretico; de quo ſupra, & infra. QVAESTOREMQ.] praetore M. Pupio Piſone, de quo ſupra. TAM *procul a Graecorum omnium regionibus*] nam ſi propinqua eſſet, ſapientiam a Graecis accepiſſe videretur. VT *obſeßam teneret.*] tãquam infidam & male animatam. CVM *periculo*] quia Carum fidei committendum nihil ſit. PRIMARVM *partium*] non, vt putatur, qui ſaepius in ſcenam redit, ſed, vt, arbitror, cui primae partes dantur in agendo propter ingenium, & artem.

ORATIO

SEquitur auri illa inuidia Iudaici. hoc nimirum eſt illud, quod non longe a gradibus Aureliis haec cauſſa dicitur. ob hoc crimen hic locus abs te, Laeli, atque illa turba quaſita eſt. ſcis, quanta ſit manus, quanta concordia, quantum ualeat in concionibus. ſic ſummiſſa uoce agam, tantum ut iudices audiant. neque enim deſunt, qui iſtos in me, atque optimum quemque incitent: quos ego, quo id facilius faciant, non adiuuabo. cum aurum Iudaeorum nomine quotannis ex Italia, & ex omnib. ueſtris prouinciis Hieroſolymam exportari ſoleret, Floccus ſanxit edicto, ne ex Aſia exportari liceret. quis eſt, iudices, qui non hoc uere laudare poſſit? exportari aurum non oportere, cum ſaepe antea ſenatus, tum me conſule grauiſſime iudicauit. huic autem barbarae ſuperſtitioni reſiſtere, ſeueritatis; multitudinem Iudaeorum flagrantem nonnumquam in concionibus pro rep. contemnere, grauitatis ſummae fuit. At Cn. Pompeius, captis Hieroſolymis, uictor ex illo fano nihil attigit. In primis hoc, ut multa alia, ſapienter in tam ſuſpicioſa, ac maledica ciuitate locum ſermoni obtrectatorum non reliquit. non enim credo religionem & Iudaeorum, & hoſtium, impedimento praeſtantiſſimo imperatori, ſed pudorem fuiſſe. ubi ergo crimen eſt? quoniam quidem furtum nuſquam reprehendis, edictum probas, iudicatum fateris, quaeſitum, & probatum palam non negas; actum eſſe per uiros primarios res ipſa declarat. Apameae manifeſte comprehenſum, ante pedes praetoris in foro expenſum eſt auri pondo centum paullo minus per Sex. Caeſium,

equitem

equitem R. castiſſimum hominem, atque integerrimum: Laodiceae viginti pondo paullo amplius per hūc ipſum L. Peducaeum, iudicem noſtrū: Hadrumeti per Cn. Domitium legatum. Pergamum non multum auri ratio conſtat: aurum in aerario eſt: furtum non reprehenditur: inuidia quaeritur, a iudicibus oratio auertitur, vox in coronam turbamque effunditur. ſua cuique ciuitati religio, Laeli, eſt, noſtra nobis. ſtantibus Hieroſolymis, pacatisq. Iudaeis, tamen iſtorum religio ſacrorum a ſplendore huius imperij, grauitate nominis noſtri, maiorum inſtitutis abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis; quam cara dijs immortalibus eſſet, docuit, quod eſt victa, quod elocata, quod ſeruata. quamobrem, quoniam, quod crimen eſſe voluiſti, id totum vides in laudem eſſe conuerſum, veniamus iam ad ciuium R. querellas. ex quibus ſit ſane prima Deciani. Quid tibi tandem, Deciane, iniuriae factum eſt? negotiaris in libera ciuitate. primum patere me eſſe curioſum: quouſque negotiabere? praeſertim cum ſis iſto loco natus. annos iam triginta in foro verſaris, ſed tamen Pergameno. longo interuallo, ſi quando tibi peregrinari commodum eſt, Romam venis; affers faciem nouam, nomen vetus, purpuram Tyriam. in qua tibi inuideo, quod vnis veſtimentis tam diu lautus es. verum eſto, negotiari libet: cur non Pergami, Smyrnae, Trallibus? vbi & multi ciues R. ſunt, & ius a noſtro magiſtratu dicitur. otium te delectat: lites, turbae, praetor odio eſt: Graecorum libertate gaudes. cur ergo vnus tu Apollonidenſes, amantiſſimos populi R. fideliſſimos ſocios, miſeriores habes, quam aut Mithridates, aut etiam pater tuus habuit vnquam? cur his per te frui libertate ſua, cur denique eſſe liberis non licet? homines ſunt tota ex Aſia frugaliſſimi, ſanctiſſimi, a Graecorum luxuria & leuitate remotiſſimi, patresfamilias ſuo contenti, aratores, ruſticani: agros habent & natura perbonos, & diligentia culturaq. meliores. in hiſce agris tu praedia habere voluiſti. omnino mallem. & magis erat tuum, ſi iam te craſſi agri delectabant, hic alicubi in Cruſtumino, aut in Capenati parauiſſes: verum eſto: Catonis eſt dictum, pedibus compenſari pecuniam. longe omnino a Tiberi ad Caicum: quo in loco etiam Agamemnon cum exercitu errasset, niſi ducem Telephum inueniſſet. ſed concedo id quoque: placuit opidum: regio delectauit: emiſſes.

E X P L A N A T I O

A. GRADIBVS. *Aurelijs.*] circa quos Iudaea gens verſari ſolebat. ILLA *turba*] Iudaeorum. NON *adiuuabo.*] ſummiſſa voce agam, ne magis in me incitentur. BARBARAE *ſuperſtitioni*] opinor quia Iudaei aurum illud, vel ſaltem eius partem, quod vbique colligerent, in Iudaeā mitterent, vt in Solomonis fano reponeretur: quae illis religio videbatur: quam Cicero ſuperſtitionem vocat hinc illud infra: At Cn. Pompeius ex illo fano nihil attigit. FLAGRANTEM] tumultuantem, turbas commouentem, quia exportare aurum vetaretur. EDICTVM] Flacci praetoris, ne exportaretur aurum ex Aſia. IVDICATVM] a ſenatu. PROLATVM] aurum, quod exportabant Iudaei. PONDO *centum*] ſcutatorum decem millia. VOX *in coronam, turbamq. effunditur.*] vt Iudaei concitentur. SVA *cuique ciuitati religio, Laeli, eſt, noſtra nobis.*] reprehendit illam Iudaeorum religionem in auro in Solomonis in fanum inferendo. ELOCATA,] pretio locata: vt elocare fundum, apud Ciceronem, boues apud Columellam. SERVATA.] multos hic locus torquet: nec ſane mihi conſtat, quae ſententia poſſit elici ſatis apta ſi ſic legatur. opem autem veteres libri nullam afferunt. nam quod, ſerua facta, quidam legunt, longe diſtat ab antiquis litterarum veſtigijs, & idem tamen eſſet, quod Elocata. Videndum igitur (vt aliquid tamen dicam) an, ſeruata, fortaſſe valeat, obſeruata, in cuſtodias tradita, & quaſi obſeſſa, ne quid rerum nouarum moliri poſſit. DECIANI.] vnius e ſubſcriptoribus Laelij. IN *libera ciuitate.*] apud Apollonidenſes, populi Romani ſocios. SED *tamen Pergameno.*] feſtiua correctio. nam illud, Annos iam triginta in foro verſaris, dictum cum laude videbatur: ſed ne de foro Romano locutus eſſe videretur: in quo diu verſari, laudem habet, addidit, ſed tamen Pergameno, Romani diſſimillimo. COMMODVM *eſt,*] pro libet, vt ſupra. Purpuram Tyriā. vel in lato clauo, ſi ſenator erat: quod non arbitror; cum annos triginta Pergami fuiſſet: vel in anguſto, ſi eques Romanus. VNIS *veſtimentis*] notat in veſtitu parſimoniam, quod eandem, quoties ad vrbem rediret tunicam referret. PATER *tuus*] qui apud eoſdem negotiatus eſt. HABERE] non, emere ſed, habere; quia fraude occupauerat. CRASSI *agri*] pingues ex terra denſa, & glutinoſa, nō ſoluta, & friabili. PEDIBVS *compenſari pecuniam.*] quia quo minoris emuntur, eo laborioſius viſuntur longinqui agri; & quod in pecunia lucrum fit, pedum labore compenſatur. A. TIBERI] ſecundum quem agri ſunt Cruſtumini, & Capenates in Etruria. AD *Caicum*] Phrygiae fluuium, ex Myſia fluentem. AGAMEMNON *cum exercitu errasset,*] Hoc Euſtathius in Il. a, in verſu illo Homeri, παλιμπλαγχθέντας explanat his verbis οἱ μὲν ἀντὶ τοῦ ἐκδευτέρου πλανηθέντας φασὶ φράζοντες τὴν τῶν νεωτέρων ἱστορίαν λέγουσαν ὅτι τὰ πρῶτα ἐπιστρατεύσαντες τῇ Τροίᾳ οἱ Ἕλληνες, ἥμαρτον τῆς ὁδοῦ, καὶ τὴν μηδὲν ἐς τιμωρίαν αὐτοῖς προσήκουσαν γῆν ἐληΐζοντο. ἧς ἦν ὑπὸ τῷ Τηλέφῳ Μυσία, ὁ δὲ Τήλεφος ἀντικαταστὰς ἐποίησέ τι κακὸν καὶ ἔπαθε. τέτρωται γὰρ τραυματισθεὶς ὑπὸ Ἀχιλλέως. ἀμπέλου ἕλικι συμποδισθέντος αὐτοῦ τῷ ἵππῳ κατὰ Διονύσου πρόνοιαν. καὶ πεσόντος εἰς γῆν [illegible] τὸ [illegible] ὑποχωρῆσαι τοὺς Ἕλληνας. ὁ δὲ τὸ τραῦμα εἶχεν [illegible], χρᾶται καὶ ὁ χρησμὸς αὐτῷ τὸν τρώσαντα ἰάσεσθαι. πλεῖ γοῦν τῆν ταχίστην ἐπ' Ἀχιλλέα, καὶ συμβαίνει τὸν μὲν ἰάσασθαι τὸν ἀτελῆ, τὸν δὲ, δοῦναι μισθὸν τῆς ὑγείας, τὴν εἰς Τροίαν ὁδηγίαν. EMISSES.] emere debebas.

ORATIO

AMYNTAS eſt, genere, honore, exiſtimatione, pecunia princeps illius ciuitatis: huius ſocrum, mulierem imbecilli conſilij, ſatis locupletem pellexit Decianus ad ſeſe: & cum illa, quid ageretur, neſciret, in poſſeſſione praediorum eius familiam ſuam collocauit: vxorem abduxit ab Amynta praegnantem; quae peperit apud Decianum filiam; hodieq. apud Decianum eſt & vxor Amyntae, & filia. Num quid horum rerum a me fingitur, Deciane? ſciunt haec omnes nobiles, ſciunt denique noſtri homines, ſciunt mediocres negotiatores. exſurge Amynta. repete a Deciano non pecuniam, non praedia: ſocrum denique ſibi habeat, reſtituat vxorem, reddat miſero patri filiam: nam membra, quae debilitauit lapidibus, fuſtibus, ferro; manus, quas contudit; digitos quos confregit; neruos, quos concidit, reſtituere non poteſt. filiam, filiam, inquam, aerumnoſo patri, Deciane, redde. Haec Flacco non probaſſe te miraris? cui, quaeſo, tandem probaſti? emptiones falſas, praediorum proſcriptiones cum mulieculis aperta circumſcriptione feciſti. tutor his rebus Graecorum legibus adſcribendus fuit: Polemocratem ſcripſiſti, mercenarium, & adminiſtrum conſiliorum tuorum. adductus eſt in iudicium Polemocrates de dolo malo, & de fraudatione, huius ipſius tutelae nomine. qui concurſus ex oppidis finitimis vndique? qui dolor animorum? quae querella? condemnatus eſt Ptolemocrates ſententijs omnibus: irritae venditiones, irritae proſcriptiones. non reſtituis: defers ad Pergamenos, vt illi reciperent in ſuas litteras publicas proſcriptiones, & emptiones tuas. repudiant, reijciunt: at qui homines? Pergameni, laudatores tui. ita enim mihi gloriari viſus es laudatione Pergamenorum, quaſi honorem maiorum tuorum aſſecutus eſſes: & hoc te ſuperiorem eſſe putabas, quam Laelium, quod te ciuitas Pergamena laudaret. nam honeſtior eſt ciuitas Pergamena, quam Smyrnae? at ne ipſi quidem dicunt. vellem tantum habere otij, vt poſſem recitare pſephiſma Smyrnaeorum, quod fecerunt in Caſtricium mortuum: primum, vt in oppidum introferretur; quod alijs non conceditur: deinde, vt ferrent ephebi: poſtremo, vt imponeretur aurea corona mortuo. haec P. Scipioni, clariſſimo viro, cum eſſet Pergami mortuus, facta non ſunt. at Caſtricium, quibus verbis dij immortales, decus patriae, ornamentum populi Romani, florem iuuentutis appellant. quare, Deciane, ſi cupidus es gloriae, alia ornamẽta cẽſeo quaeras: Pergameni te deriſerunt. quid? tu ludi te non intelligebas? cum tibi haec verba recitabant, clariſſimum virum, praeſtantiſſima ſapientia, ſingulari ingenio, mihi crede, ludebant: cum vero coronam auream litteris imponebant, re vera non plus aurum tibi, quam monedulae, committebant; ne tum quidem hominum venuſtatem, & facetias perſpicere potuiſti? iſti igitur, iſti Pergameni deſcriptiones, quas tu afferebas, repudiauerunt. P. Orbius, homo & prudens, & innocens, contra te omnia decreuit. in P. Globulum, meum neceſſarium, fuiſti gratioſior. vtinam neque ipſũ, neque me paeniteret. Flaccum iniuria decreuiſſent veridicat. adiungis cauſas inimicitiarum, quod patri L. Flacci, aedili curuli, pater ſuus, tribunus pl. diem dixerit. * *at iſtud nec ipſi quidem patri Flacci valde moleſtum eſſe debuit; praeſertim cum ille, cui dies dicta eſt, praetor poſtea factus ſit, & conſul; ille, qui diem dixit, non potuerit priuatus in ciuitate conſiſtere. ſed, ſi iuſtas inimicitias putabas; cur, cum tribunus militum Flaccus eſſet, in eius legione miles fuiſti, cum tibi per leges militares effugere liceret iniquitatem tribuni? cur autem praetor te, inimicum paternum, in conſilium vocauit? quae quidem quam ſancte ſolita ſint obſeruari, ſcitis omnes. nunc accuſamur ab ijs, qui in conſilio nobis fuerunt. Decreuit Flaccus: num aliud, atque oportuit? in liberos: num aliter, ac cenſuit ſenatus? in abſentem decreuit: cum ibidem eſſes, cum prodire nolles. non eſt hoc in abſentem reum.* SENATVS. CONSVLTVM. ET. DECRETVM. FLACCI. *Quid, ſi non decreuiſſet, ſed edixiſſet, quis poſſet vere reprehendere? num etiam fratris mei litteras, pleniſſimas humanitatis, & aequitatis, reprehenſurus? quas eaſdem mulieres a me datas apud Patauanos requiſiuit. Recita litteras Q. Ciceronis. Quid haec Apollonidenſes, occaſione facta, ad Flaccum non detulerunt? apud Orbium acta non ſunt? ad Globulum delata non ſunt? ad ſenatum noſtrum, me conſule, non ne legati Apollonidenſes omnia poſtulata de iniurijs vnius Deciani detulerũt? ad haec, praedia etiam in cenſu dedicauiſti: mitto, quod aliena; mitto, quod poſſeſſa per vim; mitto, quod conuicta ab Apollonidenſibus; mitto, quod a Pergamenis repudiata; mitto etiam, quod a noſtris magiſtratibus in integrum reſtituta; mitto, quod nullo in iure, neque poſſeſſione tua: illud quaero, ſint ne iſta praedia cenſui cenſendo? habebant ius ciuile? ſint, necne ſint, mancipi? ſubſignari apud aerarium, apud cenſorem poſſint? in qua tribu denique iſta praedia cenſuiſti? commiſiſti, ſi tempus aliquod grauius accidiſſet, vt ex iiſdem praedijs, & Apolloniae, & Romae imperatum, eſſet tributum, verum eſto: glorioſus fuiſti: voluiſti magnam agri modum cenſeri, & eius agri, qui diuidi plebi Romanae non poteſt. cenſus es praeterea numeratae pecuniae* CX$\overline{XX}$. *eam opinor tibi numeratam non eſſe abs te. ſed haec omitto. cenſus es mãcipia Amyntae: neque huic vllam in eo feciſti iniuriam: poſſidet enim ea mancipia Amyntas. ac primo quidem pertimuit, cum te audiſſet ſeruos ſuos eſſe cenſum: retulit ad iuriſconſultos. conſtabat inter omnes, ſi aliena cenſendo Decianus ſua facere poſſet, eum maxima habiturum eſſe.*

EXPLANATIO

TVTOR] eius mulieris, a qua ſe praedia emiſſe Decianus fingebat. GRAECORVM *legibus* Romanis quoque: ideo pro Caecina: Quod mulier ſine tutore promiſerit deberi. Pro Murena: Mulieres omnes propter infirmitatẽ cõſilij maiores in tutorũ poteſtate eſſe voluerunt. Hic admonẽdus eſt lector, nõ eſſe, legibus, ĩ quibuſdam antiquis libris. quod ſi recte: vel mendũ eſt in verbo, Graecorum:

rum:vel legendum, Tutor his, legibus Graecorum adſcribendus fuit. vt pro, Rebus, reponatur, legibus. NON *reſtituis.*] praedia Amyntae: quae retinere non potes, Polemocrate condemnato, qui mulierum tutor, cum Deciano in fraudatione conſenſit. QVAM *ſmyrnaea?*] deridet laudationes tam Pergamenorum, quam Smyrnaeorum. Honeſtior, inquit, Smyrnaea ciuitas eſt, quã Pergamena quod ne ipſi quidem Pergameni negant. at Smyrnaei Caſtricium mortuũ ita laudarunt, vt eum deriſiſſe videantur. quod ſi laudatio Smyrnaeorum honorem non affert, quanto minus Pergamenorum? cur igitur ea laudatione gloriaris? P. SCIPIONI,] ei, qui Ti Gracchum occidit: quo facto Pergamum in exſulium abijt. ALIA *ornamenta cenſeo quaeras:*] noli gloriari, quod te Pergameni laudauerint: nam illa te laudatio non ornat. TIBI] praeſenti. RECITABANT,] epſephiſmate. LITTERIS] verbo: ſcriptis quidem litteris, non reuera. IMPONEBANT,] nolim hoc verbo aliquem falli: non enim hoc dicit, Deciani praeſentis capiti coronam auream vere eſſe a Pergamenis impoſitam. nam impoſitam non eſſe, ex verbo, litteris, intelligitur. Sed, imponebant litteris, valet, imponendam pſephiſmate decernebant. aliud eſt autem, litteris, aliud, re ipſa imponere. Sed cum litteris, tum re inquit, ludebant. nam reuera tibi non plus aurum committebant, quam monedulae: cui ſi quis committeret, amiſſum ſciret: auis enim illa aurum & argentũ auide furatur, auctore Plinio. conſtat ex duabus partibus ſententia, vna de corona, altera de venuſtate, & facetijs. Cum tibi coronam, inquit, litteris imponebant; ſed reuera cum tibi non plus aurum, quam monedulae, committebant, ne tum quidem venuſtatem eorum, & facetias perſpexiſti? PROSCRIPTIONES] praediorum, quae Decianus a ſe empta dicebat. P. ORBIVS] tres Aſiae praetores nominat, P. Orbium, P. Globulum, L. Flaccum. Orbius, inquit, contra te decreuit: in Globulum fuiſti gratioſior, ideſt munera contuliſti: ideo nihil contra te decreuit. Flaccum decreuiſſe fateris, verum inimicitijs & iracundia incitatum. P. GLOBVLVM,] Seruiliae gentis qui tribunus pl. obſtitit C. Cornelio collegae, quem poſtea Cicero defendit, inuito ſenatu legem ferenti, ne quis, niſi per populũ legibus ſolueretur. Hic ſi praetor fuit ante Flaccum, aedilitatẽ omiſerit neceſſe eſt: cum tribunus pl. fuerit, auctore Pediano, C. Piſone M. Glabrione cos. CONSVL] bis conſul fuit, ſemel cum C. Mario, iterum cũ L. Cinna, ſuffectus in Marij mortui locum. NON *potuerit priuatus in ciuitate conſiſtere.*] eo iudicio damnatus, quo in exſuliũ ire coactus eſt. TRIBVNVS *mil.*] in Cilicia, imperatore P. Seruilio. IN. SIVS *legione*] non quod ſolus in ea legione tribunus mil. eſſet: nam, vt apud Polybiũ legimus, quattuor in ſingulis legionibus tribuni mil. erãt: ſed quod in ea, tribunus mil. cum eſſet, plurimum poſſet. PRAETOR] Flaccus, Romae. DECREVIT *Flaccus.*] cum praetor Aſiae praeeſſet. IN CONSILIVM] vt iudex eſſes. in quo tibi honorem habuit, oblitus inimicitiarum, quae patri tuo cum illius patre fuerant. QVAE *quidem quam ſancte ſolita ſint obſeruari*] quaenam? fuiſſe militem in eius legione, vocatum ab eo eſſe in conſilium: quae tu Deciane non obſeruas: Flaccum enim accuſa. IN. LIBEROS] quod querebatur Decianus. NVM *aliter, ac cenſuit ſenatus?*] cenſuerat ſenatus, vt praetor Aſiae non modo in ſocios, verum etiam in liberos, quorum in numero ciues Romani, & in ijs Decianus erat, ius diceret. SENATVS *conſultum, edixiſſet,*] vt in liberos a praetore Aſiae ius dici poſſet. SED *edixiſſet,*] quod pro imperio fit: cum decernatur iure, cauſſa cum conſilio cognita. NVM *etiam fratris mei*] qui Flacco ſucceſſit. QVAS *eaſdem mulieres*] locus deprauatus: quem alij ſi, Mulieribus, legatur, corrigi putant poſſe. mihi & apertior, & melior ſentẽtia videtur, ſi legatur, Queis eaſdẽ mulieres amandatas apud Pataranos requiſiuit. Quas enim mulieres, ideſt Amyntae vxorem, & filiam reddendas eſſe Flaccus decreuerit, eas cũ Decianus, ne redderet, apud Pataranos amandaſſet, Q. Cicero litteris requiſiuit. nõdum tamẽ, cũ haec haberetur oratio, redditas eſſe, dictum eſt ſupra. Hodie, inquit, apud Decianum eſt & vxor Amytae, & filia. AD *Globulum delata non ſunt?*] nõ acta, vt apud Orbiũ qui contra Decianũ omnia decreuit, ſed delata tantum, quia Globulus nihil decreuit, corruptus a Deciano. vnde illud ſupra: In P. Globulũ fuiſti gratioſior. IN *cenſu dedicauiſti:*] profeſſus es, ĩ cenſum retuliſti. antiqua locutio, ſed exemplis parũ cõfirmata. ſic locutũ Africanũ minorem, teſte Gellio cognoſcitur. In vno ſcorto, inquit lib. VII. c. II. recitans Africani verba, maiorẽ pecuniã abſumpſiſti, quã quãti omne inſtrumentũ fundi Sabini in cenſu dedicauiſti. CONVICTA *ab Apollonidenſibus,*] iudicio tibi adempta ab Apollonidenſibus, cõdemnatione Polemocratis. A NOSTRIS *magiſtratibus*] a duob praetoribus Aſiae, P. Orbio & L. Flacco. nam Globulus nihil cõtra Flaccũ videtur decreuiſſe. MITTO, *quod nullo in iure, neque in re, neque poſſeſſione tua:*] Alij, nullo iure, neque ĩ re, neque in poſſeſſione tua. ego nihil muto, & ſic interpretor: Mitto quod nullo tuo in iure, neque tua re, neque in tua poſſeſſione. i. neque iuris tui, neque rei, neque poſſeſſionis illa praedia ſunt. nã poſſeſſione noſtra multa fiunt, iure ſcilicet vſucapionis. SINT *neiſta praedia cenſui cenſendo?*] opinor hoc dici: eiuſmodi ne ſint, vt cenſeri poſſint? vt cẽſeri cenſus dicatur, pro, fieri. fiebat autẽ, cũ bona cenſebantur. HABEANT *ius ciuile:*] quod habẽt omnia, quae cenſentur. nam ſi nõ habẽt, quo modo cenſentur? SINT, *necne ſint, mancipi*] ita tui iuris, vt ab alienari poſſint. pro Murena. SVBSIGNARI] cum probatum erat ab eo, qui profitebatur, ſiue fundum, ſiue domum, ſiue aliud quid, eſſe cenſui cenſendo habere ius ciuile, eſſe mancipi, tũ ſubſignabatur apud aerariũ, & apud cenſorẽ, ideſt in tabulas publicas referebatur. IN. QVO *tribu denique iſta praedia cenſuiſti?*] quo modo enim, quae apud ſocios praedia ſunt, ea cenſeri in nulla tribu poſſunt? COMMISISTI,] uide, quam feceris imprudenter, commiſſũ a te eſt, vt, cũ haec praedia & ĩ cenſu Romae dedicata a te ſint, & eadẽ tamẽ Apolloniae quoque, vt bona ſocrus Amyntae in cẽſu ſint, duplex tributũ ſoluere cogaris, vnũ pro cenſu Romano, alterũ pro Apollonidẽſi: tributũ enim pro bonorũ aeſtimatione cuique imponitur: bono

rum autem æſtimatio cognoſcitur e cenſu. Perſpicua ſententia: quę prorſus obſcurabitur, ſi legatur, Promiſiſti, vt eſt in quibuſdam antiquis libris, quos probare nonnulli videntur. Tempvs *aliquod grauius*] bellum eiuſmodi, vt vbique tributum imperari neceſſe eſſet. Magnvm *agri modum cenſeri,*] dignum animaduerſione loquendi genus, vt aliquis magnum agri modum cenſeri dicatur. ſic infra: Cum te audiſſet ſeruos ſuos eſſe centum. Et: Si aliena cenſendo Decianus ſua facere poſſet. Qvi *diuidi plebi Romanae non poteſt*] quo maioris copiæ ruæ videntur. diuidi autem ideo non poteſt, quia ſit in regione Apollonidenſium qui ſocij liberi ſunt, ſuiſq; legibus viuunt. id ſupra oſtenditur ijs verbis. Otiū te delectat: lites, turbæ, prætor odio eſt: Græcorum libertate gaudes. Addere non grauabor, q mihi hoc loco, ipſa Ciceronis verba examinanti, in mentem venit: quod tñ non fidenter, ſed dubia coniectura dicam: fortaſſe, ſiquis agrum, qui non eſſet cenſui cenſendo, qui ius ciu le non haberet, qui mancipi non eſſet, in cenſum retul ſſet, multā fuiſſe, vt ager plebi Romanæ diuideretur. ab ea vero multa ſe tutum eſſe Decianus intelligebat, cum is ager diuidi non poſſet. cxxx.] ſeſtertiorū cētum triginta millia: quæ nummo noſtro ſunt, ſcutatorū tria millia, nongenti: parua omnino ſumma: cū præſertim Decianus gloriolus eſſet, quod ſi, cxxx. pro centies tricies, accipiamus: præclare Deciani gloriæ ſatisfiet. erunt n. ſcutatorum trecenta nongenta mil ia. in quo Cicero iocatur, mētitum eſſe Decianum oſtendens gloriæ cauſſa. Eam tu pecuniā, inquit, numquā, vt opinor, ipſe tibi numeraſti: ideo fieri poteſt, vt maiorem ſis profeſſus, quā quanta reuera ſit. Neqve *huic vllam feciſti iniuriam,*] non enim ſuis ideo mancipijs eum priuaſti. Aliena *cenſendo*] & hic paſſiue dictum, Cenſendo.

O R A T I O

Deſunt nonulla.

Habetis cauſſam inimicitiarum, qua cauſſa inflammatus Decianus ad Laelium detulerit hanc opimam accuſationem. nam ita queſtus eſt Laelius, cum de perfidia Deciani diceret: Qui mihi auctor fuit, qui cauſſam ad me detulit, quem ego ſum ſecutus; is a Flacco corruptus eſt, is me deſeruit, ac prodidit. Siccine tu auctor tandem eum cui tu in conſilio fuiſſes, apud quem omnes gradus dignitatis tuæ retinuiſſes, pudentiſſimum hominem, nobiliſſima familia natum, optime de rep. meritum, in diſcrimen omnium fortunarum vocauiſti? ſcilicet defendam Decianum, qui tibi in ſuſpicionem nullo ſuo delicto venit. non eſt, mihi crede, corruptus. quid enim fuit, quod ab eo redimeretur? vt auceret iudicium? cui ſex horas omnino lex dedit. quantum tandem ex his horis detraheret, ſi tibi morem gerere voluiſſet? nimirum illud eſt, quod ipſe ſuſpicatur. inuidiſti ingenio ſubſcriptoris tui. quod ornabat facile locum, quem prehenderat, & acute teſtes interrogabat, aut circumueniebat, (fortaſſe feciſti, & tu & populi ſermone exciperes) iccirco Decianū vſque ad coronam applicuiſti. ſed, vt hoc veriſimile eſt. ita haud veriſimile. Decianum a Flacco eſſe corruptū. Ita ſcitote iudices, eſſe cetera: vel quod ait Lucceius, L. Flaccū ſibi dare cupiſſe, vt a fide ſe abduceret, H-S vicies. & eum tu accuſas auaritiæ, quem dicis H-S vicies voluiſſe perdere? nam quid emebat, cum te emebat? vt ad ſe tranſires? quam partem cauſſæ tibi daremus? an vt enunciares conſilia Lælij? quite teſtes ab eo prodirent? quid? nos non videbamus habiture vna? quis hoc neſcit? tabulas in Lælij poteſtate fuiſſe, non dubium eſt. An, ne vehementer, ne copioſe accuſares? nunc facis ſuſpicionem. ita enim dixiſti, vt neſcio quid ab te impetratum eſſe videatur. At enim Androni Sextilio grauis iniuria facta eſt, & non ferenda, quod cū eſſet vxor Valeria inteſtato mortua, ſic egit eam rem Flaccus, quaſi ad ipſum hereditas pertineret. in quo quid reprehendas, ſcire cupio: quod falſum intenderit? qui doces? ingenua, inquit fuit. o peritum iuris hominem. quid? ab ingenuis mulieribus hæreditates lege non veniunt? in manum, inquit, conuenerat. nunc audio: ſed quæro, vſu, an coemptione. vſu non potuit: nihil enim poteſt de tutela legitima ſine omniū tutorum auctoritate deminui. coemptione? omnibus ergo auctoribus: in quibus certe Flaccum fuiſſe non dices. Relinquitur illud, quod vociferari non deſtitit, non debuiſſe, cum praetor eſſet, ſuum negotium agere, aut mentionem facere hereditatis. Maximas audio tibi, L. Luculle, qui de L. Flacco ſententiā laturus es, pro tua eximia liberalitate, maximiſq; beneficijs in tuos, veniſſe hæreditates, cū Aſiam prouinciam conſulari imperio obtineres. ſi quis eas ſuas eſſe dixiſſet, conceſſiſſes tu. T. Vetti, ſi qua tibi in Africa venerit hæreditas, vſu omittes; an tuum, nulla auaritia, ſalua dignitate retinebis? At iſtius hereditatis iam Globulo praetore Flacci nomine petita poſſeſſio eſt. non igitur impreſſio, non occaſio, non vis, non tempus, non imperium, non ſecures ad iniuriam faciendā Flacci animum impulerunt. itaque eodem etiam M. Lurco, vir optimus, meus familiaris conueſtit aculeum teſtimonij ſui: negauit, a priuato pecuniam in prouincia praetorem petere oportere. cur tandem M. Lurco non oportet? eripere, extorquere, accipere contra leges non oportet: petere non oportere, numquam oſtendes, niſi docueris non licere. an legationes ſumere liberas exigendi cauſſa, ſicut & tu ipſe nuper, & multi viri boni ſæpe fecerunt, rectum eſt: quod ego non reprehendo, ſocios video queri: praetorem, ſi hæreditatem in prouincia non reliqueris, non ſolum reprehendendum, verum etiam condemnandum putas? Doti, inquit, Valeria pecuniam omnem ſuam dixerat. Nihil iſtorum explicari poteſt, niſi oſtenderis, illam in tutela Flacci non fuiſſe. ſi fuit: quæcumque ſine hoc auctore eſt dicta dos, nulla eſt. ſed tamen Lurconem quamquam pro ſua dignitate moderatus eſt in teſtimonio dicendo religioni ſuæ, tamen iratum Flacco eſſe vidiſtis. neque enim occultauit cauſſam iracundiae ſuae, neque reticendam putauit: queſtus eſt libertum ſuum a Flacco praetore eſſe damnatum. o condiciones miſeras ad adminiſtrandarum prouinciarum, in quibus diligentia plena ſimultatum eſt, negligentia vituperationum; vbi ſeueritas periculoſa eſt, liberalitas ingrata: ſermo inſidioſus aſſentatio perniciosa; frons omnium familiaris multorum animus iratus; iracundiae occultae, blanditiae apertae: venientes praetores exſpectant, praeſentibus inſeruiunt,

inſeruiunt, abeuntes deſerunt. ſed, omittamus querellas; ne noſtrum conſilium in praemittendis prouincijs laudare videamur. Litteras miſit de villico P. Septimij, hominis ornati; qui villicus caedem fecerat. Septimium ardentem iracundia videre potuiſtis. In Lurconis libertũ iudicium ex edicto dedit. hoſtis eſt Lurco. quid igitur? hominum gratioſorum, ſplendidorumque libertis fuit Aſia tradenda? an ſimultates neſcio quas cum libertis veſtris Flaccus exercuit? an vobis in veſtris veſtrorumq. cauſſis ſeueritas odio eſt, eandẽ laudatis cum de uobis iudicatis? At iſte Andro, ſpoliatus bonis, vt dicitis, ad dicẽdum teſtimonium non venit. quid, ſi veniat? deciſionis arbiter C. Caecilius fuit, quo ſplendore vir, qua fide, qua religione? obſignator C. Sextilius, Lurconis ſororis filius, homo & pudens, & conſtans, & grauis. ſi vis erat, ſi fraus, ſi metus, ſi circumſcriptio, quis pactionem fieri, quis adeſſe iſtos coegit? quid, ſi iſta omnis pecunia huic adoleſcentulo L. Flacco reddita eſt? ſi petita? ſi redacta? ſi per hunc Antiochum, paternum huius adoleſcentis libertum, ſeni illi Flacco probatiſſimum? videmur ne non ſolum auaritiae crimen effugere, ſed etiam liberalitatis laudem aſſequi ſingularem? communem enim hæreditatem, quae aequaliter ad vtrunque lege veniſſet, conceſſit adoleſcenti propinquo ſuo, nihil ipſe attigit de Valerianis bonis: quod ſtatuerat facere, adductus huius pudore, & non ampliſſimis patrimonij copijs, id non ſolum fecit, ſed etiam prolixe, cumulateque fecit. ex quo intelligi debet, eum contra leges pecunias non cepiſſe, qui tam fuerit in hæreditate concedenda liberalis.

E X P L A N A T I O

SCILICET *defendam Decianum*;] Sed, magis quam, ſcilicet, alijs placet. mihi plus feſtiuitatis habere ſentẽtia videtur cum Scilicet. eſt enim quædam ironia, ſcilicet defendã Decianũ; pergitq. cum eodem ioco: Non eſt, mihi crede, corruptus. QVOD *ab eo redimeretur*?] quod ab eo Flaccus emeret SEX *nouas*] tres accuſatori, totidem defenſori, in cauſſa repetundarum. INVIDISTI] propter ea fidem illius in dubium vocaſti. CIRCVMVENIEBAT] de hac laude ſupra his verbis. Bene teſtes interrogauit: callide acceſſit: reprehendit: quo voluit, adduxit: conuicit, & elinguem reddidit. FECISTI *& in & populi ſermone excideres*] nulla fere mutatione turpis ex hoc loco eluitur macula. nam ſi legatur, feciſſet vt ex populi ſermone excideres: vitij nihil ſuperſit. Si locum, inquit, illi tamquam ſubſcriptori tuo eiuſdem agendae cauſſae dediſſes, fortaſſe tuam laudem obſcuraſſet; feciſſet, vt de ipſo potius, quam de te, populus loqueretur. VSQVE *ad coronam applicuiſti.*] adduxiſti eum in conſpectum populi, nihil amplius: nullas enim ei dicendi partes, de illius perfidia queſtus reliquiſti. VT. *A fide ſe abduceret.*] & haec & quae ſequuntur verba, vnum de ſubſcriptoribus Laelij Lucceium fuiſſe, planiſſime demonſtrant. SESTERTIVM *vicies.*] ſexaginta ſcutatorom millia. ET. EVM *tu accuſas auaritiæ*,] cum Lucceio hic agit, non cum Laelio. QVI *teſtes ab eo prodirent*?] ſubaudi, indicares. HABITARE *vna*?] ſupra Laelij contubernales appellauit. TABVLAS *in poteſtate Laelij fuiſſe*,] tabulas publicas. quod non licebat. nam ſupra, Qui de tabulis, inquit, publicis recitat, ijs, quae accuſatoris poteſtate fuerunt, non debet habere auctoritatem. NVNC *facis ſuſpicionem*] te a Flacco eſſe corruptum. ITA *enim dixiſti*,] ita frigide, ita ieiune Flaccum accuſaſti vt corruptus ab eo videri poſſis. NESCIO *quid*] hoc ipſum, ne vehementer, ne copioſe accuſarer. Infantiam Lucceij, non Flacci corruptionem, quae nulla fuerit, frigidae, ieiunaeque accuſationis cauſſam fuiſſe oſtendit. AD *ipſum*] quod Valeriae propinquus eſſet, & illa inteſtato eſſet mortua. infra: communem hæreditatem, quae aequaliter ad vtrumquẽ lege veniſſet, conceſſit adoleſcenti, propinquo ſuo. QVOD *falſum intenderit*;] quod actione falſa hæreditatem illam petiuerit. INGENVA, *inquit, fuit*,] ſignificare volebat accuſator, a libertinis mulieribus, inteſtato mortuis, non ab ingenuis, ad eandem gentem hæreditates venire. IN *manum, inquit conuenerat.*] docto viro, & in primis ingenioſo, legenti, In matrimonium, vt aſſentiar, a me non impetro Cum enim in manum viri mulier conuenerat, eius bona dotis nomine viro ſubiecta erant. auctor Cicero in Topicis In matrimonium autem conuenire, eſt, ſimpliciter matrimonium cõtrahere. VSV] annua poſſeſſione. Vlpianus Inſt. XXI. AN *coemptione*] hic locus, & alter pro Murena, quid ſit coemptio, videtur oſtendere. eſt autem actio quaedam, qua mulier in alienam poteſtatem, atque adeo in aliena ſacra ſuis interemptis auctoribus omnibus tutoribus, cum tota re domeſtica tranſit. FLACCVM *fuiſſe non dices.*] qui eſſe debuit, cum tutor eſſet. quod ſi non fuit, coemptio fieri non potuit. ergo nec vſu, nec coemptione Valeria in manum conuenit. potuit igitur hæreditatem illam, vt ſibi iure debitam, Flaccus prætor petere VSV *amittes.*] vſu res & acquiruntur, & amittũtur eſt igitur, Vſu amittes, non adibis illam hæreditatem, ſed, vt alius eam vſucapiat, permittes. IMPRESSIO,] impetus. OCCASIO,] inter impreſſionem, & vim occaſionem nominari non placet, ſed coniungi malim cum eo, quod ſequitur, Non tempus, hoc ordine: Non impreſſio, non vis, non occaſio, non tempus LEGATIONES *liberas*] quae ſenatoribus dabantur, SOCIOS *video quaeri*:] quia cũ ſenatoribus non aequo iure litigarent. lib. II t. de leg. Omitto, quemadmodum iſti ſe gerant, atque geſſerint, qui legatione hæreditates aut ſyngraphas ſuas perſequuntur: SI. HEREDITATEM *in prouincia creuerit*,] cernere hæreditatem, pro, adire, capere, vſitatum eſt. MODERATVS *eſt religioni ſuae*.] quia iuratus teſtimonium dicebat, rationem aliquam ſuae religionis habuit. SERMO *inſidioſus*,] ſuperiora de praetoribus dixit, hac de prouincialibus: quorum ſermo inſidias tendit, aſſentatio ad perniciem ſpectat. IN *praetermittendis prouincijs*] de ſe ipſo dicit, qui poſt conſulatum ire in prouinciam noluit: cum poſtea conſilium mutauerit, & in Ciliciam iuerit. LITTERAS *miſit*] Flaccus Aſiæ

praetor,

praetor, vt Septimij villicus, qui eadẽ fecerat, cõprehenderetur. ARDENTEM *iracundia*] in teſtimonio dicendo. ſupra: Quã promptus homo P. Septimius quã iratus de iudicio, & de villico? LVRCONIS *libertum*] ſupra: Iratus Flacco dixit M. Lurco, quod, vt ipſe aiebat, libertus erat eius turpi iudicio condemnatus. Ex *edicto*] aliter facere non potuit, ſi ſuum edictum ſeruare voluit. FLACCVS *exercuit*?] an credat aliquis, ideo veſtros libertos Flacco dãnatos eſſe, quia ſimultates cum ijs exerceret? ISTE *Andro*] Valeriae vir. DECISIONIS *arbiter*] inter Andronem, & Flaccum, vt decideret, & ſtatueret. OBSIGNATOR] Valerianae pecuniae. Hoc ideo dicit, ne quid Flaccus de Valerianis bonis attigiſſe putaretur. PACTIONEM *fieri*,] pactionem Flaccus & Andro fecerunt, vt arbiter C. Caecilius decideret. SENI *illi Flacco*] L. Flacci adoleſcentis patris. EVM *contra leges pecunias non cepiſſe*,] quo crimine cauſſam dicebat.

ORATIO

AT Falcidianum crimen ingens. talenta quinquaginta ſe Flacco dicit dediſſe. Audiamus hominem: non adeſt. quo modo igitur dicit? epiſtolam mater eius profert, & alteram ſoror. ſcriptam ad ſe dicunt eſſe ab illo, tantam pecuniam Flacco datam. ergo is, qui ſi aram teneas iuraret, crederet nemo; per epiſtolam, quod volet, iniuratus probabit? at qui vir? quam non amicus ſuis ciuibus? qui patrimonium ſatis lautum, quod hic nobiſcum conficere potuit, Graecorum conuiuijs maluit diſſipare. quid attinuit relinquere hanc vrbem? libertate tã praeclara carere? adire periculum nauigandi quaſi bona comeſſe Romae non liceret. nunc denique materculae ſuae feſtiuus filius, aniculae minime ſuſpicioſae, purgat ſe per epiſtolam, vt eam pecuniam, quam confecerat, non conſumpſiſſe, ſed Flacco dediſſe videatur. at fructus iſti Trallianorum Globulo praetore venierant: Falcidius emerat H.S DCCCC. ſi dat tantam pecuniam Flacco; nempe idcirco dat, vt rata ſit emptio: emit igitur aliquid, quod certe multo pluris eſſet: dat de lucro, nihil detrahit de viuo: minus igitur lucri facit. cur Albanum venire iubes? cur matri praeterea blanditur? cur epiſtolis & ſororis, & matris imbecillitatem aucupatur? poſtremo cur non audimus ipſum? retinetur, credo, in prouincia. mater negat. veniſſet, inquit, ſi eſſet denunciatum. tu certe coegiſſes, ſi vllum firmamentum in illo teſte poſuiſſes. ſed hominem ab negotio abducere noluiſti. magnum erat ei certamen propoſitum, magna cum Graecis contentio: qui tamen, vt opinor, iacent victi: nam iſte vnus totam Aſiam magnitudine poculorum, bibendoq. ſuperauit. ſed tamen quis tibi Laeli, de epiſtolis iſtis indicauit? mulieres negant ſe ſcire. quis? is ipſe? igitur ille tibi, ſe ad matrem, & ſororem ſcripſiſſe, narrauit? an etiam ſcripſit hortatu tuo? at vero M. Aebutium, conſtantiſſimum, & pudentiſſimum hominem, Falcidij affinem, nihil interrogas? nihil eius generum, pari fide praeditum, C. Manlium? qui profecto de tanta pecunia, ſi eſſet data, nihil audiſſe non poſſent. his tu igitur epiſtolis, Deciane, recitatis, his mulierculis productis, illo abſente auctore laudato, tantum te crimen probaturum putaſti? praeſertim cum ipſe, non deducendo Falcidium, iudicium feceris, plus falſam epiſtolam habituram ponderis, quam ipſius praeſentis fictam vocem, & ſimulatum dolorem. Sed, quid ego de epiſtolis Falcidij, aut de Andronis Sextilij, aut de Deciani cenſu tamdiu diſputo, poſtulo, de ſalute omnium noſtrum, de fortunis ciuitatis, de ſumma reip. taceo? quam vos vniuerſam in hoc iudicio veſtris humeris, veſtris, inquam, humeris, iudices, ſuſtinetis. videtis, in quo motu temporum, quanta in conuerſione rerum, ac perturbatione verſemur. cum alia multa certi homines, tum hoc vel maxime moliuntur, vt veſtrae quoque mentes, veſtra iudicia, veſtrae ſententiae optimo cuique infeſtiſſimae, atque inimiciſſimae reperiantur. grauia iudicia pro reip. dignitate, multa de coniuratorum ſcelere feciſtis. non putant ſatis conuerſam remp. niſi in eandem impiorum poenam optime meritos ciues detruſerint. oppreſſus eſt C. Antonius. eſto: habuit quandam ille infamiam ſuam: neque tamen ille ipſe pro meo iure dico, vobis iudicibus damnatus eſſet; cuius damnationis ſepulcrũ L. Catilinae floribus ornatum hominum audaciſſimorum, ac domeſticorum hoſtium conuentu epulisq. celebratum eſt. iuſta Catilinae facta ſunt. nunc a Flacco Lentuli poenae per vos expetuntur. quam poteſtis P. Lentulo, qui vos, in complexu liberorum coniugumq. veſtrarum trucidatos, incendio patriae ſepelire conatus eſt, mactare victimam gratiorem, quã ſi L. Flacci ſanguine illius nefarium in omnes nos odium ſaturaueritis? litemus igitur Lentulo; parentemus Cethego; reuocemus eiectos; nimiae pietatis, & ſummi amoris in patriam viciſſim nos poenas, ſi ita dijs placet, ſufferamus. nos iam ab indicibus nominamur; in nos crimina finguntur: nobis pericula comparantur. quae ſi per alios agerent; ſi denique per populi nomen ciuium imperitorum multitudinem concitaſſent: aequiore animo ferre poſſemus: illud vero ferri non poteſt, quod per ſenatores, & per equites R. qui haec omnia pro ſalute omnium communi conſilio, vna mente, atque virtute geſſerunt, harum rerum auctores duces, principes ſpoliari omnibus fortunis, ac de ciuitate expelli poſſe arbitrantur. etenim populi R. perſpiciunt mentem, & voluntatem: omnibus rebus, quibus poteſt, populus R. ſignificat, quid ſentiat: nulla varietas eſt inter homines opinionis, nulla voluntatis, nulla ſermonis. quare, ſi quis illuc me vocat, venio: populum R. diſceptatorem non modo non recuſo, ſed etiam depoſco. vis abſit; ferrum, ac lapides remoueantur; operae faceſſant; ſeruitia ſileant: nemo erit tam iniuſtus, qui me audierit, ſit modo liber, & ciuis, quin potius de praemijs meis, quam de poena, cogitandum putet. O dij immortales. quid hoc miſerius? nos, qui P. Lentulo ferrum & flammam de manibus extorſimus, imperitae multitudinis iudicio confidimus, lectiſſimorum ciuium, & ampliſſimorum ſententias pertimeſcimus. M. Aquilium patres noſtri, multis auaritiae criminibus, teſtimonijsq. conuictum, quia cum fugitiuis fortiter bellum geſſerat, iudicio liberauerunt. conſul ego nuper defendi C. Piſonem: qui quia conſul fortis, con-

ſtansq.

ſtansq. fuerat incolumis eſt reip. conſeruatus. defendi item conſul L. Murenam conſulem deſignatum: nemo illorum iudicum, clariſſimis viris accuſantibus, audiendum ſibi de ambitu putauit; cum, bellum iam gerente Catilina, omnes me auctore duos conſules Kalendis Ian. ſcirent eſſe oportere. innocens, & bonus vir, & omnibus rebus ornatus, bis hoc anno, me defendente, abſolutus eſt A. Thermus. quanta reip. cauſſa laetitia populi R. quanta gratulatio conſecuta eſt? ſemper graues, & ſapientes iudices in rebus iudicandis, quid vtilitas ciuitatis, quid communis ſalus, quid reip. tempora poſcerēt, cogitauerunt. cum tabella vobis dabitur, iudices, non de Flacco dabitur ſolum, dabitur de ducibus auctoribusq. conſeruandae ciuitatis. dabitur de bonis omnibus, dabitur de vobiſmet ipſis, dabitur de liberis veſtris, de vita, de patria, de ſalute communi. non iudicatis in hac cauſſa de exteris nationibus non de ſocijs: de vobis, ac de veſtra rep. iudicatis. quod ſi prouinciarum vos ratio magis mouet, quam veſtra: ego vero non modo non recuſo, ſed etiam poſtulo, vt prouinciarum auctoritate moueamini. etenim opponemus Aſiae prouinciae primum magnam partem eiuſdem prouinciae, quae pro huius periculis legatos, laudatoresq. miſit; deinde prouinciam Galliam, prouinciam Ciliciam, prouinciā Hiſpaniam, prouinciā Cretam. Graecis autem Lydis, & Phrygibus, & Myſis, obſiſtent Maſſilienſes, Rhodij, Lacedaemonij, Athenienſes, cuncta Achaia, Theſſalia, Boeotia. Septimio, & Coelio teſtibus P. Seruilius, & Q. Metellus, huius pudoris, integritatisq. teſtes, repugnabunt. Aſiaticae iuriſdictioni vrbana iuriſdictio reſpondebit. annui temporis criminationem omnis aetas L. Flacci, & perpetua vita defendet. &, ſi prodeſſe L. Flacco, iudices, debet quod ſe tribunum militem, quod quaeſtorem, quod legatum imperatoribus clariſſimis, exercitibus ornatiſſimis, prouinciis grauiſſimis dignum ſui maioribus praeſtitit: proſit, quod hic, vobis videntibus, in periculis communibus omnium veſtrum ſua pericula cum meis coniunxit: proſint honeſtiſſimorum municipiorum, coloniarumq. laudationes: proſit etiam ſenatus, populiq. R. praeclara & vera laudatio.

E X P L A N A T I O

TALENTA *quinquaginta.*] ſcutatorum triginta ſex millia, ideſt ſeſtertium nōgenta millia, vt infra. H.S DCCCC.] talenta quinquaginta ſupra nominata. QVOD *certe multo plus is eſſet.*] alioqui lucri nihil faceret. MINVS *igitur lucri facit.*] ſed lucratur tamen. quod ſi lucratur, cur Albanū fundū vendi iubet? nō igitur pecuniam illam Flacco dedit, ſed ipſe cōfecit. AB *negotio*] iocatur. nullū enim erat Falcidio in Graecia negotiū, niſi vt pergraecaretur, ideſt cū Graecis ipſis, graeco more bibēdo, cōrēderet. AVCTORE] cui tu credi uelis. LAVDATO,] cū ironia: pro nequiſſimo homine, qui patrimoniū ſatis lautū pergraecando confecerit. POSTVLO,] tam deprauatū nihil eſt, vnde homines imperiti ſenſū aliquem non percipiant. recta autem intelligendi conſuetudo, quod venuſtum, purumq. non ſit, quod cum ratione, cum Latini ſermonis dignitate, cum tota verborum compoſitione non congruat, nihil probat. mihi ſuperuacuum omnino videtur, Poſtulo: delere tamen, cū in eo libri omnes antiqui conſentiant, non audeo. IN. QVO *motu temporum;*] nutare iam coeperat ſtatus reip. Caeſare, & Bibulo cos. quae malorum denique omnium, publicaeq. ſeruitutis cauſſa & origo fuit. OPPRESSVS *eſt*] damnatus de maieſtate. accuſante M. Coelio. ſupra. INFAMIAM] quaſi cum Catilina conſenſiſſet. culpam nō dixit, vt eum crimine liberaret. itaque ſubiungit: Neque tamen ille ipſe vobis iudicibus damnatus eſſet. PRO *meo iure dico,*] meo quoddam iure hoc mihi videor affirmare poſſe, iuſtitia fretus & ſapientia veſtra ſingulari. SEPVLCRVM *L. Catilinae*] pro tempore ab impijs extructum, occaſione damnationis Antonij nam Catilinae ſepulcrum in patria non fuit, cum hoſtis a rep. iudicatus, procul ab vrbe in Etruria pugnans occubuiſſet. A FLACCO. *Lentuli poenae expetuntur.*] vt Catilinam Antonius interemit, ſic Lentulum, virum conſularem, & tum praeturam gerentem, coniuratorum, qui poſt Catilinae diſceſſum in vrbe remanſerant, principem, Flaccus in vrbe oppreſſit. CETHEGO] C. Cornelio Cethego, qui cum Lentulo in carcere necatus. SI. POPVLI *Romani perſpiciunt mentem*] rectius, quam proſpiciunt: quod alijs placuit, vtriuſque verbi vi parum animaduerſa. nam, proſpicere, de futuris rebus, perſpicere, de praeſentibus vſurpatur. hic autem de praeſentire ſermonem eſſe, quis non intelligit ex ijs verbis? Omnibus rebus; quibus poteſt, populus Romanus ſignificat, quid ſentiat. M. AQVILIVM] de quo lib v. in Verrem, & alibi. CLARISSIMIS *viris*] Ser. Sulpicio, M. Catone. ME *auctore*] monente, & hortante. DVOS *conſules*] qui non fuiſſent, ſi Murena condemnatus eſſet. PROVINCIAM *Galliam,*] de qua ſupra: Neque vero te Maſſilia praetereo, quae L. Flaccum militem praetoremq. cognoſti. CILICIAM,] in qua fuit tribunus mil. HISPANIAM,] in qua quaeſtor. CRETAM.] in qua legatus. P. SERVILIVS *& Q. Metellus*] Seruilius Iſauricus, Metellus Creticus.

O R A T I O

O. NOX *illa, quae paene aeternas huic vrbi tenebras attuliſti, cum Galli ad bellum, Catilina ad vrbem, coniurati ad ferrum, & flammam vocabantur; cum ego te, Flacce, caelum, noctemq. conteſtans, flens flentem obteſtabar; tum tuae fidei optimae & ſpectatiſſimae ſalutem vrbis & ciuium commendabam. tu, tu, Flacce, praetor communis exitii nuncios cepiſti: tu incluſam in litteris reip. peſtem deprehendiſti: tu periculorum*

lorum indicia, tu ſalutis auxilia ad me, & ad ſenatum attuliſti. quae tibi tum gratiae ſunt a me actae? quae ab ſenatu? quae a bonis omnibus? quis tibi, quis C. Pontinio, fortiſſimo viro, quemquam bonum putaret vnquam non ſalutem, verum honorem vllum denegaturum? O nonae illae Decembres, quae me conſule fuiſtis: quem ego diem vere natalem huius vrbis, aut certe ſalutarem appellare poſſum. o nox illa, quam iſte eſt dies conſecutus, fauſta huic vrbi; miſerum me, metuo ne funeſta nobis. qui tum animus L. Flacci? (nihil dicam de me) qui amor in patriam? quae virtus? quae grauitas extitit? ſed, quid ea commemoro, quae tum, cum agebantur, vno conſenſu omnium, vna voce populi R. vno orbis terrae teſtimonio in caelum laudibus efferebantur? nunc vereor, ne non modo non proſint, verumetiam aliquid obſint. & enim multo acriorem improborum interdum memoriam eſſe ſentio, quam bonorum. ego te, ſi quid grauius acciderit, ego te, inquam, Flacce prodidero. mea dextra illa, mea fides, mea promiſſa, cum te, ſi remp. conſeruaremus, omnium bonorum praeſidio, quoad viueres, non modo munitum, ſed etiam ornatum fore pollicebar. putaui. ſperaui, etiam ſi honos noſter vobis vilior fuiſſet, ſalutem certe carum futuram. At L. Flaccum quidem, iudices, ſi, quod dij immortales omen auertant, grauis iniuria affixerit, numquam tamen proſpexiſſe veſtrae ſaluti, conſuluiſſe vobis, liberis, coniugibus, fortunis veſtris paenitebit: ſemper ita ſentiet, talē ſe animum & generis dignitati, & pietati ſuae, & patriae debuiſſe: vos ne paeniteat tali ciui non pepercıſſe, per deos immortales, iudices, prouidete. quotus enim quiſque eſt, qui hanc in rep. ſectam ſequatur? qui vobis, qui veſtri ſimilibus placere cupiat? qui optimi, atque ampliſſimi cuiuſque hominis, atque ordinis auctoritatē magni putet? tū illam viam ſibi videant expeditiorem ad honores & ad omnia, quae concupiuerunt. ſed cetera ſint eorum: ſibi habeant potentiam, ſibi honores, ſibi ceterorum commodorum ſummas facultates: liceat iis, qui haec ſalua eſſe voluerunt, ipſi eſſe ſaluis. nolite, iudices, exiſtimare eos, quibus integrum eſt, qui nondum ad honores acceſſerunt, non exſpectare huius exitum iudicij. ſi L. Flacco tantus amor in bonos omnes, tantum in rep. ſtudium calamitati fuerit, quem poſthac tam amentem fore putatis, qui non illam viam vitae, quam ante praecipitem, & lubricam eſſe ducebat, huic planae, & ſtabili praepōnendam eſſe arbitretur? quod ſi talium ciuium vos, iudices, taedet, oſtendite: mutabunt ſententiam, qui potuerint: conſtituent, quid agant, quibus integrum eſt: nos, qui iam progreſſi ſumus, hunc exitum noſtrae temeritatis feremus. ſin hoc animo quamplurimos eſſe vultis; declarabitis hoc iudicio, quid ſentiatis. huic, huic miſero puero, veſtro ac liberorum veſtrorum ſupplici, iudices, hoc iudicio viuendi praecepta dabitis. cui ſi patrem conſeruatis; qualis ipſe debeat eſſe ciuis, praeſcribetis: ſin eripitis, oſtendetis bonae rationi, & conſtanti, & graui nullum a vobis fructum eſſe propoſitum: qui vos, quoniam eſt id aetatis, vt ſenſū iam percipere poſſit ex maerore patrio, auxilium nōdum patri ferre poſſit, orat, ne ſuum luctum patris lacrumis, patris maerorem ſuo fletu augeatis: qui etiam me intuetur, me vultu appellat, meam quodam modo flens fidem implorat, ac repetit eam, quam ego patri ſuo quondam pro ſalute patriae ſpoponderim, dignitatem. miſeremini familiae, iudices. miſeremini fortiſſimi patris. miſeremini filij: nomen clariſſimum, & fortiſſimum, vel generis, vel vetuſtatis, vel hominis cauſſa, reip. reſeruate.

EXPLANATIO

O. Nox *illa*,] qua Flaccus & Pontinius praetores in tranſitu pontis Muluij legatos Allobrogū, cum litteris mandatiſq. ad ſuos ciues, & eodem itinere ad Catilinā miſſos, comprehenderunt. orat. 3. in Catil. & Salluſtius. VOBIS *vilior fuiſſet*] ſi de honore noſtro parum laboraſſetis. O. NONAE *illae Decembres*] quo die expoſitis in ſenatu, atque editis coniurationis indicijs, conſule Cicerone, quid fieri placeret, conſulente, ſenatus cenſuit, vt P. Lentulus, cum ſe praetura abdicaſſet, itemq. alij octo qui cum eo coniurauerant, in cuſtodiam traderentur. O. NOX *illa*] qua Flaccus legatos Allobrogum cum litteris comprehendit. ILLAM *viam*] ciuium improborum, diuerſam ab ea, quam ſecutus eſt Flaccus. PRAECIPITEM, *& Lubricam*] eiuſmodi, vt ea perueniri ad honores non poſſet. HVIC *planae, & ſtabili*] quae bonos antea viros recto itinere ad honores duxit. NOMEN *clariſſimum & fortiſſimum*,] Nomen, hic locum non habet: nec apte, & proprie, nomen fortiſſimum, dici, recte intelligens quiſpiam putauerit. quod ſi, ciuem, reponatur, congruent omnia.

IN. ORATIONEM. CICERONIS
PRO. P. CORNELIO. SVLLA
PAVLLI. MANVTII
COMMENTARIVS

P. CORNELIVS *Sulla, L. Sullae dictatoris propinquus conſul deſignatus cum P. Autronio Paeto, damnatus erat cum collega de ambitu, & in eorum locum accuſatores L. Cotta, et L. Torquatus legis beneficio ſucceſſerant. Eundem Sullam accuſauit aliquanto poſt de coniuratione L. Torquatus filius. defendit Hortenſius primum, deinde Cicero. abſolutum eſſe, ſatis ex eo conſtat, quia Gabinium accuſauit. qua de re ſic ep 3. lib.* III. *ad Q. fr. Gabiniũ de ambitu reum fecit P. Sulla, ſubſcribente priuigno Memmio, fratre Caecilio, Sulla filio. Hic eſt P. Sulla, a quo reo, ſeſtertium vicies empturus Cicero Palatinam domum, mutuo accepit: vt ait Gellius lib.* XII. *c. 12. De eodem lib. 2. Off. Nec vero umquam bellorũ ciuilium ſemen et cauſſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentã et meminerint, & ſperabunt, quã P. Sulla cum vibraſſet, dictatore propinquo ſuo, idem ſexto & triceſimo anno poſt a ſceleratiore haſta eadem non receſsit. Mortẽ eius ep. 10 lib.* IX. *Cicero Dolabellae ſignificat his verbis: Te tamen hoc ſcire volo, vehementer populum ſollicitum fuiſſe de P. Sullae morte antequam certum ſcierit. nunc quaerere deſierunt, quomodo perierit. ſatis putant ſe ſcire, quod ſciunt. ego cetero qui animo aequo fero: vnum vereor, ne haſta Caeſaris refrixerit. Et in ep. ad Caſsium, lib.* XV. *Nos hic P. Sullã patrem mortuũ habebamus. alij, a latronibus, alij, cruditate dicebãt. populus non curabat combuſtum enim eſſe conſtabat. hoc tu pro ſapientia tua feres aequo animo. quamquã* [illegible] *amiſimus. Caeſarẽ p tabãt moleſte laturum, verentem ne haſta refrixiſſet. Habita videtur oratio anno proximo poſt Ciceronem conſulem. quod illa verba ſignificãt orationis extremae: Seueritatẽ iudiciorum, quae per hos mẽſes in homines au-*

dacißimos facta eſt, lenitate, ac miſericordia mitigate. nam a coniuratorum nece, ideſt a menſe vltimo conſulatus Ciceronis, longius diſtare accuſationem ceterorum, veriſimile non eſt. Suffragari videntur huic opinioni illa quoque verba, a Cicerone in accuſatorem Sullæ Torquatum coniecta. Nihil eſt tam alienum ab eo, qui alterum coniurationis accuſet, quam videri coniuratorum poenam, mortemq. lugere. quod cum is tribunus pl. facit, qui vnus videtur ex illis ad lugendos coniuratos relictus: nec mirum eſt: te, ſi quid eiuſmodi facis, vehementer miror. Quibus verbis, paullo ante, coniuratos periiſſe, cognoſcitur.

M. TVLLII CICERONIS

PRO P. CORNELIO SVLLA

ORATIO XXV.

MAxime vellem, iudices, vt P. Sulla & antea dignitatis ſuæ ſplendorem obtinere, & poſt calamitatem acceptam modeſtia fructum aliquem potuiſſet percipere. ſed, quoniam ita tulit caſus infeſtus, vt ampliſſimo in honore cum communi ambitionis inuidia, tum ſingulari Autronij odio euerteretur; & in his priſtinae fortunae reliquijs miſeris, & afflictis, tamen haberet quoſdam, quorum animos ne ſupplicio quidem ſuo ſatiare poſſet: quamquam ex huius incommodis magnam animo moleſtiam capio, tamen, in ceteris malis, facile patior oblatum mihi tẽpus, in quo boni viri lenitatem meam, miſericordiamque, notam omnibus quondam, nunc quaſi intermiſſam agnoſcerent; improbi, ac perditi ciues, edomiti, atque victi, præcipitante rep. vehementem me fuiſſe, atque fortem, conſeruata ciuitate, miſericordem faterentur. &, quoniam L. Torquatus, meus familiaris, ac neceſſarius, iudices, exiſtimauit, ſi noſtram in accuſatione ſua neceſſitatem familiaritatemque violaſſet, aliquid ſe de auctoritate meae defenſionis poſſe detrahere: cum huius periculi propulſatione coniungam defenſionem officij mei. quo quidem genere non vterer orationis, iudices, hoc tempore, ſi mea ſolum intereßet: multis enim mihi locis & data facultas eſt, & ſaepe dabitur de mea laude dicendi. ſed, vt ille, iudices, quantum de mea auctoritate diripuiſſet, tantum ſe de huius praeſidijs deminuturum ſperauit: ſic hoc ego ſentio, ſi mei facti rationem vobis, conſtantiamque huius officij, ac defenſionis probauero, cauſſam quoque me P. Sullae probaturum.

EXPLANATIO

DIGNITATIS *ſuae ſplendorem obtinere,*] vt conſul deſignatus erat, ita conſulatum adminiſtrare. quod cũ ei non licuerit, amiſſo conſulatu: ſplendorem ſimul amiſit ſuæ dignitatis. POST *calamitatem acceptam*] poſt damnationem. MODESTIAE *fruct. in aliquem potuiſſet percipere.*] vt, quia calamitatem modeſte tulit, propterea fructum aliquem ſuae modeſtiæ ferret: quem autem fructum? vt nouam ei calamitatem creare nemo vellet. AMPLISSIMO *in honore*] in conſulatu. COMMVNI *ambitionis inuidia*] non propria culpa, ſed communi eorum odio, qui malis artibus, ambitu praeſertim, honores adipiſcuntur. AVTRONII] P. Autronij Paeti: cui propter improbitatem, & nequitiam infenſi omnes erant; & quia ſimul deſignati erant conſules, Autronij culpae affinis eſſe Sulla exiſtimatus eſt. QVOSDAM,] Torquatum filium ſignificat; quo accuſante, de ambitu damnatus conſulatum amiſerat. NE SVPPLICIO *quidem ſuo*] ne poena quidem conſulatus amiſſi. NVNC *quaſi intermiſſam*, quia ſeuere contra Catilinam, eiusq. ſocios decreuit. NECESSITATEM,] neceſſitudinem.

ORATIO

AC primum abs te illud, L. Torquate, quaero, cur me a ceteris clariſſimis viris, ac principibus ciuitatis in hoc officio, atque in hoc defenſionis iure ſecernas. quid enim eſt, quamobrem abs te Q. Hortenſij factum, clarißimi viri, atque ornatiſſimi ciuis, non reprehendatur, reprehendatur meum? nam, ſi initum eſt conſilium a P. Sulla inflammandae ciuitatis, huius extinguendi imperij, delendae vrbis; mihi maiorem haec res dolorem, quam Q. Hortenſio, mihi maius odium afferre debet? meum denique grauius eſſe iudicium, qui adiuuandus in his cauſſis, qui oppugnandus, qui defendendus, qui deſerendus eſſe videatur? ita, inquit: tu enim inueſtigaſti, tu pateſeciſti coniurationem. quod cum dicit, non attendit, eum qui pateſecerit, hoc curaſſe, vt id omnes viderent, quod antea fuiſſet occultum. quare, iſta coniuratio ſi pateſacta per me eſt, tam patet Hortenſio, quam mihi. quem cum videas, honore hoc, auctoritate, virtute, conſilio praeditum, non dubitaſſe, quin innocentem P. Sullam defenderet; quaero, cur, qui aditus ad cauſſam Hortenſio patuerit, mihi interclusus eſſe debuerit. Quaero illud etiam, ſi me, qui defendo, reprehendendum putas eſſe; quid tandem exiſtimes de his ſummis viris, & clariſſimis ciuibus, quorum ſtudio & dignitate celebrari hoc iudicium, & ornari, cauſſam defendi huius innocentis vides. non enim vna eſt ratio defenſionis ea, quae poſita eſt in oratione: omnes, qui adſunt, qui laborant, qui ſaluum volunt, pro ſua parte, atque auctoritate defendunt. an vero, in quibus ſubſelliis, haec ornamenta, ac lumina reip. viderem, in his me apparere nollem, quorum ego opera illum in locum, atque in hanc celſiſſimam ſedem dignitatis atq. honoris, multis meis ac magnis laboribus, & periculis adſcendißem? Atque, vt intelligas, Torquate quem accuſes; ſi te id offendit, quod ego, qui hoc genere quaeſtionis defenderim neminem, nõ deſim P. Sullae; recordare de ceteris, quos adeſſe huic vides: intelliges, & de hoc, & de ceteris iudicium meum

& bonum par, atque vnum fuiſſe. quis noſtrum adfuit Varguntcio? nemo: ne his quidem Q. Hortenſius, praeſertim qui illum ſolus antea de ambitu defendiſſet: non enim iam ſe vllo officio cum illo coniunctũ arbitrabatur, cum ille, tanto ſcelere commiſſo, omnium officiorum ſocietatem diremiſſet. Quis noſtrum Ser. Sullam, quis P. Lentulum, quis M. Laecam, quis C. Cornelium defendendum putauit? quis his horum adfuit? nemo. quid ita? quia ceteris in cauſſis etiam nocentes, viri boni, ſi neceſſarij ſunt, non defendendos eſſe non putant: in hoc crimine non ſolum leuitatis eſt culpa, verum etiam quaedam contagio ſceleris, ſi defendas eum, quem obſtrictum eſſe patriae ſuſpicere. Quid? Autronio non ne ſodales, non collegae ſui, non veteres amici, quorum ille copia quondam abundarat, non hi omnes, qui ſunt in rep. principes, defuerunt? immo etiam teſtimonio plerique laeſerunt. ſtatuerant tantum illud eſſe maleficium, quod non modo non occultari per ſe, ſed etiam aperiri, illuſtrarique deberet. Quamobrem quid eſt, quod mirere, ſi eum iiſdẽ me in hac cauſſa vides adeſſe, cum quibus in ceteris intelligis abfuiſſe? niſi vero me vnum vis ferum praeter ceteros, me aſperum, me inhumanũ exiſtimari, me ſingulari immanitate, & crudelitate praeditum. hanc mihi tu ſi propter res meas geſtas imponis in omni vita mea perſonam, Torquate; vehementer erras. me natura miſericordem, patria ſeuerum, crudelem nec patria, nec natura eſſe voluit. denique iſtam ipſam perſonam vehementem, & acrem, quam mihi tum tempus, & reſp. impoſuit, iam voluntas, & natura ipſa detraxit. illa enim ad breue tempus ſeueritatem poſtulauit, haec in omni vita miſericordiã, lenitatemq. deſiderat. quare nihil eſt, quod ex tanto comitatu virorum ampliſſimorum me vnum abſtrahas. ſimplex officium, atque vna eſt omnium bonorum cauſſa. nihil erit, quod admirere poſt hac, ſi in ea parte, in qua hos animaduerteris, me videbis. nulla eſt enim in rep. cauſſa mea propria: tempus agendi fuit magis mihi proprium, quam ceteris; doloris vero, & timoris, & periculi fuit illa cauſſa communis. neque enim princeps tunc ad ſalutem eſſe potuiſſem, ſi eſſe alij comites noluiſſent. quare neceſſe eſt, quod mihi conſuli praecipuum fuit praeter alios, id iam priuato cum ceteris eſſe commune. neque ego hoc partiendae inuidiae, ſed communicandae laudis cauſſa loquor. oneris mei partem nemini impertio, gloriae bonis omnibus. In Autronium teſtimonium dixiſti, inquit: Sullam defendis. Hoc totũ eiuſmodi eſt, iudices; vt, ſi ego ſim inconſtans, ac leuis, nec teſtimonio fidem tribui cõuenerit, nec defenſioni auctoritatem: ſin eſt in me ratio reip. religio priuati officii, ſtudium retinendae voluntatis bonorum; nihil minus accuſator debet dicere, quam a me defendi Sullam, teſtimonio laeſum eſſe Autronium. videor enim non ſolum ſtudium ad defendendas cauſſas, verũ opinionis aliquid, & auctoritatis afferre; qua & moderate ego vtor, iudices, & omnino non vterer, ſi ille me non coegiſſet.

EXPLANATIO

Q. HORTENSII *factum*] Sullae defenſio. MIHI *maiorem haec res dolorem*] quia conſul in ciues impios animaduerti, & huius puniendi criminis cura magis ad me, quam ad quemquam alium, pertinet. CELEBRARI *hoc iudicium*] venerant non, vt patroni cauſſam acturi, ſed vt aduocati reum ſua praeſentia, ſuaq. auctoritate subleuaturi. IN QVIBVS *ſubſellijs*] rei Sullae. ILLVM *in locum*] qualem ipſi obtinent; in illam honeſtatem, qua ipſi ſunt. explanatur ſequentibus verbis. IN HANC *celſiſſimam ſedem dignitatis, atque honoris*] quae conſularium virorum eſt: conſulatum autem iis acceptum refert. HOC *genere quaeſtionis*] de maieſtate, cuius laeſae vltor fuerim. DE *ceteris*] qui ſenſerunt, & ſentiunt idem, quod ego. neminem enim defenderunt hoc gener quaeſtionis, nunc tamen huic adſunt. M. LAECAM] M. Porcium Laecam, cuius in domum coniuratos Catilina conuocauit: vt infra, & orat. I. in Catil. C. CORNELIVM] qui ſe Ciceronem conſulem interfecturum eſſe pollicitus erat. infra, & apud Salluſtium. AVTRONIO] apparet eum bis eſſe damnatum, de ambitu primum, deinde, quod hic ſignificatur, de maieſtate. ABFVISSE?] neminem ex iis, qui nefarium patriae bellum indixerant, defendi. DEFENSVM *ab eo eſt*] crimen hoc Hortenſius a Sulla remouit. AVCTORITATIS] quae eſſe debet in eo, qui interfuit, qui cognouit, qui particeps & conſilij fuit, & timoris. haec enim ſunt eiuſmodi, vt ei fides habenda videatur.

ORATIO

DVae coniurationes abs te, Torquate, conſtituuntur: vna, quae Lepido, & Tullo coſ. patre tuo conſule deſignato, facta eſſe dicitur; altera, quae me conſule. harum in vtraque Sullam dicis fuiſſe. Patris tui, fortiſſimi viri, atque optimi conſulis, ſcis me conſiliis non interfuiſſe: ſcis me, cum mihi ſummus tecum vſus eſſet, tamen illorum expertem temporũ, & ſermonum fuiſſe: credo, quod nondum penitus in rep. verſabar, quod nondum ad propoſitum mihi finem honoris perueneram, quod mea me ambitio, & forenſis labor ab omni illa cogitatione abſtrahebat. quis ergo intererat veſtris cõſiliis? omnes hi, quos vides huic adeſſe, & in primis Q. Hortẽſius: qui cum propter honorem, ac dignitatem, atque animum eximiũ in remp., tum propter ſummã familiaritatem, ſummumq. amorẽ in patrem tuũ, tum cõmunibus, tum praecipuis patris tui periculis commouebatur. ergo iſtius coniurationis crimen defenſum ab eo eſt, qui interfuit, qui cognouit, qui particeps & conſilii veſtri fuit, & timoris. cuius in hoc crimine propulſando cum eſſet copioſiſſima, atque ornatiſſima oratio; tamen non minus inerat auctoritatis in ea, quam facultatis. illius igitur coniurationis, quae facta contra vos, delata ad vos, a vobis prolata eſſe dicitur, ego teſtis eſſe non potui. non modo enim nihil comperi; ſed vix ad aures meas iſtius ſuſpicionis fama peruenit. qui vobiſcum in conſilio fuerunt, qui vobiſcum illa cognorunt, quibus ipſis periculum

luc-

lum tum conſtitui putabatur, qui Autronio non affuerunt, qui in illum teſtimonia grauia dixerunt, hunc defendunt, huic adſunt: in huius periculo declarant, ſe non crimine coniurationis, ne adeſſent ceteris, ſed hominum maleficio deterritos eſſe. mei conſulatus autem tempus, & crimen maximae coniurationis a me defendetur. atque inter nos partitio non eſt fortuito, iudices, nec temere facta: ſed, cum videremus eorum criminum nos patronos adhiberi, quorum teſtes eſſe poſſemus, vterque noſtrum id ſibi ſuſcipiendum putauit, de quo aliquid ſcire ipſe, atque exiſtimare potuiſſet. &, quoniam de criminibus ſuperioris cõiurationis Hortenſium diligenter audiſtis; de hac coniuratione, quae me conſule facta eſt, hoc primum attendite. Multa, cũ eſſem conſul, de ſummis reip. periculis audiui, multa quaeſiui, multa cognoui: nullus vnquam de Sulla nuncius ad me, nullum indicium, nullae litterae peruenerunt, nulla ſuſpicio. multum haec vox fortaſſe deberet valere eius hominis, qui conſul inſidias reip. conſilio inueſtigaſſet, veritate aperuiſſet, magnitudine animi vindicaſſet, cum ipſe nihil audiſſe de P. Sulla, nihil ſuſpicatum eſſe diceret: ſed ego nondum vtor hac voce ad hunc defendendum; ad purgandum me potius vtor, vt mirari Torquatus deſinat, me, qui Autronio non affuerim, Sullam defendere. quae enim Autronij fuit cauſſa, quae Sullae eſt? ille ambitus iudicium, tollere, ac diſturbare primum conflato voluit gladiatorum ac fugitiuorum tumultu, deinde, id quod vidimus omnes, lapidatione, atque concurſu: Sulla, ſi ſibi ſuus pudor, ac dignitas non prodeſſet, nullum auxiliũ requiſiuit. ille damnatus ita ſe gerebat non ſolum conſilijs, & ſermonibus, verum etiam adſpectu, atque vultu, vt inimicus eſſe ampliſſimis ordinibus, infeſtus bonis omnibus, hoſtis patriae videretur: hic ſe ita fractum illa calamitate, atque afflictum putauit, vt nihil ſibi ex priſtina dignitate ſupereſſe arbitraretur, niſi quod modeſtia retinuiſſet. hac vero in coniuratione quid tam coniunctum, quam ille cum Catilina, cum Lentulo? quae tanta ſocietas vllis inter ſe rerum optimarum, quanta ei cum illis ſceleris, libidinis, audaciae? quod flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? quod ſine eodem illo Catilina facinus admiſit? cum interim Sulla cum eiſdem ipſis non modo noctem, ſolitudinemq. non quaereret, ſed ne mediocri quidem ſermone, & congreſſu coniungeretur. illum Allobroges, maximarum rerum veriſſimi indices, illum multorum litterae, ac nuncij coarguerunt: Sullam interea nemo inſimulauit, nemo nominauit. poſtremo, eiecto, ſiue emiſſo iam ex vrbe Catilina, ille arma miſit, cornua, tubas, falces, ſigna, legiones: ille relictus intus, exſpectatus foris, Lentuli poena compreſſus, conuertit ſe aliquando ad timorem, nunquam ad ſanitatem: hic contra ita quieuit, vt eo tempore omni Neapoli fuerit, vbi neque homines fuiſſe putantur huius affines ſuſpicionis; & locus eſt ipſe non tam ad inflammandos calamitoſorum animos, quàm ad conſolandos accommodatus. Propter hanc igitur tãtam diſſimilitudinem hominum, atque cauſſarum, diſſimilem me in vtroque praebui. veniebat enim ad me, & ſaepe veniebat Autronius multis cum lacrimis ſupplex, vt ſe defenderem: & ſe meum condiſcipulum in pueritia, familiarem in adoleſcentia, collegam in quaeſtura commemorabat fuiſſe: multa mea in ſe, nonnulla etiam ſua in me proferebat officia. quibus ego rebus, iudices, ita flectebar animo, atque frangebar, vt etiam ex memoria, quas ipſe mihi fecerat inſidias, deponerem: vt iam immiſſum eſſe ab eo C. Cornelium, qui me in ſedibus meis, in conſpectu vxoris meae ac liberorum meorum trucidaret, obliuiſcerer. quae ſi de vno me cogitaſſet, qua mollitia ſum animi, ac lenitate, numquã mehercule illius lacrimis, ac precibus reſtitiſſem. ſed, cũ mihi patriae, cum veſtrorum periculorum, cum huius vrbis, cum illorum delubrorum, atque templorum, cum puerorum infantium, cum matronarum ac virginum veniebat in mentem, & cũ illae infeſtae ac funeſtae faces, vniuerſumq. totius vrbis incendium, cum tela, cum caedes, cum ciuium cruor, cũ cinis patriae verſari ante oculos, atque animum memoria refricare coeperat: tum denique ei reſiſtebam, neque ſolum illi hoſti, ac parricidae, ſed his etiam propinquis illius, Marcellis, patri, & filio, quorum alter apud me parentis grauitatem, alter filij ſuauitatem obtinebat: neque me arbitrabar ſine ſummo ſcelere poſſe, quod maleficium in alijs vindicaſſem, idem in illorum ſocio, cum ſcirem, defendere. atque idem neque P. Sullam ſupplicem ferre, neque eoſdem Marcellos, neque huius M. Meſſallae hominis neceſſarij, preces ſuſtinere potui. neque enim eſt cauſſa aduerſata naturae; nec homo, nec res miſericordiae meae repugnauit: nuſquam nomen, nuſquam veſtigium fuerat, nullum crimen, nullum indicium. ſuſcepi cauſſam, Torquate, ſuſcepi, & feci libenter, vt me, quem boni conſtantem ſemper, vt ſpero, exiſtimaſſent, eundem ne improbi quidem crudelem dicerent.

EXPLANATIO

LEPIDO, *& Tullo coſ.*] vt ſequentis anni conſules Cotta & Torquatus Kalendis Ian. in Capitolio occiderentur, ſtatimq. Catilina & Autronius, correptis faſcibus, deſcenderent. id autẽ conſiliũ Catilina cũ eius ratio, quia repetundarũ quaerebatur, habita nõ eſſet, iniuit cũ Piſone, & Autronio, circiter nõ. Dec. De die caedis conſulũ, ideſt de Kalendis Ian. ſic infra: De quo etiã ſi quis dubitaſſet antea, nũ id, quod tu arguis, cogitaſſet, interfecto patre tuo cõſule deſcendere Kalendis Ian. cũ lictoribus? E Salluſtio autem non ſolum de die caedis, verũ etiam de tempore, quo Catilina cũ Piſone, & Autronio conſiliũ communicauit, intelligitur. cũ enim de Cn. Piſone, propter inopiã, & malos mores nouarũ rerum cupido, locutus eſſet, cum hoc, inquit Catilina, & Autronius, circiter nõ. Dec. cõſilio communicato, parabant in Capitolio Kalẽdis Ian. L. Torquatũ, & L. Cottã cõſules interficere, ipſi, faſcibus correptis, Piſonem cum exercitu ad obtinendas duas Hiſpanias mittere. SE NON *crimine coniurationis, ne adeſſent ceteris,*] crimine coniurationis accuſatur Sulla, & a bonis tamẽ viris defenditur: eodẽ crimine accuſati alij ſunt, nec tamẽ defenſi: quia de hoc bene exiſtimatur, de alijs nõ itẽ. qui igitur huic adſunt in crimine coniurationis, oſtendunt ſe, cũ ceteris non affuerunt, nõ crimine coniurationis, ſed hominum maleficio deterritos eſſe. NON *prodeſſet,*] quae non praefuit. ITA *ſe gerebat*]

vebat] damnati de ambitu in exſulium non ibant ante Ciceronem conſulem. ille damnatis exſuliũ lege lata irrogauit.pro Murena. LOCVS *eſt ipſe*] ignobile mnnicipium, exigua frequentia, nullis opibus fuiſſe conſtat: ſiquidem conſolari potius calamitoſorum animos, quam inflammare poterat. MARCELLIS, *patri*, *& filio*,] Caio praenomen vterque fuit.ij ſunt, ad quos Cicero ſcribit lib.xv. CAVSSA] cum bona cauſſa eſſet P.Sullae,non vt Autronij. ad lenitatem igitur, & miſericordiam ipſa me natura, cauſſa non aduerſante, hortata eſt.

ORATIO

HIC ait ſo ille, iudices, regnum meum ferre non poſſe. Quod tandem, Torquate, regnum? conſulatus, credo, mei; in quo ego imperaui nihil, ſed contra patribus conſcriptis, & bonis omnibus parui. quo in magiſtratu non inſtitutum eſt a me, iudices, regnum, ſed non permiſſum. Quem tum in tanto imperio, tanta poteſtate non dicis fuiſſe regem, nunc priuatum regnare dicis? quo tandem nomine? quod, in quos teſtimonia dixiſti, inquit, damnati ſunt; quem defendis, ſperat ſe abſolutum iri. hic tibi ego de teſtimonijs meis hoc reſpondeo: ſi falſum dixerim, te in eos dixiſſe; ſin verum, non eſſe hoc regnare, cum verum iuratos dicas probare. de huius ſpe tantum dico, nullas a me opes P.Sullam, nullam potentiam, nihil denique, praeter fidem defenſionis, exſpectare. niſi tu, inquit, cauſſam recepiſſes, numquam mihi reſtitiſſet, ſed, indicta cauſſa, profugiſſet. ſi iam hoc tibi concedam, Q.Hortenſium, tanta grauitate hominem, ſi hoc tales viros non ſuo ſtare iudicio, ſed meo; ſi hoc tibi dem, quod credi non poteſt, niſi ego huic adeſſem, hos affuturos non fuiſſe: vter tandem rex eſt, is, ne cui innocentes homines non reſiſtunt? an is, qui calamitoſos non deſerit? At hic etiam, id quod tibi neceſſe minime fuit, facetus eſſe voluiſti, cum Tarquinium, & Numam, & me tertium peregrinum regē eſſe dixiſti. Mitto iam de rege quaerere: illud quaero, peregrinum cur me eſſe dixeris. nam, ſi ita ſum, non tam eſt admirãdum, regem eſſe me, quia, vt tu vis, etiam peregrini reges Romae fuerunt, quam conſulem Romae fuiſſe peregrinum. Hoc dico, inquit, te eſſe ex municipio. Fateor, & addo etiã, ex eo municipio, vnde iterum iam ſalus huic vrbi imperioq. miſſa eſt. ſed ſcire ex te peruelim, quamobrem, qui ex municipijs veniant, peregrini tibi eſſe videantur. nemo enim iſtuc M. illi Catoni ſeni, cũ plurimos haberet inimicos, nemo T. Coruncanio, nemo Curioni, nemo huic ipſi noſtro C. Mario, cum ei multi inuiderent, obiecit vnquã. equidem vehementer laetor, eum eſſe me, in quem tu, cum cuperes, nullam contumeliam iacere potueris, quae non ad maximam partem ciuium conueniret. ſed tamen te a me pro magnis cauſſis noſtrae neceſſitudinis monendum eſſe etiam atque etiam puto. non poſſunt omnes eſſe patricij; ſi verum quaeris, ne curant quidem: nec ſe aequales tui propter iſtam cauſſam abs te anteiri putant. at ſi tibi nos peregrini videmur, quorum iam & nomen, & honos inueterauit & huic vrbi, & hominum famae, ac ſermonibus: quam tibi illos competitores tuos peregrinos videri neceſſe erit, qui iam ex tota Italia delecti tecum de honore, & de omni dignitate contendunt? quorum caue tu quemquam peregrinũ appelles; ne peregrinorum ſuffragijs obruare. qui ſi attulerint neruos, & induſtriam; mihi crede, excutient tibi iſtam verborum iactationem, & te ex ſomno ſaepe excitabunt, nec patientur, abs te, niſi virtute vincentur, honore ſuperari. ac ſi iudices, ceteris patricijs me & vos peregrinos videri oporteret; a Torquato tamen hoc vitium ſileretur. eſt enim ipſe a materno genere municipalis, honeſtiſſimi ac nobiliſſimi generis, ſed tamē Aſculani. aut igitur doceat Picentes ſolos non eſſe peregrinos; aut gaudeat ſuo generi me meum non anteponere. Quare neque me peregrinũ poſthac dixeris, ne grauius refutere; neque regem, ne derideare. niſi forte regium tibi videtur, ita viuere, ut non modo homini nemini, ſed ne cupiditati quidem ullĩ ſeruias; contemnere omnes libidines; non auri, non argenti, non ceterarum rerum indigere; in ſenatu ſentire libere; populi vtilitati magis conſulere, quam voluntati; nemini cedere; multis obſiſtere. ſi hoc putas eſſe regium; me regem confiteor eſſe. ſin te potentia mea, ſi dominatio, ſi denique aliquod dictum arrogans, aut ſuperbum monet: quin tu id potius profers, quam verbi inuidiam, contumeliamq. maledicti? ego, tantis a me beneficiis in rep. poſitis, ſi nullum aliud mihi praemiam a ſenatu populoq. R. niſi honeſtum otium poſtularem, quis non concederet? ſibi haberent honores, ſibi imperia, ſibi prouincias, ſibi triumphos, ſibi alia praeclarae laudis inſignia: mihi liceret eius vrbis, quam conſeruaſſem, conſpectu, tranquillo animo, & quieto, frui. quid, ſi hoc non poſtulo: ſi ille labor meus priſtinus, ſi ſolicitudo, ſi operae, ſi vigiliae deſeruiunt amicis, praeſto ſunt omnibus: ſi neque amici in foro requirunt ſtudium meum, neque reſp. in curia: ſi me non modo rerum geſtarum uacatio, ſed neque honoris, neque aetatis excuſatio uindicat a labore: ſi uoluntas mea, ſi induſtria, ſi domus, ſi animus, ſi aures patent omnibus: ſi mihi ne ad ea quidem, quae pro ſalute omnium geſſi, recordanda, & cogitanda quidquam relinquitur temporis: tamen hoc regnum appellabitur? cuius uicarius qui uelit eſſe, inueniri nemo poteſt: longe abeſt regni ſuſpicio. ſi quaeris, qui ſint Romae regnum occupare conati: ut ne replices annalium memoriam, ex domeſticis imaginibus inuenies. res enim geſtae, credo, meae me nimis extulerunt, ac mihi neſcio quos ſpiritus attulerunt. quibus de rebus tam claris, tam immortalibus, iudices, hoc poſſum dicere, me, qui e ſummis eripuerim periculis urbem hanc, & uitam omnium ciuium, ſatis adeptum fore, ſi ex hoc tanto in omnes mortales beneficio nullum in me periculum redundabit. etenim, in qua ciuitate res tantas geſſerim, memini: & in qua urbe, intelligo. plenum forum eſt eorum hominum, quos ego a ueſtris ceruicibus depuli, iudices, a meis non remoui. niſi uero paucos fuiſſe arbitramini, qui conari, aut ſperare poſſent ſe tãtum imperium poſſe delere. horum ego faces eripere de manibus, & gladios extorquere potui, ſicut feci: uoluntates uero conſceleratas ac nefarias nec ſanare potui, nec tollere. quare non ſum neſcius, quanto periculo uiuam in tantam multitudine improborum, cum mihi uni cum omnibus improbis aeternam uideam bellum eſſe ſuſceptum. quod ſi illis meis praeſidijs forte inuides: & ſi ea tibi regia uideantur,

tar,

tur, quod omnes boni omnium generum, atque ordinum ſuam ſalutem cum mea coniungunt: conſolare te, quod omnium mentes improborum mihi vni maxime ſunt inſenſae, & aduerſae. qui me non ſolum idcirco oderunt, quod eorum conatus impios, & furorem conſceleratum repreſſi; ſed eo etiam magis, quod nihil iam ſe ſimile me viuo conari poſſe arbitrantur. at vero quid ego miror, ſi quid ab improbis de me improbe dicitur; cum L. Torquatus, primum ipſe his fundamentis adoleſcentiae iactis, ea ſpe propoſita ampliſſimae dignitatis, deinde L. Torquati, fortiſſimi conſulis, cõſtantiſſimi ſenatoris, ſẽper optimi ciuis, filius, interdum efferatur immoderatione verborum? qui cum ſuppreſſa voce de ſcelere P. Lentuli, de audacia coniuratorum omnium dixiſſet, tantummodo ut uos, qui ea probatis, exaudire poſſetis; de ſupplicio P. Lentuli, de carcere magna & queribunda uoce dicebat. in quo primum illud erat abſurdum, quod cum ea, quae leniter dixerat, nobis probare nolebat, eos autem, qui circum iudicium ſtabant, audire nolebat; non intellegebat, ea, quae clare diceret, ita illos auditeros, quibus ſe uenditabat, ut uos quoque audiretis, qui id non probabatis. deinde alterum iam oratoris uitium, non uidere quid quaeque cauſſa poſtulet. nihil eſt enim tam alienum ab eo, qui alterum coniurationis accuſet, quam uideri coniuratorum poenam, mortemq. lugere. quod cum is tribunus pl. facit, qui unus uidetur ex illis ad lugendos coniuratos relictus: nec mirum eſt: difficile eſt enim tacere, cum doleas: te, ſi quid eiuſmodi facis, non modo talem adoleſcentem, ſed in ea cauſſa, in qua te uindicem coniurationis uelis eſſe, uehementer miror. Sed reprehendo tamen illud maxime, quod iſto ingenio, & prudentia praeditus cauſſam reip. non tenes, qui arbitrere plebi R. res eas non probari, quas me conſule omnes boni pro ſalute communi geſſerunt. ecquem tu horum, qui adſunt, quibus te contra ipſorum uoluntatem uenditabas, aut tam ſceleratum ſtatuis fuiſſe, ut haec omnia perire uoluerit; aut tam miſerum, ut & ſe perire cuperet, & nihil haberet, quod ſaluum eſſe uellet? an uero clariſſimum uirum generis ueſtri, ac nominis nemo reprehendit, qui filium ſuũ nita priuauit, ut in ceteris firmaret imperium: tu remp. reprehendis, quae domeſticos hoſtes, ne ab ijs ipſa necaretur, necauit? itaque attende iam, Torquate, quam ego non defugiam auctoritatem conſulatus mei. maxima uoce, ut omnes exaudire poſſint, dico, ſemperq. dicam. adeſtote omnes animis, qui adeſtis corporibus; quorum ego frequentia magnopere laetor: erigite mentes, aureſq. ueſtras, & me de inuidioſis rebus, ut ille putat, dicentem attendite.

E X P L A N A T I O

IN. QVOS *teſtimonium dixiſti*,] vt in Autronium. T E. I N *eos dixiſſe*;] vterque igitur falſum diximus. I S. N E,] tu ſcilicet. I T E R V M] à C. Mario primum, deinde ab ipſo Cicerone, liberata coniurationis periculo rep. T I. C O R V N C A N I O] qui de Vulſinienſibus & Vulcientibus triumphauit. C V R I O N I,] M. Curio, legendum ſermo enim eſt de veteribus, quos virtus potius, quam patria, nob litauerit. nec inter eos referri Curio quiſquã poteſt. at M. Curius, cui Dentato cognomen fuit, quia cum dentibus natus eſt, Coruncanij aequalis, honoribus, & rebus geſtis clarus fuit. ter enim cõſulatum eſt adeptus: de Samnitibus, de Sabinis, de Lucanis, de Pyrrho rege triũphauit. hi omnes à Cicerone nominati, ex municipijs in vrbem venerunt; honoreſq. ſummos, quamquã plebeij generis, adepti ſunt. S I B I *habeant alij honores*,] ſimiliter in Catone: Habeant igitur alij ſibi arma. E X *domeſticis imaginibus*] M. Manlium ſignificat, qui, deiectis ex Capitolio Gallis, poſtea, cum in ſuſpicionem regni veniſſet, de rupe Tarpeia deturbatus eſt. I L L I S *meis praeſidijs*] bonorum omnium ſtudijs. C O N S O L A R E *te*.] ſi meis inuides bonis, conſolare te odio improborum omniũ contra me vnum. Cum Torquatum videatur accuſare, ſe ipſum laudat. F O R T I S S I M I *conſulis*,] qui fortiſſimus anno ſuo conſul fuit. T A N T V M M O D O *vt uos*,] non vt eos, qui circum iudicium ſtabant. Q V I. E A *probatis*,] qui vera eſſe dicitis. L E V I T E R] ſupreſſa voce. carpit Torquatum, ita de coniuratis agentẽ, vt eorum cauſſae fauere videretur: cum tamen Sullam coniurationis accuſaret. Q V I B V S *ſe venditabat*,] ijs, qui circum iudiciũ ſtabant. I S *tribunus pl.*] fortaſſe Metellus Nepos, qui Ciceronem abeũtem conſulatu concionis habendae poteſtate priuauit, cum diceret, ei, qui in alios animaduertiſſet indicta cauſſa, dicendi ipſi poteſtatem fieri non oportere. quod ſi Metellus Nepos eſt; habita haec oratio Silano & Murena cos. C L A R I S S I M V M *virum generis veſtri*,] T. Manlium Torquatum, qui tertium conſul, Latino bello filium, qui contra ſuum edictum pugnauerat, necari iuſſit. D E *inuidioſis rebus*,] de nece coniuratorum: qua me Torquatus putat in odium veniſſe plebi Romanae, tamquam ea, quae conſul pro communi ſalute geſſi, non probanti.

O R A T I O

EGO conſul, cum exercitus perditorum ciuium, clandeſtino ſcelere conflatus, crudeliſſimum, & luctuoſiſſimum exitium patriae comparaſſet; cum ad occaſum, interitumque reip. Catilina in caſtris, in his autem templis, atque tectis dux Lentulus eſſet conſtitutus; meis conſilijs, meis laboribus, mei capitis periculis, ſine tumultu, ſine delectu, ſine armis, ſine exercitu, quinque hominibus comprehenſis, atque confeſſis, incenſione vrbem, internecione ciues, vaſtitate Italiam, interitu remp. liberaui. ego vitam omnium ciuium, ſtatum orbis terrae, vrbem hanc denique, ſedem omnium noſtrum, arcem regum, ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperij, quinque hominum amentiam, ac perditorum poena redemi. an me exiſtimaſti haec iniuratum in iudicio non eſſe dicturum, quae iuratus in maxima concione dixiſſem? atque etiam illud addam, (ac qui

forte

ORATIO

*AMYNTAS eſt, genere, honore, exiſtimatione, pecunia princeps illius ciuitatis: huius ſocrum, mulierem imbecilli conſilij, ſatis locupletem pellexit Decianus ad ſeſe: & , cum illa, quid ageretur, neſciret, in poſſeſſione praediorum eius familiam ſuam collocauit: uxorem abduxit ab Amynta praegnantem; quae peperit apud Decianum filiam; hodieq. apud Decianum eſt & vxor Amyntae, & filia. Num quid harum rerum a me fingitur, Deciane? ſciunt haec omnes nobiles, ſciunt denique noſtri homines, ſciunt mediocres negotiatores. exſurge Amynta. repete a Deciano non pecuniam, non praedia: ſocrum denique ſibi habeat, reſtituat vxorem, reddat miſero patri filiam: nam membra, quae debilitauit lapidibus, fuſtibus, ferro; manus, quas contudit; digitos, quos confregit; neruos, quos concidit, reſtituere non poteſt. filiam, filiam, inquam, aerumnoſo patri, Deciane, redde. Haec Flacco non probaſſe te miraris? cui, quaeſo, tandem probaſti? emptiones falſas, praediorum proſcriptiones cum mulierculis aperta circumſcriptione feciſti. tutor his rebus Graecorum legibus adſcribendus fuit: Polemocratem ſcripſiſti, mercenarium, & adminiſtrum conſiliorum tuorum. adductus eſt in iudicium Polemocrates de dolo malo, & de fraudatione, huius ipſius tutelae nomine. qui concurſus ex opidis finitimis vndique? qui dolor animorum? quae querella? condemnatus eſt Ptolemocrates ſententijs omnibus: irritae venditiones, irritae proſcriptiones. non reſtituit: defers ad Pergamenos, vt illi reciperent in ſuas litteras publicas proſcriptiones, & emptiones tuas. repudiant, reijciunt: at qui homines? Pergameni, laudatores tui. ita enim mihi gloriari viſus es laudatione Pergamenorum, quaſi honorem maiorum tuorum aſſecutus eſſet: & hoc te ſuperiorem eſſe putabas, quam Laelium, quod te ciuitas Pergamena laudaret. num honeſtior eſt ciuitas Pergamena, quam Smyrnae? at ne ipſi quidem dicunt. vellem tantum habere otij, vt poſſem recitare pſephiſma Smyrnaeorum, quod fecerunt in Caſtricium mortuum: primum, vt in opidum introferretur; quod alijs non conceditur: deinde, vt ferrent ephebi: poſtremo, vt imponeretur aurea corona mortuo. haec P. Scipioni, clariſſimo viro, cum eſſet Pergami mortuus, facta non ſunt. at Caſtricium, quibus verbis dij immortales, decus patriae, ornamentum populi Romani, florem iuuentutis appellant. quare, Deciane, ſi cupidus es gloriae, alia ornamēta cēſeo quaeras: Pergameni te deriſerunt. quid? tu ludi te non intelligebas? cum tibi haec verba recitabant, clariſſimum virum, praeſtantiſſima ſapientia, ſingulari ingenio, mihi crede, ludebant: cum vero coronam auream litteris imponebant, re vera non plus aurum tibi, quam monedulae, committebant; ne tum quidem hominum venuſtatem, & facetias perſpicere potuiſti? iſti igitur, iſti Pergameni deſcriptiones, quas tu afferebas, repudiauerunt. P. Orbius, homo & prudens, & innocens, contra te omnia decreuit. in P. Globulum, meum neceſſarium, fuiſti gratioſior. vtinam neque ipſum, neque me paeniteret. Flaccum iniuria decreuiſſe ais veridicas. adiungis cauſſas inimicitiarum, quod patri L. Flacci, * aedili curuli, pater tuus, tribunus pl. diem dixerit. at iſtud nec ipſi quidem patri Flacci valde moleſtum eſſe debuit; praeſertim cum ille, cui dies dicta eſt, praetor poſtea factus ſit, & conſul; ille, qui diem dixit, non potuerit priuatus in ciuitate conſiſtere. ſed, ſi iuſtas inimicitias putabas; cur, cum tribunus militum Flaccus eſſet, in eius legione miles fuiſti, cum tibi per leges militares effugere liceret iniquitatem tribuni? cur autem praetor te, inimicum paternum, in conſilium vocauit? quae quidem quam ſancte ſolita ſint obſeruari, ſcitis omnes. nunc accuſamur ab ijs, qui in conſilio nobis fuerunt. Decreuit Flaccus: num aliud, atque oportuit? in liberos: num aliter, ac cenſuit ſenatus? in abſentem decreuit: cum ibidem eſſes, cum prodire nolles. non eſt hoc in abſentem reum. SENATVS. CONSVLTVM. ET. DECRETVM. FLACCI. Quid, ſi non decreuiſſet, ſed edixiſſet, quis poſſet vere reprehendere? num etiam fratris mei litteras, pleniſſimas humanitatis, & aequitatis, reprehenſurus? quas eaſdem mulieres a me datas apud Pataranos requiſiuit. Recita litteras Q. Ciceronis. Quid haec Apollonidenſes, occaſione facta, ad Flaccum non detulerunt? apud Orbium acta non ſunt? ad Globulum delata non ſunt? ad ſenatum noſtrum, me conſule, non ne legati Apollonidenſes omnia poſtulata de iniurijs vnius Deciani detulerūt? ad haec, praedia etiam in cenſu dedicauiſti: mitto, quod aliena; mitto, quod poſſeſſa per vim; mitto, quod conuicta ab Apollonidenſibus; mitto, quod a Pergamenis repudiata; mitto etiam, quod a noſtris magiſtratibus in integrum reſtituta; mitto, quod nullo in iure, neque poſſeſſione tua: illud quaero, ſint ne iſta praedia cenſui cenſendo? habebant ius ciuile? ſint, nec ne ſint, mancipi? ſubſignari apud aerarium, apud cenſorem poſſint? in qua tribu denique iſta praedia cenſuiſti? commiſiſti, ſi tempus aliquod grauius accidiſſet, vt ex ijſdem praedijs, & Apolloniae, & Romae imperatum, eſſet tributum, verum eſto: glorioſus fuiſti: voluiſti magnum agri modum cenſeri, & eius agri, qui diuidi plebi Romanae non poteſt. cenſus es praeterea numeratae pecuniae CXXX. eam opinor tibi numeratam non eſſe abs te. ſed haec omitto. cenſus es mācipia Amyntae: neque huic vllam in eo feciſti iniuriam: poſſidet enim ea mancipia Amyntas. ac primo quidem pertimuit, cum te audiſſet ſeruos ſuos eſſe cenſum: retulit ad iuriſconſultos. conſtabat inter omnes, ſi aliena cenſendo Decianus ſua facere poſſet, eum maxima habiturum eſſe.*

EXPLANATIO

TVTOR] eius mulieris, a qua ſe praedia emiſſe Decianus fingebat. GRAECORVM *legibus* Romanis quoque: ideo pro Caecina: Quod mulier ſine tutore promiſerit, deberi. Pro Murena: Mulieres omnes propter infirmitatē cōſilij maiores in tutorū poteſtate eſſe voluerunt. Hic admonēdus eſt lector, nō eſſe, legibus, ī quibuſdam antiquis libris. quod ſi recte: vel mendū eſt in verbo, Graecorum:

tum:vel legendum,Tutor his,legibus Graecorum adſcribendus fuit.vt pro,Rebus,reponatur,legibus. NON *reſtituit.*] praedia Amyntae: quae retinere non potes,Polemocrate condemnato,qui mulierum tutor,cum Deciano in fraudatione conſenſit. QVAM *ſmyrnaea?*] deridet laudationes tam Pergamenorum,quam Smyrnaeorum Honeſtior,inquit, Smyrnaea ciuitas eſt, quã Pergamena quod ne ipſi quidem Pergameni negant.at Smyrnaei Caſtricium mortuũ ita laudarunt, vt eum deriſiſſe videantur. quod ſi laudatio Smyrnaeorum honorem non affert, quanto minus Pergamenorum? cur igitur ea laudatione gloriaris? P. SCIPIONI,]ei,qui Ti Gracchum occidit:quo facto Pergamum in exſulium abijt. ALIA *ornamenta cenſeo quaeras:*] noli gloriari, quod te Pergameni laudauerint: nam illa te laudatio non ornat. TIBI] praeſenti. RECITABANT,] epſephiſmate. LITTERIS] verbo:ſcriptis quidem litteris,non reuera IMPONEBANT,] nolim hoc verbo aliquem falli: non enim hoc dicit, Deciani praeſentis capiti coronam auream vere eſſe a Pergamenis impoſitam.nam impoſitam non eſſe,ex verbo,litteris,intelligitur.Sed,imponebant litteris,valet,imponendam pſephiſmate decernebant.aliud eſt autem,litteris,aliud,re ipſa imponere.Sed cum litteris, tum te inquit, ludebant nam reuera tibi non plus aurum committebant, quam monedulae: cui ſi quis committeret,amiſſum ſciret:auis enim illa aurum & argentũ auide furatur, auctore Plinio.conſtat ex duabus partibus ſententia,vna de corona,altera de venuſtate,& facetijs.Cum tibi coronam,inquit, litteris imponebant;ſed reuera cum tibi non plus aurum, quam monedulae. committebant,ne tum quidem venuſtatem eorum,& facetias perſpexiſti? PROSCRIPTIONES]praediorum,quae Decianus a ſe empta dicebat. PORBIVS] tres Aſiae praetores nominat,P.Orbium, P.Globulum,L.Flaccum. Orbius,inquit,contra te decreuit: in Globulum fuiſti gratioſior,ideſt munera contuliſti:ideo nihil contra te decreuit Flaccum decreuiſſe fateris,verum inimicitijs & iracundia incitatum. P.GLOBVLVM,] Seruiliae gentis qui tribunus pl.obſtitit C.Cornelio collegae,quem poſtea Cicero defendit, nuito ſenatu legem ferenti,ne quis,niſi per popu ũ legibus ſolueretur. Hic ſi praetor fuit ante Flaccum,aedilitatē omiſerit neceſſe eſt: cum tribunus pl.fuerit,auctore Pediano,C.Piſone M.Glabrione cos. CONSVL] bis conſul fuit,ſemel cum C Mario,iterum cũ L.Cinna, ſuffectus in Marij mortui locum. NON *potuerit priuatus in ciuitate conſiſtere.*] eo iudicio damnatus,quo in exſuliũ ire coactus eſt. TRIBVNVS *mil.*] in Cilicia,imperatore P.Seruilio. IN. EIVS *legione*]non quod ſolus in ea legione tribunus mil.eſſet:nam,vt apud Polybiũ legimus,quattuor in ſingulis legionibus tribuni mil.erãt: ſed quod in ea,tribunus mil.cum eſſet,plurimum poſſet. PRAETOR] Flaccus,Romae. DECREVIT *Flacco.*] cum praetor Aſiae praeeſſet. IN CONSILIVM] vt iudex eſſes.in quo tibi honorem habuit, oblitus inimicitiarum, quae patri tuo cum illius patre fuerant. QVAE *quidem quam ſancte ſolita ſint obſeruari?*] quaenam? fuiſſe militem in eius legione, vocatum ab eo eſſe in conſilium:quae tu Deciane non obſeruas: Flaccum enim accuſã. IN. LIBEROS] quod querebatur Decianus. NVM *aliter, ac cenſuit ſenatus?*] cenſuerat ſenatus,vt praetor Aſiae non modo in ſocios,verum etiam in liberos, quorum in numero ciues Romani,& in ijs Decianus erat,ius diceret. SENATVS *conſultum, edixiſſet,*] vt in liberos a praetore Aſiae ius dici poſſet. SED *edixiſſet,*] quod pro imperio fit:cum decernatur iure,cauſſa enim conſilio cognita. NVM *etiam fratris mei*] qui Flacco ſucceſſit. QVAS *eaſdem mulieres*] locus deprauatus:quem alij ſi,Mulieribus,legatur,corrigi putant poſſe.mihi & apertior. & melior ſentētia videtur,ſi legatur,Queis eaſdē mulieres amandatas apud Pataranos requiſiuit Quas enim mulieres, ideſt Amyntae vxorem, & filiam reddendas eſſe Flaccus decreuerit, eas cũ Decianus, ne redderet,apud Pataranos amandaſſet,Q.Cicero litteris requiſiuit.nōdum tamē, cũ haec haberetur oratio,redditas eſſe,dictum eſt ſupra.Hodie,inquit,apud Decianum eſt & vxor Amytae,& filia. AD *Globulum delata non ſunt?*]nō acta,vt apud Orbiũ qui contra Decianũ omnia decreuit,ſed delata tantum,quia Globulus nihil decreuit,corruptus a Deciano.vnde illud ſupra:In P.Globulũ fuiſti gratioſior. IN *cenſu dedicauiſti:*]profeſſus es,ĩ cenſum retuliſti.antiqua locutio,ſed exemplis parũ cōfirmata. ſic locutũ Africanũ minorem, teſte Gellio cognoſcitur.In vno ſcorto, inquit lib. VII. C. II recitans Africani verba,maiorē pecuniã abſumpſiſti,quã quãti omne inſtrumentũ fundi Sabini in cenſu dedicauiſti. CONVICTA *ab Apollonidenſibus,*]iudicio tibi adempta ab Apollonidenſibus,cōdemnatione Polemocratis. A NOSTRIS *magiſtratibus*]a duob praetoribus Aſiae,P Orbio & L.Flacco.nam Globulus nihil cōtra Flaccũ videtur decreuiſſe. MITTO, *quod nullo in iure.neque in re,neque poſſeſſione tua:*] Alij, nullo iure,neque ĩ re,neque in poſſeſſione tua ego nihil muto,& ſic interpretor: Mitto quod nullo tuo in iure,neque tua re, neque in tua poſſeſſione.i.neque iuris tui,neque rei, neque poſſeſſionis illa praedia ſint.nã poſſeſſione noſtra multa fiunt,iure ſcilicet vſucapionis. SINT *neiſta praedia cenſui cenſendo?*]opinor hoc dici:eiuſmodi ne ſint,vt cenſeri poſſint? vt cēſeri cenſus dicatur,pro,fieri.fiebat autē,cũ bona cenſebantur. HABEANT *ius ciuiles:*]quod habēt omnia,quae cenſentur nam ſi nō habēt, quo modo cenſentur? SINT, *neene ſint,mancipi*]ita tui iuris,vt ab alienari poſſint.pro Murena. SVBSIGNARI] cum probatum erat ab eo, qui profitebatur, ſiue fundum, ſiue domum,ſiue aliud quid, eſſe cenſui cenſendo habere ius ciuile,eſſe mancipi,tũ ſubſignabatur apud aerariũ,& apud cenſorē, ideſt in tabulas publicas referebatur. IN. QVO *tribu denique iſta praedia cenſuiſti?*] quo modo enim, quae apud ſocios praedia ſunt,ea cenſeri in nulla tribu poſſunt? COMMISISTI,]uide,quam feceris imprudenter,commiſſũ a te eſt,vt,cũ haec praedia & ĩ cenſu Romae dedicata a te ſint,& eadē tamē Apolloniae quoque,vt bona ſocrus Amyntae in cēſu ſint,duplex tributũ ſoluere cogaris,vnũ pro cenſu Romano,alterũ pro Apollonidēſi: tributũ enim pro bonorũ aeſtimatione cuique imponitur:bono

rium autem æſtimatio cognoſcitur e cenſu Perſpicua ſententia: quę prorſus obſcurabitur, ſi legatur, Promiſiſti, vt eſt in quibuſdam antiquis libris, quos probare nonnulli videntur. *TEMPVS aliquod grauius*] bellum eiuſmodi, vt vbique tributum imperari neceſſe eſſet. *MAGNVM agri modum cenſeri,*] dignum animaduerſione loquendi genus, vt aliquis magnum agri modum cenſeri dicatur ſic infra: Cum te audiſſet ſeruos ſuos eſſe cenſum. Et: Si aliena cenſendo Decianus ſua facere poſſet. *QVI diuidi plebi Romanae non poteſt*] quo maioris copiæ tuæ videntur. diuidi autem ideo non poteſt, quia ſit in regione Apollonidenſium qui ſocij liberi ſunt, ſuiſq legibus viuunt. id ſupra oſtenditur ijs verbis. Otiũ te delectat: lites, turbæ, prætor odio eſt: Græcorum libertate gaudes. Addere non grauabor, ꝙ mihi hoc loco, ipſa Ciceronis verba examinanti, in mentem venit: quod tñ non fidenter, ſed dubia coniectura dicam: fortaſſe, ſiquis agrum, qui non eſſet cenſui cenſendo, qui ius ciuile non haberet, qui mancipi non eſſet, in cenſum retuliſſet, multã fuiſſe, vt ager plebi Romanæ diuideretur. ab ea vero multa ſe tutum eſſe Decianus intelligebat, cum is ager diuidi non poſſet. cxxx.] ſeſtertiorũ cẽtum triginta millia: quæ nummo noſtro ſunt, ſcutatorũ tria millia, nongenti: parua omnino ſumma: cũ præſertim Decianus glorioſus eſſet, quod ſi, cxxx. pro centies tricies, accipiamus: præclare Deciani gloriæ ſatisfiet. erunt n. ſcutatorum trecenta nongenta millia. in quo Cicero iocatur, mẽtitum eſſe Decianum oſtendens gloriæ cauſſa Eam tu pecuniã, inquit, numquã, vt opinor, ipſe tibi numeraſti: ideo fieri poteſt, vt maiorem ſis profeſſus, quã quanta reuera ſit. *NEQVE huic vllam feciſti iniuriam,*] non enim ſuis ideo mancipijs eum priuaſti. *ALIENA cenſendo*] & hic paſſiue dictum, Cenſendo.

O R A T I O

Deſunt nonulla.

Habetis cauſſam inimicitiarum, qua cauſſa inflammatus Decianus ad Laelium detulerit hanc opimam accuſationem. nam ita queſtus eſt Laelius, cum de perfidia Deciani diceret: Qui mihi auctor fuit, qui cauſſam ad me detulit, quem ego ſum ſecutus; is a Flacco corruptus eſt, is me a ſeruis. at prodidit. Siccine tu auctor tandem eum cui tu in conſilio fuiſſes, apud quem omnes gradus dignitatis tuæ retinuiſſes, prudentiſſimum hominem, nobiliſſima familia natum, optime de rep. meritum, io diſcrimen omnium fortunarum vocauiſti? ſcilicet defendam Decianum, qui tibi in ſuſpicionem nullo ſuo delicto venis. non eſt, mihi crede, corruptus quid enim fuis, quod ab eo redimeretur? vt enceret iudicium? cui ſex horas omnino lex dedit. quantum tandem ex his horis detraheret, ſi tibi morem gerere voluiſſet? nimirum illud eſt, quod ipſe ſuſpicatur. inuidiſti ingenio ſubſcriptoris tui. quod ornabat facile locum, quem prehenderat, & acute teſtes interrogabat, aut circumueniebat, (fortaſſe feciſti, & tu & populi ſermone excipies) vicino Decianũ vſque ad coronam applicuiſti. ſed, vt hoc veriſimile eſt, ita haud veriſimile. Decianum a Flacco eſſe corruptũ. Ita ſcitote iudices, eſſe cetera: vel quod ait Lucceius, L. Flaccũ ſibi dare cupiſſe, vt a fide ſe abduceret, H-S vicies. & cum tu accuſas auaritiæ, quem dicis H-S vicies voluiſſe perdere? nam quid emebas, cum te emebat? vt ad ſe tranſires? quam partem cauſſæ tibi daremus? an vt enunciares conſilia Lælij? qui teſtes ab eo prodirent? quid? nos non videbamus habitare vna? quis hoc neſcit? tabulas in Lælij poteſtate fuiſſe, non dubium eſt. An, ne vehementer, ne copioſe accuſares? nunc facis ſuſpicionem. ita enim dixiſti, vt neſcio quid ab te impetratum eſſe videatur. At enim Androni Sextilio grauis iniuria facta eſt, & non ferenda, quod cũ eſſet vxor Valeria inteſtato mortua, ſic egit eam rem Flaccus, quaſi ad ipſum hereditas pertineret. in quo quid reprehendas, ſcire cupio: quod falſum intenderit? qui doces? ingenua, inquit fuit. o peritum iuris hominem. quid? ab ingenuis mulieribus hæreditates lege non veniunt? in manum, inquit, conuenerat. nunc audio: ſed quæro, vſu, an coemptione. vſu non potuit: nihil enim poteſt de tutela legitima ſine omniũ tutorum auctoritate deminui. coemptione? omnibus ergo auctoribus: in quibus certe Flaccum fuiſſe non dices. Relinquitur illud, quod vociferari non deſtitit, non debuiſſe, cum praetor eſſet, ſuum negotium agere, aut mentionem facere hæreditatis. Maximas audio tibi, L. Lucullc, qui de L. Flacco ſententiã laturus es, pro tua eximia liberalitate, maximiſq. beneficijs in tuos, veniſſe hæreditates, cũ Aſiam prouinciam conſulari imperio obtineres. ſi quis eas ſuas eſſe dixiſſet, conceſſiſſes? tu, T. Vetti, ſi qua tibi in Africa venerit hæreditas, vſu amittes; an tuum, nulla auaritia, ſalua dignitate retinebis? At iſtius hæreditatis iam Globulo prætore Flacci nomine petita poſſeſſio eſt. non igitur impreſſio, non occaſio, non vis, non tempus, non imperium, non ſecures ad iniuriam faciendã Flacci animum impulerunt. itaque eodem etiam M. Lurco, vir optimus, meus familiaris conuertit aculeum teſtimonij ſui: negauit, a priuato pecuniam in prouincia prætorem petere oportere. cur tandem M. Lurco non oportet? eripere, extorquere, accipere contra leges non oportet: petere non oportere, numquam oſtendes, niſi docueris non licere. an legationes ſumere liberas exigendi cauſſa, ſicut & tu ipſe nuper, & multi viri boni ſæpe fecerunt, rectum eſt: quod ego non reprehendo, ſocias video queri: praetorem, ſi hæreditatem in prouincia non reliquerit, non ſolum reprehendendum, verum etiam condemnandum putas? Doti, inquit, Valeria pecuniam omnem ſuam dixerat. Nihil iſtorum explicari poteſt, niſi oſtenderis, illam in tutela Flacci non fuiſſe. ſi fuit: quaecumque ſine hoc auctore eſt dicta dos, nulla eſt. ſed tamen Lurconem quamquam pro ſua dignitate moderatus eſt in teſtimonio dicendo religioni ſuæ, tamen iratum Flacco eſſe vidiſtis. neque enim occultauit cauſſam iracundiae ſuae, neque reticendam putauit: queſtus eſt libertum ſuum a Flacco prætore eſſe damnatum. o condiciones miſeras adminiſtrandarum prouinciarum, in quibus diligentia plena ſimultatum eſt, negligentia vituperationum; vbi ſeueritas periculoſa eſt, liberalitas ingrata: ſermo inſidioſus aſſentatio pernicioſa; frons omnium familiaris multorum animus iratus; iracundiae occultae, blanditiae apertae: venientes practores exſpectant, praeſentibus inſeruiunt,

inſeruiunt, abeuntes deſerunt. ſed, omittamus querellas; ne noſtrum conſilium in praemittendis prouintijs laudare videamur. Litteras miſit de villico P. Septimij, hominis ornati; qui villicus caedem fecerat. Septimium ardentem iracundia videre potuiſtis. In Luconis libertũ iudicium ex edicto dedit. hoſtis eſt Lurco. quid igitur? hominum gratioſorum, ſplendidorumque libertis fuit Aſia tradenda? an ſimultates neſcio quas cum libertis veſtris Flaccus exercuit? an vobis in veſtris veſtrorumq. cauſſis ſeueritas odio eſt, eandẽ laudatis cum de nobis iudicatis? At iſte Andro, ſpoliatus bonis, vt dicitis, ad dicẽdum teſtimonium non venit. quid, ſi veniat? deciſionis arbiter C. Caecilius fuit, quo ſplendore vir, qua fide, qua religione? obſignator C. Sextilius, Lurconis ſororis filius, homo & pudens, & conſtans, & grauis. ſi vis erat, ſi fraus, ſi metus, ſi circumſcriptio, quis pactionem fieri, quis adeſſe iſtos coegit? quid, ſi iſta omnis pecunia huic adoleſcentulo L. Flacco reddita eſt? ſi petita? ſi redacta? ſi per hunc Antiochum, paternum huius adoleſcentis libertum, ſeni illi Flacco probatiſſimum? videmur ne non ſolum auaritiae crimen effugere, ſed etiam liberalitatis laudem aſſequi ſingularem? communem enim hæreditatem, quae aequaliter ad vtrunque lege veniſſet, conceſſit adoleſcenti propinquo ſuo, nihil ipſe attigit de Valerianis bonis: quod ſtatuerat facere, adductus huius pudore, & non ampliſſimis patrimonij copijs, id non ſolum fecit, ſed etiam prolixe, cumulateque fecit. ex quo intelligi debet, eum contra leges pecunias non cepiſſe, qui tam fuerit in hæreditate concedenda liberalis.

E X P L A N A T I O

SCilicet *defendam Decianum;*] Sed, magis quam, ſcilicet, alijs placet. mihi plus feſtiuitatis habere ſentẽtia videtur cum Scilicet. eſt enim quædam ironia, ſcilicet defendã Decianũ; pergitq. cum eodem ioco: Non eſt, mihi crede, corruptus. Qvod *ab eo redimeretur?*] quod ab eo Flaccus emeret. Sex *horas*] tres accuſatori, totidem defenſori, in cauſſa repetundarum. Invidisti] propter eã fidem illius in dubium vocaſti. Circvmveniebat] de hac laude ſupra his verbis. Bene teſtes interrogauit: callide acceſſit: reprehendit: quo voluit, adduxit: conuicit, & elinguem reddidit. Fecisti *& tu & populi ſermone exciperes*] nulla fere mutatione turpis ex hoc loco eluitur macula. nam ſi legatur, feciſſet vt ex populi ſermone excideres: vitij nihil ſuperſit. Si locum, inquit, illi tamquam ſubſcriptori tuo eiuſdem agendae cauſſae dediſſes, fortaſſe tuam laudem obſcuraſſet; feciſſet, vt de ipſo potius, quam de te, populus loqueretur. Vsqve *ad coronam applicuiſti.*] adduxiſti eum in conſpectum populi, nihil amplius: nullas enim ei dicendi partes, de illius perfidia queſtus reliquiſti. Vt. *A fide ſe abduceret.*] & haec & quae ſequuntur verba, vnum de ſubſcriptoribus Laelij Lucceium fuiſſe, planiſſime demonſtrant. Sestertivm *vicies.*] ſexaginta ſcutatorom millia. Et. evm *tu accuſas auaritia,*] cum Lucceio hic agit, non cum Laelio. Qvi *teſtes ab eo prodirent?*] ſubaudi, indicares. Habitare *vna?*] ſupra Laelij contubernales appellauit. Tabvlas *in poteſtate Lælij fuiſſe,*] tabulas publicas. quod non licebat. nam ſupra, Qui de tabulis, inquit, publicis recitat. ijs, quae accuſatoris poteſtate fuerunt, non debet habere auctoritatem. Nvnc *facis ſuſpicionem*] te a Flacco eſſe corruptum. Ita *enim dixiſti,*] ita frigide, ita ieiune Flaccum accuſaſti vt corruptus ab eo videri poſſis. Nescio *quid*] hoc ipſum, ne vehementer, ne copioſe accuſarer. Infantiam Lucceij, non Flacci corruptionem, quae nulla fuerit, frigidae, ieiunaeque accuſationis cauſſam fuiſſe oſtendit. Ad *ipſum*] quod Valeriae propinquus eſſet, & illa inteſtato eſſet mortua. infra: communem hæreditatem, quae aequaliter ad vtrumque lege veniſſet, conceſſit adoleſcenti, propinquo ſuo. Qvod *falſum intenderit;*] quod actione falſa hæreditatem illam petiuerit. Ingenva, *inquit, fuit.*] ſignificare volebat accuſator, a libertinis mulieribus, inteſtato mortuis, non ab ingenuis, ad eandem gentem hæreditates venire. In *manum, inquit conuenerat.*] docto viro, & in primis ingenioſo, legenti, In matrimonium, vt aſſentiar, a me non impetro. Cum enim in manum viri mulier conuenerat, eius bona dotis nomine viro ſubiecta erant. auctor Cicero in Topicis. In matrimonium autem conuenire, eſt, ſimpliciter matrimonium cõtrahere. Vsv] annua poſſeſſione. Vlpianus Inſt. xxi. An *coemptione*] hic locus, & alter pro Murena, quid ſit coemptio, videtur oſtendere. eſt autem actio quaedam, qua mulier in alienam poteſtatem, atque adeo in aliena ſacra ſuis interemptis auctoribus omnibus tutoribus, cum tota re domeſtica tranſit. Flaccvm *fuiſſe non dices.*] qui eſſe debuit, cum tutor eſſet. quod ſi non fuit, coemptio fieri nõn potuit. ergo nec vſu, nec coemptione Valeria in manum conuenit. potuit igitur hæreditatem illam, vt ſibi iure debitam, Flaccus prætor petere. Vsv *amittes.*] vſu res & acquiruntur, & amittũtur. eſt igitur, Vſu amittes, non adibis illam hæreditatem, ſed, vt alius eam vſucapiat, permittes. Impressio,] impetus. Occasio,] inter impreſſionem, & vim occaſionem nominari non placet, ſed coniungi malim cum eo, quod ſequitur, Non tempus, hoc ordine: Non impreſſio, non vis, non occaſio, non tempus. Legationes *liberas*] quae ſenatoribus dabantur. Socios *video quaeri:*] quia cũ ſenatoribus non aequo iure litigarent. lib. iii. de leg. Omitto, quemadmodum iſti ſe gerant, atque geſſerint, qui legatione hæreditates aut ſyngraphas ſuas perſequuntur: S:. Hereditatem *in prouincia creuerit,*] cernere hæreditatem, pro, adire, capere, vſitatum eſt. Moderatvs *eſt religioni ſuae.*] quia iuratus teſtimonium dicebat, rationem aliquam ſuae religionis habuit. Sermo *inſidioſus,*] ſuperiora de praetoribus dixit, hac de prouincialibus: quorum ſermo inſidias tendit, aſſentatio ad perniciem ſpectat. In *praetermittendis prouincijs*] de ſe ipſo dicit, qui poſt conſulatum ire in prouinciam noluit: cum poſtea conſilium mutauerit, & in Ciliciam iuerit. Litteras *miſit*] Flaccus Aſiæ

praetor,

praetor, vt Septimij villicus, qui eadẽ fecerat, cõprehenderetur A RDENTEM *iracundia*] in teſtimonio dicendo. ſupra: Quã promptus homo P. Septimius quã iratus de iudicio, & de villico? LVRCONIS *libertum*] ſupra: Iratus Flacco dixit M. Lurco, quod, vt ipſe aiebat, libertus erat eius turpi iudicio condemnatus. Ex *edicto*] aliter facere non potuit, ſi ſuum edictum ſeruare voluit. FLACCVS *exercuit*?] an credat aliquis, ideo veſtros libertos Flacco dãnatos eſſe, quia ſimultates cum ijs exerceret? ISTE *Andro*] Valeriae vir. DECISIONIS *arbiter*] inter Andronem, & Flaccum, vt decideret, & ſtatueret. OBSIGNATOR] Valerianae pecuniae. Hoc ideo dicit, ne quid Flaccus de Valerianis bonis attigiſſe putaretur. PACTIONEM *fieri*,] pactionem Flaccus & Andro fecerunt, vt arbiter C. Caecilius decideret. SENI *illi Flacco*] L. Flacci adoleſcentis patris. EVM *contra leges pecunias non cepiſſe*,] quo crimine cauſſam dicebat.

ORATIO

AT Falcidianum crimen ingens. talenta quinquaginta ſe Flacco dicit dediſſe. Audiamus hominem: non adeſt. quo modo igitur dicit? epiſtolam mater eius profert, & alteram ſoror. ſcriptam ad ſe dicunt eſſe ab illo, tantam pecuniam Flacco datam. ergo is, qui ſi aram tenens iuraret, crederet nemo; per epiſtolam, quod volet, iniuratus probabit? at qui vir? quam non amicus ſuis ciuibus? qui patrimonium ſatis lautum, quod hic nobiſcum conficere potuit, Graecorum conuiuijs maluit abſumere. quid attinuit relinquere hanc vrbem? libertate tã praeclara carere? adire periculum nauigandi quaſi bona comeſſe Romae non liceret. nunc denique materculae ſuae feſtiuus filius, aniculae minime ſuſpicioſae, purgat ſe per epiſtolam, vt eam pecuniam, quam confecerat, non conſumpſiſſe, ſed Flacco dediſſe videatur. at fructus iſti Trallianorum Globulo praetore venierant: Falcidius emerat H.S DCCCC. ſi dat tantam pecuniam Flacco, nempe idcirco dat, vt rata ſit emptio: emit igitur aliquid, quod certe multo pluris eſſet: dat de lucro, nihil detrahit de viuo: minus igitur lucri facit. cur Albanum venire iubet? cur matri praeterea blanditur? cur epiſtolis & ſororis, & matris imbecillitatem aucupatur? poſtremo cur non audimus ipſum? retinetur, credo, in prouincia. mater negat. veniſſet, inquit, ſi eſſet denunciatum. tu certe coegiſſes, ſi vllum firmamentum in illo teſte poſuiſſes. ſed hominem ab negotio abducere noluiſti magnum erat ei certamen propoſitum, magna cum Graecis contentio: qui tamen, vt opinor, iacent victi: nam iſte vnus totam Aſiam magnitudine poculorum, bibendoq. ſuperauit. ſed tamen quis tibi Laeli, de epiſtolis iſtis indicauit? mulieres negant ſe ſcire. quis? is ipſe? igitur ille tibi, ſe ad matrem, & ſororem ſcripſiſſe, narrauit? an etiam ſcripſit hortatu tuo? at vero M. Aebutium, conſtantiſſimum, & pudentiſſimum, hominem, Falcidij affinem, nihil interrogas? nihil eius generum, pari fide praeditum, C. Manlium? qui profecto de tanta pecunia, ſi eſſet data, nihil audiſſe non poſſent. bis tu igitur epiſtolis, Deciane, recitatis, bis muliereulis productis, illo abſente auctore laudato, tantum te crimen probaturum putaſti? praeſertim cum ipſe, non deducendo Falcidium, indicium feceris, plus falſam epiſtolam habituram ponderis, quam ipſius praeſentis fictam vocem, & ſimulatum dolorem. Sed, quid ego de epiſtolis Falcidij, aut de Androne Sextilio, aut de Deciani cenſu tamdiu diſputo, & taceo de ſalute omnium noſtrum, de fortunis ciuitatis, de ſumma reip. taceo? quam vos vniuerſam in hoc iudicio veſtris humeris, veſtris, inquam, humeris, iudices, ſuſtinetis. videtis, in quo motu temporum, quanta in conuerſione rerum, ac perturbatione verſemur. cum alia multa certi homines, tum hoc vel maxime moliuntur, vt veſtrae quoque mentes, veſtra iudicia, veſtrae ſententiae optimo cuique infeſtiſſimae, atque inimiciſſimae reperiantur. grauia iudicia pro reip. dignitate, multa de coniuratorum ſcelere feciſtis. non putant ſatis conuerſam remp. niſi in eandem impiorum poenam optime meritos ciues detruſerint. oppreſſus eſt C. Antonius. eſto: habuit quandam ille infamiam ſuam: neque tamen ille ipſe pro meo iure dico, vobis iudicibus damnatus eſſet; cuius damnationis ſepulcrũ L. Catilinae floribus ornatum hominum audaciſſimorum, ac domeſticorum hoſtium conuentu epulisq. celebratum eſt. iuſta Catilinae facta ſunt. nunc a Flacco Lentuli poenae per vos expetuntur. quam poteſtis P. Lentulo, qui vos, in complexu liberorum coniugumq. veſtrarum trucidatos, incendio patriae ſepelire conatus eſt, mactare victimam gratiorem, quã ſi L. Flacci ſanguine illius nefarium in omnes nos odium ſaturaueritis? litemus igitur Lentulo; parentemus Cethego; reuocemus eiectos; nimiae pietatis, & ſummi amoris in patriam vicissim nos poenas, ſi ita dijs placet, ſuffcramus. nos iam ab indicibus nominamur; in nos crimina finguntur: nobis pericula comparantur. quae ſi per alios agerent; ſi denique per populi nomen ciuium imperitorum multitudinem concitaſſent: aequiore animo ferre poſſemus: illud uero ferri non poteſt, quod per ſenatores, & per equites R. qui haec omnia pro ſalute omnium communi conſilio, vna mente, atque virtute geſſerunt, harum rerum auctores duces, principes ſpoliari omnibus fortunis, ac de ciuitate expelli poſſe arbitrantur. etenim populi R. perſpiciunt mentem, & voluntatem: omnibus rebus, quibus poteſt, populus R. ſignificat, quid ſentiat: nulla varietas eſt inter homines opinionis, nulla voluntatis, nulla ſermonis. quare, ſi quis illuc me vocat, venio: populum R. diſceptatorem non modo non recuſo, ſed etiam depoſco. vis abſit; ferrum, ac lapides remoueantur; operae faceſſant; ſeruitia ſileant: nemo erit tam iniuſtus, qui me audierit, ſit modo liber, & ciuis, quin potius de praemijs meis, quam de poena, cogitandum putet. O dij immortales. quid hoc miſerius? nos, qui P. Lentulo ferrum & flammam de manibus extorſimus, imperitae multitudinis iudicio confidimus, lectiſſimorum ciuium, & ampliſſimorum ſententias pertimeſcimus. M. Aquilium patres noſtri, multis auaritiae criminibus, teſtimonijsq. conuictum, quia cum fugitiuis fortiter bellum geſſerat, iudicio liberauerunt. conſul ego nuper defendi C. Piſonem: qui quia conſul fortis, con-

ſtausq.

ſtansq. fuerat incolumis eſt reip. conſeruatus. defendi item conſul L. Murenam conſulem deſignatum: nemo illorum iudicum, clariſſimis viris accuſantibus, audiendum ſibi de ambitu putauit; cum, bellum iam gerente Catilina, omnes me auctore duos conſules Kalendis Ian. ſcirent eſſe oportere. innocens, & bonus vir, & omnibus rebus ornatus, bis hoc anno, me defendente, abſolutus eſt A. Thermus. quanta reip. cauſſa laetitia populi R. quanta gratulatio conſecuta eſt? ſemper graues, & ſapientes iudices in rebus iudicandis, quid vtilitas ciuitatis, quid communis ſalus, quid reip. tempora poſcerent, cogitauerunt. cum tabella vobis dabitur, iudices, non de Flacco dabitur ſolum, dabitur de ducibus auctoribusq. conſeruandae ciuitatis, dabitur de bonis omnibus, dabitur de vobiſmet ipſis, dabitur de liberis veſtris, de vita, de patria, de ſalute communi. non iudicatis in hac cauſſa de exteris nationibus non de ſocijs: de vobis, ac de veſtra rep. iudicatis. quod ſi prouinciarum uos ratio magis mouet, quam veſtra: ego vero non modo non recuſo, ſed etiam poſtulo, vt prouinciarum auctoritate moueamini. etenim opponemus Aſiae prouinciae primum magnam partem eiuſdem prouinciae, quae pro huius periculis legatos, laudatoresq. miſit; deinde prouinciam Galliam, prouinciam Ciliciam, prouinciã Hiſpaniam, prouinciã Cretam. Graecis autem Lydis, & Phrygibus, & Myſſis, obſiſtent Maſſilienſes, Rhodij, Lacedaemonij, Athenienſes, cuncta Achaia, Theſſalia, Boeotia. Septimio, & Coelio teſtibus P. Seruilius, & Q. Metellus, huius pudoris, integritatisq. teſtes, repugnabunt. Aſiaticae iuriſdictioni vrbana iuriſdictio reſpondebit. annui temporis criminationem omnis aetas L. Flacci, & perpetua vita defendet. &, ſi prodeſſe L. Flacco, iudices, debet quod ſe tribunum militem, quod quaeſtorem, quod legatum imperatoribus clariſſimis, exercitibus ornatiſſimis, prouinciis grauiſſimis dignum ſui maioribus praeſtitit: proſit, quod hic, vobis videntibus, in periculis communibus omnium veſtrum ſua pericula cum meis coniunxit: proſint honeſtiſſimorum municipiorum, coloniarumq. laudationes: proſit etiam ſenatus, populiq. R. praeclara & vera laudatio.

EXPLANATIO

TALENTA *quinquaginta.*] ſcutatorum triginta ſex millia, ideſt ſeſtertium nõgenta millia, vt infra. H.S DCCCC.] talenta quinquaginta ſupra nominata. QVOD *certe multo pluris eſſet.*] alioqui lucri nihil faceret. MINVS *igitur lucri facis.*] ſed lucratur tamen. quod ſi lucratur, cur Albanũ fundũ vendi iubet? nõ igitur pecuniam illam Flacco dedit, ſed ipſe cõfecit. AB *negotio*] iocatur. nullũ enim erat Falcidio in Graecia negotiũ, niſi vt pergraecaretur, ideſt cũ Graecis ipſis, graeco more bibẽdo, cõtẽderet. AVCTORE] cui tu credi uelis. LAVDATO,] cũ ironia: pro nequiſſimo homine, qui patrimoniũ ſatis lautũ pergraecando confecerit. POSTVLO,] tam deprauatũ nihil eſt, vnde homines imperiti ſenſũ aliquem non percipiant. recta autem intelligendi conſuetudo, quod venuſtum, purumq. non ſit, quod cum ratione, cum Latini ſermonis dignitate, cum tota verborum compoſitione non congruat, nihil probat. mihi ſuperuacuum omnino videtur, Poſtulo: delere tamen, cũ in eo libri omnes antiqui conſentiant, non audeo. IN. QVO *motu temporum;*] nutare iam coeperat ſtatus reip. Caeſare, & Bibulo cos. quae malorum denique omnium, publicaeq. ſeruitutis cauſſa & origo fuit. OPPRESSVS *eſt*] damnatus de maieſtate, accuſante M. Coelio. ſupra. INFAMIAM] quaſi cum Catilina conſenſiſſet. culpam nõ dixit, vt eum crimine liberaret. itaque ſubiungit: Neque tamen ille ipſe vobis iudicibus damnatus eſſet. PRO *meo iure dico.*] meo quoddam iure hoc mihi videor affirmare poſſe, iuſtitia fretus & ſapientia veſtra ſingulari. SEPVLCRVM *L. Catilinae*] pro tempore ab impijs exſtructum, occaſione damnationis Antonij nam Catilinae ſepulcrum in patria non fuit, cum hoſtis a rep. iudicatus, procul ab vrbe in Etruria pugnans occubuiſſet. A FLACCO. *Lentuli poenae expetuntur.*] vt Catilinam Antonius interemit, ſic Lentulum, virum conſularem, & tum praeturam gerentem, coniuratorum, qui poſt Catilinae diſceſſum in vrbe remanſerant, principem, Flaccus in vrbe oppreſſit. CETHEGO] C. Cornelio Cethego, qui cum Lentulo in carcere necatus. SI. POPVLI *Romani perſpiciunt mentem*] rectius, quam proſpiciunt: quod alijs placuit, vtriuſque verbi vi parum animaduerſa. nam, proſpicere, de futuris rebus, perſpicere, de praeſentibus vſurpatur. hic autem de praeſentire ſermonem eſſe, quis non intelligit ex ijs verbis? Omnibus rebus; quibus poteſt, populus Romanus ſignificat, quid ſentiat. M. AQVILIVM] de quo lib v. in Verrem, & alibi. CLARISSIMIS *viris*] Ser. Sulpicio, M. Catone. ME *auctore*] monente, & hortante. DVOS *conſules*] qui non fuiſſent, ſi Murena condemnatus eſſet. PROVINCIAM *Galliam,*] de qua ſupra: Neque vero te Maſſilia praeterreo, quae L. Flaccum militem praetoremq. cognoſti. CILICIAM,] in qua fuit tribunus mil. HISPANIAM,] in qua quaeſtor. CRETAM.] in qua legatus. P. SERVILIVS *& Q. Metellus*] Seruilius Iſauricus, Metellus Creticus.

ORATIO

O. Nox illa, quae paene aeternas huic vrbi tenebras attuliſti. cum Galli ad bellum, Catilina ad vrbem, coniurati ad ferrum, & flammam vocabantur; cum ego te, Flacce, caelum, noctemq. conteſtans, flens flentem obteſtabar; cum tuae fidei optimae & ſpectatiſſimae ſalutem vrbis & ciuium commendabam. tu, tu, Flacce, praetor communis exitii nuncios cepiſti: tu incluſam in litteris reip. peſtem deprehendiſti: tu periculorum

lorum indicia, tu ſalutis auxilia ad me, & ad ſenatum attuliſti. quae tibi tum gratiae ſunt a me actae? quae ab ſenatu? quae a bonis omnibus? quis tibi, quis C. Pontinio, fortiſſimo viro, quemquam bonum putaret vnquam non ſalutem, verum honorem vllum denegaturum? O nonae illae Decembres, quae me consule fuiſtis: quem ego diem vere natalem huius vrbis, aut certe ſalutarem appellare poſſum. o nox illa, quam iſte eſt dies conſecutus, fauſta huic vrbi; miſerum me, metuo ne funeſta nobis. qui tum animus L. Flacci? (nihil dicam de me) qui amor in patriam? quae virtus? quae grauitas extitit? ſed, quid ea commemoro, quae tum, cum agebantur, vno conſenſu omnium, vna voce populi R. vno orbis terrae teſtimonio in caelum laudibus efferebantur? nunc vereor, ne non modo non proſint, verumetiam aliquid obſint. & enim multo acriorem improborum interdum memoriam eſſe ſentio, quam bonorum. ego te, ſi quid grauius acciderit, ego te, inquam, Flacce prodidero. mea dextra illa, mea fides, mea promiſſa, cum te, ſiremp. conſeruaremus, omnium bonorum praeſidio, quoad viueres, non modo munitum. ſed etiam ornatum fore pollicebar. putaui. ſperaui, etiam ſi honos noſter vobis vilior fuiſſet, ſalutem certe caram futuram. At L. Flaccum quidem, iudices, ſi, quod dij immortales omen auertant, grauis iniuria afflixerit, numquam tamen proſpexiſſe veſtrae ſaluti, conſuluiſſe vobis, liberis, coniugibus, fortunis veſtris paenitebit: ſemper ita ſentiet, talem ſe animum & generis dignitati, & pietati ſuae, & patriae debuiſſe: vos ne paeniteat tali ciui non pepercíſſe, per deos immortales, iudices, prouidete. quotus enim quiſque eſt, qui hanc in rep. ſectam ſequatur? qui vobis, qui veſtri ſimilibus placere cupiat? qui optimi, atque ampliſſimi cuiuſque hominis, atque ordinis auctoritatem magni putet? cum illam viam ſibi videant expeditiorem ad honores & ad omnia, quae concupiuerunt. ſed cetera ſint eorum: ſibi habeant potentiam, ſibi honores, ſibi ceterorum commodorum ſummas facultates: liceat ijs, qui haec ſalua eſſe voluerunt, ipſi eſſe ſaluis. nolite, iudices, exiſtimare eos, quibus integrum eſt, qui nondum ad honores acceſſerunt, non exſpectare huius exitum iudicij. ſi L. Flacco tantus amor in bonos omnes, tantum in rep. ſtudium calamitati fuerit; quem poſthac tam amentem fore putatis, qui non illam viam vitae, quam ante praecipitem, & lubricam eſſe ducebat, huic planae, & ſtabili praeponendam eſſe arbitretur? quod ſi talium ciuium vos, iudices, taedet, oſtendite: mutabunt ſententiam, qui potuerint: conſtituent, quid agant, quibus integrum eſt: nos, qui iam progreſſi ſumus, hunc exitum noſtrae temeritatis feremus. ſin hoc animo quamplurimos eſſe vultis; declarabitis hoc iudicio, quid ſentiatis. huic, huic miſero puero, veſtro ac liberorum veſtrorum ſupplici, iudices, hoc iudicio viuendi praecepta dabitis. cui ſi patrem conſeruatis; qualis ipſe debeat eſſe ciuis, praeſcribetis: ſin eripitis, oſtendetis bonae rationi, & conſtanti, & graui nullum a vobis fructum eſſe propoſitum: qui vos, quoniam eſt id aetatis, vt ſenſum iam percipere poſſit ex maerore patrio, auxilium nondum patri ferre poſſit, orat, ne ſuum luctum patris lacrumis, patris maerorem ſuo fletu augeatis: qui etiam me intuetur, me vultu appellat, meam quodam modo flens fidem implorat, ac repetit eam, quam ego patri ſuo quondam pro ſalute patriae ſpoponderim, dignitatem. miſeremini familiae, iudices, miſeremini fortiſſimi patris, miſeremini filij: nomen clariſſimum, & fortiſſimum, vel generis, vel vetuſtatis, vel hominis cauſſa, reip. reſeruate.

EXPLANATIO

O. Nox *illa*,] qua Flaccus & Pontinius praetores in tranſitu pontis Muluij legatos Allobrogũ, cum litteris mandatiſq; ad ſuos ciues, & eodem itinere ad Catilinã miſſos, comprehenderunt. orat. 3. in Catil. & Salluſtius. VOBIS *vilior fuiſſet*] ſi de honore noſtro parum laboraſſetis. O. NONAE *illae Decembris*]quo die expoſitis in ſenatu, atque editis coniurationis indicijs, conſule Cicerone, quid fieri placeret, conſulente, ſenatus cenſuit, vt P. Lentulus, cum ſe praetura abdicaſſet, itemq. alij octo qui cum eo coniurauerant, in cuſtodiam traderentur. O. NOX *illa*] qua Flaccus legatos Allobrogum cum litteris comprehendit. ILLAM *viam*] ciuium improborum, diuerſam ab ea, quam ſecutus eſt Flaccus. PRAECIPITEM, *& Lubricam*] eiuſmodi, vt ea perueniri ad honores non poſſet. HVIC *planae, & ſtabili*] quae bonos antea viros recto itinere ad honores duxit. NOMEN *clariſsimum & fortiſsimum*,] Nomen, hic locum non habet: nec apte, & proprie, nomen fortiſſimum, dici, recte intelligens quiſpiam putauerit. quod ſi, ciuem, reponatur, congruent omnia.

IN. ORATIONEM. CICERONIS
PRO. P. CORNELIO. SVLLA
PAVLLI· MANVTII
COMMENTARIVS

P.CORNELIVS *Sulla, L. Sullae dictatoris propinquus conſul deſignatus cum P. Autronio Paeto, damnatus erat cum collega de ambitu, & in eorum locum accuſatores L. Cotta, et L. Torquatus legis beneficio ſucceſſerant. Eundem Sullam accuſauit aliquanto poſt de coniuratione L. Torquatus filius. defendit Hortenſius primum, deinde Cicero. abſolutum eſſe, ſatis ex eo conſtat, quia Gabinium accuſauit. qua de re ſic ep 3. lib.* III. *ad Q. fr. Gabiniũ de ambitu reum fecit P. Sulla. ſubſcribente priuigno Memmio, fratre Caecilio, Sulla filio. Hic eſt P. Sulla, a quo reo, ſeſtertium vicies empturus Cicero Palatinam domum, mutuo accepit: vt ait Gellius lib.* XII. *c.* 12. *De eodem lib. 2. Off. Nec vero umquam bellorũ ciuilium ſemen et cauſſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentã et meminerint, & ſperabunt. quã P. Sulla cum vibraſſet, dictatore propinquo ſuo, idem ſexto & triceſimo anno poſt a ſceleratiore haſta eadem non receſſit. Mortẽ eius ep. 10 lib.* IX. *Cicero Dolabellae ſignificat his verbis: Te tamen hoc ſcire volo, vehementer populum ſollicitum fuiſſe de P. Sullae morte antequam certum ſcierit. nunc quarere deſierunt, quomodo perierit. ſatis putant ſe ſcire, quod ſciunt. ego cetero qui animo aequo fero: vnum vereor, ne haſta Caeſaris refrixerit. Et in ep. ad Caſſium, lib.* XV. *Nos hic P. Sullã patrem mortuũ habebamus. alij, a latronibus, alij, cruditate dicebãt. populus non curabat combuſtum enim eſſe conſtabat. hoc tu pro ſapientia tua feres aequo animo. quamquã* [illegible] *amiſimus. Caeſarẽ p tabãt moleſte laturum, verentem ne haſta refrixiſſet. Habita videtur oratio anno proximo poſt Ciceronem conſulem. quod illa verba ſignificãt orationis extremae: Seueritatẽ iudiciorum, quae per hos mẽſes in homines au-*

daciſsimos facta eſt, lenitate, ac miſericordia mitigate. nam a coniuratorum nece, ideſt a menſe vltimo conſulatus Ciceronis, longius diſtare accuſationem ceterorum, veriſimile non eſt. Suffragari videntur huic opinioni illa quoque verba, a Cicerone in accuſatorem Sullæ Torquatum coniecta. Nihil eſt tam alienum ab eo, qui alterum coniurationis accuſet, quam videri coniuratorum poenam, mortemq. lugere. quod cum is tribunus pl. facit, qui vnus videtur ex illis ad lugendos coniuratos relictus: nec mirum eſt: te, ſi quid eiuſmodi facis, vehementer miror. Quibus verbis, paullo ante, coniuratos perijſse, cognoſcitur.

M. TVLLII. CICERONIS
PRO. P. CORNELIO. SVLLA
ORATIO. XXV.

Maxime vellem, iudices, vt P. Sulla & antea dignitatis ſuæ ſplendorem obtinere, & poſt calamitatem acceptam modeſtiæ fructum aliquem potuiſſet percipere. ſed, quoniam ita tulit caſus infeſtus, vt ampliſſimo in honore tum communi ambitionis inuidia, tum ſingulari Autronij odio euerteretur; & in his priſtinae fortunae reliquijs miſeris, & afflictis, tamen haberet quoſdam, quorum animos ne ſupplicio quidem ſuo ſatiare poſſet: quamquam ex huius incommodis magnam animo moleſtiam capio, tamen, in ceteris malis, facile patior oblatum mihi tēpus, in quo boni viri lenitatem meam miſericordiamque notam omnibus quondam, nunc quaſi intermiſſam agnoſcerent; improbi, ac perditi ciues, edomiti, atque victi, præcipitante rep. vehementem me fuiſſe, atque fortem, conſeruata mitem, ac miſericordem faterentur. &, quoniam L. Torquatus, meus familiaris, ac neceſſarius, iudices, exiſtimauit, ſi noſtram in accuſatione ſua neceſſitatem familiaritatemque violaſſet, aliquid ſe de auctoritate mea e defenſionis poſſe detrahere: cum huius periculi propulſatione coniungam defenſionem officij mei. quo quidem genere non vterer orationis, iudices, hoc tempore, ſi mea ſolum intereſſet: multis enim mihi locis & data facultas eſt, & ſaepe dabitur de mea laude dicendi. ſed, vt ille, iudices, quantum de mea auctoritate diripuiſſet, tantum ſe de huius praeſidijs deminuturum ſperauit: ſic hoc ego ſentio, ſi mei facti rationem vobis, conſtantiamque huius officij, ac defenſionis probauero, cauſſam quoque me P. Sullae probaturum.

EXPLANATIO

DIGNITATIS *ſuae ſplendorem obtinere,*] vt conſul deſignatus erat, ita conſulatum adminiſtrare. quod cū ei non licuerit, amiſſo conſulatu: ſplendorem ſimul amiſit ſuæ dignitatis. POST *calamitatem acceptam*] poſt damnationem. MODESTIAE *fructum aliquem potuiſſet percipere.*] vt, quia calamitatem modeſte tulit, propterea fructum aliquem ſuae modeſtiæ ferret: quem autem fructum? vt nouam ei calamitatem creare nemo vellet. AMPLISSIMO *in honore*] in conſulatu. COMMVNI *ambitionis inuidia*] non propria culpa, ſed communi eorum odio, qui malis artibus, ambitu praeſertim, honores adipiſcuntur. AVTRONII] P. Autronij Paeti: cui propter improbitatem, & nequitiam infenſi omnes erant: & quia ſimul deſignati erant conſules, Autronij culpae affinis eſſe Sulla exiſtimatus eſt. QVOSDAM,] Torquatum filium ſignificat; quo accuſante, de ambitu damnatus conſulatum amiſerat. NE. SVPPLICIO *quidam ſuo*] ne poena quidem conſulatus amiſſi. NVNC *quaſi intermiſſam*] quia ſeuere contra Catilinam, eiusq. ſocios decreuit. NECESSITATEM,] neceſſitudinem.

ORATIO

Ac primum abs te illud, L. Torquate, quaero, cur me a ceteris clariſſimis viris, ac principibus ciuitatis in hoc officio, atque in hoc defenſionis iure ſecernas. quid enim eſt, quamobrem abs te Q. Hortenſij factum, clariſsimi viri, atque ornatiſſimi ciuis, non reprehendatur, reprehendatur meum? nam, ſi initum eſt conſilium a P. Sulla inflammandae ciuitatis, huius exſtinguendi imperij, delendae vrbis; mihi maiorem haec res dolorem, quam Q. Hortenſio, mihi maius odium afferre debet? meum denique grauius eſſe iudicium, qui adiuuandus in his cauſſis, qui oppugnandus, qui defendendus, qui deſerendus eſt, videatur? ita, inquit: tu enim inueſtigaſti, tu patefeciſti coniurationem. quod cum dicit, non attendit, eum qui patefecerit, hoc curaſſe, vt id omnes viderent, quod antea fuiſſet occultum. quare, iſta coniuratio ſi patefacta per me eſt, tam patet Hortenſio, quam mihi. quem cum videas, honore hoc, auctoritate, virtute, conſilio praeditum, non dubitaſſe, quin innocentem P. Sullam defenderet; quaero, cur, qui aditus ad cauſſam Hortenſio patuerit, mihi intercluſus eſſe debuerit. Quaero illud etiam, ſi me, qui defendo, reprehendendum putas eſſe; quid tandem exiſtimes de his ſummis viris, & clariſſimis ciuibus, quorum ſtudio & dignitate celebrari hoc iudicium, & ornari, cauſſam defendi huius innocentis vides. non enim vna eſt ratio defenſionis ea, quae poſita eſt in oratione: omnes, qui adſunt, qui laborant, qui ſaluum volunt, pro ſua parte, atque auctoritate defendunt. an vero, in quibus ſubſelliis, haec ornamenta, ac lumina reip. viderem, in his me apparere nollem, quorum ego opera illum in locum, atque in hanc celſiſſimam ſedem dignitatis atq. honoris, multis meis ac magnis laboribus, & periculis adſcendiſſem? Atque, vt intelligas, Torquate quem accuſes; ſi te id offendit, quod ego, qui hoc genere quaeſtionis defenderim neminem, nō deſim P. Sullae; recordare de ceteris, quos adeſſe huic vides: intelliges, & de hoc, & de ceteris iudicium meum

& bonorum par, atque vnum fuiſſe. quis noſtrum adfuit Varguntelo? nemo: ne hic quidem Q. Hortenſius, praeſertim qui illum ſolus antea de ambitu defendiſſet: non enim iam ſe vllo officio cum illo coniunctũ arbitrabatur, cum ille, tanto ſcelere commiſſo, omnium officiorum ſocietatem diremiſſet. Quis noſtrum Ser. Sullam, quis P. Lentulum, quis M. Laecam, quis C. Cornelium defendendum putauit? quis his horum adfuit? nemo. quid ita? quia ceteris in cauſſis etiam nocentes, viri boni, ſi neceſſarij ſunt, non defendendos eſſe non putant: in hoc crimine non ſolum leuitatis eſt culpa, verum etiam quaedam contagio ſceleris, ſi defendas eum, quem obſtrictum eſſe patriae ſuſpicere. Quid? Autronio non ne ſodales, non collegae ſui, non veteres amici, quorum ille copia quondam abundarat, non hi omnes, qui ſunt in rep. principes, defuerunt? immo etiam teſtimonio plerique laeſerunt. ſtatuerant tantum illud eſſe maleficium, quod non modo non occultari per ſe, ſed etiam aperiri, illuſtrariq. deberet. Quamobrem quid eſt, quod mirere, ſi cum iiſdẽ me in hac cauſſa vides adeſſe, cum quibus in ceteris intelligis abfuiſſe? niſi vero me vnum vis ferum praeter ceteros, me aſperum, me inhumanũ exiſtimari, me ſingulari immanitate, & crudelitate praeditum. hanc mihi tu ſi propter res meas geſtas imponis in omni vita mea perſonam, Torquate; vehementer erras. me natura miſericordem, patria ſeuerum, crudelem nec patria, nec natura eſſe voluit. denique iſtam ipſam perſonam vehementem, & acrem, quam mihi tum tempus, & reſp. impoſuit, iam voluntas, & natura ipſa detraxit. illa enim ad breue tempus ſeueritatem poſtulauit, haec in omni vita miſericordiã, lenitatemq. deſiderat. quare nihil eſt, quod ex tanto comitatu virorum ampliſſimorum me vnum abſtrahas. ſimplex officium, atque vna eſt omnium bonorum cauſſa. nihil erit, quod admirere poſt hac, ſi in ea parte, in qua hos animaduerteris, me videbis. nulla eſt enim in rep. cauſſa mea propria: tempus agendi fuit magis mihi proprium, quam ceteris; doloris vero, & timoris, & periculi fuit illa cauſſa communis. neque enim princeps tunc ad ſalutem eſſe potuiſſem, ſi eſſe alij comites noluiſſent. quare neceſſe eſt, quod mihi conſuli praecipuum fuit praeter alios, id iam priuato cum ceteris eſſe commune. neque ego hoc partiendae inuidiae, ſed communicandae laudis cauſſa loquor. oneris mei partem nemini impertio, gloriae bonis omnibus. In Autronium teſtimonium dixiſti, inquit: Sullam defendis. Hoc totũ eiuſmodi eſt, iudices, vt, ſi ego ſim inconſtans, ac leuis, nec teſtimonio fidem tribui cõuenerit, nec defenſioni auctoritatem: ſin eſt in me ratio reip. religio priuati officii, ſtudium retinendae voluntatis bonorum; nihil minus accuſator debet dicere, quam a me defendi Sullam, teſtimonio laeſum eſſe Autronium. videor enim non ſolum ſtudium ad defendendas cauſſas, verũ opinionis aliquid, & auctoritatis afferre; qua & moderate ego vtor, iudices, & omnino non vterer, ſi ille me non coegiſſet.

EXPLANATIO

Q. Hortensii *factum*] Sullae defenſio. Mihi *maiorem haec res dolorem*,] quia conſul in ciues impios animaduerti, & huius puniendi criminis cura magis ad me, quam ad quemquam alium, pertinet. Celebrari *hoc iudicium*,] venerant non, vt patroni cauſſam acturi, ſed vt aduocati reum ſua praeſentia, ſuaq. auctoritate subleuaturi. In quibus *ſubſellijs*] rei Sullae. Illum *in locum*,] qualem ipſi obtinent; in illam honeſtatem, qua ipſi ſunt. explanatur ſequentibus verbis. In hanc *celſiſſimam ſedem dignitatis, atque honoris*,] quae conſularium virorum eſt: conſulatum autem iis acceptum refert. Hoc *genere quaeſtionis*] de maieſtate, cuius laeſae vltor fuerim. De *ceteris*,] qui ſenſerant, & ſentiunt idem, quod ego. neminem enim defenderunt hoc genere quaeſtionis, nunc tamen huic adſunt. M. Laecam,] M. Porcium Laecam, cuius in domum coniuratos Catilina conuocauit: vt infra, & orat. I. in Catil. C. Cornelium] qui ſe Ciceronem conſulem interfecturum eſſe pollicitus erat. infra, & apud Salluſtium. Autronio] apparet eum bis eſſe damnatum, de ambitu primum, deinde, quod hic ſignificatur, de maieſtate. Abfuiſſe?] neminem ex iis, qui nefarium patriae bellum indixerant, defendi. Defenſum *ab eo eſt*.] crimen hoc Hortenſius a Sulla remouit. Auctoritatis,] quae eſſe debet in eo, qui interfuit, qui cognouit, qui particeps & conſilij fuit, & timoris. haec enim ſunt eiuſmodi, vt ei fides habenda videatur.

ORATIO

DVae coniurationes abs te, Torquate, conſtituuntur: vna, quae Lepido, & Tullo coſ. patre tuo conſule deſignato, facta eſſe dicitur; altera, quae me conſule. harum in vtraque Sullam dicis fuiſſe. Patris tui, fortiſſimi viri, atque optimi conſulis, ſcis me conſiliis non interfuiſſe: ſcis me, cum mihi ſummus tecum vſus eſſet, tamen illorum expertem temporũ, & ſermonum fuiſſe: credo, quod nondum penitus in rep. verſabar, quod nondum ad propoſitum mihi finem honoris perueneram, quod mea me ambitio, & forenſis labor ab omni illa cogitatione abſtrahebat. quis ergo intererat veſtris cõſiliis? omnes hi, quos vides huic adeſſe, & in primis Q. Hortẽſius: qui cum propter honorem, ac dignitatem, atque animum eximiũ in remp. tum propter ſummã familiaritatem, ſummumq. amorẽ in patrem tuũ, tum cõmunibus, tum praecipuis patris tui periculis commouebatur. ergo iſtius coniurationis crimen defenſum ab eo eſt, qui interfuit, qui cognouit, qui particeps & conſilii veſtri fuit, & timoris. cuius in hoc crimine propulſando cum eſſet copioſiſſima, atque ornatiſſima oratio; tamen non minus inerat auctoritatis in ea, quam facultatis. illius igitur coniurationis, quae facta contra vos, delata ad vos, a vobis prolata eſſe dicitur, ego teſtis eſſe non potui. non modo enim nihil comperi; ſed vix ad aures meas iſtius ſuſpicionis fama peruenit. qui vobiſcum in conſilio fuerunt, qui vobiſcum illa cognorunt, quibus ipſis periculum

lucu-

lum tum conflari putabatur, qui Autronio non affuerunt, qui in illum teſtimonia grauia dixerunt, hunc defendunt, huic adſunt: in huius periculo declarant, ſe non crimine coniurationis, ne adeſſent ceteris, ſed hominum maleficio deterritos eſſe. mei conſulatus autem tempus, & crimen maximae coniurationis a me defendetur. atque inter nos partitio non eſt fortuito, iudices, nec temere facta: ſed, cum videremus eorum criminum nos patronos adhiberi, quorum teſtes eſſe poſſemus, vterque noſtrum id ſibi ſuſcipiendum putauit, de quo aliquid ſcire ipſe, atque exiſtimare potuiſſet. & , quoniam de criminibus ſuperioris cõiurationis Hortenſium diligenter audiſtis; de hac coniuratione, quae me conſule facta eſt, hoc primum attendite. Multa, cũ eſſem conſul, de ſummis reip. periculis audiui, multa quaeſiui, multa cognoui: nullus vnquam de Sulla nuncius ad me, nullum indicium, nullae litterae peruenerunt, nulla ſuſpicio. multum haec vox fortaſſe deberet valere eius hominis, qui conſul inſidias reip. conſilio inueſtigaſſet, veritate aperuiſſet, magnitudine animi vindicaſſet, cum ipſe nihil audiſſe de P. Sulla, nihil ſuſpicatum eſſe diceret: ſed ego nondum vtor hac voce ad hunc defendendum; ad purgandum me potius vtor, vt mirari Torquatus deſinat, me, qui Autronium abfugerim, Sullam defendere. quae enim Autronij fuit cauſſa? quae Sullae eſt? ille ambitus iudicium tollere, ac diſturbare primum conflato voluit gladiatorum ac fugitiuorum tumultu, deinde, id quod vidimus omnes, lapidatione, atque concurſu: Sulla, ſi ſibi ſuus pudor, ac dignitas non prodeſſet, nullum auxiliũ requiſiuit. ille damnatus ita ſe gerebat non ſolum conſilijs, & ſermonibus, verum etiam adſpectu, atque vultu, vt inimicus eſſe ampliſſimis ordinibus, infeſtus bonis omnibus, hoſtis patriae videretur: hic ſe ita fractum illa calamitate, atque afflictum putauit, vt nihil ſibi ex priſtina dignitate ſupereſſe arbitraretur, niſi quod modeſtia retinuiſſet. hac vero in coniuratione quid tam coniunctum, quam ille cum Catilina, cum Lentulo? quae tanta ſocietas vllis inter ſe rerum optimarum, quanta ei cum illis ſceleris, libidinis, audaciae? quod flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? quod ſine eodem illo Catilina facinus admiſit? cum interim Sulla cum eiſdem ipſis non modo noctem, ſolitudinemq. non quaereret, ſed ne mediocri quidem ſermone, & congreſſu coniungeretur. illum Allobroges, maximarum rerum veriſſimi indices, illum multorum litterae, ac nuncij coarguerunt: Sullam interea nemo inſimulauit, nemo nominauit. poſtremo, eiecto, ſiue emiſſo iam ex vrbe Catilina, ille arma miſit, cornua, tubas, falces, ſigna, legiones; ille relictus intus, exſpectatus foris, Lentuli poena compreſſus, conuertit ſe aliquando ad timorem, nunquam ad ſanitatem: hic contra ita quieuit, vt eo tempore omni Neapoli fuerit, vbi neque homines fuiſſe putantur huius affines ſuſpicionis; & locus eſt ipſe non tam ad inflammandos calamitoſorum animos, quàm ad conſolandos accommodatus. Propter hanc igitur tãtam diſſimilitudinem hominum, atque cauſſarum, diſſimilem me in vtroque praebui. veniebat enim ad me, & ſaepe veniebat Autronius multis cum lacrimis ſupplex, vt ſe defenderem: & ſe meum condiſcipulum in pueritia, familiarem in adoleſcentia, collegam in quaeſtura commemorabat fuiſſe: multa mea in ſe, nonnulla etiam ſua in me proferebat officia. quibus ego rebus, iudices, ita flectebar animo, atque frangebar, vt etiam ex memoria, quas ipſe mihi fecerat inſidias, deponerem: vt iam immiſſum eſſe ab eo C. Cornelium, qui me in ſedibus meis, in conſpectu vxoris meae ac liberorum meorum trucidaret, obliuiſcerer. quae ſi de vno me cogitaſſet, qua mollitia ſum animi, ac lenitate, nunquã mehercule illius lacrimis, ac precibus reſtitiſſem. ſed, cũ mihi patriae, cum veſtrorum periculorum, cum huius vrbis, cum illorum delubrorum, atque templorum, cum puerorum infantium, cum matronarum ac virginum veniebat in mentem, & cũ illae infeſtae ac funeſtae faces, vniuerſumq. totius vrbis incendium, cum tela, cum caedes, cum ciuium cruor, cũ cinis patriae verſari ante oculos, atque animum memoria refricare coeperat; tum denique ei reſiſtebam, neque ſolum illi hoſti, ac parricidae, ſed his etiam propinquis illius, Marcellis, patri, & filio, quorum alter apud me parentis grauitatem, alter filij ſuauitatem obtinebat: neque me arbitrabar ſine ſummo ſcelere poſſe, quod maleficium in alijs vindicaſſem, idem in illorum ſocio, cum ſcirem, defendere. atque idem neque P. Sullam ſupplicem ferre, neque eoſdem Marcellos, neque huius M. Meſſallae hominis neceſſarij, preces ſuſtinere potui. neque enim eſt cauſſa aduerſata naturae; nec homo, nec res miſericordiae meae repugnauit: nuſquam nomen, nuſquam veſtigium fuerat, nullum crimen, nullum indicium. ſuſcepi cauſſam, Torquate, ſuſcepi, & feci libenter, vt me, quem boni conſtantem ſemper, vt ſpero, exiſtimaſſent, eundem ne improbi quidem crudelem dicerent.

EXPLANATIO

LEPIDO, *& Tullo coſ.*] vt ſequentis anni conſules Cotta & Torquatus Kalendis Ian. in Capitolio occiderentur, ſtatimq. Catilina & Autronius, correptis faſcibus, deſcenderent. id autẽ conſiliũ Catilina cũ eius ratio, quia repetundarũ quaerebatur, habita nõ eſſet, iniuit cũ Piſone, & Autronio, circiter nõ. Dec. De die caedis conſulũ, ideſt de Kalendis Ian. ſic infra: De quo etiã ſi quis dubitaſſet antea, nũ id, quod tu arguis, cogitaſſet, interfecto patre tuo cõſule deſcendere Kalendis Ian. cũ lictoribus? E Salluſtio autem non ſolum de die caedis, verũ etiam de tempore, quo Catilina cũ Piſone, & Autronio conſiliũ communicauit, intelligitur. cũ enim de Cn. Piſone, propter inopiã, & malos mores nouarũ rerum cupido, locutus eſſet, cum hoc, inquit Catilina, & Autronius, circiter nõ. Dec. cõſilio communicato, parabant in Capitolio Kalẽdis Ian. L. Torquatũ, & L. Cottã cõſules interficere, ipſi, faſcibus correptis, Piſonem cum exercitu ad obtinendas duas Hiſpanias mittere. SE NON *crimine coniurationis, ne adeſſent ceteris,*] crimine coniurationis accuſatur Sulla, & a bonis tamẽ viris defenditur: eodẽ crimine accuſati alij ſunt, nec tamẽ defenſi: quia de hoc bene exiſtimatur, de alijs nõ itẽ. qui igitur huic adſunt in crimine coniurationis, oſtendunt ſe, cũ ceteris non affuerunt, nõ crimine coniurationis, ſed hominum maleficio deterritos eſſe. NON *prodeſſet,*] quae non praefuit. ITA *ſe gerebat*]

tur, quod omnes boni omnium generum, atque ordinum ſuam ſalutem cum mea coniungunt: conſolare te, quod omnium mentes improborum mihi vni maxime ſunt inſenſae, & aduerſae. qui me non ſolum iccirco oderunt, quod eorum conatus impios, & furorem conſceleratum repreſſi; ſed eo etiam magis, quod nihil iam ſe ſimile me viuo conari poſſe arbitrantur. at vero quid ego miror, ſi quid ab improbis de me improbe dicitur; cum L. Torquatus, primum ipſe his fundamentis adoleſcentiae iactis, ea ſpe propoſita ampliſſimae dignitatis, deinde L. Torquati, fortiſſimi conſulis, cōſtantiſſimi ſenatoris, sēper optimi ciuis, filius, interdum efferatur immoderatione verborum? qui cum ſuppreſſa voce de ſcelere P. Lentuli, de audacia coniuratorum omnium dixiſſet, tantummodo ut uos, qui ea probatis, exaudire poſſetis; de ſupplicio P. Lentuli, de carcere magnu & queribundu uoce dicebat. in quo primum illud erat abſurdum, quod cum ea, quae leniter dixerat, nobis probare nolebat, eos autem, qui circum iudicium ſtabant, audire nolebat; non intelligebat, ea, quae clare diceret, ita illos audituros, quibus ſe venditabat, ut uos quoque audiretis, qui id non probabatis. deinde alterum iam oratoris uitium, non uidere quid quaeque cauſſa poſtulet. nihil eſt enim tam alienum ab eo, qui alterum coniurationis accuſet, quam uideri coniuratorum poenam, mortemq. lugere. quod cum is tribunus pl. facit, qui unus uidetur ex illis ad lugendos coniuratos relictus: nec mirum eſt: difficile eſt enim tacere, cum doleas: te, ſi quid eiuſmodi facis, non modo talem adoleſcentem, ſed in ea cauſſa, in qua te uindicem coniurationis uelis eſſe, uehementer miror. Sed reprehendo tamen illud maxime, quod iſto ingenio, & prudentia praeditus cauſſam reip. non tenes, qui arbitrere plebi R. res eas non probari, quas me conſule omnes boni pro ſalute communi geſſerunt. ecquem tu horum, qui adſunt, quibus te contra ipſorum uoluntatem uenditabas, aut tam ſceleratum ſtatuis fuiſſe, ut haec omnia perire uoluerit; aut tam miſerum, ut & ſe perire cuperet, & nihil haberet, quod ſaluum eſſe uellet? an uero clariſſimum uirum generis ueſtri, ac nominis nemo reprehendit, qui filium ſuū uita priuauit, ut in ceteris firmaret imperium: tu remp. reprehendis, quae domeſticos hoſtes, ne ab iis ipſa necaretur, necauit? itaque attende iam, Torquate, quam ego non defugiam auctoritatem conſulatus mei. maxima uoce, ut omnes exaudire poſſint, dico, ſemperq. dicam. adeſtote omnes animis, qui adeſtis corporibus; quorum ego frequentia magnopere laetor: erigite mentes, aureſq. ueſtras, & me de inuidioſis rebus, ut ille putat, dicentem attendite.

E X P L A N A T I O

IN. QVOS *teſtimonium dixiſti,*] vt in Autronium. TE. IN *eos dixiſſe;*] vterque igitur falſum diximus. IS. NI,] tu ſcilicet. ITERVM] à C. Mario primum, deinde ab ipſo Cicerone, liberata coniurationis periculo rep. TI. CORVNCANIO] qui de Vulſinienſibus & Vulcientibus triumphauit. CVRIONI,] M. Curio, legendum ſermo enim eſt de veteribus, quos virtus potius, quam patria, nob litauerit nec inter eos referri Curio quiſquā poteſt. at M. Curius, cui Dentato cognomen fuit, quia cum dentibus natus eſt, Coruncanij aequalis, honoribus, & rebus geſtis clarus fuit. ter enim cōſulatum eſt adeptus: de Samnitibus, de Sabinis, de Lucanis, de Pyrrho rege triūphauit. hi omnes à Cicerone nominati, ex municipijs in vrbem venerunt; honoreſq. ſummos, quamquā plebeij generis, adepti ſunt. SIBI *habeant alij honores,*] ſimiliter in Catone: Habeant igitur alij ſibi arma. EX *domeſticis imaginibus*] M. Manlium ſignificat, qui, deiectis ex Capitolio Gallis, poſtea, cum in ſuſpicionem regni veniſſet, de rupe Tarpeia deturbatus eſt. ILLIS *meis praeſidijs*] bonorum omnium ſtudijs. CONSOLARE *te.*] ſi meis inuides bonis, conſolare te odio improborum omniū contra me vnum Cum Torquatum videatur accuſare, ſe ipſum laudat. FORTISSIMI *conſulis,*] qui fortiſſimus anno ſuo conſul fuit. TANTVMMODO *vt uos,*] non vt eos, qui circum iudicium ſtabant. QVI. EA *probatis,*] qui vera eſſe dicitis. LEVITER] ſupreſſa voce. carpit Torquatum, ira de coniuratis agentē, vt eorum cauſſae fauere videretur: cum tamen Sullam coniurationis accuſaret. QVIBVS *ſe venditabat,*] ijs, qui circum iudiciū ſtabant. IS *tribunus pl.*] fortaſſe Metellus Nepos, qui Ciceronem abeūtem conſulatu concionis habendae poteſtate prittauit, cum diceret, ei, qui in alios animaduertiſſet indicta cauſſa, dicendi ipſi poteſtatem fieri non oportere. quod ſi Metellus Nepos eſt; habita haec oratio Silano & Murena cos. CLARISSIMVM *virum generis veſtri,*] T. Manlium Torquatum, qui tertium conſul, Latino bel o filium, qui contra ſuum edictum pugnauerat, necari iuſſit. DE *inuidioſis rebus,*] de nece coniuratorum: qua me Torquatus putat in odium veniſſe plebi Romanae, tamquam ea, quae conſul pro communi ſalute geſſi, non probanti.

O R A T I O

EGO conſul, cum exercitus perditorum ciuium, clandeſtino ſcelere conflatus, crudeliſſimum, & luctuoſiſſimum exitium patriae comparaſſet; cum ad occaſum, interitumque reip. Catilina in caſtris, in his autem templis, atque tectis dux Lentulus eſſet conſtitutus; meis conſilijs, meis laboribus, mei capitis periculis, ſine tumultu, ſine delectu, ſine armis, ſine exercitu, quinque hominibus comprehenſis, atque confeſſis, incenſione vrbem, internecione ciues, vaſtitate Italiam, interitu remp. liberaui. ego vitam omnium ciuium, ſtatum orbis terrae, vrbem hanc denique, ſedem omnium noſtrum, arcem regum, ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperij, quinque hominum amentium, ac perditorum poena redemi. an me exiſtimaſti haec iniuratum in iudicio non eſſe dicturum, quae iuratus in maxima concione dixiſſem? atque etiam illud addam. (ne qui

forte

forte incipiat improbus ſubito te amare, Torquate, & aliquid ſperare de te) atque, vt idem omnes exaudiant, clariſſima voce dicam. Harum omnium rerum, quas ego in conſulatu pro ſalute communi ſuſcepi, & geſſi, L. ille Torquatus, cum eßet meus contubernalis in conſulatu, cum ſignifer eſſet iuuentutis, atque in praetura fuiſſet, auctor, adiutor, particeps extitit. cum princeps, cum auctor, cum ſignifer eſſet iuuentutis; parens eius, homo amantiſſimus patriae, maximi animi, ſummi conſilij, ſingularis conſtantiae, cum eſſet aeger, tamen omnibus rebus illis interfuit; numquam eſt a me digreſſus; ſtudio, conſilio, auctoritate vnus adiuuit plurimum, cum infirmitatem corporis animi virtute ſuperaret. Videsne, vt eripiam te ex improborum ſubita gratia, & reconciliem bonis omnibus? qui te & diligunt, & retinent, retinebuntq ſemper, nec, ſi a me forte deſciueris, idcirco te a ſe, & a rep. & a tua dignitate deficere patientur. Sed iam redeo ad cauſſam: atque hoc vos, iudices, teſtor. mihi de memet ipſo tam multa dicendi neceſſitas quaedam impoſita eſt ab illo. nam ſi Torquatus Sullam ſolum accuſaſſet; ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem, niſi eum, qui accuſatus eſſet, defenderem: ſed cum ille tota illa oratione in me eſſet inuectus; & cum initio, vt dixi, defenſionem meam auctoritate ſpoliare voluiſſet; etiam ſi dolor meus reſpondere non cogeret, tamen ipſa caußa hanc a me orationem flagitaſſet. Allobrogibus nominatum Sullam eſſe dicis. quis negat? at vide, quemadmodum nominatus ſit. L. Caſſium dixerunt commemoraſſe, cum ceteris Autronium ſecum facere. Quaero, num Sullam dixerit Caſſius: numquam. ſeſe aiunt quaeſiße de Caſſio, quid Sulla ſentiret. videte diligentiam Gallorum, qui vitam hominum naturamq. non noßent, ac tantum audiſſent, eos, pari calamitate qui fuerant, eſſe in eadem voluntate. quid tum? Caſſius ſi reſpondißet, idem ſentire, & ſecum facere Sullam, tamen mihi non videretur in hunc id criminoſum eße debere. quid ita? quia, qui barbaros homines ab bellum impelleret, non debebat minuere illorum ſuſpicionem, & purgare eos, de quibus illi aliquid ſuſpicarentur. non reſpondit tamen una facere Sullam: etenim eſſet abſurdum, cum ceteros ſua ſponte nominaßet, mentionem Sullae facere nullam, niſi admonitum, & interrogatum. niſi forte veriſimile eſt, P. Sullae nomen in memoria Caſſio non fuiſſe. ſi nobilitas hominis, ſi afflicta fortuna, ſi reliquiae priſtinae dignitatis non tam illuſtres fuiſſent; tamen Autronij commemoratio memoriam Sullae retulißet: etiam, vt arbitror, cum auctoritates principum coniurationis ad incitandos animos Allobrogum colligeret Caſſius, & cum ſciret exteras nationes maxime nobilitate moueri, non prius Autronium, quam Sullam, nominaßet. Iam vero illud probari minime poteſt, Gallos, Autronio nominato, putaße propter calamitatis ſimilitudinē ſibi aliquid de Sulla eße quaerendum; Caſſio, ſi hic eßet in eodem ſcelere, ne cum appellaſſet quidem Autronium, huius in mentem venire potuiſſe. ſed tamen quid reſpondit de Sulla Caſſius? ſe neſcire certum. Non purgat, inquit. Dixi antea: ne ſi argueret quidem tum denique, cum eßet interrogatus, mihi criminoſum videretur. ſed ego in iudicijs, & quaeſtionibus non hoc quaerendum arbitror, num purgetur aliquis, ſed num arguatur. etenim, cum negat ſe ſcire Caſſius, vtrum ſubleuat Sullam, an ſatis probat ſe neſcire? ſubleuat apud Gallos: quid ita? ne indicent? quid? ſi periculum eſſe putaßet, ne vlli vnquam indicarent, de ſe ipſo confeſſus eſſet? Neſciuit. Credo, iudices, celatum eſſe Caſſium de Sulla vno: nam de ceteris certe ſciebat, & ea domi eius pleraque conflata eſſe conſtabat. qui negare noluit eſſe in eo numero Sullam, quo plus ſpei Gallis daret; dicere autem falſum non auſus eſt; neſcire dixit. atqui hoc perſpicuum eſt, cum is, qui de omnibus ſcierit, de Sulla ſe ſcire negarit, eandem vim eſſe negationis huius, quam ſi extra coniurationem hunc eſſe ſe ſcire dixißet. nam, cuius ſcientiam de omnibus conſtat fuiße, eius ignoratio de aliquo purgatio debet videri. ſed iam non quaero, purget ne Caſſius Sullam; illud mihi tantum ſatis eſt, contra Sullam nihil eße in iudicio.

EXPLANATIO

SINE *delectu.*] militum. QVINQVE] P. Lentulo, C. Cethego, ſenatoribus, L. Statilio, P. Gabinio, equitibus R. M. Cepario Terracinenſe. Salluſtius. ipſe tamen Cicero, a ſe diſſentiens, nouem homines, non quinque poena affectos eſſe, ait in orat. 3. in Catil. ad eos quinque, quos iam nominaui, addens L. Caſſium, P. Furium, Q. Magium Chilonem, P. Vmbrenū. QVAE *iuratus in maxima concione dixiſſem?*] vltimo conſulatus die iurauit, a ſe ſeruatam eſſe remp. id ipſe narrat in orat. in Piſonem, & in ea pro Domo. TE *amare,*] tamquam ſui ſimilem. L. ILLE *Torquatus.*] hic ipſe, qui Sullam accuſat. MEVS *contubernalis in conſulatu,*] ita tunc mos erat: vt adoleſcentes quotidiano conuictu & ſermone clarorum virorum, adminiſtrandae reip. ſcientiam perciperent. Sic L. Gellius C. Carbonis in conſulatu contubernalis fuit: vt in Bruto. Sic M. Coelius Q. Pompeio proconſuli cōtubernalis in Africam eſt profectus: vt in orat. pro ipſo CVM *ſignifer eſſet iuuentutis,*] fortaſſe hoc abundat: cū ſequatur: Cum princeps, cū auctor, cum ſignifer eſſet iuuentutis. OMNIBVS *rebus illis interfuit;*] cum Macedonia reuertiſſet. primis enim menſibus conſulatus Ciceronis eū abfuiſſe, illa orat. in Piſonē verba declarant: Ex qua prouincia modo, vir omni dignitate ornatiſſimus, L. Torquatus, magnis rebus geſtis, me referēte, abſēs imperator eſt appellatus. CVM *infirmitatē corporis animi virtute ſuperaret.*] nō diſſimile illud de Hirtio Phil. 7. Qua imbecillitate? qua macie? ſed animi vires corporis infirmitas non retardauit. Et Phil. 14. de eodem: Cuius imbecillitatē valetudinis, animi virtus, & ſpes victoriae confirmauit. NAM *ſi Torquatus Sullam ſolum accuſaſſet; ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem, niſi eum, qui eſſet accuſatus, defenderem.*] ſumpſiſſe videtur a Demoſthene ex oratione περὶ τοῦ στεφάνου. in qua ſunt haec. Εἰ μὲν γὰρ οὖν περὶ ὧν ἐδίωκε μόνον κατηγόρησεν Αἰσχίνης, κἀγὼ περὶ τοῦ προβουλεύματος εὐθὺς ἀπελογούμην. ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἐλάττω λόγον τἆλλα διεξιὼν ἀνάλωκε, καὶ τὰ πλεῖστα κατεψεύσατό μου. L. CASSIVM] Longinum, vnum ex coniuratis, ſenatorij ordinis, & fortaſſe praetorium. nam Ciceronis cōpetitor fue

rat in conſulatu.plebeij generis nobilem tamen, Pedianus fuiſſe dicit.nominatur orat 3. in Catil. SVBLEVAT.] excuſat.quod veriſimile eſt.cur enim excuſet: ne illi Sullam indicent? at ipſe Caſſius, quia fore non putabat vt illi quemquam indicarent, de ſe ipſo confeſſus iam erat NESCIVIT.] ex perſona Torquati: vt cum dixiſſet Caſſius neſcire ſe, purgatum non eſſe Sullam oſtenderet.

ORATIO

EXcluſus hac criminatione Torquatus, rurſus in me irruit, me accuſat: ait me aliter, ac dictum eſt, in tabulas publicas retuliſſe. Dij immortales (vobis enim tribuam, quae veſtra ſunt: nec vero poſſum meo tantum ingenio dare, vt tot res, tantas, tam varias, tam repentinas, in illa turbulentiſſima tempeſtate reip. mea ſponte diſpexerim) vos profecto animum meum tum conſeruandae patriae cupiditate incendiſtis: vos me ab omnibus ceteris cogitationibus ad vnam ſalutem reip. contuliſtis: vos denique, in tantis tenebris erroris, & inſcientiae, clariſſimum lumen praetuliſtis menti meae. vidi ego hoc, iudices; niſi, recenti memoria ſenatus, auctoritatem huius indicij monumentis publicis teſtatus eſſem, fore vt aliquando non Torquatus, neque Torquati quiſpiam ſimilis, (nam id me multum fefellit) ſed aliquis patrimonio naufragus, inimicus otij, bonorum hoſtis, aliter indicata haec eſſe diceret, quo facilius, vento aliquo in optimum quemque excitato, poſſet in malis reip. portum ſuorum malorum aliquem inuenire. itaque, introductis in ſenatum indicibus, conſtitui ſenatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, reſponſa perſcriberent: at quos viros? non ſolum ſumma virtute, & fide, cuius generis in ſenatu facultas maxima, ſed etiam quos ſciebam memoria, ſcientia, conſuetudine & celeritate ſcribendi facillime, quae dicerentur, perſequi poſſe; C. Coſconium, qui tunc erat praetor, M. Meſſallam, qui tum praeturam petebat, P. Nigidium, Ap. Claudium. credo eſſe neminem, qui his omnibus aut vere referendis, aut etiam ſcribendis putet ingenium defuiſſe. Quid deinde, quid feci? cum ſcirem ita indicium in tabulas publicas relatum, vt illae tabulae priuata tamen cuſtodia more maiorum continerentur: non occultaui, non continui domi, ſed deſcribi ab omnibus ſtatim librarijs, diuidi paſſim, & peruulgari, atque edi populo R. imperaui: diuiſi toti Italiae, diuiſi in omnes prouincias: eius indicij, e quo ſalus oblata eſſet omnibus, expertem eſſe neminem volui. itaque dico locum in orbe terrarum eſſe nullum, quo in loco populi R. nomen ſit, quin eodem perſcriptum hoc indicium peruenerit. in quo ego tam ſubito, & exiguo, & turbido tempore multa diuinitus ita vt dixi, non mea ſponte prouidi: primum, ne qui poſſet tantum aut de reip. aut de alicuius periculo meminiſſe, quantum vellet: deinde, ne cui liceret vnquam reprehendere illud indicium, aut temere creditum criminari: poſtremo, ne quid iam a me, ne quid ex meis commentarijs quaereretur; ne aut obliuio mea, aut memoria videretur nimia: ne denique aut negligentia turpis, aut diligentia crudelis putaretur. Sed tamen abs te, Torquate, quaero, cum indicatus tuus inimicus eſſet; & eſſet eius rei frequens ſenatus, & recens memoria teſtis; tibi, meo familiari, & contubernali, prius etiam edituri fuerint indicium ſcribae mei, ſi voluiſſes, quam in codicem retuliſſent: cum videres aliter fieri, cur tacuiſti? paſſus es? non mecum, aut cum familiari meo queſtus es? aut, quoniam tam facile inueheris in amicos, iracundius, aut vehementius expoſtulaſti? tu, cuius tua vox nunquam ſit audita; cum, indicio lecto, deſcripto, diuulgato, quieueris tacueris; repente tantam rem enunciare audeas, & in eum locum te deducas, vt ante, quam me commutati indicij coargueris, te ſummae negligentiae tuo iudicio conuictum eſſe fateare? mihi cuiuſquam ſalus tanti fuiſſet, vt meam negligerem? per me ego veritatem patefactam contaminarem aliquo mendacio? quemquam denique ego iuuarem, a quo & crudeles inſidias in remp. factas, & in me potiſſimum conſulem putarem? quod ſi iam eſſem oblitus ſeueritatis, & conſtantiae meae, tam ne amens eram, vt, cum litterae poſteritatis cauſſa repertae ſint, quae ſubſidio obliuioni eſſe poſſent, ego recentem putarem memoriam cunctis ſenatus commentario meo poſſe ſuperari? fero ego te, Torquate, iamdudum, fero, & nonnunquam animum incitatum ad vlciſcendam orationem tuam reuoco ipſe, & reflecto: permitto aliquid iracundiae tuae, do adoleſcentiae, cedo amicitiae, tribuo parenti; ſed, niſi aliquem modum vitae conſtitueris, coges oblitum me noſtrae amicitiae habere rationem meae dignitatis. nemo vnquam me tenuiſſima ſuſpicione perſtrinxit, quem non praeuerterim. ſed mihi hoc credas velim: non iis libentiſſime ſoleo reſpondere, quos mihi videor facillime poſſe ſuperare. tu, quoniam minime ignoras conſuetudinem dicendi meam, noli hac noua lenitate abuti mea: noli aculeos orationis meae, qui reconditi ſunt, excuſſos arbitrari: noli id putare omnino a me eſſe omiſſum, ſi quid eſt tibi remiſſum, atque conceſſum. cum illae valent apud me excuſationes iniuriae tuae, iratus animus tuus, aetas, amicitia noſtra: tum nondum ſtatuo te virium ſatis habere, vt ego tecum luctari, & congredi debeam. quod ſi eſſes vſu atque aetate robuſtior, eſſem idem, qui ſoleo, cum ſum laceſſitus: nunc tecum ſic agam, tuliſſe vt potius iniuriam, quam retuliſſe gratiam videar. Neque vero, quid mihi iraſcare, intelligere poſſum. ſi, quod eum defendo, quem tu accuſas: cur tibi quoque ipſe non ſuccenſeo, qui accuſes eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuſo meum. Et amicum ego defendo meum. Non debes tamen quemquam in coniurationis quaeſtione defendere. Immo nemo magis eum, de quo nihil eſt ſuſpicatus, quam is, qui de aliis multa cogitauit. Cur dixiſti teſtimonium in alios? Quia coactus. Cur damnati ſunt? Quia creditum eſt. Regnum eſt, dicere in quem velis, ac defendere quem velis. Immo ſeruitus eſt, non dicere in quem velis, ac defendere quem velis. ac, ſi conſiderare coeperis: vtrum magis mihi hoc neceſſe fuerit facere, an tibi; intelliges, honeſtius te inimicitiarum modum ſtatuere potuiſſe, quam me humanitatis. at vero, cum honos agebatur ampliſſimus familiae veſtrae, hoc eſt conſulatus parentis tui, ſapientiſſimus vir familiariſſimis ſuis non ſuccenſuit pater tuus, cum Sullam & defenderent, & laudarent. intelligebat hanc nobis a maioribus eſſe traditam diſciplinam, vt nullius amicitia ad propulſanda pericula impediremur. & erat huic iudicio longe diſſimilis illa contentio. tum, afflicta

P. Sulla, conſulatus vobis pariebatur, ſicuti partus eſt: honoris erat certamen; ereptum repetere vos clamitabatis, vt victi in campo, in foro vinceretis: tum qui contra vos pro huius ſalute pugnabant, amiciſſimi veſtri, quibus non iraſcebamini, conſulatum vobis eripiebant, honori veſtro repugnabant; & tamen id inuiolata veſtra amicitia, integro officio, veteri exemplo, atque inſtituto optimi cuiuſque faciebant. ego vero quibus ornamentis aduerſor tuis? aut cui dignitati veſtrae repugno? quid eſt, quod iam ab hoc expetas? honor ad patrem, inſignia honoris ad te delata ſunt. tu ornatus aerumnis venis ad eum lacerandum, quem interemiſti: ego iacentem & ſpoliatum defendo, & protego. atque hic tu & reprehendis me, quia defendam, & iraſceris: ego autem non modo tibi non iraſcor, ſed ne reprehendo quidem factum tuum. te enim exiſtimo tibi ſtatuiſſe, quid faciendum putares, & ſatis idoneum officii iudicem poſuiſſe.

EXPLANATIO

ALITER, *ac dictum eſt,*] ab Allobrogibus. IN *tabulas publicas*] cum eſſem conſul. CVM *tua vox numquam ſit audita;*] in foro agendis cauſſis. RETVLISSE *gratiam*] par pari retuliſſe. QVIA *coactus.*] veritate, & ſtudio reip. HONOR *ad patrem,*] Sullae conſulatus ad Torquatum patrem delatus eſt. INSIGNIA *honoris ad te*] te enim ornat patris conſulatus, Sullae ademptus. FACTVM *tuum.*] quod Sullam accuſas. SATIS *idoneum officii iudicem poſuiſſe.*] fortaſſe hoc dicit, iudice te vti exiſtimo officij tui ſatis idoneo parente tuo: ideſt, patrem tuum quid te facere deceat, tibi praeſcribere, & accuſationis auctorem eſſe. Satis idoneus autem filio pater eſt officij iudex. Vel ideo, ſatis idoneum, dixit, quaſi Sullae inimicum, cui conſulatum ademerat. quis autem, qui oderit idoneus officij iudex eſt?

ORATIO

AT accuſat C. Cornelii filius; idemq. valere debet, ac ſi pater indicaret. O patrem Cornelium ſapientem, qui, quod praemij ſolet eſſe in indicio, reliquerit; quod turpitudinis in confeſſione, id per accuſationem filij ſuſceperit. ſed quid eſt tandem, quod indicat per iſtum puerum Cornelius? ſi eſt cauſſa mihi ignota, cum Hortenſio communicata; reſpondeat Hortenſius. ſin, vt ais, illum comitatu Autronij, & Catilinae, cum in campo conſularibus comitijs, quae a me habita ſunt, caedem facere voluerant: Autronium tum in campo vidimus. ecquid dixi vidiſſe nos? ego vidi: vos enim tum iudices nihil laborabatis, neque ſuſpicabamini: ego tectus praeſidio firmo amicorum, Catilinae tum & Autronij copias, & conatum repreſſi. num quis eſt igitur, qui tum dicat in campum adſpiraſſe Sullam? atqui ſi tum ſe cum Catilina ſocietate ſceleris coniunxerat, cur ab eo diſcedebat? cur cum Autronio non erat? cur in pari cauſſa non paria ſigna reperiuntur criminis? Sed, quoniã Cornelius ipſe etiam nunc de indicando dubitat, vt dicitis; informat ad hoc adumbratum indicium filium: quid tandem de illa nocte dicit, cum inter Falcarios, ad M. Laecã, nocte ea, quae conſecuta eſt poſterum diem nonarum Non. me conſule, Catilinae denunciatione conuenit? quae nox omnium temporum coniurationis acerrima fuit, atque acerbiſſima. tum Catilinae dies exeundi, tum ceteris manendi condicio, tum deſcriptio totam per vrbem caedis, atque incendiorum conſtituta eſt: tunc tuus pater, Corneli, id quod tandem aliquando confitetur, illam ſibi officioſam prouinciam depopoſcit, vt, cum prima luce conſulem ſalutatum veniret, intromiſſus meo more, & iure amicitiae, me in meo lectulo trucidaret. hoc tempore, cum arderet acerrime coniuratio; tũ Catilina egrederetur ad exercitum; Lentulus in vrbe relinqueretur; Caſſius incendijs, Cethegus caedi praeponeretur; Autronio, vt occuparet Etruriam, perſcriberetur; cum omnia ordinarentur, inſtituerentur, pararentur; vbi fuit Sulla, Corneli? num Romae? immo longe abfuit. num in ijs legionibus, quo ſe Catilina referebat? multo etiam longius. num in agro Camerti, Piceno, Gallico, quas oras maxime quaſi morbus quidam illius furoris peruaſerat? nihil vero minus; fuit enim, vt iam ante dixi, Neapoli: fuit in ea parte Italiae, quae maxime ea ſuſpicione caruit. Quid ergo indicat, aut quid affert aut ipſe Cornelius, aut vos, qui ab eo haec mandata defertis? gladiatores emptos eſſe, Fauſti ſimulatione, ad caedem, ac tumultum. ita prorſus: interpoſiti ſunt gladiatores, quos teſtamento patris videmus deberi. Arrepta eſt familia, quae ſi eſſet praetermiſſa, poſſet alia familia Fauſti munus praebere. vtinam quidem haec ipſa nõ modo iniquorum inuidiae, ſed & aequorum exſpectationi ſatisfacere poſſet. Propterea tum vehementer, cũ longe tempus muneris abeſſet. quaſi vero tempus dandi muneris non valde appropinquaret. Nec opinante Fauſto, cum is neque ſciret, neque vellet, familia eſt comparata. at litterae ſunt Fauſti, per quas ille precibus a P. Sulla petit, vt emat gladiatores, & vt hos ipſos emat: neque ſolum ad Sullam miſſae, ſed ad L. Caeſarem, Q. Pompeium, C. Memmium, quorum de ſententia tota res geſta eſt. At praefuit familiae Cornelius. iam ſi in comparanda familia ſuſpicio eſt nulla, quod praefuit, nihil ad rem pertinet. ſed tamen, munere ſeruili, obtulit ſe ad ferramenta proſpicienda, praefuit vero numquam: eaq. res per Bellum Fauſti libertum omni tempore adminiſtrata eſt. At enim Cincius eſt ab hoc in vlteriorem Hiſpaniam miſſus, vt eam prouinciã perturbaret. primum, Cincius, iudices, L. Iulio, C. Figulo coſ. profectus eſt aliquanto ante furorem Catilinae, & ante ſuſpicionem huius coniurationis: deinde, eſt profectus non tum primum, ſed cum in ijſdem locis aliquanto ante eadem de cauſſa aliquot annos fuiſſet: ac profectus eſt non modo ob cauſſam, ſed etiam neceſſariam cauſſã, magna ratione cum Mauritaniae rege contracta. tũ autem, illo profecto, Sulla procurante eius rem, & gerente, plurimis & pulcherrimis P. Cincii praediis venditis, aes alienum eiuſdem diſſolutum eſt: vt quae cauſſa ceteros

ad

ad facinus impulit, cupiditas retinendae poſſeſſionis, ea Cincio non fuerit, praediis deminutis. Iam uero illud quam incredibile, quam abſurdum; qui Romae caedem facere, qui hanc urbem inflammare uellet, eum familiariſſimum ſuum dimittere abs ſe, & mandare in ultimas terras: utrum, quo facilius Romae ea, quae conabatur, efficeret, ſi in Hiſpania turbatum eſſet? at haec ipſa per ſe ſine ulla coniunctione agebantur. an in tantis rebus, tam nouis conſiliis, tam periculoſis, tam turbulentis hominem amantiſſimum ſui, familiariſſimũ, coniunctiſſimum officiis, uſu, conſuetudine, dimittendum eſſe arbitraretur? uerisimile non eſt, ut, quem in ſecundis rebus, quem in otio ſecum ſemper habuiſſet, hunc in aduerſis, & in eo tumultu, quem ipſe comparabat, ab ſe dimitteret. Ipſe autem Cincius (non enim mihi deſitenda eſt cauſſa amici ueteris, atque hoſpitis) is homo eſt, aut ea familia, ac diſciplina, ut hoc credi poſſit, eum bellũ reip. facere noluiſſe? ut cuius pater, cum ceteri deficerent finitimi, ac uicini, ſingulari exſtiterit in rem. noſtram officio, & fide, is ſibi nefarium bellum contra patriam ſuſcipiendum putaret. cuius aes alienum uidemus, iudices, non libidine, ſed negotii gerendi ſtudio eſſe contractum: qui ita Romae debuit, ut in prouinciis, & in regnis maximae ei pecuniae deberentur: quas cum peteret, non commiſit, ut ſui procuratores quidquam oneris abſente ſe ſuſtinerent: uenire omnes ſuas poſſeſſiones; & patrimonio ſe ornatiſſimo ſpoliari maluit, quam ullam morã cuiquam fieri creditorum ſuorum. a quo quidem genere, iudices, ego numquam timui, dum in illa reip. tempeſtate uerſarer. illud erat genus hominum horribile, & pertimeſcendum, qui tanto amore ſuas poſſeſſiones amplexi tenebant, ut ab iis membra diuelli citius, ac diſtrahi poſſe diceres. Cincius numquã ſibi cognationem cum praediis eſſe exiſtimauit ſuis; itaque ſe non modo ex ſuſpicione tanti ſceleris uerum etiam ex omni hominum ſermone non armis, ſed patrimonio ſuo uindicauit. Iam uero, quod ſubiicis, Pompeianos eſſe Sulla impulſos, ut ad iſtam coniurationem, & ad hoc nefarium facinus accederent; id cuiuſmodi ſit, intelligere non poſſum.

EXPLANATIO

C. CORNELII] equitis Romani, quem immiſſum ab Autronio ad Ciceronem conſulem interficiendum, ſupra dixit. SAPIENTEM,] ironia. ſtultum enim ſignificat. RELIQVERIT;] nam ſi indicaret ipſe, indicii praemium, ideſt abſolutionẽ, conſequeretur. cum vero per filiũ indicat praemium reliquit. IN *confeſſione,*] culpam enim fatetur, cum Sullae conſilia ſibi nota fuiſſe dicit, qui gladiatores Fauſti ſimulatione, ad cędẽ, ac tumultum emerit. CVM *Hortenſio*] ipſo quoque Sullae patrono. ILLVM *comitatum Autronij, & Catilinae,*] ſic muta: Illo comitati Autronius, & Catilina: nihil vitij ſupererit. alioqui non explicabitur ſententia. INTER *Falcarios,*] vicus hoc nomine Romae fuit, ita dictus quod ibi erãt falcarij: vt Priſcianus interpretatur. Orat. I. in Catil. Dico te priori nocte veniſſe inter Falcarios, in M. Laecae domũ. QVAE *conſecuta eſt poſterum diem non. Nou.*] quae fuit inter non. Nou. & IIX. id. nam, Poſterum diem, valet, ſequentem diem. OFFICIOSAM] quia ſpecies quaedam officij erat in eo, cum prima luce ſalutatum veniret. IN. AGRO. *Camerti,*] Camers a Camerino, quod eſt in Vmbria, deducitur: Camerinus a Camerio, quod in Latio deletũ a Romulo eſt: Camarinenſis, a Camarina, vrbe Siciliae. EMPTOS *eſſe*] a P. Sulla. Arrepta *eſt familia:*] obiectio accuſatoris, repente gladiatores illos eſſe emptos, ad caedem ſcilicet, ac tumultum. Solutio: At ij ſi empti nõ eſſent, alios emere potuit, quibus Fauſti munus praeberet. Eſt aũt breui cũ obiectione breuis itẽ cõiũcta ſolutio: vt obiectionis infirmitatẽ ſolutionis breuitas oſtendat. infertur enim ſolutio per praenomẽ, Quae nã cũ dici poſſet: At ea ſi eſſet praetermiſſa: dicitur, Quae ſi eſſet praetermiſſa. Sic pro Archia At domiciliũ Romae nõ habuit, is, qui, tot annis ante ciuitatem datã ſedem omniũ rerum, ac fortunarũ ſuarũ Romae collocauit. Familia ſeruos hic deſignat. ſerui autem gladiatores, ideoq. emuntur. Arrepta, properationẽ Sullae emẽtis oſtẽdit: quod infra quoque cõfirmatur iis verbis: Properatum vehemẽter eſt, cũ lõge tẽpus muneris abeſſet. Ex quo miror, cum nec obſcuritatis, nec vitij ſentẽtia quidquã habeat, cur nõnullis, locũ mutare, & pro, Arrepta, reponere At empta in mentem venerit. HAEC *ipſa*] quam vos reprehenditis, &, vnde argumentũ ducitis, de caede ac tumultu Sullam cogita. INIQVORVM *inuidiae,*] qui Fauſto inuident propter opes ei a Sulla patre relictas: quibus non ſatisfacit haec familia, vt exigua, parum reſpõdens eius honoribus, cui mortuo dabatur. EXSPECTATIONI] maiorẽ enim familiam, & magnificentiorem apparatum a Fauſto exſpectabant. PROPERATVM *vehementer,*] a P. Sulla in emendis gladiatoribus, vt iis non ad Fauſti munus, cuius longe tempus aberat, ſed ad caedem, ac tumultũ vteretur. Obiectio accuſatoris eſt. NEC *opinante*] pro, non opinãte. numquã enim hoc participiũ cũ, non, Cicero coniungit. in epiſ. ad Sulpicium: Admirabar magis, te vltro ad eũ ſcripſiſſe, eiq. nec opinanti voluntatẽ tuã tantam per litteras detuliſſe. Et haec obiectio eſt. L. CAESAREM,] M. Antonij, qui poſtea triumuir fuit, auunculum. POMPEIVM,] Sullae nepotem ex filia. Pedianus. C. Memmium,] P. Sullae priuignum. vt ep. 3. lib. III. ad Q. fr. AT *praefuit familiae Cornelius.*] aut Cornelius, abundat: quod arbitror: aut P. Cornelius Sulla, pro quo eſt oratio, deſignatur: qui tamen Sulla ſemper, numquam Cornelius, appellari ſolet. FERRAMENTA] quibus gladiatores in pugna vterentur. EAQ. *es*] totum illud negotium, quod per Sullam adminiſtratum eſſe, cum eum praefuiſſe dicunt, aduerſarij probare conantur. CVM *Mauritaniae rege*] cum Hiempſale, qui nominatur agr. I. SI. IN. *Hiſpania turbatum eſſet?*] quid apertius? cur igitur placet nonnullis, Si in Hiſpaniam turbatum iſſet; CVM *ceteri deficerent*] ſociali bello. QVI *tanto amore ſuas poſſeſſiones amplexi tenebant,*] orat. 2. in Catil. Vnum

genus eſt eorum, qui magno in aere alieno maiores etiam poſſeſſiones habent: quarum amore adducti, diſſolui nullo modo poſſunt. COGNATIONEM] quæ diſiungi non poteſt. aliena duxit, non cognata: itaque facile eſt adductus, vt ea ab ſeſe remoueret. POMPEIANOS] ab opido Pompeijs.

ORATIO

AN tibi Pompeiani coniuraſſe videntur? quis hoc vnquam dixit? aut quae fuit iſtius rei vel minima ſuſpicio? Diſiunxit, inquit, eos a colonis, vt hoc diſſidio, ac diſſenſione facta, opidum in ſua poteſtate poſſet, & Pompeianos habere. Primum, omnis Pompeianorũ, colonorumque diſſenſio delata ad patronos eſt, cum iam inueteraſſet, ac multos annos eſſet exagitata: deinde, ita a patronis res cognita eſt, vt nulla in re ceterorum ſententijs Sulla diſſenſerit: poſtremo, coloni ipſi ſic intelligunt, non Pompeianos a Sulla magis, quam ſeſe eſſe defenſos. atque hoc iudices, ex hac frequentia colonorum, honeſtiſſimorum hominum, intelligere poteſtis: qui adſunt, laborant, hunc patronum, defenſorem, cuſtodem illius coloniae, ſi in omni fortuna, atque omni honore incolumem habere non potuerunt, in hoc tamen caſu, quo afflictus iacet, per vos tutari conſeruareque cupiunt. adſunt pari ſtudio Pompeiani qui ab illis etiam in crimen vocantur: qui ita de ambitione, & de ſuffragijs ſuis cum colonis diſſenſerunt, vt idem de communi ſalute ſentirent. At ne hac quidem P. Sullae mihi videtur ſilentio praetereunda eſſe virtus; quod, cum ab hoc illa colonia deducta ſit; & cum commoda colonorũ a fortunis Pompeianorum populi Ro. fortuna diuiſerit; ita carus vtriſque eſt, atque iucundus, vt non alteros dimouiſſe, ſed vtroſque conſtituiſſe videatur. At enim & gladiatores, & omnis iſta vis, rogationis Caeciliae cauſſa, comparabantur. atque hoc loco in L. Caecilium, prudentiſſimum, atque ornatiſſimum virum, vehementer inuectus eſt: cuius ego de virtute, & conſtantia, iudices, tantum dico, talem hunc in iſta rogatione, quam promulgauit non de tollenda, ſed de leuanda calamitate fratris ſui, fuiſſe, vt conſultum eſſe voluerit fratri, tamen cum rep. pugnare noluerit; promulgarit impulſus amore fraterno, deſtiterit fratris auctoritate deductus. atque in ea re per L. Caecilium Sulla accuſatur, in qua re eſt vterque laudandus: primum Caecilius, qui id promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluiſſe reſcindere, vt ſtatueretur: Sulla recte reprehendit: ſtatus enim reip. maxime iudicatis rebus continetur. neque ego tantum fraterno amori dandum arbitror, vt quiſquam de ſalute ſuorum conſulat, communem relinquat. nihil de iudicio ferebat: ſed poenam ambitus eam ferebat, quae fuerat nuper ſuperioribus legibus conſtituta: itaque hac rogatione non iudicum ſententiam, ſed legis vitium corrigebat. nemo iudicium reprehendit, cum de poena quaeritur, ſed legem. damnatio enim eſt iudicum, quae manebat; poena legis, quae leuabatur. noli igitur animos eorum ordinum, qui praeſunt iudicijs ſumma cum grauitate, & dignitate, alienare a cauſſa. nemo labefactare iudicium eſt conatus: nihil eſt einſmodi promulgatum: ſemper Caecilius in calamitate fratris ſui iudicum poteſtatem perpetuandam, legis acerbitatem mitigandam putauit. Sed quid ego de hoc plura diſputem? dicerem fortaſſe, & facile, & libenter dicerem: ſi paullo etiam longius, quam finis quotidiani officij poſtulat, pietas & fraternus amor L. Caecilium protuliſſent; implorarem ſenſus veſtros; uniuſcuiuſque indulgentiam in ſuos teſtarer; peterem errato veniam L. Caecilij ex intimis veſtris cogitationib. atque ex humanitate communi. lex dies ſuis propoſita paucos ferri coepta numquam: poſita eſt in ſenatu, populum Ro. latuit: cum in Capitolium nos ſenatum conuocaſſemus, nihil eſt actum prius: & id mandato Sullae Q. Metellus praetor ſe loqui dixit, Sullam illã rogationem de ſe nolle ferri. ex illo tempore L. Caecilius multa de rep. egit: agrariae legi, quae tota a me reprehenſa, & abiecta eſt, interceſſorem fore profeſſus eſt: improbis largitionibus reſtitit, ſenatus auctoritatem numquam impediuit; ita ſe geſſit in tribunatu, vt onere depoſito domeſtici officij, nihil poſtea niſi de reip. commodis cogitarit. atque in ipſa rogatione, ne per vim quid ageretur, quis tamen veſtrum Sullam, aut Caecilium verebatur? non ne omnis terror ille, omnis ſeditionis timor, atque opinio ex Autronij improbitate pendebat? eius voces, eius minae ferebantur: eius adſpectus, concurſatio, ſtipatio greges hominum perditorum metum nobis ſeditioneſq. afferebant. itaque P. Sulla, hoc importuniſſimo tum honoris, tum etiam calamitatis ſocio, atque comite, & ſecundas fortunas amittere coactus eſt, & in aduerſis ſine vllo remedio, atque alleuamento permanere.

EXPLANATIO

EXAGITATA:] inter ipſos. SVLLA *diſſenſerit:*] qui & ipſe patronorum vnus erat. IN OMNI *fortuna, atque omni honore,*] Sullae damnatio de ambitu deſignatur: AB *illis*] Sullae accuſatoribus. CVM *ab hoc illa colonia deducta ſit;*] dominante L. Sulla. POPVLI *R. fortuna*] opinor quia Pompeianos L. Sulla ciuitate & iure ſuffragij priuauerit. ALTEROS] Pompeianos. DIMOVISSE,] colonis inductis. GLADIATORES,] ſupra nominati. ROGATIONIS *Caeciliae cauſſa*] vt per vim ferretur lex, quam frater P Sullæ Cecilius tribunus pl. de minuenda ambitus poena promulgauerat. DE *leuanda*] quia damnatus fuerat Sulla de ambitu. eam poenam noua lege Caecilius minuere cupiebat. FRATRIS *auctoritate*] quia Sulla remouit eum a conſilio ferendæ legis. PER *L. Caecilium*] quia Caecilius eam legem promulgauerit. EAM *ferebat,*] placet quod dijs, Auferebat. niſi ſi dicas, voluiſſe Caecilium eam ferre ponam, non quae cum vltima lege, (vltima autem Calpurnia tunc erat, qua Sulla damnatus eſt) ſed quae cum ſuperioribus congrueret: in quib. aliquanto leuior, quã in vltima, ambitus pęna conſtituta erat. vt, ſuperioribus legibus, valeat, ijs, quae ante vltimam

timam latae fuerant. Nuper autem ſit, non multo ante vltimam. QVAERITVR,] vt nimium graui. NOS] apparet, conſulem fuiſſe Ciceronem quo anno Coelius tribunus pl. fuit. Q. METELLVS *praetor*] Metellus Celer, qui poſt biennium, legitimo interuallo, cum Afranio conſul fuit. AGRARIAS *legi,*] a Rullo promulgatae: contra quam exſtant Ciceronis orationes. ONERE *depoſito domeſtici officii*] omiſſo conſilio ferendae legis, quam promulgauerat impulſus amore fraterno. NEPER *nim quid ageretur,*] reſpondet ad illam obiectionem, de qua ſupra; At enim & gladiatores, & omnis iſta vis, rogationis gratia comparabantur. AVTRONIS] qui & ipſe de ambitu damnatus conſulatum amiſerat. TVM *honoris,*] quia ſimul conſules deſignati fuerant. TVM *etiam calamitatis*] quia ſimul de ambitu damnati. SECVNDAS *fortunas*] conſulatum. SINE *ullo remedio.*] Autronij enim odio Sulla premebatur.

ORATIO

Hic tu epiſtolam meam ſaepe recitas, quam ego ad Cn. Pompeium de meis rebus geſtis, & de ſumma reip. miſi: & ex ea crimen aliquod in P. Sullam quaeris: &, ſi furorem incredibilem biennio ante conceptum erupiſſe in meo conſulatu ſcripſi, me hoc demonſtraſſe dicis, Sullam in illa fuiſſe ſuperiore coniuratione. Scilicet is ſum, qui exiſtimem Cn. Piſonem, & Catilinã, & Vargunteium, & Autronium nihil ſcelerate, nihil audacter ipſos per ſeſe ſine P. Sulla facere potuiſſe. de quo etiam ſi quis dubitaſſet antea, num id, quod tu arguis, cogitaſſet, interfecto patre tuo, conſule, deſcendere Kalendis Ian. cum lictoribus; ſuſtuliſti hanc ſuſpicionem, cum dixiſti hunc, vt Catilinam conſulem efficeret, contra patrem tuum operas, & manum comparaſſe: quod ſi tibi ego confiteor, tu mihi concedas neceſſe eſt, hunc, cum Catilinae ſuffragaretur, nihil de ſuo conſulatu, quem iudicio amiſerat, per vim recuperando cogitauiſſe. neque enim iſtorum facinorum tantorum tam atrocium crimen, iudices, P. Sullae perſonam ſuſcipit. iam enim faciam, criminibus omnibus fere diſſolutis, contra atque in ceteris cauſſis fieri ſolet, vt nunc denique de vita hominis, ac de moribus dicam. etenim de principio ſtuduit animus occurrere magnitudini criminis, ſatisfacere exſpectationi hominum, de me aliquid & de ipſo, qui accuſatus eſt, dicere: nunc iam reuocandi eſtis eo, quo vos ipſa cauſſa, etiam tacente me, cogit animus. Omnibus in rebus, iudices, quae grauiores, maioresq. ſunt, quid quiſque voluerit, cogitarit, admiſerit, non ex crimine, ſed ex moribus eius, qui arguitur, eſt ponderandum. neque enim poteſt quiſquam noſtrum ſubito fingi, neque cuiuſquam repente vita mutari, aut natura conuerti. circumſpicite paulliſper mentibus veſtris, vt alia omittamus, hoſce ipſos homines, qui huic affines ſceleri fuerunt. Catilina contra remp. coniurauit. cuius aures vnquam hoc reſpuerunt, conatum eſſe hominem vſque a pueritia non ſolum intẽperantia, & ſcelere, ſed etiam conſuetudine, & ſtudio in omni flagitio, ſtupro, caede verſatum? quis eum contra patriam pugnãtem periſſe miratur, quem ſemper omnes ad ciuile latrocinium natum putauerunt? Quis Lentuli ſocietates cum indicibus, quis inſaniam libidinum, quis peruerſam, atque impiam religionem recordatur, qui illum aut nefarie, aut ſtulte cogitaſſe miretur? Quis de C. Cethego, atque eius in Hiſpaniam profectione, ac de vulnere Q. Metelli Pij cogitat, cui non ad illius poenam carcer aedificatus eſſe uideatur? Omitto ceteros, ne ſit infinitum: tantum a vobis peto, vt taciti de omnibus, quos coniuraſſe cognitum eſt, cogitetis: intelligetis vnũquemque illorum prius a ſua vita, quam noſtra ſuſpicione, eſſe damnatum. Ipſum illum Autronium (quoniam eius nomen finitimum maxime eſt huius periculo, & crimini) non ſua conſuetudo, ac vita conuincit? ſemper audax, petulans, libidinoſus. quem in ſtuprorum defenſionibus non ſolum verbis vti improbiſſimis ſolitum eſſe ſcimus, verum etiam pugnis, & calcibus; quem exturbare homines e poſſeſſionibus, caedẽ facere vicinorum, ſpoliare fana ſociorum, vi conatum & armis diſturbare iuditia, in bonis rebus omnes contemnere, in malis pugnare contra bonos, non reip. cedere, non fortunae ipſi ſuccumbere huius ſi cauſſa non manifeſtiſſimis rebus teneretur, tamẽ eum mores ipſius, ac vita conuincerent. Agedum conferte nunc cum illius vita vitam P. Sullae, vobis populoq. R. notiſſimam, iudices, & eam ante oculos veſtros proponite. Ecquod huius factum, aut commiſſum, non dicam audacius, ſed quod cuiquam paullo minus conſideratum videretur? factum quaero? verbum ecquod umquam ex ore huius excidit, unde quiſquam poſſet offendi? at uero in illa graui L. Sullae uictoria, turbulentaque, quis P. Sulla mitior? quam multorum hic uitam eſt a L. Sulla deprecatus? quam multi ſunt ſummi homines, & ornatiſſimi, & noſtri, & equeſtris ordinis, quorum pro ſalute ſe hic Sullae obligauit? quos ego nominarem: neque enim ipſi nolunt, & huic animo gratiſſimo adſunt: ſed quia maius eſt beneficium, quam poſſe debet ciuis ciui dare, ideo a uobis peto, ut, quod potuit, tempori tribuatis; quod fecit, ipſi. quid reliquam conſtantiam uitae commemorem? dignitatem, liberalitatem, moderationem in priuatis rebus, ſplendorem in publicis? quae ita a fortuna deformata ſunt, ut tamen a natura inchoata compareant. quae domus? quae celebratio quotidiana? quae familiaris dignitas? quae ſtudia amicorum? quae ex quoque ordine multitudo? haec diu multum, & multo labore quaeſita, una eripuit hora. accepit P. Sulla, iudices, uehemens uulnus, & mortiferum, uerumtamen eiuſmodi, quod uideretur eius uita, & natura accipere potuiſſe: honeſtatis & dignitatis habuiſſe nimis magnam iudicatus eſt cupiditatem. quam ſi nemo alius habuit in conſulatu petendo; cupidior iudicatus eſt hic fuiſſe, quam ceteri. ſin etiam in alijs nonnullis fuit iſte conſulatus amor; fortuna in hoc fuit fortaſſe grauior, quam in ceteris. poſtea uero quis P. Sullam, niſi maerentem, demiſſum, afflictumq. uidit? quis umquam eſt ſuſpicatus hunc magis odio, quam pudore, hominum adſpectũ, lucemq. uitare? qui dum multa haberet inuitamenta urbis, & fori, propter ſumma ſtudia amicorum, quae tamen ei ſola in malis reſtiterunt, abſuit ab oculis ueſtris, &, cum lege retineretur, ipſe ſe exſulio paene multauit. in hoc uos pudore iudicij, & in hac uita tanto ſceleri locum fuiſſe creditis? adſpicite ipſum: contuemini os; con-

ferte

quaeratur, num quae occultetur libido; num quod lateat facinus, num quae crudelitas, num quae audacia: nihil erroris erit in cauſſa, nec obſcuritatis, iudices, ſi a vobis vitae perpetuae vox ea, quae grauiſſima debet eſſe, audietur. nullum in hac cauſſa teſtem timemus: nihil quē quam ſcire, nihil vidiſſe, nihil audiſſe arbitramur. ſed tamen ſi nihil vos P. Sullae fortuna mouet, iudices, veſtra moueat: veſtra enim, qui cum ſumma elegantia, atque integritate vixiſtis, hoc maxime intereſt, non ex libidine, aut ſimultate, aut leuitate teſtium, cauſſas honeſtorum hominum ponderari, ſed in magnis diſquiſitionibus, repentinisq. periculis vitam vniuſcuiuſque eſſe teſtem. quam vos, iudices nolite armis ſuis ſpoliatam, atque nudatam obijcere inuidiae, dedere ſuſpicioni: munite communem arcem bonorum: obſtruite perfugia improborum: valeat ad poenam, & ad ſalutem plurimum, quam ſolam videtis ipſam ex ſe ſua naturaq. facillime perſpici, ſubito flecti, fingiq. non poſſe. Quid vero haec auctoritas, (ſemper enim de ea dicendum eſt, quamquā a me timide, modiceq. dicetur) quid, inquam haec auctoritas noſtra, qui a ceteris coniurationis cauſſis abſtinuimus, P. Sullam defendimus, nihil hunc tandem iuuabit? graue, ſi appetimus aliquid: ſi, cum ceteri de nobis ſilent, non etiam noſmet ipſi tacemus, graue: ſed, ſi laedimur, ſi accuſamur, ſi in inuidiam vocamur; profecto conceditis, iudices, vt nobis libertatem retinere liceat, ſi minus, liceat dignitatem. Accuſati ſunt vno nomine conſulares: vt iam videatur honoris ampliſſimi nomen plus inuidiae, quam dignitatis afferre. Affuerunt, inquit, Catilinae, illumq. laudarunt. Nulla tum patebat, nulla erat cognita coniuratio: defendebant amicum, aderant ſupplici: vitae eius turpitudinem in ſummis eius periculis non inſequebantur. quin etiam parens tuus, Torquate, conſul reo de pecunijs repetundis Catilinae fuit aduocatus, improbo homini, at ſupplici; fortaſſe audaci, at aliquando amico. cui cum affuit poſt delatam ad eum primam illam coniurationem, indicauit ſe audiſſe aliquid, non credidiſſet. at idem non affuit alio in iudicio, cum adeſſent ceteri. ſi poſtea cognoras ipſe aliquid, quod in conſulatu ignoraſſet, ignoſcendum eſt ijs, qui poſtea nihil audierunt. ſin illa res prima valuit: num, inueterata, quam recens, debuit eſſe grauior. ſed ſi tuus parēs etiam in illa ſuſpicione periculi ſui, tamen, humanitate adductus, aduocationem hominis improbiſſimi ſella curuli, atque ornamentis & ſuis, & conſulatus honeſtauit: quid eſt, quamobrem conſulares, qui Catilinae affuerunt, reprehendantur? at ijdem ijs, qui ante hunc cauſſam de coniuratione dixerunt, non affuerunt. tanto ſcelere adſtrictis hominibus ſtatuerūt nihil a ſe adiumenti, nihil opis, nihil auxilij ferri oportere. atque, vt de eorum conſtantia, atque animo in remp. dicam, quorum tacita grauitas, & fides de vnoquoque loquitur, neque cuiuſquam ornamenta orationis deſiderat: poteſt quiſquam dicere, vmquam meliores, fortiores, conſtantiore, conſulares fuiſſe, quam ijs temporibus & periculis, quibus paene oppreſſa eſt reſp. quis non de communi ſalute apertiſſime, quis non fortiſſime, quis non conſtantiſſime ſenſit? neque ego praecipue de conſularibus diſputo: nam haec hominum ornatiſſimorum, qui praetores fuerunt, & vniuerſi ſenatus communis eſt laus: vt conſtet, poſt hominum memoriam numquam in illo ordine plus virtutis, plus amoris in remp. plus grauitatis fuiſſe. ſed, quia ſunt deſcripti conſulares; de his tantum mihi dicendum putaui, quod ſatis eſſet, atteſtante memoria omnium, neminem eſſe ex illo honoris gradu, qui non omni ſtudio, virtute, auctoritate incubuerit ad remp. conſeruandam. ſed quid? ego, qui Catilinam non laudaui, qui reo Catilinae conſul non affui, qui teſtimonium de coniuratione dixi in alios, adeo ne vobis alienus a ſanitate, adeo oblitus conſtantiae meae, adeo immemor rerum a me geſtarum eſſe videor, vt, cum conſul bellum geſſerim cum coniuratis, nunc eorum ducem conſeruare cupiam? & in animum inducam, cuius nuper ferrum retuderim, flammamq. reſtinxerim, eiuſdem nunc cauſſam, vitamq. defendere? ſi medius fidius, iudices, non me ipſa reſp. meis laboribus & periculis conſeruata, ad grauitatem animi & conſtantiam ſua dignitate reuocaret; tamen hoc natura eſt inſitum, vt, quem timueris, qui cum de uita, fortuniſq. contenderis, cuius ex inſidijs euaſeris, hunc ſemper oderis. ſed, cum agatur honos meus ampliſſimus, gloria rerum geſtarum ſingularis, cum, quoties quiſquā eſt in hoc ſcelere cōuictus, toties renouetur memoria per me inuentae ſalutis: ego ſim tam demens, ego committam, ut ea, quae pro ſalute omnium geſſi, caſu magis, & felicitate a me, quam uirtute, & conſilio geſta eſſe uideantur? Quid ergo? hoc tibi ſummis, dicet fortaſſe quiſpiam, ut quia tu defenderis, innocens iudicetur? Ego uero, iudices, non modo nihil mihi aſſumo, in quo quiſpiam repugnet, ſed etiam, ſi quid ab omnibus conceditur, id reddo, ac remitto. non in ea rep. uerſor, non ijs temporibus caput meum obtuli pro patriae periculis omnibus, non aut ita ſunt extincti, quos uici, aut ita grati, quos ſeruaui, ut ego mihi plus appetere coner, quam quantum omnes inimici, inuidiq. patiantur. graue eſſe eum uideretur, qui inueſtigarit coniurationem, qui patefecerit, qui oppreſſerit, cui ſenatus ſingularibus uerbis gratias egerit, cui uni togato ſupplicationem decreuerit, dicere in iudicio: Non defenderem, ſi coniuraſſet. non dico id, quod graue eſt: dico illud, quod in his cauſſis coniurationis non auctoritati aſſumam, ſed pudori meo: Ego ille coniurationis inueſtigator, atque ultor, certe non defenderem Sullam, ſi coniuraſſe arbitrarer: ego, iudices, de tantis omnium periculis cum quaererem omnia, multa audirem, non crederem omnia, cauerem omnia, dico hoc, quod initio dixi, nullius indicio, nullius ſuſpicione, nullis litteris de re P. Sullae rem ullā ad me eſſe delatā.

EXPLANATIO

MODERATVR] grauiora facit aut leuiora. REGIT] arbitratu ſuo gubernat. LIBIDO,] quaeſitoris. CORRVMPIT ſpes,] corrumpit tormenta, ideſt eos, qui torquentur. ſpe enim praemiorum dicunt ea, quae non ſunt: ijdemq metu tacent ea, quae ſunt. TORQVEATVR:] pro, examinetur. cū hoc verbo cōgruit, quod ſequitur; Ex ea quaeratur: & illud infra, ſi a vobis vitae perpetuae vox ea, quae grauiſſima dēt eſſe, audietur. nā, Vox, ad tormenta reſpicit, in quibus emittitur. alioqui cur hic voci locus eſſet? Hoc ideo dixi, ne quē eorū cōiectura moueat, qui legendū putabāt:

Vita P. Sullae, Torquate, exquiratur. Sed verbũ, torqueatur, ſi mutetur pulcherrima ſententia deprauabitur. DISQVISITIONIBVS,] cum de aliquo crimine diſquiritur. DEDERE *ſuſpicioni*:] nolite, propter quorundam ſuſpicionem, vitam Sullae condemnare. MVNITE *communem arcem bonorum*:] quam arcem? vt ante acta cuiuſque vita fidem in iudicio faciat. OBSTRVITE *perfugia improborum*:] quae ſunt perfugia improborum? vt anteacta vita ne ſpectetur, ſed falſis teſtibus bonorũ ſalus oppugnetur. VALEAT *ad poenam, & ad ſalutem plurimum*,] ſubaudi, uita: de qua proxime dictum eſt. ILLVM Q. *laudarunt*.] Cotta & Torquato coſ. cum de repetundis accuſante P. Clodio, cauſſam diceret. ſequitur: Nulla tũ patebat, nulla erat cognita cõiuratio. quae ſcilicet poſtea patuit, & cognita eſt. eius auctores, & principes Cn. Piſo, Catilina, Vargunteius, Autronius, ſupra nominati. ALIO *in iudicio*.] cũ accuſatus eſt Catilina inter ſicarios, Caeſare & Figulo coſ. poſt effecta comitia cõſularia cum repulſam paſſus eſſet. Hac tota de re vide quae diximus in argumẽto quattuor orationũ in Catilinam. NIHIL *audierunt*.] vt nihil Torquatus audierat, aut certi nihil cognouerat, cũ ei cõſul affuit, de coniuratione prima. ILLA *res prima*] prima coniuratio. VALVIT:] effecit, ne cum ceteris adeſſet. NON, *inueterata*,] non debuit inueterata eius animum mouere, quae recens non mouerat. tunc enim reo conſul affuit. ANTE *hunc*] ante Sullam. DESCRIPTI] deſignati. vnde illud ad Q. fr. lib. 2. Reſpondit ei vehementer Pompeius; Craſſumq. deſcripſit. QVOD *ſatis eſſet ad teſtandam memoriam omnium*.] quantum ſatis eſſe, & probari poſſet omnium memoriae teſtimonio. CASV *magis, & felicitate a me, quam uirtute, & conſilio, geſta eſſe, uideantur*? eadem ſententia in ep. ad Metellum lib. v. Huius ego temeritati ſi virtute, atque animo nõ reſtitiſſẽ: quis eſſet, qui me in cõſulatu nõ caſu potius exiſtimaret quã conſilio, fortem fuiſſe? GRAVE *eſſe eum uideretur*,] ironia. quaſi dicat: Graue nequaquam videri deberet. Sed, ſi graue eſt hoc omittã, quod in his cauſſis coniurationis pudori meo tribuã, non auctoritati. pudor enim eſt ita dicere, Non defenderẽ Sullam, ſi coniuraſſe arbitrarer: auctoritas eſſet, Non defenderem, ſi coniuraſſet. CVI *uni togato ſupplicationem decreuit*,] ſcripſit idẽ ad Catonem lib. XIV. his verbis: Tu idem mihi ſupplicationem decreuiſti togato, non, vt multis, rep. bene geſta, ſed, vt nemini, rep. conſeruata. Et in Piſonem: Mihi togato ſenatus, non, vt multis, bene geſtae, ſed, vt nemini conſeruatae reip. ſingulari genere ſupplicationis, deorum immortalium templa patefecit. Et Phil. 14. Mihi conſuli ſupplicatio, nullis armis ſumptis, non ob caedem hoſtium, ſed ob conſeruationem ciuium, nouo & inaudito genere decreta eſt. DE RE, *P. Sullae rem ullam ad me eſſe delatam*.] vitium apparet: itaque nonnulli. De re, tamquam ſuperuacaneum inducendum putarunt. in quibuſdam antiquis libris, De reatu legitur, quod idem vitioſum eſſe conſtat. Nobis placeret, De crimine. non enim longe differt crimine a re, ſi, crimine, contracte legatur.

ORATIO

QVAMOBREM vos dij patrij, ac penates, qui huic vrbi, atque huic imperio praeſidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem, populumq. R. qui haec tecta, atque templa, me conſule, veſtro numine, auxilioq. ſeruaſtis, teſtor, integro me animo, ac libero P. Sullae cauſſam defendere, nullum a me ſciente facinus occultari, nullum ſcelus ſuſceptum contra ſalutem omnium defendi, ac tegi. nihil de hoc conſul comperi, nihil ſuſpicatus ſum, nihil audiui. itaque idem ego ille, qui vehemens in alios, qui inexorabilis in ceteros eſſe viſus ſũ, perſolui patriae quod debui: reliqua iam a me meae perpetuae conſuetudini, naturaeq. debentur. tam ſum miſericors, iudices, quam vos; tam mitis, quam qui leniſſimus. in quo vehemẽs fui vobiſcũ, nihil feci niſi coactus: reip. praecipitãti ſubueni: patriam demerſam extuli: miſericordia ciuium adducti tunc fuimus tam vehementes, quã neceſſe fuit. ſalus eſſet omnium amiſſa vna nocte, niſi eſſet ſeueritas illa ſuſcepta. ſed, ut ad ſceleratorum poenam amore reip. ſum adductus; ſic ad ſalutem innocentium voluntate deducor. nihil video eſſe in hoc P. Sulla, iudices, odio dignum, miſericordia digna multa: neque enim propulſandae calamitatis ſuae cauſſa ſupplex ad vos, iudices, confugit: ſed ne quae generi ac nomini ſuo nota nefariae turpitudinis inuratur. nam ipſe quidem ſi erit veſtro iudicio liberatus, quae habet ornamenta, quae ſolatia reliquae vitae, quibus laetari, & perfrui poſſit? domus erit, credo, exornata: aperientur maiorum imagines: ipſe ornatum, ac veſtitum recuperabit. omnia, iudices, haec amiſſa ſunt: omnia generis, nominis, honoris inſignia, atque ornamenta vnius iudicij calamitate ceciderunt. ſed, ne extinctor patriae, ne proditor, ne hoſtis appelletur, ne hanc labem tãti generis in familia relinquat, id laborat, id metuit; cui honoris integros fructus non ſit traditurus, ne aeternam memoriam dedecoris relinquat. Hic vos orat, iudices, paruus, ut ſe aliquando, ſi non integra fortuna, at afflicta, patri ſuo gratulari ſinatis. huic miſero notiora ſunt iudiciorum itinera, & fori, quam diſciplinarum. non iam de vita P. Sullae; iudices ſed de ſepultura contenditur. vita erepta eſt ſuperiore iudicio: nunc, ne corpus eijciatur, laboramus. quid enim eſt huic reliqui, quod eum in vita hac teneat? aut quid eſt, quamobrem haec cuiquam vita videatur? nuper is homo fuit in ciuitate P. Sulla, vt nemo ſe neque honore, neque gratia, nec fortunis anteferret. nunc, ſpoliatus omni dignitate, quae erepta ſunt, non repetit: quod fortuna in malis reliqui fecit, vt cum parente, cum liberis, cum fratre, cum his neceſſarijs lugere ſuam calamitatem liceat, id ſibi ne eripiatis, iudices, vos obteſtatur. Te ipſum iam, Torquate, expletum huius miſerijs, par erat. etſi nihil aliud Sullae, niſi conſulatum abſtuliſſetis, tamen eo vos contentos eſſe oportebat. honoris enim contentio vos ad cauſſam non inimicitiae deduxerunt. ſed, cum huic omnia cum honore detracta ſint; cum in hac fortuna miſera, ac luctuoſiſſima deſtitutus ſit: quid eſt, quod expetas amplius? lucis ne hanc vſuram eripere vis plenam lacrumarum, atque maeroris, in qua cum ma-

ximo

ximo cruciatu, atque dolore retinetur? libenter reddiderit, adempta ignominia foediſſimi criminis, an vero inimicum vt expellas? cuius ex miſerijs, ſi eſſes crudeliſſimus, videndo fructum caperes maiorem, quam audiendo. O miſerum, & infelicem illum diem, quo conſul omnibus centurijs P. Sulla renunciatus eſt: o falſam ſpem: o volucrem fortunam: o caecam cupiditatem: o praepoſteram gratulationem: quam cito illa omnia ex laetitia, & voluptate ad luctum, & lacrumas reciderunt: vt, qui paullo ante conſul deſignatus fuiſſet, retineret repente nullum veſtigium priſtinae dignitatis, quid enim erat mali, quod huic ſpoliato honore, fama, fortunis deeſſe videretur? aut cui nouae calamitati locus vllus relictus eſſet? vrget eadem fortuna, quae coepit: repetit nouum maerorem: non patitur hominem calamitoſum, vno modo afflictum, vno in luctu perire. Sed iam impedior egomet, iudices, dolore animi, ne de huius miſeria plura dicam. veſtrae iam ſunt partes, iudices: in veſtra manſuetudine atque humanitate cauſſam totam repono. vos, & reiectione interpoſita, nihil ſuſpicantibus nobis, repentini in nos iudices conſediſtis, ab accuſatoribus delecti ad ſpem acerbitatis, a fortuna nobis ad praeſidium innocentiae conſtituti. vt ego, quid de me populus Rom. exiſtimaret, quia ſeuerus in improbos fueram, laboraui, &, quae prima innocentis mihi defenſio eſt oblata, ſuſcepi: ſic vos ſeueritatem iudiciorum, quae per hos menſes in homines audaciſſimos facta eſt, lenitate, ac miſericordia mitigate. hoc cum impetrare a vobis ipſa cauſſa debet: tum eſt veſtri animi, atq. virtutis declarare, nō eſſe eos vos, ad quos potiſſimum, interpoſita reiectione, deuenire conuenerit. in quo ego, iudices, vos, quantum meus amor in vos poſtulat, tantum hortor, ut communi ſtudio, quoniam in rep. coniuncti ſumus, manſuetudine, & miſericordia veſtra falſam a nobis crudelitatis famam repellamus.

EXPLANATIO

PERSOLVI *patriae, quod debui:*] poena coniuratorum. AMISSA *ſunt:*] Cum de ambitu damnatus eſt. CVI *honoris integros fructus*] inſignia conſulatus, quae, niſi Sulla damnatus eſſet, ad filium perueniſſent. ut ſupra: Honor ad patrem inſignia honoris ad te delata ſunt. SI. NON *integra,*] iā enim conſulatum amiſit. GRATVLARI] abſoluto a vobis. REIECTIONE *interpoſita,*] facile eſt intelligere, vnius accuſatoris in crimine coniurationis reiectionem iudicum fuiſſe. veriſimile eſt autem in reiectorum locum eos deligi ſolitos ad accuſatores, quos putaret de reo ſeueriſſime iudicaturos. quam Cicero ex accuſatoris mente, acerbitatem appellat: iudicum autem gratiam, & clementiam aucupatur in eo, quod ſubiungit: A fortuna nobis ad praeſidium innocentiae conſtituti. Et infra: Eſt veſtri animi, atque virtutis, declarare non eos eſſe vos, ad quos potiſſimum, interpoſita reiectione, deuenire conuenerit. Quo loco ſignificat, ſi crudeles iudices accuſator quaeſierit, errаſſe in delectu: quos enim delegit, a crudelitate longe abeſſe. QVID. *de me populus Romanus exiſtimaret.*] quem intelligere cupiebam non me natura, ſed reip. cauſſa ſeuerum in improbos fuiſſe: itaque Sullae innocentis defenſionem libenter ſuſcepi. PER *hos menſes*] licet conijcere, Sullam a Cicerone defenſum ſtatim poſt eius conſulatum, ideſt Silano, & Murena cos. nam, Per hos menſes, praeſentem annum oſtendit. IPSA *cauſſa*] quam a me iam plane cognouiſtis. DEVENIRE] ſpes accuſatorem fefellit, uos enim delegit potiſſimum ad ſpem acerbitatis: ego autem, cum ipſam cauſſam conſidero, cum veſtrum animum, veſtram virtutem intueor, nō a vobis crudelitatem, ſed lenitatem potius, ac miſericordiam exſpecto. A. NOBIS] a me, propter conſulatus mei ſeueritatem: a vobis, abſolutione P. Sullae.

IN·ORATIONEM·CICERONIS PRO, ARCHIA, POETA

PAVLLI·MANVTII COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

VRbem Romam eximia primorum regum, primorumq. conſulum virtus, quam poſteritas imitata eſt, ab humili principio ad ſummā amplitudinem, gloriamq. perduxit. Ac mihi quidem in eas cauſſas, unde opes tantę manarunt, intuenti, cum aliae nequaquam leues occurrunt, tum illa non ſane minimi videtur eſſe ponderis, quod gentibus bello victis, nō modo locus in ciuitate, verum etiā parta cū ceteris ciuibus iura concedebantur. tranſijt ea benignitas in ſingulos ciues: & primum ij, qui ſtrenuam in proelijs operam nauaſſent, mox etiam, ſi qui doctrina pręſtantes, ad ornandas populi Romani res geſtas ingenium contuliſſent, ciuitatis iura conſequebantur. atque alij quidem alijs temporibus, Archias autem, Antiochię in Syria natus, Ciceronis ętate hunc honorem ſingulari principum ciuium ſtudio eſt adeptus, qui cū poetica laude floreret, vbique iam in Italia clarus, ab omnibus fere populis expetitus, primum a Tarētinis, Rheginis, Locrenſibus, Neapolitanis, deinde ab Heracliēſibus ciuitate donatus, poſtremo in ciuium etiam Romanorum numerum adſcitus eſt. verum, vt multi ſaepe reperiuntur non modo artium optimarum expertes, verum etiā inimici, exſtitit quidā Gracchus, qui, quod Archiae beneficium virtus pepererat, in dubium reuocaret, eiq. litem de ciuitate, ex lege, quā Siluanus & Carbo tribuni pl. tulerant, intenderet. Reſpondit ei Cicero: cauſſam probauit: merita hominis extulit: dignum oſtendit, non modo qui ciuitatem non amitteret, quam iure optimo teneret, verum etiā, qui, niſi eam haberet, conequeretur. Eſt autē hęc omnis in quattuor diſtributa partes oratio. Primum ab officio ſuo, quo adductus Archiae defenſionem ſuſceperit, Cicero exorditur. Deinde, quorum ille ciuium amicitia, & familiaritate floruerit, &

rit, & quib. tamquam gradibus ad Romanæ ciuitatis honorem adſcenderit, magna cum eius laude narrat. Tum, accuſatori reſpōdens, Archiam neganti ciuem Romanum eſſe, argumenta, quibus ille vtebatur, diluit, ac refellit. Quarto loco, qua doctrina praeſtet Archias, eam laudat a tribus rebus, a fructu, quod adoleſcentiam alat, ſenectutem oblectet; ſecundas res ornet, aduerſis perfugium, ac ſolatium praebeat; delectet domi, non impediat foris: a dignitate, quia ceterarū rerum ſtudia praeceptis, arte, doctrina conſtent; poeta vero ſuas vires, & ſuam praſtātiam ab ipſa natura ſumat, & quaſi ope quadam ac munere deorum immortalium excellat: a publica laude, quia, non eorum modo, quorum res geſtas poetæ verſibus perſequuntur, ſed populi quoque Romani nomen illuſtretur. Poſtremo, vbi iudices & docuit ſatis, & delectauit, & mouit; docuit, donatione ciuitatis probata; delectauit, digreſſus a cauſſa in laudes poeticae facultatis; mouit, argumentis, & exemplorum copia: commendat ijs Archiae ſalutem: & ſimul quaſi veniam petit, quod & de hominis ingenio, & communiter de ſtudijs humanitatis, ac litterarum liberius aliquanto ſit locutus, quam fori & iudiciorum conſuetudo ferre videatur. Habitam orationem puto D. Iunio Silano, L. Licinio Murena coſ. cum dicat Cicero, Archiam proximis cenſoribus cum L. Lucullo apud exercitum fuiſſe: proximos autem ſine dubio ſignificet Cn. Lētulum Clodianum, & L. Gellium. nam a L. Cotta et P. Seruilio, qui Caeſare & Figulo coſ. cenſuram geſſere, cenſum non eſſe actum, & Dio narrat, & hic Cicero ipſe teſtis eſt. habitam autem poſt Ciceronem conſulem, declarant ea, quae de periculis reip. ideſt de coniuratione Catilinae dicuntur. quod ſi & poſt Ciceronem conſulem, & ante cenſores, qui poſt eum fuere, habita eſt: neceſſario, vt mihi videtur, in Silani & Murenae conſulatum incidit.

M · TVLLII · CICERONIS

PRO · ARCHIA · POETA

ORATIO · XXVI.

SI quid eſt in me ingenij, iudices, quod ſentio quam ſit exiguum; aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua me nõ inficior mediocriter eſſe verſatum; aut ſi huiuſce rei ratio aliqua, ab optimarum artium ſtudijs, & diſciplina profecta, a qua ego nullam confiteor aetatis meae tempus abhorruiſſe; earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope ſuo iure debet. nam quoad longiſſime poteſt mens mea reſpicere ſpatium praeteriti temporis, & pueritiae memoriam recordari vltimam, inde vſque repetens, hunc video mihi principem & ad ſuſcipiendam, & ad ingrediendam rationem horum ſtudiorum exſtitiſſe. quod ſi haec vox huius hortatu, praeceptisq. conformata, nonnullis aliquando ſalus fuit: a quo id accepimus quo ceteris opitulari, & alios ſeruare poſſemus, huic profecto ipſi, quantum eſt ſitum in nobis, & opem, & ſalutem ferre debemus. ac, ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quaedam in hoc facultas ſit ingenij, neque haec dicendi ratio, aut diſciplina: nec nos quidem huic uni ſtudio penitus vmquam dediti fuimus. etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur.

EXPLANATIO

SI. QVID *eſt in me ingenij iudices, quod ſentio quam ſit exiguum;*] grata iudicibus defenſio eſt, quae ab officio naſcitur, patrono, quantum reo debeat, & quibus reb. debeat, oſtẽdente. Tria Cicero propoſuit, ingenium exercitationem dicendi, rationẽ, id eſt naturam, vſum, artem φύσει. ἐμπειρία τέχνη ab Ariſtotele nominantur. quę ad acquirendam eloquentię laudem aequo omnia requiruntur: quis. n. naturę fructus eſt, niſi accedat exercitatio? q̃ porro exercitationis vtilitas niſi cã ars moderetur, ac regat? in his omnib. ſi quid profecerit, hoc eſt ſi quid eloquẽtia valeat, (in haec. n. tria per amplificationem eloquentiam diuiſit) id Archiæ in primis acceptum a ſe referri debere, ingenue fatetur. Vitat autem ſuſpicionem arrogantiae, cum ſubiungit: Quod ſentio quam ſit exiguum: & cum exercitationem fuiſſe mediocrem fatetur: & cum in ratione non ſe dicit ſemper eſſe verſatum, ſed ab ea nullum aetatis ſuæ tempus abhorruiſſe. illud affirmantis erat, hoc non negantis: in quo maior modeſtiae laus. Illa quoque non eſt inutilis animaduerſio, cum dubitatio antecedit, ſubiici definitionem. dubitatur in eo, Si quid in me ingenij, iudices: definitur, Quod ſentio quam ſit exiguum. Eiuſdem generis duo ſunt inferiora membra. eſt enim dubitatio Si qua exercitatio dicendi: definitio, In qua me nõ inficior mediocriter eſſe verſatum. Tertia dubitatio eſt, Aut ſi huiuſce rei ratio aliqua. eam excipit definitio A qua ego nullam confiteor aetatis meæ tempus abhorruiſſe. Vtrãq. colligit concluſio, Earum rerum omnium Quae ſimul agnoſcuntur in epiſtola ad Lentulum. præmiſſa .n. dubitatione Regis cauſſa, ſi qui ſunt, qui velint: ſequitur definitio, Qui pauci ſunt: & poſt definitionem concluſio, Omnes rem ad Pompeium deferri volunt. Vno cõtenti ſimus exemplo, ne copia ſatietatem pariat: ſatis.n. opinamur, ſi quid huius generis occurrat, vnde augeri ſententia, elocutio poſſit illuſtrari, notare paucis verbis, &, vt ait hic noſter, quaſi digitum ad fontem intendere. EARVM *rerum omnium*] ingenij, exercitationis, rationis. VEL *in primis*] non ille quidem ſolus, (ne vni Archiæ operã dediſſe videatur) cum & oratores audierit, & a philoſophis multa didicerit, ſed in primis, quia iam inde a pueritia illo auctore & principe complexus ea ſtudia ſit, quorũ ope multorũ ſalutem, vel, vt ipſe modeſte ait, nonnullorũ defenderit atque ſeruarit. HIC *A. Licinius*] Lucullorũ præcipuæ beneficio ciuitatem adeptus Archias, nomen Liciniæ gentis de more ſumpſit, vetere ſeruato cognomine. Auli autẽ prænomen, a quo Lucullo ceperit, haud ſatis conſtat, nã quos Lucullos eius amicos ac familiares Cicero dicit fuiſſe, nõ dubito quin Lucius, & Marcus, fratres, deſignẽtur. Aulum vero Lucullũ non modo neminẽ, cuius conſuetudine ſit vſus Archias, ſed neminẽ prorſus, qui quidẽ his temporibus vixerit inuenimus, niſi ſit marcus, Lucij frater, quem a Terentio Varrone adoptatũ faſti Capitolini demonſtrant, Aulus fuit ante adoptionẽ, Marcus autẽ eſſe cœpit adoptatus: quod ſi verũ eſt, potuit Archias ab eo, nondum adoptato, praenomen accipere. FRVCTVM *a me repetere*] vt optimè de me meritò gratiam referã; poteſt.n. repetere, quæ dedit, iure quodam ſuo. dedit autem, quidquid ingenio, exercitatione, ratione mihi videor pręſtare poſſe. ET. PVERITIAE *memoriam recordari vltimam,*] non vltimam, id eſt vltimos pueritiae annos, ſed quae longiſſime a virili

diſtaret

diſtaret aetate, quaeque cadere in memoriã poſſet: quae vel media vel etiam prima, ſi modo in memoriam caderet potuit eſſe pueritiae pars. HORVM *ſtudiorum*] quae infra vocat ſtudia humanitatis. QVOD *alia quaedam in hoc facultas ſit ingenij,*] differt enim poeta ab oratore. HVIC *cuncti ſtudio*] Cuncti: toti: vt ſit, toti penitus dediti. Studio autem, eloquentiae. OMNES *artes, quae ad humanitatem pertinent,*] ars oratoria, poetica, hiſtoria.

O R A T I O

SED, *ne cui veſtrum mirum eſſe videatur, me in quaeſtione legitima, & in iudicio publico, cum res agatur apud praetorem populi R. lectiſsimum virum, & apud ſeueriſsimos iudices, tanto conuentu hominum, ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a conſuetudine iudiciorum, verum etiam a forenſi ſermone abhorreat: quaeſo a uobis, ut in hac cauſſa mihi detis hanc ueniam, accommodatam huic reo, uobis, quemadmodum ſpero, non moleſtam, ut me, pro ſummo poeta atque eruditiſsimo homine dicentem, hoc concurſu hominum litteratiſsimorum, hac ueſtra humanitate, hoc denique praetore exercente iudicium, patiamini de ſtudijs humanitatis, ac litterarum paullo loqui liberius, & in eiuſmodi perſona, quae propter otium, ac ſtudium minime in iudicijs, periculisq. tractata eſt, uti prope nouo quodam, & inuſitato genere dicendi. quod ſi mihi a uobis tribui, concediq; ſentiam, perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non ſegregandum, cum ſit ciuis, a numero ciuium, uerum etiam, ſi non eſſet, putetis adſciſcendum fuiſſe.*

E X P L A N A T I O

ME. IN *quaeſtione*] praetorum duo iudicabant, vnus inter ciues. qui praetor vrbanus dicebatur, alter inter peregrinos. ceteri de criminibus quaerebãt, qui & quaeſitores ideo vocabãtur, vnde quaeſtio. quaerebatur autẽ in hoc iudicio, ciuis Romanus necne, eſſet Archias, praetore iudiciũ exercente. LEGITIMA,] de qua lex eſt, & quae lege exercetur. IN. IVDICIO *publico,*] iudicium publicũ eſt, de quo accuſare cuiuis licet priuatũ, in quo priuata lis agitur, & priuatim duo litigãt inter ſe, iuſdicẽte praetore vrbano, aut peregrino, qui recuperatores dare cõſueuerant De praetore in ea pro Quinctio; De iudicio publico in Diuinatione ſatis multa diximus. PRAETOREM *populi Romani*] additur, populi Romani exaggerandi gratia: vt cũ dicitur, ſenator populi Romani nam & praetor, & ſenator, per ſe appellantur. SEVERISSIMOS *iudices,*] apud quos extra cauſſam ſi quid affertur, locum habere non videtur. qui ſunt hi iudices? trium ordinũ, ſenatorũ, equitum, tribunorum aerariorũ, qui de plebe erant. hi omnes hoc tẽpore ſimul iudicabant, ex lege Aurelia quã praetor L. Cotta, Pompeio & Craſſo cos tulerat. iudicabant autẽ, quod ex Pediano licet intelligere impari nũero, equites vno pauciores ſenatoribus, tribuni aerarij vno pauciores equitibus, habita ſcilicet cuiuſque ordinis dignitate. & quamquã ſinguli ordines ſeparatim ſentẽtias ferrẽt, numerus tamẽ omniũ plane iudicum, non ordinis, in abſolutione, aut cõdemnatione ſpectabatur cuius moris documento eſt epiſtola Coelij, in qua ſunt haec legis verba Quod eorũ iudicũ maior pars iudicarit, id ius ratũque eſto. TANTO *conuentu hominum, ac frequentia,*] magna populi corona. nã ad audiẽdos oratores, praeſertim vbi cauſſa illuſtris aliqua ageretur, populus cõuenire cõſueuerat. HOC *vti genere dicendi*] de ſtudijs, quae ad humanitatẽ pertinẽt. A. FORENSI *ſermone*] ſermo enim in foro de huiuſmodi ſtudijs eſſe non ſolet. ACCOMMODATAM *huic reo.*] qui excellit eo ſtudiorũ genere, de quo ſum dicturus. NON *moleſtam.*] pro veſtra humanitatẽ, cum de ſtudijs loquar humanitatis. ERVDITISSIMO *homine*] ſummus enim poeta, et ſi magnã vim atque facultatem a natura ſumit, eruditione tamen ornatur vehementer, atque expolitur. HOC *concurſu hominum litteratiſsimorum,*] audiendi ſtudium non in populo tantũ rudi, & litterarũ experte, ſed in doctiſſimis etiã hominibus reus Archias, poeta ſummus, & homo eruditiſſimus, defendẽte praeſertim Cicerone, commouerat. HAC *veſtra humanitate*] litterarum illarum ſcientia de quibus mihi ſermo futurus eſt. Hoc ſenſu interdũ accipitur humanitas: quod cum exempla declarant tũ Gellius quoque docuit. HOC *denique praetore exercente iudicium,*] a rebus quattuor argumentũ ſumit, cur ſibi liceat de ſtudijs humanitatis, ac litterarũ paullo loqui liberius: ab ipſo reo, ab ijs, qui ad audiendũ cõuenerãt, a iudicũ humanitate, & praetore lectiſſimo viro, eſt enim emphaſis quaedam in pronomine, Hoc. DE *ſtudijs humanitatis*] quae ad humanitatẽ informant, quae animos humanitate excolũt. ſignificatur autẽ hiſtoria in primis, & poetice. nã vtraque infra laudatur. Gellius alias quoque diſciplinas humanitatis nomine cõprehendit cũ eam eruditionẽ vocat, & ait propemodũ eſſe, quã παιδείαν Graeci dicunt: exemplis tamen valde probãtibus nõ vtitur. & in hac ipſa oratione cũ ait Cicero: Ab ijs artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatẽ informari ſolet: quid putemus? mathematica ne, & phyſica ſignificari? ad haec Romae tũ nõ colebãtur: aut virili certe aetate, nõ puerili: & omnino a perquã paucis. quare, quod ad Gellij opinionẽ attinet, nec probare poſſũ, nec improbare audeo: aſtẽſum libenter ſuſtineo. MINIME *in iudicijs, periculiſq. tractata eſt.*] cum nouus Archias in iudicijs, periculiſq. ſit mihi quoque concedendũ videtur, vt in eius cauſſa prope nouo quodã, & inuſitato vtar genere dicẽdi. Tractata eſt. tractate, vſũ, & experientiam ſignificat. PERFICIAM *profecto.*] cognita Archiae virtute. CVM *ſit ciuis*] oratorie,

torie, quaſi aliud agens, Archiae cauſſam ſe eſſe probaturũ ſignificat, vbi ad locũ perueruenerit. ADSCISCENDVM] aggregandum, adiungendum hoc verbum de foro migrauit ad omnes res. nam, ſciſcere, plebis eſt: vnde plebiſcitũ. ciuitas autem hoc tempore non ſigillatim, plebe ſciſcente, dabatur: ſed, quicumque foederatae ciuitati adſcriptus fuiſſet, ſi Romae domiciliũ habuiſſet; & ſi ſexaginta diebus apud praetorem eſſet profeſſus; is, vel nullo plebiſcito, ciuitate donatus intelligebatur. Oppoſita ſunt igitur, Segregandum, Adſciſcendum.

O R A T I O

NAM, vt primum ex pueris exceſſit Archias, atque ab ijs artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ſe adſcribendi ſtudium contulit: primum Antiochiae (nam ibi natus eſt, loco nobili, & celebri quondam vrbe, & copioſa, atque eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimisq. ſtudijs affluenti) celeriter antecellere omnibus ingenij gloria contigit: poſt, in ceteris Aſiae partibus, cunctaeq. Graeciae, ſic eius aduentus celebrabatur, vt famam ingenij exſpectatio hominis, exſpectationem ipſius aduentus admiratioq. ſuperaret. Erat Italia tunc plena Graecarum artium, ac diſciplinarum; ſtudiaq. haec & in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc ijſdem in opidis; & hic Romae propter tranquillitatem reip. non negligebantur: itaque hunc & Tarentini, & Rhegini, & Neapolitani ciuitate ceterisq. praemijs donarunt; & omnes, qui aliquid de ingenijs poterant iudicare, cognitione atque hoſpitio dignum exiſtimarũt. hac tanta celebritate famae, cum eſſet iam abſentibus notus, Romam venit Mario conſule, & Catulo: nactus eſt primum conſules eos, quorum alter res ad ſcribendum maximas, alter cum res geſtas, tum etiam ſtudium atque aures adhibere poſſet.

E X P L A N A T I O

EX PVERIS *exceſſit*] ex pubertatis annis: quod Terentius dixit, Ex ephebis exceſſit. AB IIS *artibus*,] a cognitione artis poeticae, rhetoricae, hiſtoriae. AD *humanitatem*] ijs enim artibus animi rudes ad humanitatẽ, & morũ elegantiã excoluntur. INFORMARI] quaſi formae initium a litteris accipiat puerilis aetas, quae per ſe informis eſſet. Informare autẽ nõ abſolutã formã, ſed inchoatã ſignificat: vt ſit, in formã inducere. vnde illud ep. I. ad Att. Petitorũ haec eſt adhuc informata cogitatio. Et ad eundẽ. Nae tu haud multũ requireres illũ virũ, qui in ſexto libro informatus eſt. ANTIOCHIAE] *loco nobili*,] honeſtis parentibus, non obſcura familia. CELEBRI *quondam vrbe*,] celebris, & deſertus, opponuntur. frequentiam igitur ciuiũ ſignificat: addit rerũ copiam, artium liberaliũ ſtudia vbi enim haec tria ſunt, nihil illa vrbe commodius, nihil nobilius. INGENII *gloria*] ſcriptis parta. CONTIGIT:] non contigit Romae, non in Italia, ſed Antiochiae primum, vbi natus eſt. VT FAMAM *ingenij exſpectatio hominis, exſpectationem ipſius aduentus, admiratioq. ſuperaret.*] magna laus, vbi famam res ipſa vincit. id Cicero tribuit Catoni Vticenſi, in eo libro, quem poſt eius interitũ ſcripſit. Cõtingebat, inquit, in eo, quod pleriſque contra ſolet, vt maiora omnia re, quã fama, viderẽtur, id quod nõ ſaepe euenit, vt exſpectatio cognitione, aures ab oculis vincerẽtur. Inde ſumpſit illud, delectatus egregia ſentẽtia, Virgilius lib. VI. O fama ingens, ingentior actis, vir Troiane. ERAT *Italia*] tranſit ex Aſia in Graeciam ex Graecia in Italiam, ex Italia in Latium, ex Latio ad vrbẽ Romã: quibus omnibus in locis Archiã propter ingenij praeſtantiã in honore fuiſſe dicit. TVNC *plena Graecarum artium*,] ſero admodum Graecas artes, nec fere niſi poſt euerſam Carthaginem, Italia cognouit, ſecuro otio potita, nihil iam timens ab externis hoſtibus. IN LATIO *vehementius tum colebantur*,] nondum exorto Sociali bello, quo litterarum ſtudia ſunt intermiſſa. PROPTER *tranquillitatem reip.*] ſublatis omnibus bellis. NON *negligebantur*:] maiorẽ Latio laudem tribuit, quã Romae. nam de Latio dixit. Colebantur: de vrbe Roma, Non negligebantur. TARENTINI, & *Rhegini; & Neapolitani*] qui ſunt omnes in Italia, extra Latiũ. ij, quo tempore Archiã ciuitate donarunt, foederati erãt, & ſuis legibus, nõ Romanis vtebãtur; poſtea lege Iulia belli Socialis anno primo lata, municipes facti ſunt. nam quod ait Velleius Tarentũ coloniã eſſe deductam poſt annũ quã Fabrateriam, ideſt Cn. Domitio, C. Fannio cos. anno vrbis DCXXXI. id videtur eſſe falſum; cum aliquot poſt annis tamquam in foederatã ciuitatẽ adſcribatur Archias. Rheginos foederatos iũ fuiſſe, eadẽ ratio probat: municipes, poſtea, ideſt ciues Romanos, docet hic noſter lib. IV. in Verr. Quid arbitramini Rheginos, qui iã ciues R. sũt, mereri velle, vt ab ijs marmorea Venus illa ne auferatur? De Neapoli idẽ dico, poſt legẽ Iuliã municipiũ fuiſſe argumento illud eſt in ep. ad Aciliũ: L. Manlius eſt Soſis. is fuit Catinẽſis, ſed eſt vna cũ reliquis Neapolitanis ciuis R. factus, decurioq. Neapoli. erat enim adſcriptus in id municipiũ, ante ciuitatẽ ſocijs, & Latinis datã; Antea vero exſules Romanos Neapoli, tamquã ĩ foederata ciuitate eſſe potuiſſe Polybius ait lib. VI. IAM *abſentibus notos*,] nõ video, cur mutare, & pro, Iam, reponere. Etiam, quod Faerno placebat, neceſſe ſit. coniungo enim, Iam notus, nõ,

Iam

lam abſentibus. ROMAM *venit, Mario cõſule, & Catulo.*] Poſtu'are mos videbatur, Mario & Catulo coſ' ſed in Bruto quoque ita loquitur: Ille a Craſſo conſule & Scaeuola vſque ad Paullum, & Marcellum ruit, NACTVS *eſt*] quod fortunae fuit. QVORVM *alter*] Marius. CVM *res geſtas*] triumphauerat enim Catulus de Cimbris, Marius autem de iiſdẽ, de Ambronibus, de Teutonis, praeterea triẽnio ante de Numidis. TVM *etiam ſtudium,*] ſtudium legendo, aures audiendo. Catulus.n. Graecas diſciplinas videtur nouiſſe: cũ dicat Cicero lib. 2. de Orat. Ariſtoteles, Catule, veſter Et in Bruto: Iamq. Q. Catulus, non antiquo illo more, ſed hoc noſtro, niſi quid fieri poteſt perfectius, eruditus, multae litterae: ſumma non vitae ſolum, atque naturae, ſed orationis etiam comitas. AVRES] quae, quod audirent, iudicare poſſent.

O R A T I O

STATIM Luculli, cum praetextatus etiam tum Archias eſſet, eum domum ſuam receperunt. ſed enim hoc non ſolum ingenij, ac litterarum, verum etiam naturae, atque virtutis fuit, vt domus, quae huius adoleſcentiae prima fuerit, eadem eſſet familiariſſima ſenectuti. erat temporibus illis iucundus Q. Metello illi Numidico, & eius Pio filio: audiebatur a M. Aemilio: viuebat cum Q. Catulo & patre, & filio: a L. Craſſo colebatur: Lucullos vero, & Druſum, & Octauios, & Catonem, & totam Hortenſiorum domum deuinctam conſuetudine cum teneret, afficiebatur ſummo honore, quod eum non ſolum colebant, qui aliquid percipere, aut audire ſtudebant, verum etiam ſi qui forte ſimulabant. interim ſatis longo interuallo, cum eſſet cum L. Lucullo in Ciliciam profectus; & cum ex ea prouincia cum eodem Lucullo decederet; venit Heracleam: quae cum eſſet ciuitas aequiſſimo iure, ac foedere, adſcribi ſe in eam ciuitatem voluit; idque, cum ipſe per ſe dignus putaretur, tum auctoritate, & gratia Luculli ab Heracleinſibus impetrauit.

E X P L A N A T I O

LVCVLLI,] Lucius, & Marcus, fratres: quorum Lucius de Mithridate, & Tigrane, Marcus ex Macedonia triumphauit. PRAETEXTATVS] nondum natus annos XVII. ea enim aetate, praetexta depoſita, virilem togã ſumebant. Hic tamen eſt, cur mirer, praetextatũ Archiam dici, cũ de eodem ſupra dictum ſit, Vt primum ex pueris exceſſit Archias. quo tempore adhuc erat Antiochiae: nec potuit, niſi multis poſt menſibus, Romam peruenire: cum praeſertim Tarenti, Rhegij, Neapoli aliquandiu eum fuiſſe, vt ingenij ſui ſpecimen daret, quo ciuitatum illarum honorem obtinuit, veriſimile ſit: quem nodum, ſi quis velit, ita ſoluat, ex pueris exceſſiſſe Archiam, dici, ideſt, ex aetate puerili, non cum annos XVII. natus eſſet: quod praetextae deponendae tempus erat. NON *non ſolum ingenij, ac litterarum,*] multi enim ingenio, litteriſq. praeſtantes amicitiam ad ſenectutem naturae vitio non perducunt. NATVRAE, *atque virtutis*] humanitatis, & probitatis. Q. METELLO *illi Numidico,*] & hic, & filius propter nobilitatem ac virtutem ita noti ſunt, vt longior de iis oratio minime requiratur. AVDIEBATVR] recitabant, atque adeo muſice canebant poetae ſuos verſus, nec ſolum in coetu familiari, ſed etiam in foro, audiente populo. vnde illud Catulli: Riſi neſcio quem modo in corona: „ Qui, cum mirifice Vatiniana „ Meus crimina Caluus explicaſſet, „ Admirans, ait, hęc, manuſq. tollens, „ Dij magni, ſalicippium diſertum. Sic enim adoleſcẽtulus, examinatis diligenter in quatuor Controuerſiarum Senecae verbis, olim emendaui Iuuenalis quoque: Semper ego auditor tantum? numquã ne reponam, „ Vexatus toties rauci Theſeide Codri: M. AEMILIO:] Scauro, principe ſenatus, patre eius, quem poſtea Cicero defendit. L. CRASSO] oratore ſummo. DRVSVM,] M. Liuium Druſum, M Catonis Vticenſis auunculum, qui tribunus pl. initio belli ſocialis a neſcio quo domi ſuae eſt interemptus. Velleius, & alij. OCTAVIOS,] tres Octauios, vnum Cnaeum, qui conſul fuit cum Cinna: alterum Cnaeum, nõ eodem patre natum, C. Curionis in conſulatu collegam: tertium Lucium, fratrem Cnaei, quem primum nominauimus, qui cum C. Cotta conſulatum geſſit. CATONEM,] Marcum fortaſſe, patrem Catonis Vticenſis, nominatum lib. 2. Off. qui praeturam petens deceſſit. fuit & alter Cato, Lucij praenomine, qui cum Cn. Pompeio Strabone, anno ſecundo Socialis belli, conſul in proelio occiſus eſt. AFFICIEBATVR *ſumma honore,*] non ab iis tantum, qui proxime ſunt appellati, ſed prorſus ab omnibus. CVM *L. Lucullo*] poſt cõſulatum. HERACLEAM:] plures hoc nomine vrbes fuere: haec in Italia Heraclea eſt. AEQVISSIMO *iure, ac foedere,*] Quod cũ ea, Pyrrhi temporibus, C. Fabritio conſule ictum eſſe, docet oratio pro Balbo. Foederati autem erãt iure Italico Tarentini, Rhegini, Neapolitani, quod erant extra Latium: qui vero intra Latium populi, iure Latij. qui in Gallia, iure Gallico. Sed cum dicat hic Cicero: Quod erant aequiſſimo iure, ac foedere; videtur omnino ſignificare, meliore quodam iure, ac foedere Heraclienſes fuiſſe, quam Tarentinos, Rheginos, Neapolitanos. alioqui cur in eos adſcribi cuperet Archias, quaſi ceteris, in quos adſcriptus antea fuerat, neglectis? quorum etiam tabulis Archiam non vti, quod ſemper ſe Heraclienſem eſſe voluerit, infra dicit. AVCTORITATE,] viri conſularis.

ORATIO

DATA eſt ciuitas, Siluani lege, & Carbonis; ſi qui foederatis ciuitatibus adſcripti fuiſſent; ſi tum, cũ lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent; & ſi ſexaginta diebus apud praetorem eſſent profeſſi. cum hic domicilium Romae multos iam annos haberet, profeſſus eſt apud praetorem Q. Metellũ, familiariſſimum ſuum. Si nihil aliud, niſi de ciuitate, ac lege, dicimus; nihil dico amplius; cauſſa dicta eſt. quid enim horum infirmari, Gracche, poteſt? Heracleae ne eſſe eum adſcriptum negabis? adeſt vir ſumma auctoritate, & religione, & fide, L. Lucullus; qui ſe nõ opinari, ſed ſcire; non audiuiſſe, ſed vidiſſe; non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. adſunt Heracleenſes legati, nobiliſſimi homines; qui huius iudicij cauſſa cum mandatis, & cum publico teſtimonio venerunt; qui hunc adſcriptum Heracleenſem dicunt.

EXPLANATIO

DATA eſt ciuitas, Siluani Lege, & Carbonis;] tranſitus eſt ab Heraclea Archiae data, ad vrbem Romam, vt omnibus dari poſſet; qui foederatis ciuitatibus adſcripti fuiſſent; ſi tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent; & ſi ſexaginta diebus apud prætorem eſſent profeſſi. M. Plautius Siluanus, & C. Papirius Carbo, eius Carbonis, qui eloquentia excelluit, filius, eam legem tulere, cum tribuni pl. eſſent, Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone cos. Q. METELLVM,] eum, qui poſt biennium cum Q. Hortenſio cõſul fuit &, in Creta re bene geſta, Cretici cognomen obtinuit. CAVSSA dicta eſt.] nam legi ſatisfecit Archias. ergo ciuis eſt. ſi negas, haec infirma. GRACCHE,] arbitror hunc eſſe Numerium Quinctium Gracchum, qui tribunus pl. fuit quo anno Cicero reſtitutus eſt: & cum de reditu eius magiſtratus omnes promulgaſſent, ſolus cum collega ſuo Sex. Atilio Serrano & vno Ap. Claudio praetore, P. Clodij fratre, diſſenſit: vt in oratione pro Sextio, in Piſonem, & apud Pedianũ. NON opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed vidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe] nõ eſt diſſimilis illa figura pro Milone. Eſt enim haec, iudices, nõ ſcripta, ſed nata lex; quã non didicimus, accepimus, legimus, verũ ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quã non docti, ſed facti, nõ inſtructi, ſed imbuti ſumus. QVI hunc adſcriptum Heracleenſem dicunt.] nam tabulae publicae interierant.

ORATIO

HIc tu tabulas deſideras Heracleenſium publicas, quas Italico bello, incenſo tabulario, interiſſe ſcimus omnes. Eſt ridiculum ad ea, quae habemus, nihil dicere, quaerere, quae habere non poſſumus; & de hominũ memoria tacere, litterarum memoriam flagitare; &, cum habeas ampliſſimi viri religionem, integerrimi municipij iuſiurandum, fidemque, ea, quae deprauari nullo modo poſſunt, repudiare; tabulas, quas idem dicis ſolere corrumpi, deſiderare. At domicilium Romae non habuit, is, qui, tot annis ante ciuitatem datam, ſedem omnium rerum, ac fortunarum ſuarum Romae collocauit. At non eſt profeſſus. Immo vero ijs tabulis profeſſus, quae ſolae ex illa profeſſione, collegioq. praetorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem. nam, cum Appij tabulae negligentius aſſeruatae dicerentur; Gabinij, quum diu incolumis fuit, leuitas, poſt damnationem calamitas omnem tabularum fidem reſignaſſet; Metellus, homo ſanctiſſimus, modeſtiſſimusq. omnium, tanta diligentia fuit, vt ad L. Lentulum praetorem, & ad iudices venerit, & vnius nominis litura ſe commotum eſſe dixerit.

EXPLANATIO

HIc] non abeſt indignatio quaedã: quale illud in epiſtola ad Lucceiũ; Hic tu ea me abeſſe vrbe miraris in qua domus nihil delectare poſſit, ſummum ſit odiũ temporũ, hominũ, fori, curiae? Et ad Trebatium. Hic tu me etiam inſimulas, nec ſatisfactionẽ meam accipis. TABVLAS Heracleenſium] quibus, eum Heracleae adſcriptum eſſe, iudicibus probem. ITALICO bello,] quod exortũ eſt anno vrbis DCLXIII. ſocijs indignãtibus, quod lege Licinia & Mucia ſuas in ciuitates redire iuſſi eſſent. Triplex nomen eius belli fuit, Italicum, Sociale, Marſicum. INCENSO tabulario,] quo tabulae in quibus ciuiũ omniũ nomina ſcripta erãt, cuſtodiebãtur. id videtur fuiſſe in poteſtate cenſorũ & Heracleae, & reliquis in ciuitatibus, ſicuti Romae fuit. nã Liuius lib. XLIII. Cenſores, inquit, ex tẽplo in atriũ Libertatis adſcenderũt; & ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoq. tabulario, & dimiſſis ſeruis publicis, negarunt ſe prius quidquã publici negotij geſturos, quã iudiciũ populi de ſe factum eſſet. In oratione pro Milone, nõ in atrio Libertatis, ſed in aede Nympharũ, loco fortaſſe mutato tabularium fuiſſe conſtat. ibi enim de Clodio: Eũ qui aedẽ Nympharũ incendit. vt memoriam publicae recenſionis, tabulis publicis impreſſam extingueret. DE hominum memoria tacere,] qui Archiam Heracleae adſcriptũ dicebant, & cum mandatis, publicoq. teſtimonio venerant. AMPLISSIMI viri]

L. Luculli.

L. Luculli. RELIGIONEM, } teſtimonium cum iureiurando dictum. ſupra: Adeſt uir ſumma au-ctoritate, & religione, & fide, L. Lucullus. INTEGERRIMI } quod corrumpi non poſſit. MVNI-CIPII } haec dicente Tullio municipium Heraclea fuit; antea, cum in eam Archias adſcribi uoluit, libera ciuitas & foederata. dixit enim ſupra: Quae cum eſſet ciuitas aequiſſimo iure, ac foedere, adſcribi ſe in eam ciuitatem uoluit. Infra quoque municipium appellat. IS. QVI, } reſponſio ad obiectionem, prope coniuncta: ut irrideatur accuſator, qui obiecerit imperite, quod refelli nullo negotio poſſit. Similiter in oratione pro Sulla diluitur obiectio cum irriſione quadam, ratione non ſeparatim ſubiecta, ſed ſtatim illata. Arrepta, inquit, eſt familia: quae ſi eſſet praetermiſſa, poſſet alia familia Fauſti munus praebere. ANTE *ciuitatem datam*, } Siluani lege, & Carbonis. quae ciuitatem non dabat, niſi qui domicilium in Italia, cum lex ferretur, habuiſſet. ROMAE *collocauit*. } relicta Heraclea, in quam adſcriptus erat. APPII } praetoris. GABINII. } praetoris. QVAMDIV *incolumis fuit*, } antequam condemnaretur. OMNEM *tabularum fidem reſignaſſet*; } omnem eius tabulis, in quibus profeſſorum erant nomina, fidem abrogaſſet. Reſignaſſet, inquit, quia tabulae obſignabantur annulo praetoris. ET. AD *iudices* } ut de litura illa, quam in ſuis tabulis deprehenderat, iudicarent.

ORATIO

HIS igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinij uidetis. quae cum ita ſint; quid eſt, quod de eius ciuitate dubitetis? praeſertim cum alijs quoq. in ciuitatibus fuerit adſcriptus. etenim cum mediocribus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte praeditis gratuito ciuitatem in Graecia homines impertiebãtur; Rheginos credo, aut Locrenſes, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod ſcenicis artificibus largiri ſolebant, id huic, ſumma ingenij praedito gloria, noluiſſe. quid? cum ceteri non modo poſt ciuitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam aliquo modo in eorum municipiorũ tabulas irrepſerint: hic, qui nec utitur quidem illis, in quibus eſt ſcriptus, quod ſemper ſe Heraclienſem eſſe uoluit, reijcietur? Cenſus noſtros requiris. ſcilicet: eſt enim obſcurum, proximis cenſoribus hunc cum clariſſimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuiſſe, ſuperioribus cum eodem fuiſſe in Aſia, primis, Iulio, & Craſſo nullã populi partẽ eſſe cenſam. ſed, quoniã cenſus nõ ius ciuitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui ſit cenſus, ita ſe iam tum geſſiſſe pro ciue: ijs tẽporibus, quae tu criminaris, ne ipſius quidem iudicio in ciuium R. iure eſſe uerſatum, & teſtamentum ſaepe fecit noſtris legibus, & adijt hereditates ciuium R & in beneficijs ad aerariũ delatus eſt a L. Lucullo praetore & conſule. quaere argumenta, ſi qua potes: nunquã enim hic neque ſuo, neq. amicorum iudicio reuincetur.

EXPLANATIO

IN *nomen A. Licinij* } erunt fortaſſe, qui legendum exiſtiment, In nomine: ſed nihil mutandum: eſt enim, In nomen, pro, contra nomen, ad deprauationem nominis. HVMILI *aliqua arte praeditis* } ut ſcenicis artificibus. hos enim paullo poſt ad exemplum nominat. Romae quoque nec a ciuibus, praeſertim nobilioribus, muſice colebatur, ut Aemilius Probus in Epaminonda ſcriptum reliquit: & hiſtriones omnes, praeter actores Atellanarum, tribu mouebantur, & ſtipendijs ut infames repellebantur. Liuius lib. III. Valerius lib. 2. c. 4. GRATVITO } nullo eorum merito, nulla, aut humili arte. IN GRAECIA } partem illam Italiae ſignificat, quae magna Graecia uocabatur, cuius a Latij finibus initium erat, Latium autem amne Liri terminabatur: ut docet Plinius lib. III. cap. 5. HOMINES } populi, ut Rhegini, Locrenſes, Neapolitani, Tarentini, qui extra Latium erant in Graecia. LOCRENSES, } hos ſupra non nominauit: cum tamen a reliquis, hic nominatis, ciuitate donatum eſſe Archiam diceret. SVMMA *ingenij praedito gloria*, } ſummis ingenij meritis, non gratuito: quod de ſcenicis artificibus dixit. POST *ciuitatem datam*, } duabus legibus, Iulia, & Plautia Papiria. leges enim de ciuitate biennio duae latae ſunt, una conſularis, altera tribunicia: conſularis, L. Iulij Caeſaris, anno primo Italici belli, ut ſocijs, qui in fide manſiſſent, aut arma depoſuiſſent, ciuitas daretur, nulla peregrinorum mentione facta: tribunicia, M. Plautij Siluani, C. Papirij Carbonis, anno altero eiuſdem belli, non ut Italis daretur ſolis, uerum ut peregrinis etiam, qui modo foederatis ciuitatibus adſcripti fuiſſent, & tum, cum lex ferretur, domicilium Romae haberent, & apud praetorem ſexaginta dies profeſſi eſſent. POST *legem Papiam* } duae leges Papiae diuerſis temporibus latae ſunt, una ante annum urbis conditae DCXXIII: quod ex Valerio Max. perſpicuum fit: altera anno DCLXXXVIII. Dione teſte. prior uidetur fuiſſe non modo de ſocijs nominis Latini, de quibus antea C. Claudius conſul lege lata ſanxerat, uerum etiam de peregrinis omnibus in ſuas ciuitates reijciendis: poſterior de omnibus peregrinis, Italis exceptis. quibus Iulia lex Italico bello ciuitatem dederat. de qua nunc lege Cicero loquitur. IN *tabulas municipiorum irrepſerint:* ut ciuitatem, quam peregrinis Papia lex poſterior ademiſſet, adſcripti municipij tanquam Itali conſequerentur. Municipia, cum haec Cicero diceret, erant Rhegium, Locri, Neapolis, Tarentum legis Iuliae beneficio, antea ciuitates foederatae fuerant, ſine iure ciuitatis. ad quam ſentẽtiam quia pertinet id, quod ſcriptum eſt epiſt. ad Acilium, locum ijſdem uerbis recitabo. L. Manilius eſt Soſis. is fuit Catinenſis: ſed eſt una cum reliquis Neapolitanis ciuis Romanus factus, decurioq. Neapoli: erat. n. adſcriptus in id municipium ante ciuitatem ſocijs & Latinis datam. Quo loco municipium appellat Neapolim, habita ratione ſui temporis, iure ciuita

tis lege Iulia ſocijs & Latinis iam donato, non eius temporis, quo Soſis ille Catinenſis (nam L. Manlius non ante dictus eſt, quam ciuitatem Romanam cum reliquis Neapolitanis eſt adeptus) in ciuitatem Neapolitanam adſcriptus eſt. Prima igitur lex Iulia, non peregrinis, ſed Italis, ciuitatem dabat; ſecunda Plautia Papiria, peregrinis quidem dabat, ſed cum triplici conditione: tertia Papia, peregrinos excludebat, ijs tamen exceptis, qui in municipiorum tabulas adſcripti fuiſſent. IRREPSERINT: latenter, & dolo; quod alia ratione conſequi non poterant. hoc ſenſu idem uerbum uſurpatur in ea pro Balbo. Non furatus eſſe ciuitatem, non genus ſuum ementibus, non aliquo pudenti mendacio deſtituiſſe, non irrepſiſſe in cenſum dicitur. Et lib. 2. Off. ſi in locupletum teſtamenta nomen eius poſſit irrepere.

CENSVS *noſtros requiris.*} ut de ciuitate Archiae data cognoſcatur. SCILICET:} Subaudi, debes eos requirere, ironia: ut illud Virgilianum: Scilicet is ſuperis labor eſt. Et Terentius: Id populus curat ſcilicet. Hoc autem a ſuperioribus diſtinxi. nam antea, nulla diſtinctione, legebatur, Cenſus noſtros requiris ſcilicet. PROXIMIS *cenſoribus*} Cn. Lentulo Clodiano, & L. Gellio. nam qui poſt eos fuere, Catulus, & Craſſus, abdicarunt: qui uero poſt eos creati ſunt, Cotta, & Seruilius, Iſauricus, cenſum non egerunt: qui actus poſt triennium eſt, non ex peſtato legitimo quinquennio, auctoribus Dione, & Cicerone lib. 1. ep. ad Att. Praeterea non Catulo, & Craſſo, neque Cotta, & Seruilio, ſed Lentulo, & Gellio cenſoribus, Lucullus cum Mithridate bellauit, Pompeio, & Craſſo cos. quod Cicero docet lib. 4. in Verrem his uerbis: Quid? Eupolemo, Calatino, qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo eſt, non idem fecit? Orationes autem in Verrem habitae ſunt, uel ſcriptae potius, Pompeio conſule, & Craſſo: quo anno cenſores creatos eſſe Lentulum, & Gellium, ex Cicerone, Aſconio, Plutarco ſatis conſtat. quo autem anno Catulus, & Craſſus, uel Cotta, & Seruilius cenſores fuere, Lucullus ad urbem, obſiſtentibus inimicis ne triumpharo poſſet, morabatur. nec niſi Cicerone conſule triumphauit. L. LVCVLLO} Mithridaticum bellum gerente. APVD *exercitum,*} in exercitu, & apud exercitum, non eodem ſenſu dicitur: in exercitu, qui miles eſt; apud exercitum, qui uel negotij, uel rei militaris cognoſcendae gratia, uel quouis potius, quam ſtipendij, nomine, in exercitu eſt. ſic in Verrem lib. IV. Quid? Eupolemo Calotino, homini nobili, Lucullorum hoſpiti, ac perfamiliari, qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo eſt, non idem fecit? Archias autem non miles erat, ſed pro ſua uirtute contubernalis imperatoris. SVPERIORIBVS} Philippo, & Perperna. PRIMVS, *Iulio, & Craſſo,*} fortaſſe, Iulio, & Craſſo, gloſſema eſt: cum ceterorum cenſorum nomina ſint omiſſa. NVLLAM *populi partem eſſe cenſam.*} propterea triennio poſt Philippus & Perperna creati ſunt ante legitimum tempus. IN *beneficijs ad aerarium delatus eſt*} hunc ego morem deferendi ad aerarium, ſi qui bene de rep. meriti eſſent, didici olim ex epiſt. 20. lib. V. Fam. in qua ſic eſt: Quod ſcribis de beneficijs, ſcito a me tribunos militares, & praefectos, & contubernales dumtaxat meos delatos eſſe. Qui enim utilem reip. operam in bello quacumque ratione nauauerant, eorum nomina, ex eo bello reuerſi, uel praetores, uel imperatores ad aerarium deferebant: quae beneficia dicebantur: quia beneficium erat erga illos, quorum nomina deferebantur. NEQVE *ſuo, neque amicorum iudicio*} Suo, quia legi ſatisfecit. nam & foederatae ciuitati adſcriptus eſt: & domicilium Romae multos annos ante legem latam habuit: & apud praetorem Q. Metellum profeſſus eſt. Reſpondet ad illud: Iis temporibus, quae tu criminaris, ne ipſius quidem iudicio in ciuium R. iure eſſe uerſatum. Amicorum: quia in beneficijs ad aerarium delatus eſt a L. Lucullo praetore, & conſule. REVINCETVR.} conuincetur, coarguetur.

ORATIO

QVAERES a nobis Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur? quia ſuppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur; & aures, conuicio defeſſae, conquieſcant. an tu exiſtimas aut ſuppetere nobis poſſe, quod quotidie dicamus in tanta uarietate rerum, niſi animos noſtros doctrina excolamus; aut ferre animos tantam poſſe contentionem, niſi eos doctrina eadem relaxemus? ego uero fateor me his ſtudijs eſſe deditum. ceteros pudeat, si qui ita ſe litteris abdiderant, ut nihil poſſint ex his neq. ad communem afferre fructum, neque in adſpectum, lucemq. proferre: me autem quid pudeat? qui tot annos ita uiuo, iudices, ut a nullius me umquam tempore, aut commodo aut otium meum abſtraxerit, aut uoluptas auocarit, aut denique ſomnus retardarit. quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure ſuccenſeat, ſi, quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias uoluptates, & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum alij tribuunt tempeſtiuis conuiuijs, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumpſero? atque adeo mihi concedendum eſt magis, quod ex his ſtudijs haec quoq. creſcit oratio, & facultas: quae quantacumque in me eſt, numquam amicorum periculis defuit: quae ſi cui leuior uidetur; illa quidem certe, quae ſumma ſunt, ex quo fonte hauriam, ſentio: nam, niſi multorum praeceptis, multiſq. litteris mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem, nihil eſſe in uita magnopere expetendum, niſi laudem, atque honeſtatem; in ea autem perſequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atq. exilij parui eſſe ducenda: numquam me pro ſalute ueſtra in tot, ac tantas dimicationes, atq. in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obieciſſem. ſed pleni omnes ſunt libri, plenae ſapientum uoces, plena exemplorum uetuſtas: quae iacerent in tenebris omnia, niſi litterarum lumen accederet. quam multas nobis imagines, non ſolum ad intuendum, uerum etiam ad imitandum, fortiſſimorum uirorum expreſſas ſcriptores & Graeci, & Latini reliquerunt? quas ego mihi ſemper in adminiſtranda rep. proponens, animum, & mentem meam ipſa cogitatione hominum excellentium conformabam.

EXPLA-

EXPLANATIO

TEMPESTIVIS *conuiuijs*,] ſi cum alea, & cum pila coniunguntur; certe in turpibus rebus eſſe habita, licet exiſtimare. de quo plura diximus lib. III. in Verrem, in eo loco: Statuitur Lollius in illo tempeſtiuo gladiatorum conuiuio. ALEAE] alea dicitur, ſi quid fortunae committitur, ſiue ioco agitur, ſiue ſerio, vt alea certaminis apud Liuium. & quoniam aleae ludus proprie in iactu teſſerarū eſt, quarum incertus euentus; propterea Caeſar belli ciuilis initio, cum Rubiconem amnem tranſiret, Iacta, inquit, ea alea: vt dubio Marte de iure publico dimicandum oſtenderet. RECOLENDA] ex interuallo repetenda proprie enim intermiſſa recoluntur. MIHI *concedendum eſt magis.*] qui praeter ceteros in eloquentia, & dicendi facultate operam, curamq. pono. NVMQVAM *amicorum periculis defuit*:] dixerat glorioſe, Mihi concedendum eſt magis: &, Quantacumque in me eſt: nunc vtrumque corrigit, benignitatem ſuam oſtendens in amicis adiuuandis. QVAE *ſi cui leuior videtur*;] ego quoque, inquit, grauiora, & praeſtantiora eſſe alia quam haec eſt oratio, & facultas. eaq. ex alio fonte ſumi, non ignoro. ac me quidem ita ſentire, & ita ab adoleſcentia conformatum fuiſſe, indicat illud tempus, cum veſtra mihi ſalus ita cara fuit vt pro ea me in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecerim. Significat autem eas litteras, quae praeſtantiore quodam ſcientiae genere animos ad laudem, & ad honeſtatem excitant: quae philoſophiae pars eſt nobiliſſima atque huc pertinent illa verba, Niſi multorum praeceptis, multiſq. litteris mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem, nihil eſſe in vita magnopere expetendum, niſi laudem, atque honeſtatē Delector, inquit, hac oratione, & facultate: quae ſi cui leuior videtur, me ſciat grauiora ſimul ſtudia iam inde ab adoleſcentia coluiſſe. Sententia non videtur obſcura: nonnullis tamen in mentem venit, Lautior, reponere pro, Leuior: qui quam recte ſentiant, ex ijs, quae diximus, conijcere cuiuis licet. MVLTISQ. *litteris*] magno doctrinarum ſtudio. NISI *laudem, atque honeſtatem*;] eadem ſententia in oratione pro Sextio, de Piſone laudi, atque honeſtati voluptatem praeferente, Eos, inquit, qui dicerent dignitati eſſe ſeruiendum, reip. conſulendum, officij rationem in omni vita, non commodi, eſſe ducendam, ſubeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendā, vaticinari, atque inſanire dicebat. OBIECISSEM,] cum Catilinae coniurationem oppreſſi. LIBRI,] libris, vocibus, exemplis conformatur animus, & ſtudio laudis, atque honeſtatis accenditur. LVMEN *accederet.*] ſic legendum, non, Accenderet. nam ad abſoluendam metaphoram, Lumen, quod Tenebris reſpōdet, ſatis eſt vt omittam, quod inter tenebras & lumen, accendere, locum non habet. Eodē verbo in eadē ſententia vſus eſt Valerius Max. lib. VIII. c. 15. Superior Africanus inquit, Ennij poetae effigiē in monumētis Corneliae gentis collocari voluit, quod Ingenio eius opera ſua illuſtrata iudicaret, nō quidē ignarus, quā diu Romanum imperiū floreret, & Africa Italia pedibus eſſet ſubiecta, totiusq. terrarum orbis ſummū culmen arx Capitolina poſſideret, eorū extingui memoriā nō poſſe, ſi tamē illis litterarū quoque lumen acceſſiſſet, magni aeſtimans. NON *ſolum ad intuendum, verum, etiam ad imitandum*,] Ad intuendū, voluptatis gratia: Ad imitandum, vt eorū exemplo laudabiliter viuamus Eandem vtilitatē, comparatione quadam aeneorū ſignorum, vultus hominū artificis ingeniū exprimētium, ſignificat Horatius ep. 2. lib. II. in ijs verſibus. Nec magis expreſſi vultus per ahenea ſigna „ Quā per vatis opus mores, animiq. virorū „ Clarorū apparent Propterea Spartanorum rex, multis excellens virtutibus, Ageſilaus, nec, vt pingeretur, nec, vt fingeretur, laborauit, ſufficere Xenophontis libellū, qui laudes eius complectitur, ad aeternā ſui memoriam arbitratus. IPSA *cogitatione*] librorum lectio cogitationem, cogitatio actionē parit. ita, quales libri, tales hominū actiones exſiſtunt.

ORATIO

QVAERET quiſpiam, quid? illi ipſi ſummi viri, quorum virtutes litteris proditae ſunt, iſta ne doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? difficile eſt hoc de omnibus confirmare: ſed tamen eſt certum, quid reſpondeam. ego multos homines excellenti animo, ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturae ipſius habitu prope diuino, per ſe ipſos & moderatos, & graues exſtitiſſe fateor: etiam illud adiungo, ſaepius ad laudem, atque virtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam. atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam, atque illuſtrem acceſſerit ratio quaedam, conformatioq. doctrinae, tum illud neſcio quid praeclarum, ac ſingulare ſolere exſiſtere: ex hoc eſſe hunc numero, quem patres noſtri viderunt, diuinum hominem Africanum; ex hoc C. Laelium, L. Furium, modeſtiſſimos homines, & continentiſſimos; ex hoc fortiſſimum virum, & illis temporibus doctiſſimum, M. Catonem illum ſenem: qui profecto ſi nihil ad percipiendā, colendamq. virtutem litteris adiuuarentur, numquam ſe ad earum ſtudium contuliſſent. quod ſi non hic tantus fructus oſtenderetur; & ſi ex his ſtudijs delectatio ſola peteretur: tamen; vt opinor, hanc animi remiſſionem humaniſſimam ac liberaliſſimam iudicaretis. nam ceterae neque temporum ſunt, neque aetatum omnium, neque locorum: haec ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant; ſecundas res ornant, aduerſis perfugium, ac ſolatium praebent; delectant domi, non impediunt foris; pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. quod ſi ipſi haec neque attingere, neque ſenſu noſtro guſtare poſſemus; tamen ea mirari deberemus, etiam cum in alijs videremus.

EXPLANATIO

ISTA *ne doctrina,*] philoſophiam ſignificat. DIFFICILE *eſt hoc de omnibus confirmare!*] nam nec omnes eruditi, nec omnes litterarum expertes. EST *certum, quid reſpondeam,*] pro ea ſcilicet doctrina, quã laudibus effero. dicã enim, ſi ea cũ natura coniungatur, neſcio quid praeclarũ, ac ſingulare ſolere exſiſtere. MVLTOS *homines excellenti animo, ac virtute*] vere, Multos. nam per multa ſaecula Romani Graecas artes ac diſciplinas ignorarunt: animo tamen ac virtute praeſtãtes ampliſſimam ex minima remp. fecerunt, primus opinor, M. Cato Cẽſorius inter ſecundũ, & tertiũ Punicũ bellũ in litterarũ ſtudijs egregia cũ induſtria verſatus eſt. poſt eũ Africanus minor, C. Laelius L. Furius aequales; qui ſimul infra nominantur. PER *ſe ipſos & moderatos, & graues exſtitiſſe*] ex doctrina igitur & moderatio ſumitur, & grauitas: quae ſi a natura dantur, quod non omnibus contingit, magnae res, & immortali laude dignae, nulla doctrinae ope, geruntur: otioſam autẽ, languentemq. naturã doctrina ſaepe excitat. AFRICANVM] Paulli Aemilij filium, qui minor Africanus dictus eſt, habita ratione temporis nã virtute minorẽ fuiſſe, nemo vere dixerit. minorẽ autẽ hic ſignificari, non maiorem primum ex eo liquet, quia cum Furio nominatur, qui fuit aequalis eius: deinde, quia maior litterarum expers minor ſcientiae deditus. poſtremo, vt de maiore dicatur, Quem patres noſtri viderunt, hiſtoriae ratio non patitur. L. FVRIVM.] Philum, qui cum Sex Atilio Serrano conſul fuit. is per bene loqui putabatur, litteratiusq. quam ceteri: vt in Bruto de iuſtitia diſputãtem induxit Cicero in libris de rep. Et quemadmodum hic cum tribus praeſtantiſſimis viris, natura, doctrinaq. pariter inſtructis, Africano, Laelio, Catone, ſic in orat. pro Murena cum ijſdem coniungitur, vt in laude ſimillimus, quamquã in omnibus libris, quia ad hãc diẽ exierunt, ibi deprauate legitur, L. Philippo, pro L. Philo. MODESTISSIMOS *homines, & continentiſſimos;*] laudat hos doctrina, excultos ab eiſdem virtutibus, quas paullo ante tribuit ijs, quos nulla doctrina praeditos, moderatos tamen, & graues fuiſſe dixit. HANC *animaduerſionem*] ſic antiqui libri omnes: vt animaduerſio pro ſtudijs accipiatur: quod in ſtudijs animaduerſio ſit & ſtudijs operam dare, nihil aliud ſit, quam animaduertere, & conſiderare. itaque ſequitur, eodẽ ſenſu: Nã ceterae neque temporũ ſunt, neque aetatum omnium. quod ſine dubio de ſtudijs dicitur. Moueor equidẽ inuſitato verbo: ſed conſenſum tueor, quantum in me eſt, veterum librorum: praeſertim cum nihil occurrat melius. LIBERALISSIMAM] dignam in primis homine liberaliter educato IVDICARETIS,] pro, iudicare deberetis. HAEC *ſtudia*] quæ remiſſiones animi ſunt, verum a ceteris diuerſae: ſunt enim haec temporum, aetatum, locorum omnium, ceterae non item. ADOLESCENTIAM *alunt,*] recte, Alunt, de aetate, quae creſcit libri veteres in mendo conſentiunt; habent enim omnes, agunt: vt interdnm neceſſaria coniectura videatur. NEQVE *attingere,*] neque noſſe. NEQVE *ſenſu noſtro guſtare*] in ijs, qui ea noſſent. CVM *in alijs videremus*] tacite ad amplectendum Archiam inuitat eos iudices, qui ea ſtudia, quibus ille excelleret, neque attingere, neque ſuo ſenſu guſtare poſſent.

ORATIO

QVIS noſtrum tam animo agreſti, ac duro fuit, ut Roſcij morte nuper non commoueretur? qui cum eſſet ſenex mortuus, tamen propter excellentem artem, ac venuſtatem videbatur omnino mori non debuiſſe. ergo ille corporis motu tantum amorem ſibi conciliarat a vobis omnibus: nos animorum incredibiles motus, celeritatemq. ingeniorum negligemus? Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices, (vtar enim veſtra benignitate, quoniam me in hoc nouo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi, cum litteram ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimorum verſuum de ijs ipſis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore? quoties reuocatum eandem rem dicere, commutatis verbis, atque ſententijs? quae vero accurate, cogitateq. ſcripſiſſet, ea ſic vidi probari, ut ad veterum ſcriptorum laudem perueniret. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? atqui ſic a ſummis hominibus, eruditiſſimisq. accepimus; ceterarum rerum ſtudia & doctrina, & praeceptis, & arte conſtare; poetam natura ipſa ualere, & mentis uiribus excitari; & quaſi diuino quodam ſpiritu afflari. quare ſuo iure noſter ille Ennius ſanctos appellat poetas; quod quaſi deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis eſſe uideantur.

EXPLANATIO

ROSCII] in arte hiſtrionica principis: vnde illud, quod in prouerbium abijt, ore dutiſſimo eſſe, qui geſtum ageret ſpectante Roſcio: & vt quiſque arte aliqua praeſtaret, Roſcius in illa arte vocabatur. VENVSTATEM] in motu corporis ERGO *illo corporis motu*] argumentum a minori. nam ſi Roſcium propter corporis motum tantopere dileximus: quanto magis Archiã propter animi motum, & ingenij celeritatem diligere debemus? CETERARVM *rerum ſtudia*] minime cum poetica laude conferenda. ſiquidem haec ab hominibus adiuuantur: poeta vero quantum valet, totũ id a natura, &

ra,& a dijs accipere videtur. QVASI *diuino quodam ſpiritu afflari.*] ſcripſit idem lib. II. de Orat. Bonus poeta nemo ſine inflammatione animorũ exſiſtere poteſt & ſine quodam afflatu quaſi furoris. Et lib. I. de Diu. Magnum poetam quemquã ſine furore eſſe poſſe negat Democritus. Idem Plato tradidit in Ione, & Phaedro. SANCTOS] propterea dixit Horatius in ep ad Piſones: Siluestres homines ſacres, interpresq. deorum „ Caedibus, & victu foedo deterruit Orpheus, „ Dictus ob hoc lenire tigres. Et Tacitus in dialogo de oratoribus. creditum eſſe, ait, poetas deorum reſponſa proferre, & eorum epulis intereſſe Princeps autem philoſophorum Plato modo deorum filios, modo interpretes appellat. DONO, *atque munere*] differre videntur donum, & munus: cum dicat etiam pro Cluentio, Tãtum donis datis, muneribusq profecerat. Et lib. 2. de Orat. M. Cincium legem tuliſſe de donis, & muneribus. Vlpianus ita diſtinguit, vt donum genus eſſe dicat munus autem ſpeciem: quia donum a donando dictum ſit; munus cum cauſſã donetur, tot puta, Natalitium Nuptalitium. ideo veteribus placuit vtrumque coniungere: non quia doni nomen, ſiquidem genus eſt, nõ ſufficeret: ſed quo magis, quidquid donatur, duobus nominibus comprehenderetur. & omnino mihi, vtrumque diligenter conſideranti, donum a voluntate potius, quã ab officio, proficiſci, munus cum aliquo officio coniunctum videtur eſſe: vt omitti donũ ſine vlla reprehenſione poſſit, munus omnino non poſſit.

ORATIO

Sit igitur, iudices, ſanctum apud vos, humaniſſimos homines, hoc poetae nomen, quod nulla vnquam barbaria violauit. ſaxa, & ſolitudines voci reſpondent; beſtiae ſaepe immanes cantu flectũtur, atq. conſiſtunt: nos inſtituti rebus optimis non poetarum voce moueamur? Homerum Colophonij ciuem eſſe dicũt ſuum, Chij ſuum vindicant, Salaminij repetunt, Smyrnaei vero ſuũ eſſe cõfirmant; itaque etiam delubrum eius in opida dedicauerunt; permulti alij praeterea pugnant inter ſe, atque contendunt. ergo illi alienum, quia poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt: nos hunc viuum, qui & voluntate, & legibus noſter eſt, repudiabimus? praeſertim cum omne olim ſtudium, atque omne ingenium contulerit Archias ad populi R. gloriam, laudemque celebrandam. nam & Cimbricas res adoleſcens attigit; & ipſi illi C. Mario, qui durior ad haec ſtudia videbatur, iucundus fuit. neque enim quiſquam eſt tam auerſus a muſis, qui non mandari verſibus aeternum ſuorum laborum facile praeconium patiatur.

EXPLANATIO

SIT *igitur, iudices, ſanctum apud uos, humaniſſimos homines, hoc poetae nomen,*] contraria poſuit, Humaniſſimos homines, Barbaria. quod enim barbaria non violat, id ſanctum ducit: & quod barbariae ſanctum eſt, id eſſe multo magis debet humaniſſimis hominibus. Argumẽtum pro poeta ſumpſit a barbaria, a rebus inanimis, a beſtijs immanibus. SAXA, *& ſolitudines voci reſpondent;*] poeticum quiddam habet haec oratio: nec vitioſum: cum de poeta ſermo ſit. & dicẽdi genus ad ſubiectã rem ſi accommodetur, abſurde, aut indecore nihil fiat. Simile quiddam lib. v. in Verrem. Si non ad homines, verum ad beſtias, aut etiã, vt longius progrediar, ſi in aliqua deſertiſſima ſolitudine ad ſaxa, & ad ſcopulos haec conqueri, & deplorare vellem: tamen omnia muta, atque inanima tanta & tam indigna rerum atrocitate cõmouerentur. BESTIAE *ſaepe immanes cantu flectuntur,*] nota Orphei, & Arionis fabula, terreſtres, maritimaſq. beſtias cantu flectẽtium. REBVS *optimis*] quibus ad humanitatem informamur. POETARVM *voce*] ſuos verſus canentium. ITAQVE *etiam delubrum eius in opido dedicauerunt;*] delubri mentio locum oſtendit vacare mendo. nam Homero Smyrnaei, tãquam ciui ſuo, templum condiderunt. Id Strabonis hiſtoria lib. XIV docet his verbis: στοὰ τετράγωνος ἔχουσα νεὼν ὁμήρου καὶ ξόανον ἀντιποιοῦνται γὰρ καὶ οὗτοι διαφερόντως τοῦ ποιητοῦ καὶ δὴ καὶ νομισματι χαλκοῦν παρ αὐτοῖς ὁμήρειον λέγεται. Latine ſic: Porticus quadrata eſt in ea, quae templum, & ſtatuam habet Homeri. nam & hi praecipue poetam ſibi vindicant. atque etiam nummus quidã aereus apud ipſos, Homerus dicitur. Ita Fuluio Vrſino, perelegantis ingenio viro, magnaeq. doctrinae, placebat: ita nobis quoque, teſtimonio Strabonis commotis, videbatur. PERMVLTI *alij*] Argiui, Athenienſes Rhodij, hic omiſſi, in Graeco autem epigrammate nominati. rurſus, qui a Cicerone Chij nominantur, eos Græcum non habet epigramma. ſe quidem Chium eſſe, Homerus ipſe tradidit in illo verſu in Appollinem: Τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ χίῳ ἔνι παιπαλοέσσῃ. IPSI. ILLI *C. Mario,*] qui Cimbros deuicit.

ORATIO

Themiſtoclem illum, ſummum Athenis virum, dixiſſe aiunt, cum ex eo quaereretur, quod acroama, aut cuius vocem libentiſſime audiret; eius, a quo ſua virtus optime praedicaretur. itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quae geſſerat, poſſe celebrari. Mithridaticum vero bellum, magnum, atque difficile, & in multa varietate terra mariq. verſatum, totum ab hoc expreſſum eſt. qui libri non modo L. Lucullum, fortiſſimum, & clariſſimum virum, verum etiam populi Ro. nomen illuſtrant. populus

lus enim R. aperuit Lucullo imperante, Pontum, & regijs quondam opibus, & ipſa natura regionis vallatum: populi R. exercitus, eodem duce, non maxima manu, innumerabiles Armeniorum copias fudit: populi Rom. laus eſt, vrbem amiciſſimam Cyzicenorum eiuſdem conſilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore, ac faucibus ereptam eſſe, atque ſeruatam. noſtra ſemper feretur, & praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depreſſa hoſtium claſſis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis. noſtra ſunt trophaea, noſtra monumenta, noſtri triumphi. quare, quorum ingenijs haec feruntur, ab ijs populi R. fama celebratur.

EXPLANATIO

Acroama,] acroama eſt & qui aliquid recitat auditu iucundum, & id, quod recitatur. hic pro ipſa re accipiendum videtur: cum ſequatur Aut cuius vocem: quo ſignificatur is, qui recitat. Eius, *a quo ſua virtus omne praedicaretur.*] idem ſcripſit lib. i i x. c. 13. Valerius Max. Theatrum, inquit, petens, cum interrogaretur, cuius vox auditu illi futura eſſet gratiſſima, dixit, eius, a quo artes meae canentur optime. L. Plotium] nominatum a Suetonio inter claros rhetores, his verbis: De hoc Cicero in ep. ad M. Ticinium ſic refert: Equidem memoria teneo, pueris nobis primum latine docere coepiſſe L. Plotium quendam, ad quem cum fieret concurſus, quod ſtudioſiſſimus quiſque apud eũ exerceretur; dolebam, mihi idem non licere. continebar autem doctiſſimorum hominum auctoritate, qui exiſtimabant, Graecis exercitationibus ali melius ingenia poſſe. Hunc eundem (nam diutiſſime vixit) M. Coelius in oratione, quam pro ſe de vi habuit, ſignificabat dictaſſe Atratino, accuſatori ſuo, actionem: ſubtractoq. nomine ordearium rhetorem appellat, deridens vt inflatum, ac leuem, & ſordidum. Magnum, *atque difficile.*] magnitudinem, atque difficultatem eius belli, praeter Plutarchum oſtendit Cicero in duabus orationibus, pro lege Manilia, & pro Murena. Totum *ab hoc expreſſum eſt.*] non plane totum, ſed quod a Lucullo geſtum eſt vt ſequentib. declaratur: nam res a Luculli ſucceſſore Pompeio geſtas non attigit: opinor, quod ei cum amiciſſimo ſuo Lucullo parum conueniret. Pompeius autem ſcriptorem habuit rerum ſuarum Theophanem Mitylenaeum. Non *maxima manu:*] itaque Rex Armeniorum Tigranes, gener Mithridatis cum Romanum exercitum, multis partibus inferiorem ſuo ad ſe venientem vidiſſet, ſi vt legati, inquit veniũt multi, ſi vt milites, pauci: Plutarchus. Cyzicenorum] omittã quod ſcriptum reliquit Plutarchus in Lucullo: dicam id, quod idem Cicero in orat pro Murena prodidit: L. Luculli vero res tantae exſtiterunt, vt neque maius bellum commemorari poſſit, neque maiore conſilio, & virtute geſtum nam, cum totius impetus belli ad Cyzicenorũ menia conſtitiſſet, eamq. vrbem ſibi Mithridates Aſiæ ianuã fore putauiſſet; qua effracta, & reuulſa, tota pateret prouincia: perfecta ab Lucullo haec ſunt oĩa, vt vrbs fideliſſimorum ſociorum defenderetur, vt omnes copiae regis diuturnitate obſidionis cõſumerentur. Et Tacitus lib. i v. Obiecta inquit, publice Cyzicenis incuria caerimoniarum diui Auguſti, additis violentiae criminibus aduerſum ciues Romanos: amiſere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant circumſeſſi, nec minus ſua conſtantia, quã pręſidio Luculli, pulſo rege. Feretur,] multorum ſermone. hæc enim vis eſt in hoc verbo: vt in Catil. orat. i. Ad huius vitae ſtudium meditati ſunt illi, qui feruntur, labores tui. Apud *Tenedum*] Idem in or. pro Murena: Quid illam pugnam naualem ad Tenedum, cum contento curſu acerrimis ducibus, hoſtium claſſis Italiam ſpe, atque animis inflata peteret, mediocri certamine, & parua dimicatione commiſſam arbitraris?

ORATIO

Carus fuit Africano ſuperiori noſter Ennius: itaq. etiam in ſepulcro Scipionum putatur is eſſe conſtitutus e marmore. at ijs laudibus certe non ſolum ipſi, qui laudantur, ſed etiam populi Rom. nomen ornatur. in caelum huius proauus Cato tollitur: magnos honos populi Rom rebus adiungitur: omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fuluij non ſine communi omnium noſtrũ laude decorantur. ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum hominem, maiores noſtri in ciuitatem receperunt: nos hũc Heraclienſem, multis ciuitatibus expetitum, in hac autem legibus cõſtitutum, de noſtra ciuitate eijciemus? nam, ſi quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis verſibus percipi, quam ex Latinis, vehementer errat: propterea quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina ſuis finibus, exiguis ſane, continentur. quare, ſi res eae, quas geſſimus, orbis terrae regionibus definiuntur; cupere debemus, quo manuum noſtrarum tela peruenerint, eodem gloriam, famamq. penetrare: quod, cum ipſis populis, de quorum rebus ſcribitur, haec ampla ſunt; tum ijs certe, qui de vita, gloriae cauſſa, dimicant, hoc maximum & periculorum incitamentum eſt, & laborum.

EXPLANATIO

Carus *fuit Africano ſuperiori noſter Ennius:*] eandem rem lib. i i x. c. 15. ſic explicat Valer. Max. Superior Africanus Ennij poetae effigiẽ in monumentis Corneliæ gentis collocari voluit; quod ingenio eius opera ſua illuſtrata iudicaret; nõ quidẽ ignarus, quã diu Romanũ imperiũ floreret, & Africa Italię pedibus eſſet ſubiecta, totiusq. terrarũ orbis ſummũ culmẽ arx Capitolina poſſideret;

corum

eorum exſtingui memoriam non poſſe;ſi tamen illis litterarum quoque lumen acceſſiſſet magni aeſtimans: nit Homerico, quam rudi, atque impolito praeconio dignior. Et Ouidius de arte am. Ennius emeruit, calabris in montibus ortus contiguus poni Scipio magne tibi. In *ſepulcro Scipionum*] ad portam Capenam. in quo tamen an Africanus ille, cui carus Ennins fuit, ſepultus ipſe ſit, ambigitur. perijſſe enim a multis creditur in Campaniae uico Literno, ibique ſepultus eſſe, addita in monumento inſcriptione. Ingrata patria ne oſſa mea quidem habetis. Id quidem Strabo diſerte narrat his uerbis: Poſt Sinneſſam Liternum eſt opidum, ubi prioris Africani ſepulcrum. uam ibi ulrimam conſumpſit aetatem, omiſſa, propter quorun, dam ſimultantem, reip. cura. Alij autem, non Literni, ſed Romae mortuum, elatumq. tradiderunt, auctore Linio. apud quem haec lib. XXXIIX. ſcripta ſunt. Alij Romae, alij Literni & mortuum, & ſepultum. utrobique monumenta oſtenduntur, & ſtatuae. nam & Literni monumentum, monumentoq. ſtatua ſuperimpolita fuit: quam tempeſtate diſiectam, nuper uidimus ipſi: & Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres ſtatuae ſunt: quarum duae P. & L. Scipionum dicuntur eſſe, tertia poetae Q. Ennij. Nam quod idem ait lib. XLV. Literni domicilium & ſedem fuiſſe domitoris Africae, Literni domicilium oſtendi: non loquitur ex perſona ſua, ſed ingratum Romanis animum exprobrantis. Nec certior Plutarchi ſententia. quamquam, ubi Hannibalem & Sciopionem comparat, mortuum Literni, non Romae uidetur credere: in quo ei cum Strabone conuenit: quorum auctoritatem in re dubia libenter ſequor. verſibus tamē illis, quos Plutarchus recitat, fidem abrogo. Deuicto Hannibale, capta Cartagine, & aucto

,, Imperio hos cineres marmore tectus habes. Cui non Europa, non obſtitit Africa quondam, ,
,, Reſpiceres hominum, quam breuis urna premit.

Quid enim attinet cineres, & urnam nominare, cum Africanum crematum non eſſe, ſatis conſt. erat enim Corneliae gentis parriciae: Cornelij autem patricij non cremabantur, ſed eorum corpora terrae mandabautur. primus autem ex Cornelijs patricijs. L. Sulla igni noluit cremari. id quod de bono auctore Cicerone accepimus. qui etiam de ipſo Africano teſtimonium adducit ex illo Ennij uerſu, Hic eſt ille ſitus. Et ſubiungit: Vere: nam ſiti dicuntur ij, qui conditi ſunt. Atque ego (ut aliud ex alio) ijs Ennij uerbis adducor; ut Valerium quoque Max. inſcitiae aut negligentiae condemnem, qui ſcripſerit: ſuperior Africanus Ennij poetae effigiem in monumentis Corneliae gentis collocari uoluit: cum Ennius poſt Africanum uixerit, & de mortuo ſcripſerit: Hic eſt ille ſitus. Constitutus. e. marmore.] tale illud in ea pro Domo: Eius non longe a Tanagris ſimulacrum e marmore poſitum fuit. Et lib. IV. in Verrem: Qui acceſſiſtis Eunam, uidiſtis ſimulacrum Cereris e marmore. Hunc locum acuti uir ingenij, me puero, emendauit Honoratus Faſcitellus, qui poſtea Epiſcopus Inſulanus fuit. legebatur enim in omnibus libris, manifeſto turpiq. errore, Conſtitutis, & marmoratis laudibus. Huius] ob ſingularem uirtutem, ac probitatem M. Cato, Vticenſis poſtea dictus, ſignificatur; cum tamen Catones in ciuitate multi eſſent. Proavus] ille Cenſorius, quem ſupra cum Africano minore, C. Laelio, L. Furio coniunxit. eius filius fuit M. Cato Salonianus, Saloniani Marcus, qui praeturam petens deceſſit: ex quo natus eſt Marcus, qui ſe bello ciuili Vticae interemit. qua de re diligenter diſſeruit Gellius lib. XIII. c. 18. Maximi, *Marcelli, Fuluij*,] militari laude clari, qui ſecundo Punico bello contra Hannibalem egregie pro republica pugnarunt. ſunt autem hi, Q. Fabius Maximus Cunctator; M. Claudius Marcellus, qui ducum Romanorum primus Hannibalem docuit poſſe vinci; Q. Fuluius Flaccus, qui Capuam recepit. Illum,] Ennium. Qui *haec fecerat*;] qui res geſtas Catonis, Maximi, Marcelli, Fuluij uerſibus perſecutus erat. Rhudium *hominem*,] Rhudiae opidum Apuliae, foederata ciuitas, quo tempore Eunius in ciuitatem eſt receptus: quae poſtea colonia fuit, a Q. Fuluio Nobiliore deducta, cuius beneficio ciuis R. factus eſt Ennius; ut in Bruto legimus. Heracliensem,] nobiliorem, quam Ennium. non enim Rhudiae cum Heralcea conferendae. Multis *ciuitatibus expetitum*,] donauerant enim eum ciuitate Rhegini, Locrenſes, Neapolitani Tarentini Legibus] lege quam tulerant Silnanus, & Carbo tribuni pl. Ex *Graecis uerſibus*] Greca igitur, non Latina erant Archiae poemata: itaque ſupra non dixit Cicero, a C. Mario audiebatur, ſed. C. Mario iucundus fuit. graecas enim litteras Marius ignorault; & ipſe apud Sallnſtium, Neque litteras Grecas, inqnit, didici. parum placebat eas diſcere, quippe quae ad uirtutem doctoribus nihil profuerunt. Latina *ſuis finibus*,] non imperij R. quod latiſſime patebat, & ut ſubiungitur, orbis terrae regionibus definiebatur, ſed Latij tantum: itaque ſequitur, Exiguis ſane. erat enim ultra Latij fines Graeca lingua, erat Gallica, erat Etruſca. Orbis *terrae regionibus*] ab occidente Hiſpania ulteriore ab oriente Euphrate fluuio, qui Parthorum ditionem a Romano diſtinguebat imperio. Galliam antem Romani nondum tenebant, neque Germaniam, nec alias regiones. ſed eſt oratoria amplificatio, ut etiam orat. 3. in Catil. Vno tempore in hac rep. duos ciues exſtitiſſe, quorum alter fines ueſtri imperij. non terrae, ſed caeli regione terminaret, alter eiuſdem imperij domicilium, ſedeſq. ſeruaret. Et in eundem orat. 4. Anteponatur omnibus Pompeins, cuius res geſtae, atque uirtutes ijſdem, quibus ſolis curſus, regionibus, ac terminis continentur. Et quod de Pompeio, dicit idem de Caeſare poſt aliquot annos in ea pro Balbo: Caeſar, inquit, abeſt longiſſime, atque in ijs eſt nunc locis, quae regione orbem terrarum, rebus illius geſtis imperium populi R. definiunt. Gloriam, *famamq. penetrare*:] Graecis uerſibus prolatam. Cum *ipſis populis, de quorum rebus ſcribitur, haec ampla ſunt*;] eandem rem quam uarie, quam eleganter Cicero expreſſerit, cur non oſtendamus? praeſertim cum ad ſtudioſorum utilitatem hoc, quicquid eſt, a nobis elaboretur. nam cum ex Archiae ingenio non modo priuatam eorum, quorum facta uerſibus expreſſerat, ſed publicā quoque manare laudem, uellet oſtendere, haec dixit: Qui libri non modo L. Lucullum, fortiſſimum, & clariſſimum uirum, uerum etiam populi R. nomen illuſtrant. Eiuſdem generis illud eſt: populi R. laus eſt, urbē

amiciſſimam Cyzicenorum eiuſdem conſilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore, ac faucibus ereptã eſſe, atque ſeruatam. Et illud, quod proxime ſequitur: Noſtra ſemper feretur, & praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depreſſa hoſtium claſſis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis: noſtra ſunt trophaea, noſtra monumenta, noſtri triumphi. Quare, quorum ingenijs haec feruntur, ab ijs popul. R. fama celebratur. Iam de Ennio: Ijs laudibus certe non ſolum ipſi, qui laudantur, ſed etiam populi R. nomen ornatur. De eodem: in caelum huius proauus Cato tollitur: magnus honos populi R. rebus adiungitur. Nec diſſimile illud: Maximi, Marcelli, Fuluij non ſine communi omnium noſtrum laude decorantur.

ORATIO

*Q*VVAM *multos ſcriptores rerum ſuarum magnus ille Alexander ſecum habuiſſe dicitur? atque is tamen, cum in Sigaeo ad Achillis tumulum adſtitiſſet, O fortunate, inquit, adoleſcens qui tuae uirtutis Homerum praeconem inueneris. & uere: nam, niſi Ilias exſtitiſſet illa, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruiſſet. Quid noſter hic Magnus, qui cum uirtute fortunam adaequauit? non ne Theophanem Mitylenaeum, ſcriptorem rerum ſuarum, in cõcione militum, ciuitatae donauit; & noſtri illi fortes uiri, ſed ruſtici, ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quaſi participes eiuſdem laudis, magno illud clamore approbauerunt? itaq. credo, ſi ciuis R. Archias legibus non eſſet, ut ab aliquo imperatore ciuitate donaretur, perficere non potuit, Sulla, cum Hiſpanos, & Gallos donaret, credo hunc petentem repudiaſſet. quem nos in concione uidimus, cum ei libellum malus poeta de populo ſubieciſſet, quod epigramma in eum feciſſet tantum modo alternis uerſibus longiuſculis, ſtatim ex ijs rebus, quas tunc uendebat, iubere ei praemium tribui, ſub ea conditione, ne quid poſtea ſcriberet. qui ſedulitatem mali poetae duxerit aliquo tamen praemio dignam huius ingenium, & uirtutem in ſcribendo, & copiam non expetiſſet?*

EXPLANATIO

SECVM *habuiſſe* } ſecum habuit Calliſthenem, de quo Trogus lib. XII Ariſtobulum, de quo Arrianus: Clitarchum, de quo Plinius lib. VI. cap. 31. ut alios omittam, qui res ab illo geſtas litterarum monumentis tradiderunt: quos Plutarchus quidem nominat, non tamen comites eius fuiſſe oſtendit. HOMERVM *praeconem* } ſi, quae ſcripſit in Probi uita Flauius Vopiſcus, attendantur, Homerum Alexander non nominauit. Alexander, ait, Magnus Macedo, cum ad Achillis ſepulcrum uenisſet, grauiter ingemiſcens, Felicem te, inquit, iuuenis, qui talem praeconem tuarum uirtutum reperiſti: Homerum intelligi uolens, qui Achillem tantum in uirtutum ſtudio finxit, quantum ipſe ualebat ingenio. Inuidit igitur Alexander propter Homerum Achilli, non propter eius uirtutem. quo ſignificabat, ſcriptores rerum ſuarum cum Homero minime conferendos. habebat autem ſecum, ut dixi, Calliſthenem, Ariſtobulum, Clitarchum, praeterea Ptolemaeum, qui poſtea Aegyptijs imperauit. QVI *cum uirtute fortunam adaequauit?* } de eodem in oratione pro Balbo. An ingenium? cum etiam ipſe caſus, euentuſq. rerum non duces, ſed comites eius conſiliorum fuerint: in quo uno ita ſumma fortuna cum ſumma uirtute certauit, ut omnium iudicio plus, quam poſſit, minus, quam decet, tribueretur. THEOPHANEM. *Mitylenaeum*, } cuius gratia patriam eius Mitylenem, cum ad eam oppugnandam uenisſet, liberauit. is eſt, qui Cornelium Balbum adoptauit: ut in oratione pro balbo. IN *eum* } In, & laudandi uim habet, & uituperandi: hic ad laudem ſpectat. RVSTICI, } rure habitabant, agroſque colebant milites. de quibus Cato in libro de Senectute: Quod igitur adoleſcentes, & ij quidem non ſolum indocti, ſed etiam ruſtici, contemnunt, id docti ſenes extimeſcent? Et in ep. ad D. Brutum: Denique homines ruſticos ſed fortiſſimos uiros, ciueſq. optimos, dementes fuiſſe iudices, primum milites ueteranos, deinde legionem Martiam. TANTVMMODO } nihil habebat praeterea, quod iucunde legi poſſet: omni lepore, omni carens poetica uenuſtate. ALTERNIS } ut prior ſex, poſterior quinque pedibus conſtaret.

ORATIO

*Q*VID? *a Q. Metello Pio, familiariſſimo ſuo qui ciuitate multos donauit, neque per ſe, neque per Lucullos impetrauiſſet? qui praeſertim uſque eo de ſuis rebus ſcribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poetis, pingue quiddam ſonantibus, atque peregrinum, tamen aures ſuas dederet. neque enim eſt hoc diſſimulandum, quod obſcurari non poteſt, ſed prae nobis ferendum: trahimur omnes laudis ſtudio; & optimus quiſque maxime gloria ducitur. ipſi illi philoſophi, etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt: in eo ipſo, in quo praedicationem nobilitatemq. deſpiciunt, praedicari de ſe, ac nominari uolunt. Decimus quidem Brutus, ſummus ille uir, & imperator, Attij, amiciſsimi ſui, carminibus templorum, ac monumentorum aditus exornauit ſuorum. iam uero ille, qui cum Aetolis, Ennio comite, bellauit, Fuluius non dubitauit Martis manubias Muſis conſecrare.*

EXPLANATIO

PER *Lucullos*] Metelli Pij cognatos, Lucium, & Marcum: ait enim Plutarchus, L. Luculli matrem Q. Metello Numidico, Pij patri ſororem fuiſſe, quod etiam lib. IV. in Verrem Cicero confirmat. PEREGRINVM,] Latino quidem ſermone, ſed vt in eo peregrinitas quaedam agnoſceretur. AVRES *ſuas dederet.*] cum Hiſpaniae praeeſſet, DECIMVS *quidem Brutus*,] is qui de Luſitanis, & Gallaecis triumphauit. de quo Valerius Max. lib. IIX. c. 15. Honoratus animus erga poetã Attium Decimi Bruti, ſuis temporibus clari ducis, exſtitit: cuius ſamiliari cultu, & prompta laudatione delectatus, eius verſibus templorum aditus, quae ex manubijs conſecrauerat, adornauit. FVLVIVS] M. Fuluius Nobilior: de quo ſic in Tuſc. I Honorem huic generi non ſuiſſe, declarat oratio M. Catonis: in qua obiecit vt probrum M Nobiliori, quod is in prouinciam poetas duxiſſet. duxerat autem conſul ille in Aetoliam, vt ſcimus, Ennium.

ORATIO

QVARE in qua vrbe imperatores prope armati poetarum nomen, & Muſarum delubra coluerũt, in ea non debent togati iudices a Muſarum honore, & a poetarum ſalute abhorrere. atque, vt id libentius faciatis, iam me vobis, iudices, indicabo, & de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortaſſe, verumtamen honeſto, vobis confitebor. nam quas res nos in conſulatu noſtro vobiſcum ſimul pro ſalute huius vrbis, atque imperij, & pro vita ciuium, proque vniuerſa repub. geſſimus, attigit hic verſibus, atque inchoauit: quibus auditis, quod mihi magna res, & iucunda viſa eſt, hunc ad perficiendum hortatus ſum. nullam enim virtus aliam mercedem laborum, periculorumque deſiderat, praeter hanc laudis, & gloriae: qua quidem detracta, iudices quid eſt, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo, & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? certe, ſi nihil animus praeſentiret in poſterum; & ſi, quibus regionibus vitae ſpatium circumſcriptum eſt, eiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas; nec tantis ſe laboribus frangeret; neque tot curis, vigilijsque angeretur; nec toties de vita ipſa dimicaret. nunc inſidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes & dies animum gloriae ſtimulis concitat, atque admonet, non cum vitae tempore eſſe dimetiẽdam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adaequandam. an vero tam parui animi videamur eſſe omnes, qui in rep. atque in his vitae periculis, laboribusq. verſamur, vt, cum vſque ad extremum ſpatium nullum tranquillum atque otioſum ſpiritum duxerimus, nobiſcum ſimul moritura omnia arbitremur? an, cum ſtatuas, & imagines, non animorum ſimulacra, ſed corporum, ſtudioſe multi ſummi homines reliquerint; conſiliorum relinquere ac virtutum noſtrarum effigiem non multo malle debemus, ſummis ingenijs expreſſam, & politam? ego vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo, ſpargere me ac diſſeminare arbitrabar in orbis terrae memoriam ſempiternam. haec vero ſiue a meo ſenſu poſt mortem abfutura ſunt, ſiue, vt ſapientiſſimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinebunt, nunc quidem certe cogitatione quadam, ſpeque delector.

EXPLANATIO

POETARVM *nomen*] vt Brutus qui Attij carminib. templorum ac monumentorũ aditus exornauit ſuorũ MVSARVM *delubra*] vt Fuluius, qui, deuictis Aetolis, Martis manubias Muſis conſecrauit. A. POETARVM *ſalute*] quod ciuitatis honorem Archias tanti faceret, vt in eo ſalutem ſitam eſſe ſuam exiſtimaret. VT *id libentius faciatis,*] cum intelligetis, quãtopere id ego cupiã Archiae deuinctus propter conſulatum meum eius ingenio celebratum. VOBISCVM *ſimul*] aucupatur iudicum gratiam. & eos Archiae conciliat, gloria cum ijs communicata, quam Archiæ verſib. conſequetur. SI *nihil animus praeſentiret in poſterum;*] copioſe in primis & ornatae diſputat in hanc ſententiã in Catone. Nemo, inquit, vmquã mihi, Scipio, perſuadebit, aut patrem tuum Paullũ, aut duos auos Paullum, & Africanũ, aut Africani patrẽ, aut patruũ, aut multos pręſtantes viros, quos enumerare nõ eſt neceſſe, tanta eſſe conatos, quæ ad poſteritatis memoriã pertinerẽt, niſi animo cernerẽt, poſteritatẽ ad ſe pertinere. NVNC] nunc, pro, ſed: vt alibi, & apud Græcos νῦν. IN *optimo quoque*] immortalis gloriae cupiditatem optimorum virorum eſſe propriam, in Catone quoque oſtendit his verbis: Quod quidem ni ita ſe haberet, vt animi immortales eſſent: haud optimi cuiuſq. animus maxime ad immortalitatis gloriam niteretur. GLORIAE *ſtimulis*] pro, gloriæ cupiditate: ſed quia translatis verbis propria vincuntur, Stimulis, maluit quidam, cupiditate. CONCITAT,] ne langueat, ne vmquam conſiſtat, ſed vſq. eo moueatur, donec eam gloriam, cui nulla dies finẽ afferat, aſſequatur. NON *cum vitae tempore dimetiendam commemorationem nominis noſtri,*] non ita viuendum, vt, quibus vita finibus, iiſdem noſtri nominis fama terminetur. TAM *parui animi*] qui tam exiguo vitae curriculo, tamq. breui contentus eſſe velit. CVM *vſque ad extremum ſpatium nullum tranquillum atque otioſum ſpiritũ duxerimus,*] ſic Cato apud Ciceronẽ de ſe ipſo loquitur. An cenſes, me tãtos labores diuturnos nocturnosq. domi, militiaeq. ſuſcepturum fuiſſe, ſi iiſdem finibus gloriam meam, quib. vitam, eſſem

terminaturus?non ne melius multo fuiſſet otioſam aetatē, & quietā, ſine vllo aut labore, aut cōtentione traducere? IMAGINES,] latius patet imago, quam ſtatua: nam & picturam complectitur & omnino quidquid rei verae ſimilitudinē repraeſentat. eademq. ſimulacri ſignificatio eſt. propterea dixit in ep. ad Lucceiū, cū & de picta ab Apelle, & de ficta a Lyſippo Alexādri magni effigie loqueretur: illi artifices, corporis ſimulacra ignotis nota faciebant: quae vel ſi nulla ſint, nihilo ſunt tamen obſcuriores clari viri. nec minus enim eſt Spartiates Ageſilaus ille perhibēdus, qui neque pictā, neque fictā imaginē ſuā paſſus eſt eſſe, quā qui in eo genere laborarunt. vnus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium, ſtatuasq. ſuperauit. Et pro Coelio: Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt ex barbatis illis, non hac barbula qua iſta delectatur, ſed illa horrida, quā in ſtatuis antiquis, & imaginibus videmus. Quod autē de imagine, & ſimulacro, idē de effigie dictum intelligatur. his enim vocabulis eadē ſubiecta omnibus notio eſt. CONSILIORVM, *ac virtutum noſtrarum*] mentis conſilia ſunt, virtutes in rebus exſiſtunt. EXPRESSAM, *& politam*?] Expreſſam vt nihil deſit: Politam in qua nihil oculos offendat. EGO *vero*] ne vitium in eo, quod laudat, eſſe videatur, exemplum ſumit a ſe ipſo, & flagrare ſe profitetur laudis amore ſempiternae. QVAE *gerebam*,] in conſulatu. SPARGERE *me, ac diſſeminare*] mirus eſt in oratione ſuperlatis verbis exornanda. proxime dixit, Expreſsā & politā: infra, Cogitatione quadā, ſpeque: hic, ſpargere, ac diſſeminare. ſpargitur enim ſemen, terraq. excipitur, vt eius complexu, & calore fructum ferat. VT *ſapientiſſimi homines putauerunt*,] Pythagoras, Socrates, Academia tota. AD *aliquam animi mei partem pertinebunt*:] vt ea ſentiat animus meus ex aliqua parte, ſunt enim animi partes multae: quarum aliae alia, cum a corpore diſceſſerint, in illa aeternitate contēplantur: aliqua tamē pars ad haec mortalia reſpicit & ea ſentit, quae pro ſalute patriae geſſimus. Praeclara ſententia, & Mafaeianorum librorum, quibus vtor, & Vaticanorum omnium teſtimonio comprobata. vnus tamen, isq. ſatis antiquus Fuluij Vrſini, vocē, Animi, non habet. quod prorſus non improbo. nā, Ad aliquā mei partē valet, ad meum ſenſum. pars enim hominis aliqua ſenſus eſt & iam dixerat, ſiue a meo ſenſu poſt mortem abfutura ſunt. COGITATIONE *quadam, ſpeq. delector*,] dum & cogito, & ſpero futurum, vt ea poſt obitum quoque ſentiā.

ORATIO

QVARE conſeruate, iudices, hominem pudore eo, quem amicorum ſtudijs videtis comprobari, tum dignitate, tum etiam venuſtate; ingenio autem tanto, quantum id conuenit exiſtimari, quod ſummorum hominum ingenijs expetitum eſſe videatis; cauſſa vero eiuſmodi, quae beneficio legis, auctoritate municipij, teſtimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quae cū ita ſint; petimus a vobis, iudices ſi qua non modo humana, verum etiam diuina in tantis negotijs commendatio debet eſſe, vt eum, qui vos, qui veſtros imperatores, qui populi R. res geſtas ſemper ornauit, qui etiam his recentibus noſtris, veſtriſq. domeſticis periculis aeternum ſe teſtimonium laudum daturum eſſe profitetur, quid. eſt eo numero, qui ſemper apud omnes ſancti ſunt habiti, atque dicti, ſic in veſtram accipiatis fidem, vt humanitate veſtra leuatus potius, quam acerbitate uiolatus eſſe uideatur. Quae de cauſſa pro mea conſuetudine breuiter, ſimpliciterq. dixi, iudices, ea confido probata eſſe omnibus: quae non fori, neque iudiciali conſuetudine & de hominis ingenio, & communiter de ipſius ſtudio locutus ſum, ea, iudices, a vobis ſpero eſſe in bonam partem accepta, ab eo, qui iudicium exercet, certe ſcio.

EXPLANATIO

QVARE *conſeruate, iudices, hominem pudore eo*,] quae ſunt, perorata iam cauſſa, vna pro reo, altera pro ſe ipſo, digreſſiones: pro reo, Conſeruate, iudices, hominē pudore eo: & quae ſequuntur: pro ſe ipſo, Quae nō fori, nec iudiciali cōſuetudine, & de hominis ingenio & communiter de ipſius ſtudio locutus ſum, ea, iudices, a vobis ſpero eſſe in bonā partē accepta, ab eo, qui iudicium exercet, certe ſcio. Quod ad priorē attinet, interdū venit in mentē ſuſpicari de ordine praepoſtero. primum enim petitur a iudicibus, vt Archiā conſeruent, deinde vt in fidē accipiant: cū in fidē prius accipi, quā cōſeruari debeat. Accedit ea ratio, quod, cū extra cauſsā Cicero euagatus, artis poeticae ſtudiū ſummis laudibus extulerit, nō videntur poſt ea, quae proxime commemorauit, haec ſatis appoſite ſubijci, de pudore Archiae, de ingenio, de cauſſa; ſed illa potius, quae commēdationē habēt a cauſſa diſiunctā ductā ab Archiae meritis, & genere ſtudiorū: a meritis ī eo, Qui vos qui veſtros imperatores, qui populi R. res geſtas ſēper ornauit: a genere ſtudiorū, cū ſubiungitur, Quiq. eſt eo numero, qui ſēper apud omnes ſancti ſunt habiti, atque dicti. Quae ſi lector attendat; nō dubito, quin haec ei cōcluſio potius arrideat: Quare conſeruate iudices, hominem quā illa: Quae cū ita ſint; petimus a vobis, iudices. TVM *dignitate, tum etiam venuſtate*;] Nec Mafaeiorū libri, quibus vtor, nec alij habēt, ſtudijs: & ſane nō requiritur a ſententia. remanet ſcrupulus in verbo, Venuſtate: quod iā antea mendoſum eſſe exiſtimaui, idemq. nunc exiſtimo. nā etſi poſſit aliquis, tuendae librorū antiquorū auctoritati plus aequo deditus, ita dicere, ī amicorū dignitate viros, ī venuſtate adoleſcētes indicari; mihi tamē haec opinio ponderis habere parū, minimeq. cū M. Antonij Mureti, praeſtantis ingenio viri, cōiectura videtur eſſe cōferenda. is vnius litterae mutatione, pro, Venuſtate, reponit, Vetuſtate;

ſententia

ſententia comprobante. floruiſſe enim Archiam iam inde ab adoleſcentia clarorum virorum amicitijs, quorum adhuc viuebant multi, & aderant aduocati, ipſa docet oratio BENEFICIO *legis,*] a Siluano, & Carbone latae. MVNICIPII,] Heracleae, quam ſupra quoque municipium vocauit. TESTIMONIO, *Luculli*] ſupra: Adeſt L. Lucullus; qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed vidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. TABVLIS] in quas referebantur eorum nomina, qui, ciuitatis adipiſcendae gratia, apud praetorem ex lege profitebantur. METELLI] Q. Metelli praetoris, apud quem profeſſus eſt Archias. SI *qua non modo humana, verum etiam diuina in tantis negotijs commendatio debet eſſe,*] particula, Si, quae dubitandi vim habet, hic affirmat: eſt .n. ſenſus: Quandoquidem Archias, is qui vos, qui veſtros imperatores, qui populi Rom. res geſtas ſemper ornauit, ob tanta negotia dignus eſt, quem vobis non homines modo, verum etiam dij commendent; petimus a vobis, vt eum ſic in veſtram accipiatis fidem, vt humanitate veſtra leuatus potius, quam acerbitate violatus eſſe videatur. Tale illud pro Rabirio perduellionis reo Si eſt boni conſul.s, cum cuncta auxilia reip. labefactari conuelliq. videat, ferre opem patriae, ſuccurrere ſaluti, fortuniſq. communibus, implorare ciuium fidem, ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere: eſt etiam bonorum, & fortium ciuium. &c. In Catilinam orat. 1. Si poſt hominum memoriam contigit nemini, vocis exſpectas contumeliam, cum ſis grauiſſimo iudicio taciturnitatis oppreſſus? HVMANA: cum ingenium Archiae ornamentum hominibus afferat, tradendis immortalitati rebus eorum memoria dignis: quod ſubiungitur; Qui vos, qui veſtros imperatores, qui populi R. res geſtas ſemper ornauit. DIVINA: hoc ſupra explanauit his verbis: Suo iure noſter ille Ennius ſanctos appellat poetas; Qui eſt eo numero, qui ſemper apud omnes ſancti ſunt habiti, atque dicti. IN *tantis negotijs*] meritis ipſius Archie: non quia proprie negotia ſint merita: ſed ea, quae Archias verſibus perſecutus erat, tum negotia fuerant maxima quia non facile quiuis eadem præſtare potuiſſet; tum etiam merita, quod ad populi Rom. gloriam pertinerent. Negotijs igitur dixit potius, quam rebus; quia maius quiddam in negotio, quam in re. DOMESTICIS *periculis*] ob coniurationem Catilinae. VIOLATVS] is, qui ſanctus eſt. ſimiliter ſupra: Sit igitur, iudices, ſanctum apud vos, humaniſſimos homines, hoc poetae nomen, quod nulla vmquam barbaria violauit. BREVITER, *ſimpliciterq.*] ne vobis aut oratione ſuperuacanea, aut artificio moleſtus eſſem. NON *fori, neque iudiciali conſuetudine.*] de quo veniam in exordio petijt his verbis. Ne cui veſtrum mirum eſſe videatur, me in quaeſtione legitima, & in iudicio publico, cum res agatur apud praetorem populi Rom. lectiſſimum virum; & apud ſeueriſſimos iudices, tanto conuentu hominum, ac frequentia, hoc vti genere dicendi, quod nō modo a conſuetudine iudiciorum, verumetiam a forenſi ſermone abhorreat: quaeſo a vobis, vt in hac cauſſa mihi detis hanc veniam. &c. COMMVNITER] de ipſo poeticae ſtudio. AB *eo, qui iudicium exercet,*] a praetore. CERTE *ſcio.*] propterea quod ſtudijs potiſſimum delectetur humanitatis, ijs, quibus excellit Archias.

IN · ORATIONEM · CICERONIS
POST. REDITVM. AD. QVIRITES
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

POST exſulium ſedecim menſium, P. Lentulo, Q. Metello cos. reſtitutus, gratum ſe, officijq. memorem, ut antea ſenatui, ſic nunc populo Romano oſtendit. Atque in huius quidem, quae ad Quirites, inſcribitur, orationis parte prima, beneficij magnitudinem, & reditus honorem commemorat; cum haec ſimul omnia recuperauerit, primum liberos, patrem, rem familiarem, amicitias, conſuetudines, vicinitates, clientelas; deinde honorem, dignitatem, locum, ordinem. poſtremo, patriam ipſam, qua nihil carius, nihil iucundius. In ſecunda parte non modo ademptam ſibi calamitatem, ſed auctam etiam dignitatem oſtendit: neminem enim tam honorifice, non P. Popillium, non Q. Metellum Numidicum, non C. Marium, eſſe reſtitutum: cum illi, ſupplicante propinquorum multitudine, rogationibus tantum tribunicijs, nulla ſenatus auctoritate, nullis Italiae precibus, redierint; ipſe autem, nemine praeter fratrem ſupplicante, & S. C. & lege, ſumma Italiae conſenſione, incredibili bonorum omnium ſtudio, agente P. Lentulo, deprecante Cn. Pompeio, ſit in patriam reuocatus. Poſtremo ſummam, & perpetuam erga populum Romanum pietatem, & quaecumque praeſtare officia poſſit, pro gratia referenda pollicetur.

M · TVLLII · CICERONIS
POST. REDITVM. AD. QVIRITES
ORATIO · XXVII.

QVOD precatus a Ioue optimo maximo, ceteriſque dijs immortalibus ſum, Quirites, eo tempore, cum me fortunaſque meas pro veſtra incolumitate, otio, concordiaque deuoui, vt, ſi meas rationes vmquam veſtrae ſaluti antepoſuiſſem, ſempiternam poenam ſuſtinerem mea voluntate ſuſceptam; ſin & ea, quae ante geſſeram, conſeruandae ciuitatis cauſſa geſſiſſem, & illam miseram profectionem veſtrae ſalutis gratia ſuſcepiſſem, vt, quod odium ſcelerati homines, & audaces in remp. & in omnes bonos conceptum iam diu cõtinerent, id in me vnum potius, quam in optimum quemque, & in vniuerſam remp. defigerent; hoc ſi animo in vos, liberosq. veſtros fuiſſem, vt aliquando vos, patres conſcriptos, Italiamq. vniuerſam memoria mei, miſericordia, deſideriumq. teneret: eius deuotionis me eſſe conuictum iudicio deorum immortalium, teſtimonio ſenatus, conſenſu Italiae, confeſſione inimicorum, beneficio diuino immortaliq. veſtro, maxime laetor, Quirites. & ſi homini nihil eſt magis optandum, quam proſpera, aequabilis, perpetuaq. fortuna, ſecundo vitae, ſine vlla offenſione, curſu: tamen, ſi mihi tranquilla, & placata omnia fuiſſent, incredibili quadam, & paene diuina, qua nunc veſtro beneficio fruor, laetitiae voluptate caruiſſem. Quid dulcius hominum generi a natura datum eſt, quam ſui cuique liberi? mihi vero, & propter indulgentiam meam, & propter excellẽs eorum ingenium, vita ſunt mea cariores. tamen non tanta voluptate erant ſuſcepti, quanta nunc ſunt reſtituti. Nihil cuiquam fuit vmquam iucundius, quam mihi meus frater. non tam id ſentiebam, cum fruebar, quam tunc, cum carebam, & poſtea quam vos me illi, & mihi eum reddidiſtis. Res familiaris ſua quemque delectat. reliquae meae fortunae recuperatae plus mihi nunc voluptatis afferunt, quam tunc incolumes afferebant. Amicitiae, conſuetudines, uicinitates, clientelae, ludi denique, & dies feſti quid haberent uoluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. Iam uero honos, dignitas, locus, ordo, beneficia ueſtra, quamquam mihi ſemper clariſſima uiſa ſunt, tamen ea nunc renouata illuſtriora uidentur, quam ſi obſcurata non eſſent. Ipſa autem patria, dij immortales, dici uix poteſt, quid caritatis, quid uoluptatis habet? Quae ſpecies Italiae? quae celebritas opidorum? quae forma regionum? qui agri? quae fruges? quae pulchritudo urbis? quae humanitas ciuium? quae reipub. dignitas? quae ueſtra maieſtas? quibus ego omnibus antea rebus ſic fruebar, ut nemo magis. ſed, tamquam bona ualetudo iucundior eſt eis, qui e graui morbo recreati ſunt, quam qui numquam aegro corpore fuerunt: ſic ea omnia deſiderata magis, quam aſſidue percepta, delectant.

EXPLANATIO

DEVOVI,] deuouet ſe, qui, vt alterum ſeruet, ſponte calamitatem, vel periculum ſubijt: vt Decij, ne periret exercitus, ipſi ſe deuouerunt. Sic Cicero, ne caedes bonorum fieret, armis dimicare cum trib. pleb. Clodio, & cum conſulibus noluit, ſed pro communi ſalute ſe deuouit, & in exſulium abijt. QVAE *ante geſſeram,*] cum nefariam Catilinae coniurationem conſul patefecit, protulit, exſtinxit, EIVS *deuotionis me eſſe conuictum*] in deuotione votum ineſt, vt ij ſeruentur. quorum cauſſa ſe aliquis deuouet. ita videtur dicere; Eius deuotionis me compotem eſſe factum; ideſt, quem illa deuotione fructum petiui, eum tuliſſe me. LAETITIAE *uoluptate*] voluptate, quae oritur ex laetitia. RELIQVAE *meae fortunae*] praeter liberos, & fratrem, reliquae fortunae. LVDI *denique,*] quos etiam principes viri ſpectare conſueuerant. Sed hoc dicit fortaſſe temporis cauſſa. nam quos alij dies ludis dabant, ipſe vel in ſcribendis orationibus, vel in ſtudijs conſumebat. vnde in illa pro Plancio: Quas tu commemoras, Caſſi, legere te ſolere orationes, cum otioſus ſis, has ego ſcripſi ludis, & ferijs, ne omnino vmquam eſſem otioſus. Et pro Archia: Quis mihi iure ſuccenſeat, ſi, quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ab feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipſam requiem animi, & corporis conceditur temporis, tantum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumpſero? Aut haec ipſa quoque tempori tributa ſunt. LOCVS,] exiſtimatio. ad Terentiam: Videte, quid aliae faciant iſto loco feminae. CARITATIS,] quae caritas eſt, quae non illi debeatur? Off. lib. I. omnes caritates patria vincit.

ORATIO

QVORSVM igitur haec diſputo? quorſum? ut intelligere poſſitis, neminem umquam tanta eloquentia fuiſſe, neque tam diuino atque incredibili genere dicendi, qui neſtrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quae in me, fratremque meum, liberosq. noſtros contuliſtis, non modo augere, aut ornare

oratio-

tiſſimo ciue; numquam de C. Mario, cuſtode ciuitatis, atque imperij veſtri, in ſenatu mentio facta eſt. tribunicijs ſuperiores illi rogationibus, nulla auctoritate ſenatus, ſunt reſtituti: Marius vero non modo non a ſenatu, ſed etiam oppreſſo ſenatu eſt reſtitutus: nec rerum geſtarum memoria in reditu C. Marij, ſed exercitus, atque arma valuerunt. at de me, vt valeret, ſemper ſenatus flagitauit; vt aliquando perficeretur, cum primum licuit, frequentia, atque auctoritate perfecit. Nullus in eorum reditum motus municipiorum, & coloniarum factus eſt: at me in patriam ter ſuis decretis Italia cuncta reuocauit. illi, inimicis interfectis, magna ciuium caede facta, reducti ſunt: ego ijs, a quibus eiectus ſum, prouincias obtinentibus, inimico autem, optimo viro, & mitiſſimo, altero conſule referente, reductus ſum, cum is inimicus, qui ad meam perniciem vocem ſuam communibus hoſtibus praebuiſſet, ſpiritu dumtaxat viueret, re quidem infra omnes mortuos amandatus eſſet. Numquam de Popillio L. Opimius, fortiſſimus conſul, numquam de Q. Metello, non modo C. Marius, qui erat inimicus, ſed ne is quidem, qui ſecutus eſt, M. Antonius, homo eloquentiſſimus, cum A. Albino collega ſenatum, aut populum eſt cohortatus. at pro me ſuperiores conſules ſemper, vt referrent, efflagitati ſunt: ſed veriti ſunt, ne gratiae cauſſa facere viderentur, quod alter mihi affinis erat, alterius cauſſam capitis receperam: qui prouinciarum foedere irretiti, totum illum annum, querellas ſenatus, luctum bonorum, Italiae gemitum pertulerant. Kalendis vero Ian. poſtea quam orba reſp. conſulis fidem, tamquam legitimi tutoris, implorauit, P. Lentulus conſul, parens, deus, ſalus noſtrae vitae, fortunae, memoriae, nominis, ſimul ac de ſollemni religione retulit, nihil humanarum rerum ſibi prius, quam de me, agendum iudicauit. atque eo die confectae res eſſet, niſi is tribunus pl. quem ego maximis beneficijs quaeſtorem conſul ornaueram, cum & cunctus ordo, & multi eum ſummi viri orarent, & Cn. Oppius ſocer, optimus vir, ad pedes eius flens iaceret, noctem ſibi ad deliberandum poſtulaſſet. quae deliberatio non in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur, ſed, vt patefactum eſt, in augenda mercede conſumpta eſt. poſtea res acta eſt in ſenatu alia nulla: &, cum varijs rationibus impediretur, uoluntate tamen perſpecta ſenatus, cauſſa ad uos menſe Ian. deferebatur. hic tantum interfuit inter me, & inimicos meos. ego, cum homines in tribunali Aurelio palam conſcribi, centuriariq. uidiſſem; cum intellegerem ueteres ad ſpem caedis Catilinae copias eſſe reuocatas; cum uiderem ex ea parte homines, cuius partis nos uel principes numerabamur, partim quod mihi inuiderent, partim quod ſibi timerent, aut proditores eſſe, aut deſertores ſalutis meae; cum duo conſules, empti pactione prouinciarum, auctores ſe inimicis reip. tradidiſſent; cum egeſtatem, auaritiam, libidines ſuas uiderent expleri non poſſe, niſi me conſtrictum domeſticis hoſtibus dedidiſſent; cum ſenatus, equiteſq. R. flere pro me, ac mutata ueſte uobis ſupplicare, edictis atque imperijs vetarentur; cum omnium prouinciarum pactiones, cum omnia cum omnibus foedera, reconciliationes gratiarum ſanguine meo ſancirentur; cum omnes boni non recuſarent, quin uel pro me, uel mecum perirent: armis decertare pro mea ſalute nolui; quod & uincere, & uinci luctuoſum reip. fore putaui. at inimici mei, menſe Ian. cum de me ageretur, corporibus ciuium trucidatis flumine ſanguinis meum reditum intercludendum putauerunt. itaque, cum ego abfui, eam remp. habuiſtis, vt aeque me, atque illam reſtituendam putaretis. ego autem, in qua ciuitate nihil ualeret ſenatus, omnis eſſet impunitas, nulla iudicia, uis & ferrum in foro uerſarentur; cum priuati ſe parietum praeſidio, non legum, tuerentur; tribuni pl. uobis inſpectantibus uulnerarentur; ad magiſtratuum domos cum ferro & facibus iretur; conſulis faſces frangerentur; deorum immortalium templa incenderentur; remp. nullam eſſe putaui: itaque neque, rep. exterminata, mihi locū in hac urbe eſſe duxi, nec, ſi illa reſtitueretur, dubitaui, quin me ſecum ipſa reduceret.

EXPLANATIO

NON *modo non a ſenatu, ſed etiam oppreſſo ſenatu eſt reſtitutus:*] Poſt red. in ſen. Non modo a ſenatu non eſt reſtitutus, ſed reditu ſuo ſenatum cunctum paene deleuit. SEMPER *ſenatus flagitauit;*] etiam Piſone & Gab. cos. CVM *primum licuit,*] Lentulo. & Metello cos. IIS, *a quibus eiectus ſum,*] Piſone & Gabinio cos. INIMICO *autem,*] Q. Metello conſule; qui tribunus pl. Ciceronem abeuntem conſulatu concionis habendae poteſtate priuauerat. OPTIMO *uiro, & mitiſſimo,*] verbis vtitur lenientibus id, quod dixerat Inimico autē. & ob eandē cauſsā de eodē in oratione pro Sextio dixit, Quae moderatio de me. CVM *is inimicus*] adduci non poſſum. vt hunc eſſe credam P. Clodium: primum, quia, poſt mentionē conſulū, non de priuato homine, ſed de magiſtratu loquitur: Clodius autem magiſtratum nullum gerebat hoc anno: deinde, quia, quod ſequitur, Qui ad meā perniciē vocē ſuā communibus hoſtibus praebuiſſet; ad eū pertinere non poteſt. qui ſunt enī hi Ciceronis, & Clodij communes hoſtes? cōtra potius, qui hoſtis Clodij, Ciceronis amicus; & qui hoſtis Ciceronis, amicus Clodij. itaque ſignificari crediderī Atiliū illū, qui Kalēdis Iā. Lentulo cōſule de reditu Ciceronis referente, rem diſtulit. de quo ſic infra. Kalendis vero Ian. poſtea quā orba reſp. cōſulis fidē tamquā legitimi tutoris implorauit, P. Lētulus cōſul, parēs, deus, ſalus noſtrae vitae, fortunae, memoriae, nominis, ſimul ac de ſollemni religione retulit, nihil humanarū rerū ſibi prius, quam de me, agendū iudicauit. atque eo die cōfecta res eſſet, niſi is tribunus pl. quē ego maximis beneficijs quaeſtorē conſul ornauerā, cum & cunctus ordo, & multi eū ſummi viri orarent, & Cn. Oppius ſocer, optimus vir, ad pedes eius flens iaceret, noctē ſibi ad deliberandū poſtulaſſet. quae deliberatio non in reddenda, quemadmodū nonnulli arbitrabātur, ſed, vt patefactū eſt, in augenda mercede cōſumpta eſt. Et pro Sextio: Cū omnes certatī aliuſq. alio grauius, atque ornatius, de mea ſalute dixiſſet, fieretq. ſine vlla varietate diſceſſio: ſurrexit, vt ſcitis, Atil. hic Gauianus: nec auſus eſt cū eſſet emptus, intercedere: noctē ſibi ad deliberādā poſtulauit: clamor, ſenatus, querelae, preces, ſocer ad pedes abiectus. ille ſe af-

firmare

firmare poſtero die moram nullam eſſe facturum. creditũ eſt: diſceſſum eſt illi interea deliberatori merces, longa interpoſita nocte, duplicata eſt. Voc**em** *ſuam*] cũ in ſenatu, referente Lentulo cõſule, Kalendis Ian. interceſſit. vox autem intercedentis haec eſt, Vero. Commvni**bvs** *hoſtibus*] P. Clodio, eiuſq. amicis. L. Opimivs,] quo conſule & C. Gracchus, qui Popillium eiecerat, occiſus, & Popillius reſtitutus eſt. Qvi *ſecutus eſt.*] qui conſul poſt Marium fuit. Svperiores *conſules*] Piſo & Gabinius. Ne, gratiae *cauſſa*] ironia. non enim id veriti ſunt, ſed, pactione prouinciarum irretiti, quae mei funeris merces fuit, numquam referre voluerunt. Qvod *alter mihi affinis erat*] Piſo, quia Ciceronis filia, C. Piſonis vxor era. Pertvlervnt.] quia, cum queri ſenatum, lugere bonos Italiam gemere viderent de me tamen referre noluerunt. Is. tribvnvs *pl.*] Atilius ille, de quo paullo ante locuti ſumus. Vt. patefactvm *eſt.*] quia poſtero die interceſſit: cum ſe moram nullam eſſe facturum dixiſſet. Cvm *varijs rationibus impediretur,*] pro Sextio: Cum omni mora, ludificatione, calumnia, ſenatus auctoritas impeditetur. Ad. vos] per Q. Fabricium tribunum pl. Cvm *homines in tribunali Aurelio palam conſcribi, centuriariq. vidiſſem*] quo anno ſum eiectus. hoc eſt, quod ait in ea Poſt red. in ſen Seruos ſimulatione collegiorũ nominati eſſe cõſcriptos, copias omnes Catilinae paene iiſdẽ ducibus ad ſpẽ caedis & incendiorũ eſſe reuocatus. Et pro Domo: Cũ in tribunali Aurelio conſcribebas palam non modo liberos, ſed etiã ſeruos. Idẽ pro Sextio, & in Piſonem. Ex. ea *parte homines,*] ex parte optimatum. Proditores] quod mihi inuiderent. Desertores *ſalutis meae*] quod ſibi timerent. Egestatem,] de Gabinio dicit: cuius egeſtatem in orat pro Sextio, & in Piſonem memorat. Avaritiam] in Piſonem confertur. Libidines *ſuas*] in vtrumque conſulem. Imperiis] grauius quam, edictis. Flvmine *ſanguinis*] viii. Kal. Febr. cum Q. Fabricius, templo occupato, legẽ ferre vellet. vide pro Sextio. in ea vero Poſt red. in ſen. Ego, inquit. meam ſalutem deſerui, ne propter me ciuium vulneribus reſp. cruentaretur illi meum reditum non populi Romani ſuffragijs, ſed flumine ſanguinis intercludendũ putauerunt Privati] Cn Pompeius, metu inſidiarum Clodij tribuni pl. Tribvni *pl.*] P. Sextius vt in oratione pro ipſo. Consvlis *faſces*] Q Metelli: vt in ea Poſt red in ſen. Deorvm *immortalium*] Nympharum: vt in ea pro Milone, in Paradoxis, Poſt red. in ſen.

ORATIO

AN ego, cum mihi eſſet exploratiſſimum, P. Lentulum proximo anno conſulem futurum, qui, illis ipſis reip. periculoſiſſimis temporibus, aedilis curulis, me conſule, omnium meorum conſiliorum particeps, periculorumq. ſocius fuiſſet; dubitarem, quin is me, confectum conſularibus vulneribus, conſulari medicina ad ſalutem reduceret? hoc duce, collega autem eius, clementiſſimo atque optimo viro, primo non aduerſante, poſt etiam adiuuante, reliqui magiſtratus paene omnes fuerunt defenſores ſalutis meae: ex quibus excellenti animo, virtute, auctoritate, praeſidio T. Annius, & P. Sextius praeſtanti in me beneuolentia, & diuino ſtudio exſtiterunt. eodemq. P. Lentulo auctore, & pariter referente collega, frequentiſſimus ſenatus, vno diſſentiente, nullo intercedente, dignitatem meam quibus potuit verbis ampliſſimis ornauit, ſalutem vobis, municipijs, colonijsq. omnibus commendauit. ita me nudum a propinquis, nulla cognatione munitum conſules, praetores, tribuni pl. ſenatus, Italia cuncta ſemper a vobis deprecata eſt. denique omnes, qui veſtris maximis beneficijs honoribusq. ſunt ornati, producti ad vos ab eodem, non ſolum ad me conſeruandum vos cohortati ſunt, ſed etiam rerum mearum geſtarum auctores, teſtes, laudatoresq. fuerunt. quorum princeps ad cohortandum vos, & ad rogandos fuit Cn. Pompeius, vir omnium, qui ſunt, fuerunt, erunt, virtute, ſapientia, ac gloria princeps: qui mihi vnus vni priuato amico eadem omnia dedit, quae vniuerſae reip. ſalutem. otium, dignitatem: cuius oratio fuit, quemadmodum accepi, tripartita. primum vos docuit, meis conſilijs rep. eſſe ſeruatam; cauſſamq. meam cum communi ſalute coniunxit; hortatusq. eſt, ut auctoritatem ſenatus, ſtatum ciuitatis, fortunas ciuis bene meriti defenderetis: tum in perorando poſuit, vos rogari a ſenatu, rogari ab equitibus R. rogari ab Italia cuncta: denique ipſe ad extremum pro mea vos ſalute non rogauit ſolum, verum etiam obſecrauit. huic ego homini, Quirites, tantum debeo, quantum hominem homini debere vix fas eſt. huius conſilia, P. Lentuli ſententiam, ſenatus auctoritatem vos ſecuti, in eo me loco, in quo veſtris beneficijs fueram, iiſdem centurijs, quibus collocaratis, repoſuiſtis. eodem tempore audiſtis eodem ex loco ſummos viros ornatiſſimos, atque ampliſſimos homines, principes ciuitatis, omnes conſulares, omnes praetorios eadẽ dicere, ut omnium teſtimonio, per me unum remp. conſeruatam eſſe, conſtaret. itaque, cum P. Seruilius, grauiſſimus vir, & ornatiſſimus ciuis, dixiſſet opera mea remp. incolumem magiſtratibus deinceps traditam; dixerunt in eandem ſententiam ceteri. ſed audiſtis eo tempore clariſſimi viri non ſolum auctoritatem ſed etiam teſtimonium, L. Gellij: qui, quia ſuam claſſem attentatam magno cum ſuo periculo paene ſenſit, dixit in concione veſtra, ſi ego conſul, cum fui, non fuiſſem, remp. funditus interituram fuiſſe.

EXPLANATIO

Paene *omnes*] excepto uno praetore Appio, P. Clodij fratre; duobus tribunis pl. Sex Atilio Serrano, Numerio Quinctio. in Piſonem, pro Milone. Vno *diſſentiente,*] P. Clodio. Poſt red. in ſen.

Qvi

QVI *ſunt, fuerũt, erunt.*] vſitata ſententia vel laudanti, vel vituperanti: vt in ep. ad D. Brutum: Dij iſti Segulio maleſaciant, homini nequiſſimo omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt. IN *eo me loco,*] in ea dignitate: vt enim centuriatis comitijs conſul factus ſum ſic lege centuriatis comitijs lata reſtitutus. DEINCEPS] ijs, qui poſt meum conſulatum magiſtratum geſſerunt: cum reip. me conſule grauiter periclitata eſſet. EO *tempore*] cum lata de meo reditu lex eſt. SVA *in claſſem*] cuius cuſtos erat, dum ferrentur ſuffragia. Centuriatis autem comitijs claſſes in quas Ser. Tullius rex populum deſcripſerat, ad ſuffragia vocari ſolitas ex Liuio, Dionyſio, Cicerone cognoſcitur. ATTENTATAM] a Clodianis corrumpere conantibus. MAGNO *dum ſuo periculo*] orta contentione ipſo praeſente. IN. CONCIONE *veſtra,*] recte: ſed omnes tamen libri veteres, In concione veſtrum: ſunt qui, Veſtra, deleant: ego libenter retineo: quia, cum ad Quirites verba faciat, Veſtra, locum habet.

ORATIO

ENego tot teſtimonijs, Quirites, hac auctoritate ſenatus, tanta conſenſione Italiae, tanto ſtudio bonorum omnium, agente P. Lentulo, conſentientib. ceteris magiſtratibus, deprecante Cn. Pompeio, omnib. hominib. fauentibus, dijs deniq. immortalib. frugum ubertate, copia, uilitate reditum meum comprobantibus mihi, meis, reip. reſtitutus tantum uobis, quantum facere poſſum, Quirites pollicebor: primum, qua ſanctiſſimi homines pietate erga deos immortales eſſe ſoleant, eadem me erga populum R. ſemper fore, numenq. ueſtrum atque mihi graue, & ſanctum, ut deorum immortalium, in omni uita futurum: deinde, quoniam me in ciuitatem reſp. ipſa reduxit, nullo me loco reip. defuturum. quod ſi quis exiſtimat me aut uoluntate eſſe mutata, aut debilitata uirtute, aut animo fracto, uehementer errat. mihi quod potuit uis, & iniuria, & ſceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abſtulit, diſſipauit; quod uiro forti adimi non poteſt, id manet, & permanebit. uidi ego fortiſſimum uirum, municipem meũ, C. Marium, quoniam nobis quaſi aliqua fatali neceſſitate nõ ſolum cum ijs, qui haec delere uoluiſſent, ſed etiam cum fortuna belligerandum fuit: eum tamen uidi, cum eſſet ſumma ſenectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, ſed confirmato, atq. renouato. quem egomet dicere audiui, tum ſe fuiſſe miſerum, cum careret patria, quam obſidione liberauiſſet; cum ſua bona poſſideri ab inimicis, ac diripi audiret; cum adoleſcentem filium uideret eiuſdem ſocium calamitatis; cum in paludib. demerſus, concurſu, ac miſericordia Minturnenſium corpus, ac uitam ſuam conſeruaſſet; cum parua nauicula traiectus in Africam, quib. regna ipſe dederat, ad eos inops ſupplexq. ueniſſet: recuperata uero ſua dignitate, ſe non commiſſurum, ut cum ea, quae amiſerat, ſibi reſtituta eſſent, uirtutem animi non haberet, quam numquam perdidiſſet. ſed hoc inter me, atq. illum intereſt: quod ille, qua re plurimum potuit, ea ipſa re inimicos ſuos ultus eſt, armis; ego, qua conſueui, utar oratione: quoniam illi arti in bello, ac ſeditione locus eſt: huic in pace, atq. otio: quodq. ille animo irato nihil, niſi de inimicis ulciſcendis, agebat; ego de ipſis inimicis tantum, quantum mihi reſp. permittet, cogitabo.

EXPLANATIO

EN. EGO *tot teſtimonijs*] uidetur eſſe rectius, Ergo tot teſtimonijs. OBSIDIONE] barbararum gentium, Ambrorum, Teutonum, Cimbrorum in id vrbem irruentium.

ORATIO

DENIQVE, *Quirites, quoniam me quatuor omnino genera hominum uiolarunt: unum eorum, qui odio reip. quod eam ipſis inuitis conſeruaram, mihi inimiciſſimi fuerunt: alterum, qui per ſimulationem amicitiae nefarie prodiderũt: tertium, qui, cum propter inertiam ſuam eadem aſſequi non poſſent, inuiderent laudi, & dignitati meae; quartum qui, cum cuſtodes reip. eſſe debuerunt, ſalutem meam, ſtatum ciuitatis, dignitatem eius imperij, quod erat penes ipſos, uendiderunt. ſic ulciſcar genera ſingula, quemadmodum a quibuſq. ſum prouocatus: malos ciues remp. bene gerendo: perfidos amicos, nihil credendo, atq. omnia cauendo: inuidos, uirtuti, & gloriae ſeruiendo: mercatores prouinciarum, reuocãdo domum, atq. ab ijs prouinciarum rationem repetendo. quamquam mihi maiori curae eſt, quemadmodum quidem uobis, qui de me eſtis optime meriti, gratiam referam, quam quemadmodum inimicorum iniurias, crudelitatemq. perſequar. etenim ulciſcendae iniuriae facilior ratio eſt, quã beneficij remunerandi: propterea quod ſuperiorem eſſe contra improbos, minus eſt negotij, quam bonis exaequari: tum etiã nec tam neceſſarium quidem eſt, male meritis quam optime meritis, referre quod debeas. odium uel precibus mitigari poteſt, uel temporibus reip. communiq. utilitate deponi, uel difficultate ulciſcendi teneri, uel uetuſtate ſedari: bene meritos quin colas, nec exorari fas eſt, neq. id reip. repetere utcumque neceſſe eſt, neq eſt excuſatio difficultatis, neq. aequum eſt tempore, & die memoriam beneficij definire. poſtremo, qui in ulciſcenda remiſſior fuit, mox aperte laudatur: at grauiſſime uituperatur, qui in tantis beneficiis, quanta uos in me contuliſtis, remunerandis eſt tardior: neq ſolũ ingratus, quod ipſum graue eſt, uerũ etiam impius appelletur, neceſſe eſt. atq in officio perſoluendo diſſimilis eſt ratio, et pecunia debita: propterea quod pecuniã qui retinet, nõ diſſoluit: qui reddidit, non habet gratiam, & qui retu-*

lis, habet; & qui habet, diſſoluit, quapropter memoriam ueſtri beneficij colam beneuolentia ſempiterna, non ſolum dum animã ſuperabo mea, ſed etiam cũ mortuo monumenta veſtri in me beneficij permanebunt, in referenda autem gratia hoc uobis repromitto, ſemperque praeſtabo, mihi neque in conſiliis de repub. capiundis diligentiam, neque in periculis a repub. propulſandis animum, neque in ſententia ſimpliciter referenda fidem, neque in hominum uoluntatibus pro repub. laedendis libertatem, nec in perferendo labore induſtriam, nec in ueſtris commodis augendis gratam animi beneuolentiam defuturam. atque haec cura, Quirites, erit infixa animo meo ſempiterna, vt cum uobis, qui apud me deorum immortalium uim & numen tenetis, tum poſteris ueſtris, cunctisq. gentibus digniſſimus ea ciuitate uidear, quae ſuam dignitatem non poſſe tenere ſe, niſi me recuperaſſet, cunctis ſuffragiis indicauit.

EXPLANATIO

EIVS *imperii, quod erat penes ipſos,*] quis non videt, conſules Gabinium & Piſonem ſignificari? de quibus etiam ſubiungit, Mercatores prouinciarum, reuocando domum, atque ab ijs prouinciarum rationem repetendo. PRECIBVS] eorum, qui nos offenderunt. REPETERE] malim, Petere, vt ſit: Petere, ne colas bene meritos. reſpondet autem ad illud, Temporibus reip communique vtilitate deponi. VERVM *etiam impius*] vt pius eſt, qui, cum acceperit maxima beneficia, gratiam refert: ſic impius, qui non refert. nam qui, mediocribus acceptis beneficijs, gratiam nullam refert, is ingratus dicitur potius, quam impius. PECVNIAM *qui retinet, non diſſoluit;*] eadem ſententia, & iiſdem ferè verbis, in oratione pro Plancio. Diſſimilis eſt debito pecuniae, & gratiae. nam qui pecuniam diſſoluit, ſtatim non habet id quod reddidit: qui autem debet, is retinet alienum: gratiam autem &, qui refert habet, & qui habet, in eo ipſo, quod habet, refert. Et Off. lib. 2. Commode autem quicumque dixit; pecuniam qui habeat, reddidiſſe. REPROMITTO,] plus eſt, quam promitto; valet enim, pro veſtris in me meritis viciſſim promitto. IN, SENTENTIA *ſimpliciter referenda*] quid eſt, referre ſimpliciter ſententiam? non in ſenatu, nam id eſt, dicere ſententiam: neque hoc populo, ſed ſenatui, promittendum. aut igitur, Efferenda, legerem, ideſt pronuncianda, ad populum ſcilicet: vt ſit, ſententia, pro, animi ſenſu: aut interpretemur, ſententiam, in ſenatu ſimpliciter & bona fide dictam, referre ad populum: vt ſciret populus, quid actum eſſet in ſenatu. ANIMI *beneuolentiam*] ita dictum, vt animi voluntas, ad Meſcinium. CVNCTIS *ſuffragiis*] centuriatis comitijs, nemine diſſentiente.

IN. ORA-

IN · ORATIONEM . CICERONIS
POST . REDITVM . IN . SENATV
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

MIRAM in reſtituendo Cicerone voluntatem & ſenatus, & populus Romanus oſtendit. vtrique gratias egit: & vtraque exſtat oratio. quamquam eam, quae, ad Quirites, inſcripta eſt, ſuſpicor interdum ſcriptam eſſe, non habitam. eius enim, ſi habita eſſet, ita videtur mentionem facturus fuiſſe in ep. 1. lib. 1v. ad Att. vt mentionem fecit orationis in ſenatu habitae, his verbis: Poſtridie in ſenatu, qui fuit dies non. Septemb. ſenatui gratias agimus. In hac igitur, qua ſenatui gratias egit, commemorat, atque amplificat eius ordinis erga ſe merita: laudat conſules P. Lentulum, & Q. Metellum: tribunos pl. octo, & in ijs praecipue Milonem, & Sextium: ſeptem praetores, & Cn. Pompeium. Habita Lentulo, & Metello cos.

M. TVLLII. CICERONIS
POST. REDITVM. IN. SENATV
ORATIO. XXIIX.

SI, P, C. pro veſtris immortalibus in me, fratremq. meum, liberoſque noſtros meritis parum vobis cumulate gratias egero, quaeſo, obteſtorque, ne meae naturae potius, quam magnitudini veſtrorum beneficiorum id tribuendum putetis. quae enim tanta poteſt exſiſtere ubertas ingenij, quae tanta dicendi copia, quod tam diuinum, atque incredibile genus orationis, quo quiſquam poſſit ueſtra in nos vniuerſa promerita, non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando? qui mihi fratrem optatiſſimum, me fratri amantiſſimo, liberis noſtris parētes, nobis liberos, qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui ampliſſimam remp. qui patriam, qua nihil poteſt eſſe iucundius, qui denique noſmetipſos nobis reddidiſtis. quod ſi parentes cariſſimos habere debemus, quod ab ijs nobis vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita eſt; ſi deos immortales, quorum beneficio & haec tenuimus, & ceteris rebus aucti ſumus; ſi populum R. cuius honoribus in ampliſſimo conſilio, & in altiſſimo gradu dignitatis, atque in hac omnium terrarum arce collocati ſumus; ſi hunc ipſum ordinem, a quo ſaepe magnificentiſſimis decretis ſumus honeſtati: immenſum quiddam, & infinitum eſt, quod uobis debeamus; qui veſtro ſingulari ſtudio, atque conſenſu parentum beneficia, deorum immortalium munera, populi Romani honores, veſtra de me multa iudicia, nobis omnia vno tempore reddidiſtis; vt, cum multa vobis, magna populo Rom. innumerabilia parentibus, omnia dijs immortalibus debeamus, quod haec antea ſingula per illos habuerimus, nunc vniuerſa per vos recuperauerimus. Itaque, P. C. quod ne optandum quidem eſt homini, immortalitatem quandam per vos adepti uidemur. quod enim tempus erit vmquam, quo veſtrorum in vos beneficiorum memoria, ac fama moriatur? qui illo ipſo tempore, cum vi, ferro, metu, minis obſeſſi teneremini, non multo poſt diſceſſum meum vniuerſi me reuocauiſtis, referente L. Ninnio, fortiſſimo, atque optimo viro, quem habuit ille peſtifer annus & maxime fidelem, & minime timidum, ſi dimicare placuiſſet, defenſorem ſalutis meae. poſtea quam vobis poteſtas decernendi non eſt permiſſa per eum tribunum pl. qui cum per ſe remp. lacerare nō poſſet, ſub alieno ſcelere deleuit: numquam de me ſiluiſtis, numquam meam ſalutem non ab ijs conſulibus, qui vendiderant, flagitauiſtis. itaque veſtro ſtudio, atque auctoritate perfectum eſt, vt ille ipſe annus, quem ego mihi, quam patriae, malueram eſſe fatalem, octo tribunos haberet, qui promulgarent de ſalute mea, & ad vos ſaepenumero referrent. nam conſules modeſti, legumque metuentes, impediebantur lege, non ea, quae de me, ſed ea, quae de ipſis lata erat, cum meus inimicus promulgauit, vt, ſi reuixiſſent ij, qui haec paene delerunt, tum ego redirem. quo facto vtrumque confeſſus eſt & ſe illorum vitam deſiderare, & magno in periculo remp. futuram, ſi aut hoſtes, atque interfectores reipub. reuixiſſent, aut ego non reuertiſſem. itaque illo ipſo anno, cum ego ceſſiſſem; principes autem ciuitatis, non legum praeſidio, ſed parietum, vitam ſuam tuerentur; reſp. ſine conſulibus eſſet; neque ſolum parentibus perpetuis, verum etiam tutoribus annuis eſſet orbata; ſententias dicere prohiberemini; caput meae proſcriptionis recitaretur: numquam dubitaſtis meam ſalutem cum communi ſalute coniungere. poſtea vero quam ſingulari, & praeſtantiſſima virtute P. Lentuli conſulis ex ſuperioris anni caligine, & tenebris lucem in rep. Kalend. Ian. reſpicere coepiſtis; cum Q. Metelli, nobiliſſimi hominis, atque optimi viri, ſumma dignitas, cum praetorum, tribunorum pl. paene omnium virtus, & fides reipub. ſubueniſſet; cum virtute, gloria, rebus geſtis, Cn. Pompeius, omnium gentium, omnium ſaeculorum, omnis memoriae facile princeps, tuto ſe in ſenatum venire arbitraretur: tantus veſter conſenſus de ſalute mea fuit, vt, licet corpus abeſſet meum, dignitas iam in patriam reuertiſſet. quo quidem menſe, quid inter me & meus inimicos intereſſet, exiſtimare potuiſtis. ego meam ſalutem deſerui, ne propter me ciuium vulneribus reſp. cruentaretur; illi meum reditum non populi Ro. ſuffragijs, ſed flumine ſanguinis intercludendum putauerunt. itaque poſtea nihil uos ciuibus, nihil ſocijs, nihil regibus reſpondiſtis: nihil iudices ſententijs, nihil populus ſuffragijs, nihil hic ordo auctoritate declarauit; mutum forum, elinguem curiam, tacitam & fractam ciuitatem uidebatis. quo quidem tempore cum is exceſſiſſet, qui caedi & flammae vobis auctoribus reſtiterat, cum ferro, & facibus homines tota vrbe uolitantes, magiſtratuum tecta oppugnata, deorum templa inflammata, ſummi uiri, & clariſſimi conſulis faſces fractos, fortiſſimi, atque optimi uiri tribuni pl. ſanctiſſimum corpus non ſolum tactum, ac uiolatum manu, ſed uulneratum ferro, confectumq. uidiſtis, qua ſtrage nonnulli permoti magiſtratus, partim metu mortis, partim deſperatione reip. paullulum a me cauſſa receſſerunt: reliqui fuerunt, quos neque terror, nec uis, nec ſpes, nec metus, nec promiſſa, nec minae, nec tela, nec faces a ueſtra auctoritate, a populi Rom. dignitate, a mea ſalute depellerent.

EXPLA-

EXPLANATIO

NE MEAE *naturae potius,*] deprecatur naturae culpam: ne quis eum noluiſſe puter, quod praeſtare non potuerit. *Haec tenuimus,*] quae ſunt a parentibus tradita. CVIVS *honoribus*] populi Romani ſuffragijs mandabantur honores ij, quibus in curiam aditus patebat. IN *ampliſſimo conſilio, & in altiſſimo dignitatis gradu, atque in hac omnium terrarum arce.*] officium ſenatoris ab amplitudine rerum, de quibus deliberat, honorem ex eo, quia nulla dignitas in ciuitate praeſtantior; curiam ipſam ab omnium gentium perfugio deſcribit. QVOD *haec antea*] niſi deleatur, Quod, implicabitur ſententia. delere autem cur dubitem, cum antiquus liber optimi doctiſſimiq. viri Latini Latinij, coniecturam meam confirmet? PER *illos*] per populum Romanum per parentes, per deos immortales. REFERENTE] Kal. Iun. vt docet oratio pro Sextio. NINNIO,] Quadrato, tribuno pl. ex Dione. ET MAXIME *fidelem, & minime timidum, ſi dimicare placuiſſet, defenſorem ſalutis meae.*] eundē laudat his verbis in ea pro Sextio: Cuius in mea cauſſā numquā fides, virtusq. contremuit. SI DIMICARE *placuiſſet,*] non placuit Ciceroni; ne ſuos ciues, olim a ſe ſeruatos, & ſe ſeruare cupientes, ſeruis armatis obijceret. PER *eum tribunum pl.*] Aelium Ligurem, quia interceſſit. pro Sextio: Interceſſit Ligus iſte, neſcio qui, additamentum inimicorum meorum. PER *ſe*] homo ignobilis nullis opibus. SVB *alieno ſcelere*] P. Clodij quem ſecutus eſt in delenda rep. AB *ijs conſulibus,*] Piſone & Gabinio. VENDIDERANT,] Clodio, pactione prouinciarum qua ſceleris merces fuit. MALVERAM] quia cedere malui, quam dimicatione ſuſcepta patriam in diſcrimen adducere. OCTO *tribunos*] nam duo reliqui, Sex. Atilius Serranus, Num. Quinctius Gracchus, promulgare noluerunt. PROMVLGAVIT,] non dixit tulit, ſed promulgauit: ne legem Clodiam agnoſcere videatur, quam ſaepe legem eſſe negat. SI *reuixiſſent ij.*] ſocij Catilinae. VTRVMQVE *confeſſus eſt,*] quorum in altero ſuam improbitatem ſignificat, quia vitā illorū deſiderat: in altero periculum reip ex illorum vita, ſalutem ex meo reditu demonſtrat. MAGNO *in periculo remp. futuram,*] nā ſi hoſtes, atque interfectores reip. reuiuiſcunt, qui poteſt nō in magno reſp. periculo verſari? AVT *ego non reuertiſſem*] ipſis reuiuiſcentibus; vt remp. iterū contra perditos eorū conatus mea vigilantia tueri, & ſeruare poſſem. Non grauabor idē aperire pluribus verbis adoleſcentulorū gratia. Cū promulgaſſet Clodius tribunus pl. vt ſi reuixiſſent ij, quos cōiurationis crimine cōuictos capitali poena ſenatus affici voluerat, tū Cicero in patriā rediret; quod ideo Clodius in ſua lege poſuerat, vt omnē redeundi ſpem Ciceroni adimeret, data redeundi facultate cū ea re, quae fieri nullo modo poſſet: ex ijs verbis eā Cicero ſententiā elicit; quae ipsū Clodiū in odiū ſenatus adducat, ſibi autē gloriā vel maximā afferat. Cū hoc, inquit, Clodius dixit primum id confiteri viſus eſt, eorū a ſe vitam deſiderari, deinde illud magno remp in periculo futurā, ſi aut hoſtes reip. reuixiſſent, aut ego, ipſis reuiuiſcentibus non reuertiſſem Cum enim coniunxit haec, Vt ego tum redirem, cum ij reuixiſſent; id plane confiteri viſus eſt, meum reditum, ijs reuiuiſcentibus, eſſe neceſſarium; ne ſcilicet vulneri medicina deeſſet: ſiquidem ego remp contra perditos eorum conatus meo more defenderem. PRINCIPES *ciuitatis,*] Pompeium ſignificat: quia Clodij petitus inſidijs, domi tamdiu ſe tenuit quamdiu ille in tribunatu fuit. PARENTIBVS *perpetuis,*] quales eſſe conſules debent. plus autem praeſtare ſolet pater, quam tutor. PAENE *omnium*] duobus exceptis, Sex Atilio Serrano, Num. Quinctio Graccho. QVO *quidem menſe,*] Kal. Febr. Q Fabricius, princeps rogationis de Cicerone promulgatae, Roſtra, aliquanto ante lucem occupauit, vt rogationem perferret. tum Clodiani, cum forum, comitium curiam, multa de nocte armatis hominibus occupaſſent, impetu in Fabricium facto, manus attulerunt: occiderunt nonnullos, vulnerarunt multos, caedem in foro maximam fecerunt, ſic, vt ſpongijs e foro ſanguis effingeretur. pro Sextio. FLVMINE *ſanguinis*] ad Quirites: Corporibus ciuium trucidatis, flumine ſanguinis meum reditum intercludendum putauerunt. Tranſlatione rem amplificat, ex magna caede, multisq. vulneribus, & ſubiungit, Intercludendum ex eo quod accidere ſaepe ſolet, vt, qui aliquo iter habent, auctis fluminibus intercludantur. CVM *is exceſſiſſet.*] de ſe ipſo loquitur. RESTITERAT,] coniuratione oppreſſa. CLARISSIMI *conſulis*] Q. Metelli. TRIBVNI *pl.*] P. Sextij. TACTVM, *ac uiolatum manu,*] quod per ſacratas leges non licebat. VVLNERATVM *ferro*] infra: Quid de P Sextio loquar? qui ſuam erga me beneuolentiam, & fidem non ſolum animi dolore ſed etiam corporis vulneribus oſtendit. NONNVLLI *magiſtratus,*] non praetores, quos defenſores habuit ſeptem, ideſt omnes, vno excepto P. Clodij fratre Appio, vt infra patet, & in ea in Piſonem. aediles igitur, quaeſtoresq. ſignificat.

ORATIO

PRINCEPS P. Lentulus, parens, ac deus noſtrae uitae, fortunae, memoriae, nominis, hoc ſpecimen uirtutis, hoc iudicium animi, hoc lumen conſulatus ſui fore putauit, ſi me mihi, ſi meis ſi vobis, ſi reip. reddidiſſet. qui, ut eſt deſignatus, numquam dubitauit ſententiam de ſalute mea ſe & rep. dignā dicere. cum a tribuno pl.

no pl. vetaretur, cum praeclarum caput recitaretur, ne quis ad vos referret, ne quis decerneret, ne diſputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne ſcribendo adeſſet: totam illam clauſulam, vt ante dixi, proſcriptionem, non legem, putauit, qua ciuis optime de rep. meritus, nominatim, ſine iudicio, vna cum ſenatu reip. eſſet ereptus. vt vero iniit magiſtratum, non dicam quid egerit prius, ſed quid omnino egit aliud, niſi, vt, me conſeruato, veſtram in poſterum dignitatem, auctoritatemq. ſanciret? dij immortales, quantum mihi beneficium dediſſe videmini, quod hoc anno P. Lentulus conſul fuit: quanto maius dediſſetis ſi ſuperiore anno fuiſſet. nec enim eguiſſem medicina conſulari, niſi conſulari vulnere concidiſſem. audieram ex ſapientiſſimo homine, atque optimo ciue, & viro Q. Catulo, non ſaepe vnum conſulem improbum, duos vero numquam, excepto illo Cinnano tempore, fuiſſe. quare meã cauſſam ſemper fore firmiſſimam dicere ſolebat, dum vel vnus in rep. eſſet conſul. quod vere dixerat, ſi illud de duobus conſulibus, quod ante in rep. non fuerat, perenne, ac proprium manere potuiſſet. quod ſi Q. Metellus illo tempore conſul fuiſſet inimicus; dubitatis, quo animo fuerit in me conſeruando futurus, cum in reſtituendo auctorem fuiſſe, adſcriptoremq. videatis? ſed fuerunt duo conſules, quorum mentes anguſtae, humiles, prauae, oppletae tenebris, ac ſordibus, nomen ipſum conſulatus, ſplendorem illius honoris, magnitudinem tanti imperij, nec intueri, nec ſuſtinere, nec capere potuerunt; non conſules, ſed mercatores prouinciarum ac venditores veſtrae dignitatis. quorum alter a me Catilinam, amatorem ſuum, multis audientibus, alter Cethegum, conſobrinum ſuum, repoſcebat: qui me, duo ſceleratiſſimi poſt hominum memoriam non conſules, ſed latrones, non modo deſeruerunt, in cauſſa praeſertim publica, & conſulari, ſed prodiderunt, oppugnarunt, omni auxilio non ſolum ſuo ſed etiam veſtro, ceterorumq. ordinum ſpoliatum eſſe voluerunt. quorum alter tamen neque me, neque quemquam fefellit. quis enim vllam vllius boni ſpẽ haberet in eo, cuius primum tempus aetatis palam fuiſſet ad omnes libidines diuulgatum? qui ne a ſanctiſſima quidem parte corporis potuiſſet hominum impuram intemperantiam propulſare? qui cum ſuam rem non minus ſtrenue, quam poſtea publicam, confeciſſet, egeſtatem, & luxuriam domeſtico lenocinio ſuſtentauit? qui niſi in aram tribunatus confugiſſet, neque vim praetoris, nec multitudinem creditorum, nec bonorum proſcriptionem effugere potuiſſet? qua in magiſtratu niſi rogationem de piratico bello tuliſſet, profecto & egeſtate, & improbitate coactus piraticam ipſe feciſſet, ac minore quidem cum reip. detrimento, quam quod intra moenia nefarius hoſtis, praedoq. verſatus eſt. quo inſpectante, ac ſedente, legem tribunus pl. tulit, ne auſpicijs obtemperaretur, ne obnunciare concilio, aut comitijs, ne legi intercedere liceret. vt lex Aelia, & Fuſia ne valerent; quae noſtri maiores certiſſima ſubſidia reip. cõtra tribunicios furores eſſe voluerunt. idemq. poſtea, cum innumerabilis multitudo bonorum de Capitolio ſupplex ad eum ſordidata veniſſet, cumq. adoleſcentes nobiliſſimi, cunctiq. equites R. ſe ad lenonis impuriſſimi pedes abieciſſent: quo vultu cincinnatus ganeo non ſolum ciuium lacrumas, verum etiam patriae preces repudiauit? neque eo contentus fuit, ſed etiam in concionem adſcendit, eaq. dixit, quae, ſi eius vir Catilina reuixiſſet, dicere non eſſet auſus: ſe nouarum Dec. quae me conſule fuiſſent, cliuiq. Capitolini poenas ab equitibus R. eſſe repetiturum: neque ſolum id dixit, ſed, quos ei commodum fuit, compellauit: L. vero Lamiam, equitem R. praeſtanti dignitate hominem, & ſaluti meae pro familiaritate, reip. pro fortunis ſuis amiciſſimum, conſul imperioſus exire vrbe iuſſit: & cum vos veſtem mutandam cenſuiſſetis, cunctiq. mutaſſetis, atque idem omnes boni iam ante feciſſent, ille unguentis oblitus, cum toga praetexta, quam omnes praetores, aedileſq. tum abiecerant, irriſit ſqualorem veſtrum, & luctum grauiſſimae ciuitatis; fecitque, quod nemo umquam tyrannus; ut, quo minus occulte veſtrum malum gemeretis, nihil diceret; ne aperte incommoda patriae lugeretis, ediceret.

E X P L A N A T I O

PARENS, *ac deus*] ad Quirites: Parens, deus, ſalus noſtrae vitae, fortunae, memoriae. In Bruto. Publius ille noſtrarum iniuriarum vltor, auctor ſalutis. NON *ſaepe unum conſulem improbum, duos uero numquam, excepto illo Cinnano tempore fuiſſe.*] Cinnano tempore Cinna ipſe, & Papirius Carbo, improbiſſimi conſules fuere. Dictũ Catuli recitat in ea quoque pro Domo: O Q. Catule, tantũne te fefellit cũ mihi ſumma, & quotidie maiora praemia ĩ rep. fore putabas? negabas fas eſſe, duos cõſules eſſe in hac ciuitate inimicos reip. duo ſunt inuenti qui ſenatũ tribuno furenti conſtrictũ traderent. CONSVL *fuiſſet inimicus;*] qui mihi inimicus erat. infra: Q. Metellus, & inimicus, & frater inimici, perſpecta veſtra voluntate, omnia priuata odia depoſuit. Mendoſe ante pro, Inimicus, legebatur, Vnicus; quod ĩ nullo reperitur vetere libro: in eo, qui eſt apud Fuluiũ Vrſinũ, legitur. Non inimicus. cũ eo cõſentiunt Maſaciani omnes. vno excepto in quo eſt Conſul fuiſſet inimicus. quẽ ſecuti ſumus. QVORVM *alter*] Gabinius. AMATOREM *ſuum*,] virum Gabinij Catilinam paullo poſt appellat, & in orat. pro Domo, Gabinium Catilinae delicias. ALTER] Piſo. CETHEGVM,] vnum ex coniurationis principibus, qui decreto ſenatus cũ alijs quattuor in carcere ſtrangulatus eſt. CONSOBRINVM *ſuum*,] pro Domo. Conſules epulabantur, & in coniuratorũ gratulatione verſabantur: cum alter ſe Catilinae delicias, alter Cethegi conſobrinum fuiſſe diceret. CONSVLARI,] ad ipſos enim cõſules defenſio maxime ſalutis meae pertinebat: cũ ego cõſul res illas pro ſalute patriae geſſiſſem, quarum cauſſa vexari me iniquiſſime, & oppugnari a tribuno pl. videbant. in Piſonẽ. Cum enim eſſet omnis cauſſa illa mea cõſularis, & ſenatoria; auxilio mihi opus fuerat, & cõſulis & ſenatus. QVORVM *alter*] Gabinius. DOMESTICO *lenocinio*] egreſſus aetate puerili, cum ſe iam ad alienas libidines diuulgare non poſſet, domi ſuae lenocinium exercuit. NISI *in aram tribunatus confugiſſet,*] ad aram qui confugiunt, ſeruantur. portũ tribunatus, dixit pro Sextio. Qui olim, nẽ Scyllaeo illo

aeris alieni in freto ad colſinam adhaereſceret, in tribunatus portum perfugerat. De *Piratico bello,*] quod Pompeio mandauit. pro lege Manilia. Piraticam *ipſe feciſſet*] ſubuenit enim egeſtati ſuae, cum Pompeij legatus Piratico bello eſſet. pro lege Manilia. Versatvs *eſt.*] conſul. Tribvnvs *pl.*] Ne *auſpicijs obtemperaretur,*] quibus obtemperari lex Aelia iubebat. Aſconius in Piſonem. Obnvnciare] obnunciabat magiſtratus, qui de caelo ſeruauerat. Clodius autem, quo poſſet arbitratu ſuo, quandocumque vellet, exitioſas reip. leges ferre, ſuſtulit auſpicia, obnunciationem, interceſſionem. quam rem Cicero oſtendit in ea de Prouincijs, & in Piſonem. Concilio,] concilium dicitur, cum pars populi tantum coit comitijs autem coit vniuerſus. Lex. *Aelia, & Fuſia*] quę auſpicia, obnunciationem, interceſſionem confirmabant: ne pernicioſis legibus improbi tribuni pl. reip. nocere poſſent. Ad *eum veniſſet,*] in forum. Eaq. *dixit, quae ſi eius uir Catilina reuixiſſet dicere non eſſet auſus*] pro Sextio: Habet orationem talem conſul, qualem numquam Catilina victor habuiſſet. Nonarvm. dec.] quo die contra coniuratos actum eſt in ſenatu. Clivi. *Capitolini*] equeſter ordo, cum in templo Concordiae, ſententiae dicerentur de ſupplicio coniuratorum, cliuum Capitolinum praeſidij cauſſa cum gladijs occupauit. infra: Dixerat in concione conſul, ſe cliui Capitolini poenas ab equitibus Romanis repetiturum. Pro Sextio: Equites Romanos daturos illius diei pœnas, quo me conſule cum gladijs in cliuo Capitolino fuiſſent. Qvos *ei commodum fuit*] quos ei libuit. hoc enim ſenſu ſaepe ita loquitur Cicero. Compellavit] nominatim appellauit, & ſermone deterruit. infra: Alij compellabantur, alij citabantur, alij relegabantur. L. Lamiam,] pro Sextio: L. Lamiam in concione relegauit: edixitq. vt ab vrbe abeſſet millia paſſuum ducenta, quod eſſet auſus pro ciue, pro benemerito ciue, pro amico, pro rep. deprecari. Praestanti *dignitate hominem,*] hoc addit, quia non ſolum eques Romanus, ſed princeps etiam erat equeſtris ordinis: vt in ep. ad D. Brutum: Clodianis temporibus, cũ equeſtris ordinis princeps eſſet, proq. mea ſalute acerrime propugnaret, a Gabinio conſule relegatus eſt. Pro *fortunis ſuis*] quorum amplæ fortunæ ſunt, ij præſentem reip. ſtatum amant, nouari nihil volunt: qui vero ſunt a fortunis, rebusq. domeſticis imparati, ijs reſp. cara nõ eſt: quęrunt. n. nouitatem rerum, vel cũ publica pernicię; vt ſuis priuatis vulneribus medeantur. Vt, *quo minus occulte ueſtrum malum gemeretis, nihil diceret;*] vt pro rep. & pro ſalute mea nihil diceret. ſic enim effeciſſet, ne veſtrum malum occulte gemeretis. quod efficere non potuit, quamquam edixerit, ne palam, veſte mutata, incõmoda patriæ lugeretis.

ORATIO

CVm vero in circo Flaminio non a tribuno pl. conſul in concionem, ſed a latrone archipirata productus eſſet; primum proceſſit, qua auctoritate vir? vini, ſomni, ſtupri plenus, madenti coma, compoſito capillo, grauibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce, & temulenta: quod in ciues indemnatos eſſet animaduerſum, id ſibi dixit, grauis auctor, vehementiſſime diſplicere. vbi nobis haec auctoritas tam diu tanta latuit? cur in luſtris, & beluationib. huius calamiſtrati ſaltatoris tam eximia uirtus tam diu ceſſauit? nam ille alter Caeſoninus Caluentius ab adoleſcentia verſatus eſt in foro. cum eum, praeter ſimulatam, verſutamq. triſtitiam nulla res commendaret, non conſulis ſtudium, non diſcendi initia rei militaris, non cognoſcendorum hominum, non liberalitas. quem praeteriens cum incultum, horridum, maeſtumq. vidiſſes, etiam ſi agreſtem, & inhumanum exiſtimares, tamen libidinoſum, & perditum non dubitares. cum hoc homine, aut cum ſtipite Aethiope ſi in foro conſtitiſſes, nihil crederes intereſſe: ſine ſenſu, ſine ſapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres. idem domi quam libidinoſus, quam impurus, quam intemperans non ianua receptis, ſed pſeudotyro intromiſſis voluptatibus? cum vero etiam litteras ſtudere incipit, & beluo immanis cum Græculis philoſophari; tum eſt Epicureus, non penitus illi diſciplinae, quaecumque eſt, deditus, ſed captus uno uerbo voluptatis. habet autem magiſtros, non ex iſtis ineptis, qui dies totos de officio, ac de virtute diſſerunt, qui ad laborem, ad induſtriam, ad pericula pro patria ſubeunda adhortantur; ſed eos, qui diſputent horam nullam vacuam voluptate eſſe debere, in omni parte corporis ſemper oportere aliquod gaudium delectationemq. verſari. his vtitur quaſi praefectis libidinum ſuarum; hi voluptates omnes veſtigant, atque odorantur; hi ſunt conditores, inſtructoreſque conuiuij: ijdem expendunt, atque aeſtimant voluptates, ſententiamque dicunt, & indicant, quantum cuique libidini tribuendum eſſe videatur: horum ille artib. eruditus, ita contempſit hanc prudentiſſimam ciuitatem, vt omnes ſuas libidines, omnia flagitia latere poſſe arbitraretur, ſi modo vultum importunum in forum detuliſſet. is non me, (quamquam equidem non cognoram eum propter Piſonum affinitatem, quem longe hinc ab hoc genere cognatio materna tranſalpini ſanguinis abſtuliſſet) ſed vos, populumque R. non conſilio, neque eloquentia, quod in multis ſaepe accidit, ſed rugis, ſuperciliog. decepit. L. Piſo tu ne auſus es iſto oculo, non dicam iſto animo, iſta fronte, non vita; tanto ſupercilio, non .n. poſſum dicere tantis rebus geſtis, cum Gabinio conſociare conſilia peſtis meae? non te illius unguentorum odor, non vini anhelitus, non frons calamiſtri notata veſtigijs in eam cognitionem adducebat, vt, cum illius re ſimilis fuiſſes, frontis tibi in tegumento ad occultanda tanta flagitia diutius vti non liceret? cum hoc coire auſus es, vt conſularem dignitatem, vt reip. ſtatum, vt ſenatus auctoritatẽ, vt ciuis optime meriti fortunas prouinciarum foedere addiceres? te conſule, tuis edictis, & imperijs ſenatui, populoque R. non eſt licitum non modo ſententijs, atq. auctoritate ſua, ſed ne luctu quidem, ac veſtitu reip. ſubuenire. Capuae ne te putabas, in qua vrbe domicilium quondam ſuperbiae fuit, conſulem eſſe, ſicut eras eo tempore, an Romae, in qua ciuitate omnes

ante

ante vos conſules ſenatui paruerunt? tu es auſus in circo Flaminio, productus cum tuo illo pari, dicere, te ſemper miſericordem fuiſſe? quo verbo ſenatum, atque omnes bonos tum, cum a patria peſtem expellerent, crudeles demonſtrabas fuiſſe. tu miſericors me, affinem tuum, quem comitijs praerogatiuae primum cuſtodem praefeceras, quem Kal. Ian. tertio loco ſententiam rogaras, conſtrictum inimicis reipub. tradidiſti: tu meum generum, propinquum tuum, tu affinem tuam, meam, filiam ſuperbiſſimis, & crudeliſſimis verbis a genibus tuis repuliſti: idemq. tu clementia, ac miſericordia ſingulari, cum ego vna cum rep. non tribunicio, ſed conſulari ictu concidiſſem, tanto ſcelere, tantaq. intemperantia fuiſti, vt ne vnam quidem horam intereſſe pattere inter meam peſtem, & tuam prædam, ſaltem dum conticeſceret illa lamentatio, & gemitus vrbis. nondum palam factum erat concidiſſe remp. cum tibi arbitria funeris ſoluebantur: vno eodemq. tempore domus mea diripiebatur, ardebat: bona ad vicinum conſulem de Palatio, de Tuſculano ad item vicinum alterum conſulem deferebantur: cum, iiſdem operis ſuffragium ferentibus, eodem gladiatore latore, vacuo non modo a bonis, ſed etiam a liberis, atque inani foro, ignaro populo R. quid ageretur, ſenatu vero oppreſſo, & afflicto, duobus impijs, nefarijſque conſulibus aerarium, prouinciae, legiones, imperia donabantur, horum conſulum ruinas vos conſules veſtra virtute fulſiſtis, ſumma tribunorum pl. prætorumq. fide, & diligentia ſubleuati.

EXPLANATIO

MADENTI *coma*.] ſupra, Vnguentis oblitus. FLVENTIBVS *buccis*.] in Piſonem: Erant illi compti capilli & madentes cincinnorum fimbriæ & fluentes, cerusſataq. buccæ. CALAMISTRATI.] calamiſtrata coma, capillo calefacta acu intorto. infra: Frons Calamiſtri notata veſtigijs. SALTATORIS.] ſaltandi ſtudium, quod Romæ turpe erat, ſæpe obijcit Gabinio. Aemilius Prob. in Epaminonda. Scimus muſicen noſtris morib. abeſſe a principis perſona, ſaltare etiã in vitijs poni. CAESONINVS *Caluentius*] L. Piſo: qui Caeſonini cognomen a patre, Caluentij autem nomen a patris ſocero accepit: vt ei Cicero per ignorantiam obijcit, quã reuera Calpurniae gentis erat Piſo. vide Pedianum. NON *conſulis ſtudium*,] non caret vitio locus. quo enim pertinet conſulis mentio? quid prodeſt agentib. in foro cauſſas conſulis ſtudiũ? legerem conſulendi: vt ſubaudiatur, iuriſconſultos. ad eos n. ventitare ſolebant adoleſcentes: vt, cognito iure ciuili, cauſſis prudẽter, ac perite agendis, bonorũ oratorũ nomen adipiſcerẽtur. Antiquus liber habet, Non conſu. ſtudiũ, non rei militaris. CVM *ſtipite Aethiope*] in, ſtipite ſtuporem Piſonis, in, Aethiope, deformitatem notat, coloremq. ſeruilem. Sic in oratione: Non n. nos color iſte ſeruilis, non piloſae genae, non dentes putridi deceperunt. Et ibidẽ: Obrepſiſti ad honores errore hominum, cõmendatione fumoſarũ imaginũ, quarũ ſimile hẽs nihil præter colorem. Et: Colore ipſo patriam aſpernaris, moribus nomen. NEGLECTVM.] mendi ſuſpicionem afferunt duo veteres libri, in quibus eſt, Negotium. CAPPADOCEM] ſeruum ex ijs vnũ, qui ex Cappadocia ad vrbem aduehebãtur. NON *ianua receptis, ſed pſeudothyro intromiſſis voluptatibus.*] non palam intemperans, ſed occulte. QVAE CVIVSQVE ESSET,] licet non bona ſit. NON *ex iſtis ineptis*,] loquitur ex perſona Piſonis, cui, qui dies totos de officio, ac de virtute diſſererent, inepti homines videbantur. IS NON *me*,] me quidem non decepit, ſed vos, populumque Romanum, qui conſulem creauiſtis. PROPTER *Piſonum affinitatem*.] cum eſſem affinis Piſonum, propter filiam meam C. Piſoni collocatam; cum tamen non cognorã. qualis eſt: quippe cum a Piſonum moribus diſceſſiſſet, cognatione materna, tranſlatus ad alios mores. Matris autẽ Piſonis Caluentius quidam, trãſalpinus homo, qui profectus in Italiam Placentiæ conſedit, pater fuit. LONGE *intus*] longe ab vrbe Roma, in Galliam ſcilicet; id eſt, ad Gallicos mores. ISTO *oculo*,] vitiũ in altero Piſonis oculo fuiſſe, cum hic locus indicat, tum illo in oratione pro Sextio: Tanta erat grauitas in oculo, tanta frontis contractio. CVM *illius te ſimilis fuiſſes*:] in pernicie mea. FRONTIS *tibi integumento*] quam enim tibi ſeueritatis & integritatis opinionem frons afferebat, eam, conſociatis cum Gab. peſtis meæ conſilijs, prorſus amittebas; eius enim vnguentorũ odor, vini anhelitus, frons calamiſtri notata veſtigijs cum tua ſeuera fronte minime congruebant, ſed te quoque talem in flagitijs eſſe, quãquam ſimulares, oſtendebãt. AD *occultanda tanta flagitia*] quæ occultare antea frontis integumento ſolitus eras. ADDICERES?] tribuno pl. Clodio. NE *luctu quidem, ac veſtitu*] edixit n. Piſo cum Gabinio collega, vt ſenatus, qui S.C. veſtem mutauerat, ad veſtitum rediret. pro Sextio, in Piſonem. CONSVLEM *eſſe ſicut eras eo tempore*,] duumuir Piſo Capuae erat, in colonia nuper conſtituta; & eodem anno conſul Romæ, ideo in orat. pro Domo: Campanum illum conſulem cum ſaltatore collega. Et in Piſonem: Seplaſia, te vt primũ adſpexit, Campanum conſulem repudiauit. PRODVCTVS] a P. Clodio tribuno pl. CVM *tuo illo pari*,] cum Gabinio collega, tui ſimillimo. Sicut orat. in Piſonem: Edicere eſt auſus cum illo ſuo pari, quẽ tamen omnibus vitijs ſuperare cupiebat, vt ſenatus, contra quam ipſe cenſuiſſet, ad veſtitum rediret. TE SEMPER *miſericordem fuiſſe*?] dixit in concione, crudelitatẽ ſibi non placere: vt eſt in oratione contra ipſum: fortaſſe & hoc addidit, ſe miſericordem ſemper fuiſſe: quod quidẽ ex hoc loco licet intelligere. CVM *a patria peſtem expellerent*,] cum in coniuratos animaduerterent. AFFINEM *tuum*,] ob filiam C. Piſoni collocatam. COMITIIS] quibus conſulatum Piſo petijt. PRAEFECERAS,] vt primus cuſtos eſſem in prærogatiua centuria, ne qua fraus committeretur. iudicium n. prærogatiuae tota comitia ſequebantur. TERTIO *loco*] primum fortaſſe, abſente C. Cæſare genero ſuo, Cn. Pompeium, alterum M. Craſſum, tertium Ciceronem rogauit. in Piſone: Cuĩ primam comitijs

mitijs tuis dederas tabulam praerogatiuae, quem in ſenatu ſententiā rogabas tertiū. CLEMENTIA, *ac miſericordia ſingulari.*] ironia: quia dixerat Piſo in concione, ſe miſericordem ſemper fuiſſe. NE *vnam quidem horam*] Clodius enim, cū rogationem de Cicerone tuliſſet, ſtatim de prouincijs tulit, ut Macedoniā Piſo, Syriam Gabinius adminiſtraret vnde illud in Piſonem: Eodem in templo, eodē & loci veſtigio, & temporis, arbitria non mei ſolum, ſed patriae funeris abſtuliſti. Et pro Sextio: Illo ipſo die, die dico? immo hora, atque etiam puncto temporis eodem mihi reiq. pub. pernicies, Gabinio & Piſoni prouincia rogata eſt. ILLA *lamentatio,*] de me expulſo. CONCIDISSE *rem.*] Lata de Cicerone rogatione. ARBITRIA] praemia: vt pro Domo Arbitria petentes funeris. Et in Piſonem: Eodem in templo, eodem & loci veſtigio, & temporis, arbitria non mei ſolum, ſed patriae funeris abſtuliſti. FVNERIS] reip. dixit enim, Concidiſſe remp. AD *vicinum conſulem*] Piſonem. vide orationem in ipſum. AD *item vicinum alterum conſulem*] Gabinium, qui fundum habebat in Tuſculano, vbi poſtea villam ingentem exſtruxit, de qua in orat. pro Domo, pro Sextio, in Piſonem.

ORATIO

QVID ego de praeſtantiſſimo viro T. Annio dicam? aut quis de tali ciue ſatis digne vmquam loquetur? qui cum videret, ſceleratum ciuem, aut domeſticum potius hoſtem, ſi legibus uti liceret, iudicio eſſe frangendum; ſin ipſa iudicia vis impediret, ac tolleret, audaciam virtute, furorem fortitudine, temeritatem conſilio, manum manu, vim vi eſſe ſuperandam: primo de vi poſtulauit: poſtea quam ab eodem iudicia ſublata eſſe vidit, ne ille omnia vi poſſet efficere, curauit: qui docuit, neque tecta, neque templa, neque forum, neque curiam ſine ſumma virtute, ac maximis opibus, & copijs ab inteſtino latrocinio poſſe defendi: qui primus poſt meum diſceſſum metum bonis, timorem huic ordini, ſeruitutem depulit ciuitati. Quam rationem pari virtute, animo, fide P. Sextius ſecutus, pro mea ſalute, pro ueſtra auctoritate, pro ſtatu ciuitatis nullas ſibi inimicitias, nullam vim, nullos impetus, nullum vitae diſcrimen vitandum vmquam putauit: qui cauſſam ſenatus, exagitatam concionibus improborum, ſic ſua diligētia multitudini commendauit, vt nihil tam populare, quam veſtrum nomen, nihil tam omnibus carum aliquādo, quam veſtra auctoritas, videretur: qui me cum omnibus rebus, quibus tribunus pl. potuit, defendit, tum reliquis officijs iuxta, ac ſi meus frater eſſet, ſuſtentauit: cuius ego clientibus, libertis, familia, copijs, litteris ita ſum ſuſtentatus, vt meae calamitatis non adiutor ſolum, verum etiam ſocius videretur. Iam ceterorum officia ſtudiaq. vidiſtis: quam cupidus mei C. Sextilius, quam ſtudioſus veſtri, quam non varius fuerit in cauſſa. Quid M. Ciſpius? cui ego ipſi, parenti, fratriq. eius ſentio quantum debeam: qui, cum a me voluntas eorum in priuato iudicio eſſet offenſa, publici mei beneficij memoria priuatam offenſionem obliterauerunt. Iam T. Fadius, qui mihi quaeſtor fuit, M. Curtius, cuius ego patri quaeſtor fui, ſtudio, amore, animo huic neceſſitudini non defuerunt. Multa de me C. Meſſinius & amicitiae, & reip. cauſſa dixit: legem ſeparatim initio de ſalute mea promulgauit Q. Fabricius ſi, quae de me agere conatus eſt, ea contra vim, & ferrum perficere potuiſſet, menſe Ianuario noſtrum ſtatum recuperaſſemus: quem ad ſalutem meam voluntas impulit, vis retardauit, auctoritas veſtra reuocauit. Iam vero praetores quo animo in me fuerint, vos exiſtimare potuiſtis, cum L. Caecilius priuatim me ſuis omnibus copijs ſtuduerit ſuſtentare, publice promulgarit de ſalute mea cū collegis paene omnibus, direptoribus autem meorum bonorum in ius adeundi poteſtatem non fecerit. M. autem Calidius, ſtatim deſignatus, ſententia ſua, quam eſſet cara ſibi mea ſalus, declarauit. Omnia officia C. Septimij, Q. Valerij, P. Craſſi, Sex. Quinctilij, & C. Cornuti ſumma & in me, & in remp. conſtiterunt.

EXPLANATO

IVDICIA *ſublata eſſe*] ſignificat illud, quod eſt in ea pro Sextio: Ecce tibi conſul, praetor, tribunus pl. noua noui generis edicta proponunt: ne reus adſit, ne citetur: ne qua eratur: ne mentionem omnino cuiquā iudicum, aut iudiciorum facere liceat. NE ILLE *omnia vi poſſet efficere, curauit:*] ſuam enim vim aliquanto firmiorem oppoſuit. pro Sextio. M. CISPIVS?] ſic repoſui, cum legeretur, Moſopius: quam mihi coniecturā attulit eiuſdē, vt arbitror, Ciſpij mentio in oratione pro Plancio. PVBLICI *beneficij memoria priuatam offenſionem obliterauerunt.*] hoc eſt, quod ait de eodem Ciſpio in orat. pro Plancio. An ego, qui meorū lacrumis, me abſente, commotus, ſimultates, quas mecū habebat, depoſuiſſet, meaeq. ſalutis non modo nō oppugnator, vt inimici mei putarant, ſed etiā defenſor fuiſſet, huius in periculo non dolorem meum ſignificarem? QVI *mihi quaeſtor fuit.*] in conſulatu. M. CVRTIVS,] quidam libri, Curius, vtrum rectius, quis diuinet? ſed ſi, Curius; Marci praenomen in Manij mutarem, proprium Curiae gentis: & a M. minimum differt M. CVIVS *ego patri quaeſtor fui,*] valde hic haereo. huic enim Curio, neque conſuli, qui cōſulatū numquā geſſit, neque prouinciam aliquā poſt praeturā adminiſtranti quaeſtor eſſe Cicero potuit, quē ſcimus quaeſtorē Sex Peducaeo in Sicilia fuiſſe. SEPARATIM] a collegis. INITIO] cum primum tribunatum inijt. QVAE *de me agere conatus eſt,*] legem enim promulgauit: ne perferret, Clodiana vis obſtitit. CVM *collegis paene omnibus,*] vno excepto Appio, Clodij fratre. in Piſonem: De me cū omnes magiſtratus promulgaſſent, praeter vnū praetorē, a quo nō fuit poſtulandum, fratrem inimici mei, praeterq. duos de

lapide emptos tribunos pl. legē comitijs centuriatis tuli, P. Lentulus conſul. Et pro Milone: Septem praetores, octo tribuni pl. illius aduerſarij, defenſores mei. Hic quoque ſeptem praetores nominantur. Quibus locis de toto praetorum numero admonemur. M. CALLIDIVS,] orator optimus, niſi vis ei dicendi abfuiſſet. vide in Bruto.

ORATIO

QVAE cum libenter commemoro, tum non inuitus nonnullorum in me nefarie commiſſa praetereo. non eſt mei temporis, iniurias meminiſſe: quas ego, etiam ſi vlciſci poſſem, tamen obliuiſci mallem. alio transferēda mea tota vita eſt, vt bene de me meritis referam gratiam, cum apertis hoſtibus bellum geram, timidis amicis ignoſcam, proditores meos non indicem, dolorem profectionis meae reditus dignitate conſoler. quod ſi mihi nullum aliud eſſet officium in omni vita reliquum, niſi vt erga duces ipſos, & principes, atque auctores ſalutis meae ſatis gratus iudicarer, tamē exiguum reliquae vitae tempus non modo ad referendam, verum etiam ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem. quando enim ego huic homini, ac liberis eius, quando omnes mei gratiam referent? quae memoria, quae vis ingenij, quae magnitudo obſeruantiae tot tantisq. beneficijs reſpondere poterit? qui mihi primus afflictā & iacenti conſularem fidem, dexteramq. porrexit: qui me a morte ad vitam, a deſperatione ad ſpem, ab exitio ad ſalutem reuocauit: qui tanto amore in me, ſtudia in remp. fuit, vt excogitaret, quemadmodum calamitatem meam non modo leuaret, ſed etiam honeſtaret. quid enim magnificētius, quid praeclarius mihi accidere potuit, quam, quod illo petente vos decreuiſtis, vt cuncti ex omni Italia, qui remp. ſaluam vellent, ad me vnum, hominem fractum, & prope diſſipatum, reſtituendum, & defendendum venirent? vt, qua voce a te Romule poſt Romam conditam conſul vſus eſſet pro vniuerſa rep. apud eos ſolum, qui eius vocem exaudire poſſent, eadem voce ſenatus omnibus agris, vicis, atque opidis ciue, totamq. Italiam ad vnius ſalutem defendendam excitaret. Quid ego glorioſius meis poſteris potui relinquere, quam hoc, ſenatum iudicaſſe, qui ciuis me non defendiſſet, eum remp. ſaluam noluiſſe? itaque tantum veſtra auctoritas, tantum eximia cōſulis dignitas voluit, vt omne is flagitium ſe committere putaret ſi quis non veniret. Idemq. conſul, cum illa incredibilis multitudo Romam, & paene Italia ipſa veniſſet, vos frequentiſſimos in Capitolium conuocauit. quo tempore quantam vim vera bonitas haberet, aut vera nobilitas, intelligere potuiſtis. nam Q. Metellus, & inimicus, & frater inimici, perſpecta veſtra voluntate, omnia priuata odia depoſuit: quem P. Seruilius, vir cum clariſſimus, tum vero optimus, mihiq. amiciſſimus, & auctoritatis, & orationis ſuae diuina quadam grauitate ad ſui generis, communisq. ſanguinis facta, virtutesq. reuocauit; vt haberet in conſilio & fratrem ab inferis, ſocium rerum mearum, & omnes Metellos, praeſtantiſſimos ciues, paene ex Acheronte excitatos; in quibus Numidicum illum, cuius quondam de patria diſceſſus honeſtus ipſi, bonis omnibus tamen luctuoſus viſus eſt. itaque fuit is non modo ſalutis defenſor, qui ante hoc vnum beneficium fuerat inimicus, verū etiam adſcriptor dignitatis meae. quo quidem die cum CDX ſenatores eſſetis, magiſtratusq. omnes adeſſent, diſſenſit vnus, is qui ſua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat. atque illo die, quo remp. meis conſilijs conſeruatam grauiſſimis verbis, & plurimis iudicaſſetis, idem conſul curauit, vt eadem a principibus ciuitatis in concione poſtero die dicerentur: cum quidem ipſe egit ornatiſſime cauſſam meam, perfecitque, adſtante, atque audiente Italia tota, vt nemo cuiuſquam conducti, aut perditi vocem acerbam, atque inimicam bonis poſſet audire. Ad haec non modo adiumenta ſalutis, ſed etiam ornamenta dignitatis meae reliqua vos ijdem addidiſtis: decreuiſtis, ne quis vlla ratione rem impediret; qui impediſſet, grauiter moleſteque laturos; illum contra remp. ſalutemque bonorum, concordiamq. ciuium facturum; & vt ad vos ea ſtatim referrentur: meq. etiam, ſi diutius calumniarentur, redire iuſſiſtis. Quid? vt agerentur gratiae, qui e municipijs veniſſent. quid? vt ad illam diem, res cum rediſſent, rogarentur, vt pari ſtudio conuenirent. Quid denique illo die, quem P. Lentulus mihi, fratriq. meo, liberisq. noſtris natalem conſtituit, non modo ad noſtram, verum etiam ad ſempiterni memoriam temporis? quo die nos comitijs centuriatis, quae maxime maiores iuſta dici haberiq. voluerunt, accerſiuit in patriam: vt eaedem centuriae, quae me conſulem fecerant, conſulatum meum comprobarent. quo die quis ciuis fuit, qui fas eſſe putaret, quacumque aut aetate, aut valetudine eſſet, non ſe de ſalute mea ſententiam ferre? quando tantam frequentiam in campo, tantum ſplēdorem Italiae totius, ordinumq. omnium, quando illa dignitate tot rogatores, diribitores, cuſtodesq. vidiſtis? itaque P. Lentuli beneficio excellenti, atque diuino non ſolum reducti ſumus in patriam, ſicut nonnulli clariſſimi viri, ſed equis inſignibus, & curru aurato reportati.

EXPLANATIO

HVIC *homini,*] patet ex ijs, quae ſequuntur, ſignificari P Lentulum conſulem. QVI *remp. ſaluam vellent,*] in Piſonem: Ad meam vnius hominis ſalutem ſenatus auxiliū omniū, cuncta ex Italia, qui remp ſaluam eſſe vellent, cōſulis voce & litteris implorandū putauit. Et pro Domo. QVA *voce a te Romule poſt Romam conditam conſul vſus eſſet pro vniuerſa rep.*] quid opus eſt, A te Romule, cum ſequatur, Poſt vrbē cōditam? vidit mendū Vbaldinus Bandinellus, cuius in hac emendandi ratione excelluit induſtria: videnr, opinor, omnes, qui iudicio aliquid valent. Sed profecto, quod ſincerū nō eſt, id videre multo procliuius eſt, quā corrigere legebat Vbaldinus, Qua voce antea ſemel: alij, Qua

voce

voce ter omnino: ſatis longe, vt mihi videtur, vterque a vetere ſcriptura: veruntamen concedamus alijs, quod ipſi nobis nõ concedimus, vt coniectura liberior eſſe poſſit: rẽ ipſã ponderemus. Videtur Vbaldinus, cum, ſemel, reponendũ putauit, de vno cõſule P. Valerio Poplicola cogitaſſe: qui, cũ Ap. Herdonius noctu Capitolium arcemq. cũ exſulibus, & ſeruis occupaſſet ipſe pro imperio conſulari, nullo S.C. nullo populi iuſſu, in cõcione illa dixit, quae ſcripra ſunt apud Liuiũ lib III. ſe arma capere: vocare omnes Quirites ad arma: Si quis impediat, iam ſe, conſularis imperij, iã tribuniciae poteſtatis, ſacratarumq. legum oblitum, quiſquis ille ſit, vbicũque ſit, in Capitolio, in foro, pro hoſte habiturũ. Quid vero ij, qui, Ter, maluerunt, quam, ſemel, ſpectarunt? tria ſcilicet tẽpora, vnũ Poplicola cõſule, alterũ L. Opimio, qui Gracchum occidit, tertium C. Mario, qui Saturniũ tribunum pl. & Glauciam praetorem. Vtra igitur opinio ad Ciceronis mentem propius accedit, nihil decerno, tantum aliquid dicam veritatis indagandae gratia. Mihi de vno potius conſule Poplicola, quã de Opimio ſimul, & Mario, loqui Cicero videtur. nam ea maior eſt laus, vt, cum ſemel tantũ, non ter, poſt vrbẽ cõditam conſul eos, qui exaudire poſſent, pro vniuerſa rep. ad arma vocauerit, ſenatus ad vnius ſalutẽ defendendam omnibus agris, vicis, opibus ciues, totamq. Italiam excitaret: vt comparetur ſenatus factum pro vno ciue reſtituendo cũ conſulis facto pro vniuerſa rep. liberanda, quod ſingulare tamẽ fuerit poſt vrbem cõditam. Attigit eandẽ rem in oratione pro Sextio, & in Piſonem Q. METELLVS,] alter conſul FRATER *inimici*,] P. Clodij: vel quia Metellus Clodia, vel quia Clodius Metella natus eſſet. ſic pro Domo & in ep. ad Att. fratres vocantur. DIVINA *quadam grauitate*] de eodem in ea pro Domo: Cuius ſi etiam vim, & grauitatem illam ſingularem ac paene diuinam aſſequi poſſem. FRATREM] Q. Metellum Celerem ep. 1. 2. 3. lib. v. Fam. DISSENSIT *vnus*,] P. Clodius de Haruſp. reſp. & pro Sextio. IS, QVI *ſua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat.*] ſcripſerat enim in lege, vel certe promulgarat, (nam legem ſcripſit Sex. Clodius) vt, ſi reuixiſſent ij, quos Cicero indicta cauſſa condemnarat, tum in patriam rediret. CALVMNIARENTVR,] aſtute rem producerent. id enim interdũ eſt, calumniari vnde illud in ep. ad Lentulum: Res ab aduerſarijs noſtris extracta eſt varijs calũnijs. Et pro Sextio cum omni mora, ludificatione, calumnia ſenatus auctoritas impediretur. RES *cum rediſſent*,] legendum videtur, Ad res cum rediſſent: ideſt, ad ſua negotia. id colligitur ex ea pro Sextio, in qua idem dicitur his verbis: Decreuit eodem tempore ſenatus, vt ijs, qui ex tota Italia ſalutis meae cauſſa conuenerant, agerentur gratiae; atque vt ijdem ad res redeuntes, vt venirent, rogarentur. ILLA *dignitate*] qui ſenatores fuerunt: vt in Piſonem. ROGATORES,] eos, qui rogarunt populum Romanum pro ſalute Ciceronis. DIRIBITORES,] qui ſuffragiorum tabulas diſtribuerunt. CVSTODES] tabellarum. Locum huic ſimillimum ex ea in Piſonem recitare non grauabor. Ex vobis, inquit, audio, nemini ciui vllam, quo minus adeſſet, ſatis iuſtam excuſationẽ eſſe viſam; nullis comitijs vnquam neque multitudinem hominum tantam, neque ſplendidiorem fuiſſe. hoc certe video, quod indicant publicae tabulae, vos rogatores, vos diribitores, vos cuſtodes fuiſſe tabellarum.

ORATIO

POSSVM *ego ſatis in Cn. Pompeium vnquam gratus videri? qui non ſolum apud vos, qui omnes idem ſentiebatis, ſed etiam apud vniuerſum populum R. ſalutem reip. & conſeruatam per me, & coniunctam eſſe cum mea dixerit: qui cauſſam meam prudentibus commendarit, imperitos edocuerit, eodemq. tempore improbos auctoritate ſuá compreſſerit, bonos excitarit: qui populum R. pro me, tamquam pro fratre, aut pro parente, non ſolum hortatus ſit, verum etiam obſecrarit: qui ipſe cum propter metum dimicationis, & ſanguinis domo ſe teneret, etiam a ſuperioribus tribunis petiuit, vt de ſalute mea & promulgarent, & referrent: qui, in colonia nuper conſtituta cum ipſe gereret magiſtratum, in qua nemo erat emptus interceſſorum, vim & crudelitatem priuilegii, auctoritate honeſtiſſimorum hominum, & publicis litteris conſignauit, princepsq. Italiae totius praeſidium ad noſtram ſalutem implorandum putauit: qui, cum ipſe mihi ſemper amiciſſimus fuiſſet, etiam vt ſuos neceſſarios mihi amicos redderet, elaborauit. Quibus autem officiis T. Annii beneficia remunerabor? cuius omnis actio, ratio, cogitatio, totus denique tribunatus nihil aliud fuit, niſi conſtans, perpetua, fortis, inuicta defenſio ſalutis meae. Quid de P. Sextio loquar? qui ſuam erga me beneuolentiam & fidem non ſolum animi dolore, ſed etiam corporis vulneribus oſtendit.*

EXPLANATIO

DOMO *ſe teneret*;] quamdiu Clodius tribunus. pl. fuit. REFERRENT:] in ſenatu: quod lex Clodia vetabat: retulit L. Ninnius: vt in ea pro Sextio. IN. *Colonia*] Capuae. NVPER *conſtituta*] a C. Caeſare conſule anno ſuperiore. MAGISTRATVM,] duumuiratum, collega L. Piſone conſule. vnde illud ſupra: Capuae ne te putabas eo tempore conſulem eſſe, ſicut eras, an Romae? Et in ea pro Domo, & in Piſonem. NEMO *erat emptus interceſſorum*.] hoc in Aelium Ligurem tribunum pl. conijcit; qui Kalendis Iun. referente L. Ninnio de Cicerone reuocando, emptus a Clodio, interceſſit. PRIVILEGII,] Clodij legem qua pulſus eſt, inuidiae cauſſa priuilegium vocat. pro Domo: Vetant leges ſacratae, vetant xij. tabulae, leges priuatis hominibus irrogare: id eſt enim priuilegium. CONSIGNAVIT,] teſtatam eſſe voluit, ad Clodiani ſceleris memoriam.

ORATIO

VOBIS vero P. C. ſingulis & egi, & agam gratias vniuerſis. egi initio, quantum potui: ſatis ornate agere nullo modo poſſum. &, quamquam ſunt in me praecipua merita multorum, quae ſileri nullo modo poſſunt: tamen huius temporis, ac timoris mei non eſt, conari commemorare beneficia in me ſingulorum. nam difficile eſt non aliquem, nefas quemquam praeterire. ego vos vniuerſos, P. C. deorum numero colere debeo. ſed vt in ipſis dijs immortalibus non ſemper eoſdem, atque alios alias ſolemus & venerari, & precari: ſic in omnibus de me diuinitus meritis omnis erit aetas mihi ad eorum erga me merita praedicanda, atque recolenda. hodierno autem die nominatim a me magiſtratibus ſtatui gratias eſſe agendas, & de priuatis vni. qui pro ſalute mea municipia, coloniasq. adiſſet, populum R. ſupplex obſecraſſet, ſententiam dixiſſet eam, quam vos ſecuti, mihi dignitatem meam reddidiſtis. Vos me florentem ſemper ornaſtis: laborantem, mutatione veſtis, & prope luctu veſtro, quoad licuit, defendiſtis. noſtra memoria ſenatores ne in ſuis quidem periculis mutare veſtem ſolebant: in meo periculo ſenatus veſte mutata fuit, quo ad licuit per eorum edicta, qui mea pericula non modo ſuo praeſidio, ſed etiam veſtra deprecatione nudarunt. Quibus ego rebus obiectis, cum mihi priuato confligendum viderem cum eodem exercitu, quem conſul non armis, ſed veſtra auctoritate ſuperaram; multa mecum ipſe reputaui. Dixerat in concione conſul, ſe cliui Capitolini poenas ab equitibus R. repetiturum. nominatim alij compellabantur, alij citabantur, alij relegabantur: aditus templorum erant non ſolum praeſidijs, & manu, verum etiam demolitione ſublati. Alter conſul, vt me, & remp. non modo deſereret, ſed etiam hoſtibus reip. proderet, pactionibus eos ſuorum praemiorum obligarat. Erat alius ad portas cum imperio in multos annos, magnoq. exercitu; quem ego inimicum mihi fuiſſe non dico; tacuiſſe, cum diceretur eſſe inimicus, ſcio. duae partes eſſe in rep. cum putarentur; altera me depoſcere propter inimicitias, altera timide defendere propter ſuſpicionem caedis putabatur. qui autem me depoſcere videbantur, in hoc auxerunt dimicationis metum, quod numquam, inficiando, ſuſpicionem hominum curamq. minuerunt. quare, cum viderem ſenatum ducibus orbatum, me a magiſtratibus partim oppugnatum, partim proditum, partim derelictum, ſeruos ſimulatione collegiorum nominatim eſſe conſcriptos, copias omnes Catilinae paene iiſdem ducibus ad ſpem caedis & incendiorum eſſe reuocatas, equites R. proſcriptionis, municipia vaſtitatis, omnes caedis metu eſſe permotos; potui, potui, P. C. multis auctoribus fortiſſimis viris, me vi, armisq. defendere: nec mihi ipſe ille animus idem meus, vobis non incognitus, defuit: ſed videbam, ſi viciſſem praeſentem aduerſarium, nimium multos mihi alios eſſe vincendos; ſi victus eſſem, multis bonis & pro me, & mecum, etiam poſt me eſſe pereundum; tribuniciiq. ſanguinis vltores eſſe praeſentes, meae mortis poenas iudicio, & poſteritati reſeruari. nolui, cum conſul communem ſalutem ſine ferro defendiſſem, meam priuatus armis defendere: bonosque viros lugere malui meas fortunas, quam ſuis deſperare: ac ſi ſolus eſſem interfectus, mihi turpe, ſi cum multis, reip. funeſtum fore videbatur. quod ſi mihi aeternam eſſe propoſitam aerumnam arbitrarer; morte me ipſe potius, quam ſempiterno dolore multaſſem. ſed, cum viderem me non diutius, quam ipſam remp. ex hac vrbe abfuturum; neque ego, illa exterminata, mihi remanendum putaui; & illa, ſimul atque reuocata eſt, me ſecum pariter reportauit. mecum leges, mecum quaeſtiones, mecum iura magiſtratuum, mecum ſenatus auctoritas, mecum libertas, mecum etiam frugum vbertas, mecū deorum, & hominum ſanctitates omnes, & religiones abfuerunt. quae ſi ſemper abeſſent, magis veſtras fortunas lugerem, quam deſiderarem meas: ſin aliquando reuocarentur, intelligebam mihi cum illis vna eſſe redeundum. cuius mei ſenſus certiſſimus teſtis eſt hic idem, qui cuſtos capitis fuit, Cn. Plancius; qui, omnibus prouincialibus ornamentis, commodisq. depoſitis, totam ſuam quaeſturam in me ſuſtentando, & conſeruando collocauit. qui ſi mihi quaeſtor imperatori fuiſſet, in filij loco fuiſſet; nunc certe erit in parentis, cum fuerit quaeſtor non imperij, ſed doloris mei.

EXPLANATIO

RECOLENDA.] memoria repetenda, animo recognoſcenda. Phil. 13. Quae ſi tecum ipſe recolis. VNI,] Cn. Pompeio. QVOAD *licuit*,] nam per conſules, Piſonem, & Gabinium, diu non licuit. CONSVL,] Gabinius. ſupra. COMPELLABANTVR,] appellabantur: & cum ijs, ne pro Cicerone deprecarentur, agebatur. RELEGABANTVR:] L. Lamiam ſignificat. ſupra. TEMPLORVM] templi Caſtoris. pro Domo: Cum vero gradus Caſtoris conuelliſti, ac remouiſti; tum, vt modeſte tibi agere liceret, homines audaces ab eius tēpli aditu, atque adſcenſu repuliſti. Et pro Sextio. DEMOLITIONE] conuulſis, remotiſq. gradibus. SVORVM *praemiorum*] prouinciae Macedoniae. ERAT *alius*] C. Caeſar, qui extra vrbem erat. CVM *imperio in multos annos*,] cum imperio quinque annorum, lege Vatinia dato. MAGNOQ. *exercitu*:] quattuor legionibus: cum quibus profectus eſt ad Gallicum bellum. ALTERA] Clodius, & conſules. ALTERA] boni viri. AVXERVNT *dimicationis metum*,] effecerunt, vt viri boni dimicationem eo magis timerēt: quia Caeſar in primis, cum inimicus mihi eſſe diceretur, tacebat, Craſſo, & Pompeio conniuentibus. INFITIANDO,] hoc referri neceſſe eſt non ad eos, qui Ciceronem depoſcebant, ſed ad eos, qui ab ijs Ciceronis inimici eſſe dicebātur: qui cum non infitiarentur, ſed tacerent, hominum ſuſpicio, & cura non minuebatur, ſed augebatur bonis viris dimicandi metus. Traduxit in hunc locum mutatione

aliqua

aliqua ſenarium illum, qui eſt in oratione in Piſonem: Numquam iſtam imminuiam curam infitiando tibi. Huc fortaſſe adſpexit, cum illa quoque pro Sextio diceret. Atque ego de Antonio nihil dico, praeter vnum, numquam illum in illo ſummo timore, ac periculo ciuitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nõnullorum de ipſo ſuſpicionem aut infitiando tollere, aut diſſimulando ſedare voluiſſe, SIMVLATIONE *collegiorum*] collegia Clodius in tribunatu non ſolum vetera, a ſenatu antea ſublata, reſtituit, ſed noua quaedam ex omni vrbis faece, ac ſeruitio conſtituit, ad Quirites: Cũ homines in tribunali Aurelio palam conſcribi, centuriariq. vidiſſem. Pro Domo: Cũ in tribunali Aurelio conſcribebas palam non modo liberos, ſed etiam ſeruos, ex omnibus vicis concitatos; vim tum videlicet non parabas. Pro Sextio. Iiſdem conſulibus inſpectãtibus, ſeruorum delectus habebatur in tribunali Aurelio, nomine collegiorũ. Et in Piſonem. PROSCRIPTIONIS,] exemplo L. Lamiae relegati. REVOCATA *eſt*,] mutatis conſulibus. CN. PLANCIVS] cum in Macedonia quaeſtor eſſet. PROVINCIALIBVS *ornamentis*,] in orat. pro ipſo Plancio. Simul ac me Dyrrhachium attigiſſe audiuit, ſtatim ad me, lictoribus dimiſſis, inſignibus abiectis, veſte mutata, profectus eſt. COMMODISQ.] ſua commoda, dum me ſuſtentaret, & conſeruaret, neglexit omnia.

ORATIO

QVA propter, P. C. quoniam in remp. ſum pariter cum rep. reſtitutus, non modo in ea defendenda nihil minuam de libertate mea priſtina, ſed etiam adaugebo. etenim, ſi eam tum defendebam, cum aliquid mihi illa debebat: quid nunc me facere oportet, cum ego illi plurimum debeo? nam quid eſt, quod animum meum frangere, aut debilitare poſſit, cuius ipſam calamitatem non modo nullius delicti, ſed etiam diuinorum in remp. beneficiorum teſtem eſſe videatis? nam & importata eſt, quia defenderam ciuitatem; & mea voluntate ſuſcepta eſt, ne a me defenſa reſp. per eundem me extremum in diſcrimen vocaretur. Pro me non, vt pro P. Popillio, nobiliſſimo homine, adoleſcentes filij, non propinquorum multitudo populum Rom. eſt deprecata, non, vt pro Q. Metello, ſummo & clariſſimo viro, ſpectata iam adoleſcentia filius, non L. & C. Metelli conſulares, non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos, qui tum conſulatum petebat; non Luculli, Seruilij, Scipiones, Metellarum filij, flentes, ac ſordidati populo R. ſupplicauerunt, ſed vnus frater, qui in me pietate filius, conſilijs parens, amore, vt erat frater inuentus eſt, ſqualore, & lacrumis, & quotidianis precibus deſiderium mei nominis renouari, & rerum geſtarum memoriam vſurpari coegit. qui cum ſtatuiſſet, niſi per vos me recuperaſſet, eandem ſubire fortunam, atque idem ſibi domicilium & vitae, & mortis depoſceret: numquam nec magnitudinem negotij, nec ſolitudinem ſuam, nec vim inimicorum, ac tela pertimuit. Alter fuit propugnator mearum fortunarum & defenſor aſſiduus, ſumma virtute & pietate C. Piſo gener: qui minas inimicorum meorum, qui inimicitias affinis mei, propinqui ſui conſulis, qui Pontum, & Bithyniam quaeſtor pro mea ſalute neglexit. Nihil vmquam ſenatus de P. Popillio decreuit: numquam in hoc ordine Q. Metelli mentio facta eſt. tribunicijs ſunt illi rogationibus, interfectis inimicis, denique nulla auctoritate ſenatus reſtituti; cum alter eorum ſenatui paruiſſet, alter vim, caedemq. fugiſſet. Nam C. quidem Marius, qui hac hominum memoria tertius ante me conſularis tempeſtate ciuili expulſus eſt, non modo a ſenatu non eſt reſtitutus, ſed reditu ſuo ſenatum cunctum paene deleuit. Nulla de illis magiſtratuum conſenſio, nulla ad remp. defendendam populi Rom. conuocatio, nullus Italiae motus, nulla decreta municipiorum, & coloniarum extiterunt. Quare, cum me veſtra auctoritas accerſierit, populus Rom. reuocarit, reſp. implorarit, Italia cuncta paene ſuis humeris reportarit; non committam, P. C. vt, cum ea mihi ſint reſtituta, quae in poteſtate mea non fuerunt, ea non habeam, quae ipſe praeſtare poſſim, praeſertim cum illa amiſſa recuperarim, virtutem, & fidem numquam amiſerim.

EXPLANATIO

P. POPILLIO] C. Gracchi lege pulſo, deinde reſtituto. ad Quirites, pro Domo. NOBILISSIMO *homine*,] conſulari. Q. METELLO,] Numidico, de quo L. Appuleius Saturninus tulit. FILIVS,] qui, quod pro patre exſule ſupplicaſſet, Pij cognomen eſt adeptus. L. ET. *C. Metelli conſulares*,] L. Metellus Dalmaticus, C. Metellus Caprarius, & conſularis, & cenſorius, vterque Macedonici filius. NON. *Q. Metellus Nepos*,] Q. Metelli Balearici, qui Dalmatici, & Caprarij frater fuit, filius auctore Pediano. LVCVLLI,] Lucius, & Marcus, Metelli Numidici ſorore nati, vt ait Plutarchus. SERVILII,] P. Seruilius Iſauricus poſtea dictus Macedonici filia genitus. SCIPIONES,] P. Scipio & ipſe ex Macedonici filia ſuſceptus, pater eius Scipionis, qui Pompeij Magni ſocer fuit. Vide, quae diximus in ea poſt red. ad Quir. QVI *in me pietate filius*.] poſt red. ad Quir. Mihi pietate filius inuentus eſt, beneficio parens, amore idem qui ſemper fuit, frater. TRIBVNICIIS *rogationibus*] rogationem de Popillio tulit L. Beſtia, vt in Bruto: de Metello Q. Calidius, vt pro Plancio. INTERFECTIS *inimicis*,] inimico Popillij C. Graccho, Metelli L. Saturnino. ALTER *eorum*] Popillius qui diſceſſit inuito quidem, ſed auctore tamen ſenatu. VIM,] Saturnini tribuni pl. atque adeo C. Marij VI. cõſulis, qui tunc Saturnini partes adiuuabat, vetereſq. cum Metello inimicitias exercebat. QVI. HAC *hominum aetate tertius ante me conſularis tempeſtate ciuili expulſus eſt*,] primus Popillius, alter Metellus, ille C. Gracchi, hic L. Saturnini ſeditione expulſus: tertius ipſe Marius, cũ Sullæ victoris arma fugit. ILLA] patriam, dignitatem, fortunas meas. EA. NON *habeam*,] virtutem, & fidem. QVAE *ipſe praeſtare poſſim*.] quae in poteſtate mea ſunt, quae mihi adimere inimicorum iniuria non poteſt.

IN. ORA-

IN · ORATIONEM · CICERONIS
PRO · DOMO · SVA
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

RESTITVTVS *in patriam Cicero, Lentuli praecipue conſulis opera,* XVI. *menſe, poſtquam in exſulium iniquiſſima lege Clodia pulſus erat, ſtatim habuit hanc orationem ad Pontifices, in qua neruos omnes intendit, vt domum ſuam, eadem lege publicatam, & euerſam, deinde, ne profana vmquam fieri poſſet, libertati conſecratam, neque publicari, neque conſecrari potuiſſe, oſtenderet. qua de re ſic in epiſt.* I. *lib.* IV. *ad Att. Nos tacemus, & eo magis, quod de domo noſtra nihil adhuc pontifices reſponderant: qui ſi ſuſtulerint religionem, aream praeclaram habebimus. Et in* 2. *eiuſdem libri. Poſt illas datas litteras ſecuta eſt ſumma contentio de domo. diximus apud Pontifices* 1. *Kal. Oct. acta res eſt accurate a nobis: & ſi umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam ſi nũquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo uim quandam nobis dicendi dedit. Tantum autem de domo recuperanda laborabat, vt, cum eſſet in exſulio, ita ſcripſerit ad vxorem. Quod de domo ſcribis, hoc eſt de area: ego vero tum denique mihi videbor reſtitutus, ſi illa nobis erit reſtituta. Ac domum quidem ei reſtitutam eſſe, ſatis conſtat ex eadem ad Att. epiſtola: in qua ſunt haec. Cum pontifices decreſſent, ita, ſi neque populi iuſſu, neque plebiſcito, qui ſe dedicaſſe diceret, nominatim ei rei praefectus eſſet; videri, poſſe ſine religione iam partem areae mihi reſtitui; mihi facta ſtatim eſt gratulatio: nemo enim dubitat, quin domus nobis eſſet adiudicata. Sed planiſſime in oratione de Haruſp. reſp. Meam domum P. Lentulus conſul. M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Meſſalla, L. Lentulus Flamen Martialis, P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Le-*

M. Lepidus, L. Claudius rex ſacrorum, M. Scaurus, M. Craſſus, C. Curio, Sex. Caeſar, flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinouanus, Q. Terentius, pontifices minores, cauſſa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia ampliſsimorum, ac ſapientiſsimorum ciuium adſtante, omni religione, vna mente omne, liberauerunt. Eſt autem omnis haec in ſeptem partes diſtributa oratio. Prima reſpondet Clodio, qui apud pontifices ea vituperauerat, quae per eos dies Cicero in ſenatu de rep. ideſt de Cn. Pompeio rei frumentariae praeficiendo ſenſerat. Secunda de iure publico agit, & in ea oſtenditur, legibus ijs, quibus Romana ciuitas vteretur, non poſſe quemquam ciuem eijci, aut de capite eius, vel de bonis quidquam detrahi ſine iudicio ſenatus, aut populi, aut eorum, qui de quaque re conſtituti iudices ſint. In eadem rationes afferuntur, cur tribunus pl. eſſe Clodius nõ potuerit. quomodo enim, cum patricius eſſet, ad plebem tranſiuit? adoptione? at ea rata eſſe non poteſt: primum quia ſeruatum adoptandi ius non eſt. nam cum adoptare debeat is, qui neque procreare iam liberos poſſit, &, cum potuerit, ſit expertus: adoptauit Clodium ſenatorem annos viginti natus: qui liberos non modo procreare poteſt, cum habeat vxorem, ſed procreauit etiam. Et cum quaeri a pontificum collegio ſoleat, quae cauſſa ſit adoptionis, quae ratio generum, ac dignitatis, quae ſacrorum: nihil horum in illa adoptione quaeſitum eſt. Atque haec de non ſeruato adoptionis iure, quae omnis notio pontificum eſſe debuit, apud ipſos pontifices dicuntur: ad augures autem, qui aderant, de curiata lege diſputat, qua Clodius eſt adoptatus. Nefas, inquit, eſt agi cum populo, cum de caelo ſeruatur. at quo die lata lex eſt, Bibulus conſul de caelo ſeruauit. rata igitur eſſe non poteſt: quod ſi rata non eſt: qui potuit Clodius contra auſpicia adoptatus, tribunus pl. eſſe? Accedit ad infirmatam curiatam legem altera ratio. Quid ſeruatur in ferendis legibus? trinundinum, ideſt, vt promulgata lex per tres nũdinas, antequam feratur, populo pateat. quod ſpatium, tantum abeſt, vt ſeruatum ſit, vt eam legem Caeſar cõſul vix per tres horas promulgatam tulerit. Tertia pars, vel ſi tribunus pl. & per auſpicia, & per leges Clodius eſſe potuerit, quod vtrũque iam negatum eſt; ab eo tamen legem nominatim de capite ciuis indemnati fieri non potuiſſe demonſtrat. id enim priuilegium eſt: quod ſacratae leges, & XII. tabulae vetant. Neque vero hoc tantum contra leges, ſed illud etiam, quod de eius capite, fortuniſq. omnibus, qui neque adeſſe ſit iuſſus, neque citatus, neque accuſatus, legem illã Clodius tulerit: cum iudicia populi ita moderata eſſent a maioribus conſtituta, primũ, vt ne poena capitis cum pecunia coniungeretur: deinde, ne, niſi prodicta die, quis accuſaretur: tum, vt ante magiſtratus accuſaret intermiſſa die, quã multam irrogaret, aut iudicaret: poſtremo, vt eſſet accuſatio trinum nũdinum, ideſt ab eo die,

quo

quo quis ad populum accuſari coeptus eſſet, ad diem iudicij trinae nundinæ intercederent; pro dicta die, qua die iudicium eſſet futurum: eamq. diem ſi qua res auſpicijs, aut excuſatione ſuſtuliſſet, tota cauſſa, iudiciūq. tolleretur. Nec verba legis vitio carent: ſunt enim hæc: Velitis, iubeatis, vt M. Tullio aqua, & igni interdictum ſit. Cum ferri debuerit, vt interdicatur, nō, vt interdictum ſit. quo modo enim, quod factum non eſt, id vt ſit factum, ferri ad populum, aut verbis ullis ſanciri, aut ſuffragijs cōfirmari poſſet? peccatum eſt igitur in forma legis: quid in ipſa veritate? nō minus. ſcriptum eſt enim: Quod M. Tullius falſum S.C. retulerit. qui ſi falſum retulit, recte ſcripta lex eſt: ſi verum, nulla eſt. verum autem retuliſſe, nec ipſum pro ſuo imperio, ſed ſenatus iuſſu in coniuratos animaduertiſſe, ſenatus ipſe, cum eum reſtituit, indicauit. Sunt igitur hæc in lege vitia, primum quod lata nominatim ſit de capite ciuis indemnati: alterum, quod imperite, vt interdictum eſſet aqua, & igni, cui nondum interdictum eſſet: tertium, quod ſimul de pluribus rebus: quartum, quod per vim. id quod Lentulus conſul in lege vidit, quā de Ciceronis reditu tulit, non enim tulit, vt & venire Romā liceret, ſed vt veniret. Quarta pars Clodij maledictum, exſulem Ciceronem appellantis refellit duabus cauſsis, vel quod ex peccato, vel quod ex damnatione ſubeatur exſulis nomen. Peccaſſe me, inquit, negant omnes: optime de patria meritum, ſenatus, equeſtris ordinis, ſcribarum, plebis vrbanae, ideſt paganorum, & montanorum, denique etiam municipiorum, coloniarum, & totius Italiae de meo reditu decreta declarant. In ferenda vero lege, quae celebritas vmquam maior populi Romani, quantus omnis generis hominum, aetatum, ordinumque ſplendor? Quod ad damnationem attinet, exſul non ſum. indemnatus enim diſceſsi, nemo me vlla vmquam lege interrogauit: nemo poſtulauit: nemo diem dixit. libertatem vero, aut ciuitatem amittere ciuis Romanus nemo poteſt, niſi auctor ipſe factus ſit. Infirmatur Clodij maledictū ea quoque ratione, quod in ipſa rogatione nihil tulerat, quo minus Cicero eſſet non modo in ciuium, ſed etiam in ſenatorum numero: & quod in lege illa ſuffragium tulerit non populus Romanus, ſed multitudo hominum e ſeruis conductis, & facinoroſis, & egentibus congregata. Quincta, primum eidem Clodio reſpondet, accuſanti Ciceronem, quod de ſe ipſo glorioſius praedicaret: deinde ijs, qui obijcerent, ei diſceſſum e patria. Sexta de domo recuperāda quantum laboret, quamq. improbe Clodius fecerit in ea dedicanda, & quid ſpectarit, oſtendit. Dedicatio improbatur, quod non affuerit Collegium Pontificum, ſed vnus tantum pontifex, isque frater vxoris Clodij, adoleſcens imperitus, nouus ſacerdos, ſororis precibus, matris minis adductus, mente, & lingua titubante. In extrema parte preces ad Iouem, Iunonem, Mineruam, ad

patrios

patrios penates, & familiares, ad Veſtam continentur: vt, ſi nefariam flammam ab eorum templis, ac delubris depulerit; ſi ſuum caput, pro eorum caerimonijs, atque templis, perditiſſimorum ciuium furori, ferroq. obiecerit; ſi nihil vmquam magis, quam de reip. ſalute laborauerit; hunc fructum ferat, vt ſibi redire in ſuas ſedes liceat. Iisdemque precibus, conuerſus ad pontifices, vtitur, vt ab ipſis iam in patriam reſtitutus, nunc, auctore ſenatu, manibus eorum in ſuis ſedibus collocetur. Habita eſt oratio ijsdem conſulibus, quibus in patriam redijt, id eſt Lentulo, & Metello. De genere, de ſtatu, de partibus orationis, quae nonnulli oſtentationis potius, quam vtilitatis publicae cauſſa, ſedulo perſequuntur, nihil addam: vel quia ſunt in promptu, ſatisq. patent ex rhetorum libris: vel quod a veterum interpretum conſuetudine non libenter diſcedo.

M · TVLLII · CICERONIS

PRO. DOMO. SVA. AD. PONTIFICES

ORATIO · XXIX·

CVm multa diuinitus, pontifices, a maioribus noſtris inuenta, atque instituta ſunt, tum nihil praeclarius, quam quod vos eoſdem & religionibus deorum immortalium, & ſummae reip. praeeſſe voluerunt: vt ampliſſimi, & clariſſimi ciues remp. bene gerendo, pontifices religiones ſapienter interpretando, remp. conſeruarent. quod ſi vllo tempore magna cauſſa in ſacerdotum populi R. iudicio, ac poteſtate verſata eſt, haec profecto tanta eſt, vt omnis reip. dignitas, omnium ciuium ſalus, vita, libertas, arae, foci, dij penates, bona, fortunae, domicilia veſtrae ſapientiae, fidei, poteſtatiq. commiſſa, creditaq. eſſe videantur. vobis hodierno die conſtituendum eſt, vtrum poſthac amentes, ac perditos magiſtratus improborũ ac ſceleratorum ciuium praeſidio nudare, an etiam deorum immortaliũ religione armare malitis. nam, ſi illa labes ac flamma reip. ſuum illum peſtiferum, & funeſtum tribunatum, quem aequitate humana tueri non poteſt, diuina religione defenderit: aliae caerimoniae nobis erunt, alij antiſtites deorum immortalium, alij interpretes religionum requirendi. ſin autem veſtra auctoritate, ſapientiaque, pontifices, ea, quae furore improborum in rep. ab alijs oppreſſa, ab alijs deſerta, ab alijs prodita, geſta ſunt, reſcinduntur: erit cauſſa, qua conſilium maiorum in ampliſſimis viris ad ſacerdotia deligẽdis iure ac merito laudare poſſimus. ſed, quoniam ille demens, ſi ea, quae ego per hos dies in ſenatu de rep. ſenſi, vituperaſſet, aliquem ſe aditum ad aures veſtras eſſe habiturum putauit: omittam ordinem dicendi meum: reſpondebo hominis furioſi non orationi, qua ille vti non poteſt, ſed conuicio, cuius exercitationem cum intolerabili petulantia, tum etiam diuturna impunitate muniuit.

E X P L A N A T I O

DIVINITVS] diuina ſaepe transferuntur ad humana per ſimilitudinẽ; cum in ſingulari laude cõmunia vocabula ſufficere non videntur Sic, diuinus ſenatus, diuina S.C. Deus ille noſter Plato eadẽ ratione eſt hic, Diuinitus, pro pręclare: ideoq. ſubiungitur, Tum nihil praeclarius. PONTIFICES] minores, abſente pontifice Max. C. Caeſare, qui tum in Gallia bellum gerebat. eorum nomina poſuimus in argumento. VOS *eoſdem, & religionibus deorum immortalium & ſummae reip. praeeſſe*] non tam eos, qui tũ pontifices erant, qui longe aberant a maiorum aetate, quam ſuperiores oẽs pontifices; vt religioni praeeſſet nemo, qui ſummã remp. ſimul non adminiſtraret, i. qui ſenator non eſſet infra: Conſilium maiorũ in ampliſſimis viris ad ſacerdotia deligendis. AMENTES, *ac perditos magiſtratus*] qualis in tribunatu Clodius fuit. IMPROBORVM, *ac ſceleratorum ciuium praeſidio*] numquam enim deerunt, qui opem illis ferant in oppreſſione bonorũ, niſi mihi mea domus, Clodij tribuni pl. furore adempta, & Libertati conſecrata, veſtris hodierno die ſententijs liberetur. AN. ETIAM *deorum immortalium religione armare*] armauit Clodius, ac muniuit improbitatem ſuam religione deorum immortalium, cum domũ Ciceronis, a ſe publicatam, atque euerſam dedicandã etiã curauit. LABES, *ac flamma reip.*] quia ſuis remp. ſceleribus deformauit, atq. incendit. QVEM *aequitate humana tueri non poteſt,*] quia reſciſſa ſunt, & reſcindentur a ſenatu, populoq. Ro. ea, quae geſſit in tribunatu quod praecipue, reſtituto Cicerone, cognitum eſt. INTERPRETES *religionum*] pontifices, de quibus dixit iam: Pontifices religiones ſapienter interpretãdo. REQVIRENDI.] vobis, & religiones, & remp. deſerentibus. AB. ALIIS *oppreſſa,*] oppreſſit remp. Clodius, deſeruerunt Põpeius, Caeſar, Craſſus, prodiderunt conſules Piſo Gabinius. PER *hos dies*] IIX. Id. Sept. vt opinor, i. biduo poſt quam in vrbem redijt. Significat ſententiam a ſe dictam in ſenatu de Pompeio, cum eſſet annonae ſumma caritas, rei frumentariae praeponendo. qua de re ſic ep. I. lib. IV. ad Att. Eo biduo, cum eſſet annonae ſumma caritas, & homines ad theatrum primo, deinde ad ſenatũ concurriſſent, impulſu Clodij; mea opera frumenti inopiã eſſe clamarent; cum per eos dies ſenatus de annona haberetur, & ad eius procurationem ſermone non ſolũ plebis, verum ẽt bonorum Pompeius vocaretur; idq. ipſe cuperet: multitudoq a me nominatim, vt id decernerem, poſtularet: feci, & accurate ſententiã dixi, cum abeſſent conſulares, ꝙ tuto ſe negarent poſſe ſñiam dicere, praeter Meſſallam, & Afraniũ. factum eſt S.C. in meam ſñiam, vt cum Pompeio ageretur, vt eam rem ſuſciperet, lexq. ferretur. VITVPERASSET,] apud vos. Videtur Clodius apud pontifices verba feciſſe, priuſquam Cicero de ſua domo ageret. cuius orationi ſtatim tãdendum putauit: vt, ſi qua facta eſſet in pontificum animis offenſio, eam deleret, priuſquam ad cauſſam accederet: quod boni oratoris eſt. praeoccupatis enim iudicum animis opinione aliqua, vel odio, iracundia, inuidia commotis, agi cauſſa aequo iure non poſſet.

poſſet. ALIQVEM *ſe aditum ad aures veſtras eſſe habiturum putauit:*] vel quod inuidere vos Pompeij gloriae, vel quod offenſos eſſe arbitraretur, quod S.C. illud de re frumẽtaria Pompeio mãdanda, vobis abſentibus, factũ eſſet. Non affuerunt eo die cõſulares, quod tuto ſe negarẽt poſſe ſententiã dicere. De conſulariũ autẽ numero pontifices aliquot erãt, vt P. Seruilius, M. Lucullus, C. Curio, M. Craſſus Q. Metellus, M'Glabrio. QVA *ille vti non poteſt,*] quia prudentiam, ac mentem, requirit oratio.

O R A T I O

AC primam illud a te, homine veſano, ac furioſo, requiro, quae te tanta poena tuorum ſcelerum, flagitiorumq. vexet, vt hos tales viros qui non ſolum conſilijs ſuis, ſed etiam ſpecie ipſa dignitatem reip. ſuſtinent, quod ego in ſententia dicenda ſalutem ciuium cum honore Cn. Pompeij coniunxerim, mihi eſſe iratos, & aliud de ſumma hoc tempore religione ſenſuros, ac me abſente ſenſerint, arbitrere? Fuiſti tu, inquit, apud pontifices ſuperior: ſed etiam, quoniam te ad populum contuliſti, ſi inferior, neceſſe eſt. Ita ne vero? quod in imperita multitudine eſt vitioſiſſimum, varietas, & inconſtantia, & crebra, tamquam tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio, hoc tu ad hos transferas? quos ab inconſtantia grauitas, a libidinoſa ſententia certum & definitum ius religionum, vetuſtas exemplorum, auctoritas litterarum, monumentorumq deterret. Tu ne es ille, inquit, quo ſenatus carere non potuit? quem boni luxerunt? quem reſp. deſiderauit? quo reſtituto, ſenatus auctoritatem reſtitutam putabamus, quam primum aduenienc prodidiſti? Nondum de mea ſententia dico: impudentiae primum reſpondebo tuae. Hunc igitur, ſancta reip. peſtis, hunc tu ciuem ferro, & armis, & exercitus terrore, & conſulum ſcelere, & audaciſſimorum hominum minis, ſeruorum delectu, obſeſſione templorum, occupatione fori, oppreſſione curiae, domo, & patria, ne cum improbis boni ferro dimicarent, cedere coegiſti, quem a ſenatu, quem a bonis omnibus, quem a cuncta Italia deſideratum, accerſitum, reuocatum conſeruandae reip. cauſſa cõſiteris? At enim in ſenatum venire, in Capitolium intrare turbulento illo die non debuiſti. Ego vero neque veni, & domo me tenui, quamdiu turbulentum tempus fuit, cum ſeruos tuos, a te iampridem ad bonorum caedem paratos, cum illa tua conſceleratorum ac perditorum manu armatos in Capitolium tecum veniſſe conſtabat. quod cum mihi nunciaretur, ſcio me domi manſiſſe, & tibi, & gladiatoribus tuis inſtaurandae caedis poteſtatem non feciſſe. poſtea quam mihi nunciatum eſt, populum R. in Capitolium propter metum, atque inopiam rei frumentariae conueniſſe, miniſtros autem ſcelerum tuorum perterritos, partim amiſſis gladijs, partim ereptis, diffugiſſe: veni, non ſolum ſine ullis copiis, ac manu, verum etiam cum paucis amicis. an ego, cum P. Lentulus conſul, optime de me, ac de rep. meritus, cum Q. Metellus, qui, cum meus inimicus eſſet, frater tuus, & diſſenſioni noſtrae, & precibus tuis ſalutem ac dignitatem meam praetuliſſet, me accerſerent in ſenatum; cũ tanta multitudo ciuium, tam recenti officio ſuo, me ad referendam gratiam nominatim vocarent, non venirem? cum praeſertim te iam illinc cum tua fugitiuorum manu diſceſſiſſe cõſtaret. Hic tu me etiam, cuſtodẽ, defenſoremq. Capitolii, templorumq. omnium, hoſtem Capitolinum appellare auſus es, quod, cum in Capitolio ſenatum duo conſules haberent, eo venirem. Vtrum ne eſt tempus aliquod, quo in ſenatum veniſſe turpe ſit? an res illa talis erat, de qua agebatur, ut rem ipſam repudiare, & eos, qui agebant, condemnare deberem? primum dico, ſenatoris eſſe boni, ſemper in ſenatum uenire: nec cum iis ſentio, qui ſtatuunt minus bonis temporibus in ſenatum ipſi non uenire, nõ intelligentes hanc ſuam nimiam perſeuerantiam uehementer iis, quorum animum offendere uoluerunt, gratam, & iucundam fuiſſe. At enim nonnulli propter timorem, quod ſe in ſenatu tuto non eſſe arbitrabantur, diſceſſerunt. Non reprehendo, nec quaero, fuerit ne aliquid pertimeſcendum: puto, arbitrio ſuo quemque timere oportere. cur ego non timuerim, quaeris? quia te illinc abiiſſe conſtabat. cur, cum viri boni nonnulli putarint tuto ſe in ſenatu eſſe non poſſe, ego non idem ſenſerim: cur; cum ego me exiſtimaſſem tuto omnino in ciuitate eſſe non poſſe, illi non item? an aliis licet, & recte licet, in meo metu ſibi nihil timere: mihi uni neceſſe erit & meam, & aliorum uicem pertimeſcere? An, quia non condemnaui ſententia mea duos conſules, ſum reprehendendus? eos igitur ego potiſſimum damnare debui, quorum lege perfectum eſt, ne ego indemnatus, atque optime de rep. meritus, damnatorum poenam ſuſtinerem? quorum etiam delicta, propter eorum egregiam in me conſeruando uoluntatem, non modo me; ſed omnes bonos ferre oporteret, eorum optimum conſilium ego, potiſſimum per eos in meam priſtinam dignitatem reſtitutus, conſilio repudiarem meo? At quam ſententiam dixi? primum eam, quam populi ſermo in animis noſtris iam ante defixerat: deinde eam, quae erat ſuperioribus diebus agitata in ſenatu: deinde eam, quam ſenatus frequens tum, cum mihi eſt aſſenſus, ſecutus eſt: ut neque allata ſit a me res inopinata, ac recens; nec, ſi quod in ſententia uitium eſt, magis ſit eius, qui dixerit, quam omnium, qui probarint. At enim liberum ſenatus iudicium propter metum non fuit. Si timuiſſe eos facis, qui diſceſſerunt: concede, non timuiſſe eos, qui remanſerunt. ſin autem ſine iis, qui tum abfuerant, nihil decerni libere potuit: cum omnes adeſſent, coeptum eſt referri de inducendo S. C. ab uniuerſo ſenatu reclamatum eſt. Sed quaero, in ipſa ſententia, quoniam princeps ego ſum eius atque auctor, quid reprehendatur? utrum, cauſſa capiendi noui conſilij non fuit, an meae partes in ea cauſſa non praecipuae fuerunt an alio potius confugiendum fuit? Quae uis, quae cauſſa maior eſſe, quam fames, potuit? quam ſeditio, quam conſilia tua, tuorumque? qui, facultate oblata ad imperitorum animos incitandos, renouaturum te tua illis funeſta latrocinia ob annonae cauſſam putarunt. frumentum prouinciae frumentariae partim non habebant, partim in alias terras, credo propter varietatem venditorum, miſerant; partim, quo gratius eſſet tum, cum in ipſa fame ſubueniſſent, cuſtodiis ſuis clauſum continebant, vt ſubito nouum mitterent. res erat non in opinione dubia, ſed in praeſenti, atque ante oculos propoſito periculo: neque id coniectura proſpiciebamus, ſed iam experti videbamus. nam, cum ingrauе-

ſteret annona, vt iam plane inopia, ac fames, non caritas, timeretur; concurſus eſt ad templum Concordiae factus ſenatum illuc vocante Metello conſule. qui ſi verus fuit ex dolore hominum, & fame: certe conſules cauſſam ſuſcipere, certe ſenatus aliquid conſilii capere potuit. ſin in cauſſa fuit annona, ſeditionis quidem ſtimulator, & concitator tu fuiſti: nonne id agendum nobis omnibus fuit, vt materiem ſubtraheremus furori tuo? quid, ſi vtrumque fuit, & vt fames ſtimularet homines, & vt tu in hoc vlcere tamquam vnguis exſiſteres? nonne fuit eo maior adhibenda medicina, quae & illud natiuum, & hoc delatum malum ſanare poſſet. erat igitur & praeſens caritas, & futura fames. inde ſaxis facta lapidatio eſt: ſi ex dolore plebeio, nullo incitante, magnum malum: ſi P. Clodii impulſu, vſitatum hominis facinoroſi ſcelus: ſi vtrumque, vt res eſſet ea, quae ſua ſponte multitudinis animos incitaret, & parati atque armati ſeditionis duces; videtur ne ipſa reſp. & conſulis auxilium imploraſſe, & ſenatus fidem? atqui vtrumque fuiſſe perſpicuum eſt. difficultatem annonae, ſummamq. inopiam rei frumentariae, vt homines non iam diuturnam caritatem, ſed vt famem plane timerent, nemo negat. hinc iſtum, otii & pacis hoſtem, cauſſam arrepturum fuiſſe ad incendia, caedes, rapinas, nolo, pontifices, ſuſpicemini, niſi videritis. Qui ſunt homines a Q. Metello, fratre tuo, conſule in ſenatu palam nominati, a quibus ille ſe lapidibus appetitum, & percuſſum eſſe dixit? L. Sergium. & M. Lollium nominauit. quis eſt iſte Lollius? qui ſine ferro ne nunc quidem tecum eſt; qui te tribuno pl. nihil de me dicam, ſed qui Cn. Pompeium interficiendum depopoſcit. quis eſt Sergius? armiger Catilinae, ſtipator tui corporis, ſignifer ſeditionis, concitator tabernariorum, damnatus iniuriarum, percuſſor, lapidator, fori depopulator, obſeſſor curiae. his, atque huiuſmodi ducibus, cum tu in annonae caritate in conſules, in ſenatum, in bona fortunasq. locupletum, per cauſſam inopum, atque imperitorum, repentinos impetus comparares; cum tibi ſalus eſſe in otio nulla poſſet; cum deſperatis ducibus decuriatos ac deſcriptos haberes exercitus perditorum: nonne prouidendum ſenatui fuit, ne in hanc tantam materiam ſeditionis iſta funeſta fax adhaereſceret? Fuit igitur cauſſa capiendi noui conſilii. videte nunc, fuerint ne partes meae paene praecipuae. Quem tum Sergius ille tuus, quem Lollius, quem ceterae peſtes in lapidatione illa nominabant? quem annonam praeſtare oportere dicebant? nonne me? quid puerorum illa concurſatio nocturna? num a te ipſo inſtituta me frumentum flagitabant? quaſi vero ego aut rei frumentariae praefuiſſem; aut compreſſum aliquod frumentum tenerem; aut in iſto genere omnino quidquam aut curatione, aut poteſtate valuiſſem. ſed homo ad caedem imminens meum nomen operis ediderat, imperitis iniecerat. cum de mea dignitate in templo Iouis optimi maximi ſenatus frequentiſſimus, vno iſto diſſentiente, decreuiſſet; ſubito, illo ipſo die, cariſſimam annonam nec opinata vilitas conſecuta eſt. erant, qui deos immortales, id quod ego ſentio, numine ſuo reditum meum dicerent comprobaſſe. nonnulli autem illam rem ad illam rationem, coniecturamq. reuocabant, qui, quod in meo reditu ſpes otij, & concordiae ſita videbatur, in diſceſſu autem quotidianus ſeditionis timor, iam paene belli depulſa metu commutatam eſſe annonam dicebant: quae quia rurſus in meo reditu facta erat durior, a me, cuius aduentu fore vilitatem boni viri dictitabant, annona flagitabatur. ego denique non ſolum ab operis tuis, impulſu tuo, nominabar; ſed etiam, depulſis ac diſſipatis tuis copiis, a populo R. vniuerſo, qui tum in Capitolium conuenerat, cum illo die minus valerem, nominatim in ſenatum vocabar. veni exſpectatus. multis ſententiis iam dictis, rogatus ſum ſententiam, dixi reip. ſaluberrimam, ac mihi neceſſariam. petebatur a me frumenti copia, annonae vtilitas, quaſi poſſem aliquid in ea re gerenda: non habebatur. flagitabar bonorum expoſtulatione: improborum conuicia ſuſtinere non poteram. delegaui amico locupletiori: non quo illi, ita de me merito, onus illud imponerem (ſuccubuiſſem enim potius ipſe) ſed quia videbam, id quod omnes, quod nos de Cn. Pompeio polliceremur, id illum fide, conſilio, virtute, auctoritate, felicitate denique ſua facillime perfecturum. itaque ſiue hunc dij immortales fructum mei reditus populo R. tribuunt, vt, quemadmodum diſceſſu meo frugum inopia, fames, vaſtitas, caedes, incendia, rapinae, ſcelerum impunitas, fuga, formido, diſcordia fuiſſet, ſic reditu meo vbertas agrorum, frugum copia, ſpes otij, tranquillitas animorum, iudicia, leges, concordia populi, ſenatus auctoritas mecum ſimul reducta videantur; ſiue egomet aliquid aduentu meo, conſilio, auctoritate, diligentia pro tanto beneficio populo R. praeſtare debui; praeſto, promitto, ſpondeo; nihil dico amplius; hoc, quod ſatis eſt huic tempori, dico, remp. annonae nomine in id diſcrimen, quo vocabatur, non eſſe venturam. Num igitur in hoc officio, quod fuit praecipue meum, ſententia mea reprehenditur? rem maximam eripui a peſte ſummi periculi, non ſolum eam, ſed etiam vos a caede, incendijs, vaſtitate: nemo negat: cum ad cauſſam caritatis accederet iſte ſpeculator communium miſeriarum, qui ſemper in reip. malis ſceleris ſui faces inflammarit.

EXPLANATIO

MVNIVIT.] confirmauit atque auxit, naturalem petulantiam nulla poena coercente. QVAE *te tanta poena tuarum ſcelerum, flagitiorumq. vexat, vt arbitrere,*]ſcelera enim, & flagitia in malas opiniones, tamquam in poenam, homines impellunt. SPECIE *ipſa*] maieſtate quadam oris, & corporis. SVSTINENT] tuentur, atque conſeruant. SALVTEM *ciuium*] annonae caritate periclitantium. CVM *honore Cn. Pompeij*] quem rei frumentariae, mea ſententia praefeci. MIHI *eſſe iratos,*] quod ijs abſentibus eam de honore Cn Pompeij ſententiam dixerim, in quā S.C. factum eſt. Id aliquanto clarius nō multo poſt. At enim, inquit, liberū ſenatus iudiciū propter metum nō fuit. Si timuiſſe eos facis, qui diſceſſerunt: cōcede, nō timuiſſe eos qui rem anſerunt. ſin autē ſine ijs, qui tū abfuerūt, nihil decerni libere potuit: cū omnes adeſſent coeptū eſt referri de inducēdo S.C. ab vniuerſo ſenatu reclamatum eſt. AC *me abſente ſenſerint,*] in ſenatu, cum & de ſalute mea, & de meis bonis

bonis ageretur. Hoc eſt, opinor, quod ait in ea de Hiruſp. reſp. cauſſam de domo duobus locis eſſe dictã: ſemel videlicet in ſenatu abſente Cicerone, iterũ in foro, ipſo agẽte. Propterea ſubiungitur. Quoniam te ad populum cõtuliſti: ideſt in forũ, vbi populus aderat. Niſi ſi hoc ſenſu dictũ accipias. Quoniam, cum extraordinarium imperiũ ad Pompeiũ detuliſti, ſenatũ, & pontifices ipſos, qui ſenatores ſunt, & tamquã ſenatores ab extraordinarijs imperijs abhorrẽt, offendiſti: vt a ſenatu ad populũ defeciſſe videaris. SVPERIOR] cum in ſenatu de Cicerone actum eſt. INFERIOR] apud eoſdem. ALIBIDINOSA *ſententia*] ab ea ſententia, quam libido, non ratio afferat. CERTVM, *& definitum ius religionum,*] libidini contrarium. VETVSTAS *exemplorum,*] quae meam cauſſam probant. AVCTORITAS *litterarum,*] in ea, quae ſcripta ſunt, de iure dedicandi, de religione vel inferenda, vel tollenda: MONVMENTORVMQ.] rerum, quae exſtant, conſeruatae religionis indicio. TV. NE *es ille, inquit, quo ſenatus carere non potuit?*] non eſt hoc negantis Clodij, ſed plane confitentis, Cicerone ſenatum carere non potuiſſe, eiq. honorem illũ ac beneficiũ exprobrantis, quo maiorẽ eius culpã oſtẽdat, q ſtatim adueniens prodiderit auctoritatẽ optime de ſe meriti ſenatus, facto S.C. cum liberum ſenatus iudicium propter metũ non eſſet, abeſſent autẽ ſummi ordinis principes viri conſulares. FERRO, *& armis,*] ſeruis, improbiſq ciuibus armatis. EXERCITVS *terrorem,*] exercitus Caeſaris, qui tunc erat ad portas, cũ de Cicerone Clodius legẽ tulit. poſt Red. in ſen. Erat alius ad portas cũ imperio in multos annos, magnoq exercitu. Pro Sextio: Caeſar, quẽ maxime ignari homines veritatis mihi eſſe iratũ putabant, erat ad portas, erat cũ imperio, erat in Italia eius exercitus. CONSVLVM] Piſonis, & Gabinij. SERVORVM *delectu*] collegiorum nomine. infra. Cum in tribunali Aurelio conſcribebas non modo liberos, ſed etiam ſeruos. pro Sextio: Ijſdẽ cõſulibus in ſpectantibus, ſeruorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, collegiorum nomine. In Piſonẽ, Poſt red. ad Quir. OBSESSIONE *templorum*] templum Caſtoris ſignificat. pro Sextio: Iiſdem conſulibus arma in templum Caſtoris palam comportabantur. Et in Piſonem. NE. CVM *improbis*] hoc ad Ciceronẽ, non ad Clodium refertur. Se enim patria ceſſiſſe, ne ſua cauſſa res ad arma deduceretur, & ſaepe in orationibus, & in epiſtolis gloriatur. IN *Capitolium*] in quo ſenatus habebatur. TVRBVLENTO *illo die*] commota plebe propter annonae caritatem. PRAETVLISSET,] cum me in patriam reſtituit. OFFICIO *ſuo*] erga ſalutem meam.] CVSTODEM, *defenſoremq.*] Catilinae temporibus. EOS,] conſules. CONDEMNARE] iudicio meo, ſi in ſenatum non venirem infra: An, quia non cõdemnaui mea ſententia duos conſules, ſum reprehendendus? NON *nulli*] praeſertim cõſulares, qui tunc in ſenatum non venerunt, exceptis Meſſalla, & Afranio. TVTO *omnino in ciuitate eſſe non poſſe*] cum tuis armis ceſſi. ILLI *non item!*] non item exiſtimarunt: quia, meti mente, ipſi non timuerunt. Aliter hic antea, nec ſine mendo, legebatur: ego ſic reſtitui ex antiquo libro ſummi poetae, doctiſſimi hominis, amiciſſimi mei, Petri Angelij Bargaei: ET. MEAM *& aliorum vicem*] & mea, & aliorum cauſſa. NON *condemnaui*] quos condemnare viſus eſſem, ſi ab ijs in ſenatũ arceſſitus nõ veniſſem. INDEMNATVS] eiectus nullo iudicio. vnde illud pro Milone: Diem, mihi credo, dixerat, multã irrogarat, actionem perduellionis intenderat. DAMNATORVM *poenam ſuſtinerem?*] ne exſularem, vt damnati. OPTIMVM *conſilium*] cum ideo ſenatũ haberent, vt annonae difficultatem opportuno remedio tollerent. QVAM *populi ſermo*] ſenſimus id, quod ſentire populum, atque expoſcere videbamus, vt curandi frumenti munus Pompeio mandaretur. IN *animis noſtris*] in ſenatorum animis. SVPERIORIBVS *diebus*] ante meum aduentum. PROPTER *metum*] plebis, circa curiam adſtantis. QVI *remanſerunt.*] qui ſi timuiſſent, non remanſiſſent. AB *vniuerſo ſenatu reclamatum eſt*] patet igitur, eos, qui tum abfuerunt, ſi affuiſſent, idem ſenſuros fuiſſe, quod ij, qui affuerunt. AN. ALIO *potius confugiendum fuit?*] non ad Pompeium. infra: Negat oportuiſſe quidquã vni extra ordinem decerni. CONSILIA *tua,*] de renouandis ob annonae cauſſam latrociniis. OB *annonae cauſſam*] occaſione praeſentis annonae: ob annonam ſpecie, reuera improbo conſilio. CONCVRSVS *ad templum Concordiae factus,*] ad Att. ep. I. lib IV. Eo biduo cũ eſſet annonae ſumma caritas, & homines ad theatrũ primo, deinde ad ſenatũ concurriſſent impulſu Clodij; mea opera frumenti inopiã eſſe clamarent. CAPERE *potuit.*] pro debuit, vt ad Att. lib. 2. Feſtiue, mihi crede, & minore ſonitu, quam putarã, orbis in rep eſt conuerſus, citius omnino, quam potuit. IN *cauſſa fuit annona.*] malim, cauſſa fuit, ſublata, in, praepoſitione. HOC *delatum malum*] ſeditionem a te concitatam. NIHIL *de me dicam,*] ſe quoque inſidijs a Lollio petitum ſignificat. CN. POMPEIVM] Damnianum quendam Pedianus, locũ interpretans pro Milone; inſidiatorẽ Pompeij nominat praeter eũ, potuit & hic Lollius de tollendo Pompeio, impulſus a Clodio, cogitare. PER *cauſſam inopum, atque imperitorum,* quaſi defenderet inopes atque imperitos. nam, Per cauſſam, eſt per ſpeciẽ, ſignificatione falſa DECVRIATOS] in decurias diſtributos. Sic pro Sextio: cum vicatim homines conſcriberentur, decuriarentur. MATERIAM *ſeditionis*] annonae difficultatem. ISTA *funeſta fax*] Clodius cum ſua ſeditioſorum ad caedem, ad direptionem parata manu. Tribus verbis inducta translatio, materiam, fax adhaereſceret. ANNONAM *praeſtare*] annonae ſubuenire, inopiae mederi. IMPERITIS *iniecerat.*] apte, Iniecerat, verbum temeritatis, cum Imperiti, dixiſſet. IN *templo Iouis Opt. Max.* recitabo verba pro Sextio quibus eadẽ ſententia cõtinetur. Quid ego, inquit, illa de me diuina S C. commemorem? vel quod in templo Iouis Opt. Max. factum eſt: cũ vir is, qui tripartitas orbis terrarũ oras, atque regiones tribus triũphis, adiunctis huic imperio, notauit, de ſcripto ſentẽtia dicta, mihi vni teſtimoniũ patriae cõſeruatae dedit: cuius ſentẽtiã ita frequẽtiſſimus ſenatus ſecutus eſt, vt vnus diſſentiret

ſentiret hoſtis. Non *habebatur* quid? frumenti videlicet copia.mihi tamen ſuſpectus locus eſt Amico *locupletiori.*] Pompeio.

ORATIO

NEGAT *oportuiſſe quidquam vni extra ordinem decerni. Non iam tibi ſic reſpondebo, vt ceteris; Cn. Pompeio plurima, periculoſiſſima, maxima terra mariq. bella extra ordinem eſſe commiſſa; quarum rerũ ſi quem paeniteat, cum victoriae populi R. paenitere. non ita tecum ago. cum iis haec a me haberi oratio poteſt, qui ita diſputant, ſe, ſi qua res ad vnum deferenda ſit, ad Cn. Pompeium delaturos potiſſimum, ſed ſe extra ordinem nihil cuiquam dare; cum Pompeio datum ſit, id ſe pro dignitate hominis ornare, ac tueri ſolere. horum ego ſententiam ne laudem, impedior Cn. Pompeij triumphis: quibus ille, cum eſſet extra ordinem ad patriam defendendam vocatus, auxit nomen populi R. imperiumq. honeſtauit. conſtantiam probo: qua mihi quoque vtendum fuit; quo illo auctore extra ordinem bellum cum Mithridate, Tigraneq. geſſit. ſed cum illis tamen poſſum aliquid diſputare: tua vero quae tanta impudentia eſt, aut audeas dicere, extra ordinem dari nihil cuiquam oportere? qui cum lege nefaria Ptolemaeum, regem Cypri, fratrem regis Alexandrini, eodem iure regnantem, cauſſa incognita, publicaſſes; populumq. R. ſcelere obligaſſes; cum in eius regnum, bona, fortunas latrocinium huius imperij immiſiſſes, cuius cum patre, auo, maioribus ſocietas nobis, & amicitia fuiſſet: huius pecuniae deportandae, &, ſi quis ſuum ius defenderet, bello gerendo M. Catonem praefeciſti: dices, quem virum? ſanctiſſimum, prudentiſſimum, fortiſſimum, amiciſſimum reip. virtute, conſilio, ratione vitae mirabili ad laudem, & prope ſingulari: ſed quid ad te, qui negat eſſe iuris, quemquam vlli rei extra ordinem praefici? atque in hoc ſolum inconſtantiam redarguo tuam, qui in ipſo Catone, quem tu non pro illius dignitate produxeras, ſed pro tuo ſcelere ſubduxeras, quem tuis Sergijs, Lollijs, Titijs, ceterisq. caedis & incendiorum ducibus obieceras, quem carnificem ciuium, quem indemnatorum necis principem, quem crudelitatis auctorem fuiſſe dixeras, ad hunc honorem, & imperium extra ordinem nominatim rogatione tua detuliſti: & tanta fuiſti intemperantia, vt illius tui ſceleris rationem occultare non poſſes: litteras in concione recitaſti, quas tibi a C. Caeſare miſſas diceres. CAESAR. PVLCHRO. Cum etiam es argumentatus, amoris eſſe hoc ſignum, cum nominibus tantum vteretur, neque adſcriberet, proconſul, aut, tribuno pl. deinde gratulari, quod idem in poſterum M. Catonem tribunatu tuo remouiſſes. & quod idem in poſterum de extraordinarijs poteſtatibus libertatem ademiſſes. quas aut numquam tibi ille litteras miſit; aut, ſi miſit, in concione recitari noluit: aut, ſiue ille miſit, ſiue tu finxiſti, certe conſilium tuum de Catonis honore illarum litterarum recitatione patefactum eſt.*

EXPLANATIO

HORVM *ego ſententiam ne laudem,*] laudare non poſſum, in eo, quod ſe dicunt extra ordinem nihil cuiquam dare. TRIBVS *triumphis:*] triumphauit ex Hiſpania Sertorio & Perperna deuictis, ex Africa Hiabra & Domitio ex Aſia Mithridate, & Tigrane. CONSTANTIAM *probo:*] quod extra ordinem nihil cuiquam dant. QVA *mihi quoque vtendum fuit;*] ipſi faciunt, quod ſolent, cum extra ordinem Pompeio nihil dant: aeque enim id omnibus negant. ego quoque, quod antea feceram in bello Mithridatico extra ordinem Pompeio mandando, idem feci nunc in rei frumentariae procuratione e dem extra ordinem decernenda: & quã in illis conſtantiã probo, eadẽ in me ipſo delector. QVO *ille auctore*] praetor Cicero orationẽ habuit pro lege Manilia, ut Pompeius cum Mithridate, ac Tigrane extra ordinem bellum gereret. POSSVM *aliquid diſputare:*] ſuam enim quandam rationem habent, cum nimiam in vno homine potentiã non probant. tu vero cur id non probas in Pompeio, quod in Catone antea probaſti? quaenam haec impudentia eſt, vt in re ſimili non ſimiliter ſentias? POPVLVMQ. *Romanum ſcelere obligaſſes,*] inductum a te, vt legem tuã de publicando Ptolomaei regno ſuis ſuffragijs comprobaret. Nota ſatis hiſtoria. LATROCINIVM *huius imperii*] latrocinium enim vere dici poteſt illa publicatio. SI. QVIS] malim, ſi iis. QVID *ad te?*] Catonis laudes tuum factum non excuſant. nam ſi iuris non eſt, vlli rei quemquam extra ordinem praefici: cur tu Catonem praefeciſti? SERGIIS, *Lollijs, Titijs,*] Sergium, Lollium ſupra, & infra, Titium in ea pro Sextio, & de Haruſp. reſp. nominat. SVBDVXERAS,] ne tibi aduerſaretur in tuo tribunatu. CARNIFICEM *ciuium,*] quia ſententiam illam dixit de coniuratis vltimo ſupplicio afficiendis, quam ſenatus ſecutus eſt. Salluſtius, Plutarchus. ILLIVS *tui ſceleris*] in amandando Catone. A.C. CAESARE] ex Gallia. notae ſunt Caeſaris & Catonis inimicitiae. LIBERTATEM *ademiſſes.*] Catoni: ne poſſet in poſterum contra extraordinarias poteſtates verba facere. quod enim ipſe accepiſſet, in alijs reprehendere nõ poſſet. huc illud pertinet ex oratione pro Sextio: Qui in concione palam dixerint, linguam ſe euelliſſe M. Catoni, quae ſemper contra extraordinarias poteſtates libera fuiſſet.

ORATIO

SED *omitto Catonem, cuius eximia virtus, dignitas, & in eo negotio, quod geſſit, fides, & continentia tegere videntur improbitatem & legis; & actionis tuae. quis prouinciam homini poſt homines natos turpiſſimo,*

ſceleratiſſi-

*ſceleratiſſimo, contaminatiſſimo, quis illam optimam feſtilemq. Syriam, quis bellum pacatiſſimis gẽtibus, quis pecuniam ad emendos agros conſtitutam, ereptam vi ex Caeſaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? cui quidem cum Ciliciam dediſſes, mutaſti pactionem. & Ciliciam ad praetorẽ item extra ordinem tranſtuliſti: Gabinio, pretio amplificato, Syriam nominatim dediſti. Quid? homini taeterrimo, crudeliſſimo, fallaciſſimo, omnium ſcelerum libidinumq. maculis notatiſſimo, L. Piſoni non ne nominatim populos liberos, multis S.C. etiam recenti lege generi ipſius liberatos, vinctos, & conſtrictos tradidiſti? non ne, cum ab eo merces tui beneficij pretiumq. prouinciae meo ſanguine tibi eſſet perſoluta, tamen aerarium cum eo partitus es? ita ne vero? tu prouincias conſulares, quas C. Gracchus, qui vnus maxime popularis fuit, non modo non abſtulit ab ſenatu, ſed etiam, vt neceſſe eſſet quotannis conſtitui per ſenatum decreta, lege ſanxit, eas lege Sempronia per ſenatum decretas, reſcidiſti? extra ordinem, ſine ſorte, nominatim dediſti, non conſulibus, ſed reip. peſtibus: nos, quod nominatim rei maximae, paene iam deſperatae, ſummum virum, ſaepe ad extrema reip. diſcrimina delectũ, praefecimus, a te reprehendemur? Quid tandem, ſi, quae tum in illis reip. tenebris, caecisq. nubibus, & procellis, cum ſenatum a gubernaculis deieciſſes, populum e naui exturbaſſes, ipſe archipirata cum grege praedonum impuriſſimo pleniſſimis velis nauigares, ſi, quae tum promulgaſti, conſtituiſti, promiſiſti, vendidiſti, perficere potuiſſes: qui locus in orbe terrarum vacuus extraordinarijs faſcibus, atque imperio Clodiano fuiſſet? ſed excitatus aliquando Cn. Pompeij (dicam, ipſo audiente, quod ſenſi, & ſentio, quoquo animo me auditurus eſt) excitatus, inquam, aliquando Cn. Pompeij nimium diu reconditus, & penitus abſtruſus animi dolor ſubuenit ſubito reip. ciuitatemq. fractam malis, mutam, debilitatem, abiectam metu, ad aliquam ſpem libertatis, & priſtinae dignitatis erexit. Hic uir extra ordinem rei frumentariae praeficiendus non fuit? ſcilicet tu helluoni ſpurciſſimo praegustatori libidinum tuarum, homini egentiſſimo, & facinoroſiſſimo, Sex. Clodio, ſocio tui ſanguinis, qui ſua lingua etiam ſororem tuam a te abalienauit, omne frumentum priuatum, & publicum, omnes prouincias frumẽtarias, omnes mancipes, omnes horreorum claues lege tua tradidiſti. qua ex re primum caritas nata eſt, deinde inopia: impendebat fames, incendia, caedes, direptio: imminebat tuus furor omnium fortunis, & bonis. Queritur etiam importuna peſtis, ex ore impuriſſimo Sex. Clodij rem frumẽtariam eſſe ereptam; ſummisq. in periculis, eius viri auxilium imploraſſe remp. a quo ſaepe ſe & ſeruatam, & amplificatam eſſe meminiſſet. Extra ordinẽ ferri nihil placet Clodio. quid? de me quod tuliſſe te dicis, parricida, fratricida, ſororicida, non ne extra ordinem tuliſti? an de peſte ciuis, quemadmodum omnes iam dij atque homines iudicarunt, conſeruatoris reip. quemadmodum autem tute ipſe confiteris, non modo indemnati, ſed ne accuſati quidem, licuit tibi ferre non legem, ſed nefarium priuilegium, lugente ſenatu, maerentibus bonis omnibus, totius Italiae precibus repudiatis, oppreſſa captaq. republica: mihi, populo R. implorante, ſenatu poſcente, temporibus reip. flagitantibus, non licuit de ſalute populi R. ſententiam dicere; qua quidem in ſententia ſi Cn. Pompeij dignitas aucta eſt coniuncta cum vtilitate communi; certe laudandus eſſem, ſi eius dignitati ſuffragatus viderer, qui meae ſaluti opem & auxilium tuliſſet. deſinant, deſinant homines iiſdem machinis ſperare me reſtitutum poſſe labefactari, quibus antea ſtantem perculerunt. quod enim par amicitiae conſularis fuit vmquam in hac ciuitate coniunctius, quam fuimus inter nos ego, & Cn. Pompeius? quis apud populum R. de illius dignitate illuſtrius, quis ſenatui ſaepius dixit? qui tantus fuit labor, quae ſimultas, quae contentio, quam ego non pro illius dignitate ſuſceperim? qui ab illo in me honos, quae praedicatio de mea laude, quae remuneratio beneuolentiae praetermiſſa eſt? hanc noſtram coniunctionem, hanc conſpirationem in rep. bene gerenda, hanc iucundiſſimam vitae atque officiorum omnium ſocietatem certi homines fictis ſermonibus, & falſis criminibus diremerunt; cum iidem illum, vt me metueret, me caueret, monerent; iidem apud me, mihi illum eſſe vni inimiciſſimum, dicerent; vt neque ego ab illo, quae mihi petenda eſſent, ſatis audacter petere poſſem; neque ille, tot ſuſpicionibus certorum hominum & ſcelere exulceratus, quae meum tempus poſtularet, ſatis prolixe mihi polliceretur. data merces eſt erroris mei magna, pontifices; vt me non ſolum pigeat ſtultitiae meae, ſed etiam pudeat; qui, cum me non repentinum aliquod meum tempus, ſed veteres multo ante ſuſcepti, & prouiſi labores cum viro fortiſſimo & clariſſimo coniunxiſſent, ſim paſſus a tali amicitia diſtrahi, neque intellexerim, quibus aut vt apertis inimicis obſiſterem, aut vt inſidioſis amicis non crederem. proinde deſinant aliquando me iiſdem inflammare verbis: Quid ſibi iſte vult? neſcit, quantum auctoritate valeat, quas res geſſerit, qua dignitate ſit reſtitutus, cur ornat eum, a quo deſertus eſt? Ego vero neque me tum deſertum puto, ſed paene deditum; nec, quae ſint in illa reip. flamma geſta contra me, neque quo modo, neque per quos, patefaciundum mihi eſſe arbitror. ſi vtile reip. fuit, hauſire me vnum pro omnibus illam indigniſſimam calamitatem: etiam hoc vtile ſit, quorum id ſcelere conflatum ſit, me occultare, & tacere. Illud vero eſt hominis ingrati, tacere, (itaque libẽtiſſime praedicabo) Cn. Pompeium ſtudio, & auctoritate aeque, vt vnumquemque veſtrum, opibus, contentione, precibus, periculis denique praecipue pro ſalute mea laboraſſe hic tuis, P. Lentule, cum tu nihil aliud dies & noctes, niſi de ſalute mea, cogitares, conſiliis omnibus interfuit: hic tibi grauiſſimus auctor ad inſtituendam, fideliſſimus ſocius ad comparandam, fortiſſimus adiutor ad rem perficiendam fuit: hic municipia, coloniasq. adiit: hic Italiae totius auxilium cupientis implorauit: hic in ſenatu princeps ſententiae fuit: idemq. cum dixiſſet, tam etiam pro ſalute mea populum R. obſecrauit. Quare iſtam orationem, qua es vſus, omittas licet, poſt illam ſententiam, quam dixeram de annona, pontificum animos eſſe mutatos: proinde quaſi iſti aut de Cn. Pompeio aliter, atque ego exiſtimo, ſentiant, aut, quid mihi pro exſpectatione populi R. pro Cn. Pompeii meritis erga me, pro ratione mei temporis faciendum fuerit, ignorent; aut etiam, ſi cuius forte pontificis animum, quod certo ſcio aliter eſſe, mea ſententia offendit, alio modo ſit conſtituturus aut de religione pontificum, aut de rep. quam eum aut caerimoniarum ius aut ciuitatis ſalus coegerit.

lapide emptos tribunos pl. legē comitijs centuriatis tuli, P. Lentulus conſul. Et pro Milone: Septem praetores, octo tribuni pl. illius aduerſarij, defenſores mei. Hic quoque ſeptem praetores nominantur. Quibus locis de toto praetorum numero admonemur. M. CALLIDIVS,] orator optimus, niſi vis ei dicendi abfuiſſet. vide in Bruto.

ORATIO

QVAE cum libenter commemoro, tum non inuitus nonnullorum in me neſarie commiſſa praetereo. non eſt mei temporis, iniurias meminiſſe: quas ego, etiam ſi vlciſci poſſem, tamen obliuiſci mallem. alio transferēda mea tota vita eſt, vt bene de me meritis referam gratiam, cum apertis hoſtibus bellum geram, timidis amicis ignoſcam, proditores meos non indicem, dolorem profectionis meae reditus dignitate conſoler. quod ſi mihi nullum aliud eſſet offitium in omni vita reliquum, niſi vt erga duces ipſos, & principes, atque auctores ſalutis meae ſatis gratus iudicarer, tamē exiguum reliquae vitae tempus non modo ad referendam, verum etiam ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem. quando enim ego huic homini, ac liberis eius, quando omnes mei gratiam referent? quae memoria, quae vis ingenij, quae magnitudo obſeruantiae tot tantisq. beneficijs reſpondere poterit? qui mihi primus afflicto & iacenti conſularem fidem, dexteramq. porrexit: qui me a morte ad vitam, a deſperatione ad ſpem, ab exitio ad ſalutem reuocauit: qui tanto amore in me, ſtudio in remp. fuit, vt excogitaret, quemadmodum calamitatem meam non modo leuaret, ſed etiam honeſtaret. quid enim magnificentius, quid praeclarius mihi accidere potuit, quam, quod illo petente vos decreuiſtis, vt cuncti ex omni Italia, qui remp. ſaluam vellent, ad me vnum, hominem fractum, & prope diſſipatum, reſtituendum, & defendendum venirent? vt, qua voce a te Romule poſt Romam conditam conſul vſus eſſet pro vniuerſa rep. apud eos ſolum, qui eius vocem exaudire poſſent, eadem voce ſenatus omnibus agris, vicis, atque opidis ciue, totamq. Italiam ad vnius ſalutem defendendam excitaret. Quid ego glorioſius meis poſteris potui relinquere, quam hoc, ſenatum iudicaſſe, qui ciuis me non defendiſſet, eum remp. ſaluam noluiſſe? itaque tantum veſtra auctoritas, tantum eximia cōſulis dignitas voluit, vt omne is flagitium ſe committere putaret ſi quis non veniret. Idemq. conſul, cum illa incredibilis multitudo Romam, & paene Italia ipſa veniſſet, vos frequentiſſimos in Capitolium conuocauit. quo tempore quantam vim vera bonitas haberet, aut vera nobilitas, intelligere potuiſtis. nam Q. Metellus, & inimicus, & frater inimici, perſpecta veſtra voluntate, omnia priuata odia depoſuit: quem P. Seruilius. vir cum clariſſimus, tum vero optimus, mihiq. amiciſſimus & auctoritatis, & orationis ſuae diuina quadam grauitate ad ſui generis, communisq. ſanguinis facta, virtutesq. reuocauit; vt haberet in conſilio & fratrem ab inferis, ſocium rerum mearum, & omnes Metellos, praeſtantiſſimos ciues, paene ex Acheronte excitatos; in quibus Numidicum illum, cuius quondam de patria diſceſſus honeſtus ipſi, bonis omnibus tamen luctuoſus viſus eſt. itaque fuit is non modo ſalutis defenſor, qui ante hoc vnum beneficium fuerat inimicus, verū etiam adſcriptor dignitatis meae. quo quidem die cum CDX ſenatores eſſetis, magiſtratusq. omnes adeſſent, diſſenſit vnus, is qui ſua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat. atque illo die, quo remp. meis conſilijs conſeruatam grauiſſimis verbis, & plurimis iudicaſſetis, idem conſul curauit, vt eadem a principibus ciuitatis in concione poſtero die dicerentur: cum quidem ipſe egit ornatiſſime cauſſam meam, perfecitque, adſtante, atque audiente Italia tota, vt nemo cuiuſquam conducti, aut perditi vocem acerbam, atque inimicam bonis poſſet audire. Ad haec non modo adiumenta ſalutis, ſed etiam ornamenta dignitatis meae reliqua vos ijdem addidiſtis: decreuiſtis, ne quis vlla ratione rem impediret; qui impediſſet, grauiter moleſteque laturos; illum contra remp. ſalutemque bonorum, concordiamq. ciuium facturum; & vt ad vos ea ſtatim referrentur: meq. etiam, ſi diutius calumniarentur, redire iuſſiſtis. Quid? vt agerentur gratiae, qui e municipijs veniſſent. quid? vt ad illam diem, res cum rediſſent, rogarentur, vt pari ſtudio conuenirent. Quid denique illo die, quem P. Lentulus mihi, fratriq. meo, liberisq. noſtris natalem conſtituit, non modo ad noſtram, verum etiam ad ſempiterni memoriam temporis? quo die nos comitijs centuriatis, quae maxime maiores iuſta dici haberiq. voluerunt, arcerſiuit in patriam: vt eaedem centuriae, quae me conſulem fecerant, conſulatum meum comprobarent. quo die quis ciuis fuit, qui fas eſſe putaret, quacumque aut aetate, aut valetudine eſſet, non ſe de ſalute mea ſententiam ferre? quando tantam frequentiam in campo, tantum ſplēdorem Italiae totius, ordinumq. omnium, quando illa dignitate tot rogatores, diribitores, cuſtodesq. vidiſtis? itaque P. Lentuli beneficio excellenti, atque diuino non ſolum reducti ſumus in patriam, ſicut nonnulli cariſſimi viri, ſed equis inſignibus, & curru aurato reportati.

EXPLANATIO

HVIC *homini,*] patet ex iis, quae ſequuntur, ſignificari P Lentulum conſulem. QVI *remp. ſaluam vellent,*] in Piſonem: Ad meam vnius hominis ſalutem ſenatus auxiliū omniū, cuncta ex Italia, qui remp ſaluam eſſe vellent, cōſulis voce & litteris implorandū putauit. Et pro Domo. QVA *voce a te Romule poſt Romam conditam conſul vſus eſſet pro vniuerſa rep.*] quid opus eſt, A te Romule, cum ſequatur, Poſt vrbē cōditam: vidit mendū Vbaldinus Bandinellus, cuius in hac emendandi ratione excelluit induſtria: vident, opinor, omnes, qui iudicio aliquid valent. Sed profecto, quod ſincerū nō eſt, id videre multo procliuius eſt, quā corrigere legebat Vbaldinus, Qua voce antea ſemel: alij, Qua

voce

voce ter omnino: ſatis longe, vt mihi videtur, vterque a vetere ſcriptura: veruntamen concedamus alijs, quod ipſi nobis nõ concedimus, vt coniectura liberior eſſe poſſit: rẽ ipſã ponderemus. Videtur Vbaldinus, cum, ſemel, reponendũ putauit, de vno cõſule P. Valerio Poplicola cogitaſſe: qui, cũ Ap. Herdonius noctu Capitolium arcemq. cũ exſulibus, & ſeruis occupaſſet ipſe pro imperio conſulari, nullo S.C. nullo populi iuſſu, in cõcione illa dixit, quae ſcripta ſunt apud Liuiũ lib. III. ſe arma capere: vocare omnes Quirites ad arma: Si quis impediat, iam ſe, conſularis imperij, iã tribuniciae poteſtatis, ſacratarumq. legum oblitum, quiſquis ille ſit, vbicũque ſit, in Capitolio, in foro, pro hoſte habiturũ. Quid vero ij, qui, Ter, maluerunt, quam, ſemel, ſpectarunt? tria ſcilicet tẽpora, vnũ Poplicola cõſule, alterũ L. Opimio, qui Gracchum occidit, tertium C. Mario, qui Saturniũ tribunum pl. & Glauciam praetorem. Vtra igitur opinio ad Ciceronis mentem propius accedit, nihil decerno, tantum aliquid dicam veritatis indagandae gratia. Mihi de vno potius conſule Poplicola, quã de Opimio ſimul, & Mario, loqui Cicero videtur. nam ea maior eſt laus, vt, cum ſemel tantũ, non ter, poſt vrbẽ cõditam conſul eos, qui exaudire poſſent, pro vniuerſa rep. ad arma vocauerit, ſenatus ad vnius ſalutẽ defendendam omnibus agris, vicis, opibus ciues, totamq. Italiam excitaret: vt comparetur ſenatus factum pro vno ciue reſtituendo cũ conſulis facto pro vniuerſa rep. liberanda, quod ſingulare tamẽ fuerit poſt vrbem cõditam. Attigit eandẽ rem in oratione pro Sextio, & in Piſonem. Q. METELLVS,] alter conſul. FRATER *inimici,*] P. Clodij: vel quia Metellus Clodia, vel quia Clodius Metella natus eſſet. ſic pro Domo & in ep. ad Att. fratres vocantur. DIVINA *quadam grauitate*] de eodem in ea pro Domo: Cuius ſi etiam vim, & grauitatem illam ſingularem ac paene diuinam aſſequi poſſem. FRATREM] Q. Metellum Celerem. ep. 1. 2. 3. lib. v. Fam. DISSENSIT *vnus,*] P. Clodius de Haruſp. reſp. & pro Sextio. IS QVI *ſua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat.*] ſcripſerat enim in lege, vel certe promulgarat, (nam legem ſcripſit Sex. Clodius) vt, ſi reuixiſſent ij, quos Cicero indicta cauſſa condemnarat, tum in patriam rediret. CALVMNIARENTVR,] aſtute rem producerent. id enim interdũ eſt, calumniari. vnde illud in ep. ad Lentulum: Res ab aduerſarijs noſtris extracta eſt varijs calũnijs. Et pro Sextio cum omni mora, ludificatione, calumnia ſenatus auctoritas impediretur. RES *cum rediſſent,*] legendum videtur, Ad res cum rediſſent: ideſt, ad ſua negotia. id colligitur ex ea pro Sextio, in qua idem dicitur his verbis: Decreuit eodem tempore ſenatus, vt ijs, qui ex tota Italia ſalutis meae cauſſa conuenerant, agerentur gratiae; atque vt ijdem ad res redeuntes, vt venirent, rogarentur. ILLA *dignitate*] qui ſenatores fuerunt: vt in Piſonem. ROGATORES,] eos, qui rogarunt populum Romanum pro ſalute Ciceronis. DIRIBITORES,] qui ſuffragiorum tabulas diſtribuerunt. CVSTODES] tabellarum. Locum huic ſimillimum ex ea in Piſonem recitare non grauabor. Ex vobis, inquit, audio, nemini ciui vllam, quo minus adeſſet, ſatis iuſtam excuſationẽ eſſe viſam; nullis comitijs vmquam neque multitudinem hominum tantam, neque ſplendidiorem fuiſſe. hoc certe video, quod indicant publicae tabulae, vos rogatores, vos diribitores, vos cuſtodes fuiſſe tabellarum.

O R A T I O

POSSVM ego ſatis in Cn. Pompeium vmquam gratus videri? qui non ſolum apud vos, qui omnes idem ſentiebatis, ſed etiam apud vniuerſum populum R. ſalutem reip. & conſeruatam per me, & coniunctam eſſe cum mea dixerit: qui cauſſam meam prudentibus commendarit, imperitos edocuerit, eodemq. tempore improbos auctoritate ſua compreſſerit, bonos excitarit: qui populum R. pro me, tamquam pro fratre, aut pro parente, non ſolum hortatus ſit, verum etiam obſecrarit: qui ipſe cum propter metum dimicationis, & ſanguinis domo ſe teneret, etiam a ſuperioribus tribunis petierit, vt de ſalute mea & promulgarent, & referrent: qui, in colonia nuper conſtituta cum ipſe gereret magiſtratum, in qua nemo erat emptus interceſſorum, vim & crudelitatem priuilegii, auctoritate honeſtiſſimorum hominum, & publicis litteris conſignauit, princepsq. Italiae totius praeſidium ad noſtram ſalutem implorandum putauit: qui, cum ipſe mihi ſemper amiciſſimus fuiſſet, etiam vt ſuos neceſſarios mihi amicos redderet, elaborauit. Quibus autem officiis T. Annii beneficia remunerabor? cuius omnis actio, ratio, cogitatio, totus denique tribunatus nihil aliud fuit, niſi conſtans, perpetua, fortis, inuicta defenſio ſalutis meae. Quid de P. Sextio loquar? qui ſuam erga me beneuolentiam & fidem non ſolum animi dolore, ſed etiam corporis vulneribus oſtendit.

E X P L A N A T I O

DOMO *ſe teneret;*] quamdiu Clodius tribunus. pl. fuit. REFERRENT:] in ſenatu: quod lex Clodia vetabat. retulit L. Ninnius: vt in ea pro Sextio. IN. *Colonia*] Capuae. NVPER *conſtituta*] a C. Caeſare conſule anno ſuperiore. MAGISTRATVM,] duumuiratum, collega L. Piſone conſule. vnde illud ſupra: Capuae ne te putabas eo tempore conſulem eſſe, ſicut eras, an Romae? Et in ea pro Domo, & in Piſonem. NEMO *erat emptus interceſſorum.*] hoc in Aelium Ligurem tribunum pl. conijcit; qui Kalendis Iun. referente L. Ninnio de Cicerone reuocando, emptus a Clodio, interceſſit. PRIVILEGII,] Clodij legem qua pulſus eſt, inuidiae cauſſa priuilegium vocat. pro Domo: Vetant leges ſacratae, vetant xij. tabulae, leges priuatis hominibus irrogare: id eſt enim priuilegium. CONSIGNAVIT,] teſtatam eſſe voluit, ad Clodiani ſceleris memoriam.

aliqua ſenarium illum, qui eſt in oratione in Piſonem: Numquam iſtam imminutam curam infitiando tibi. Huc fortaſſe adſpexit, cum illa quoque pro Sextio diceret. Atque ego de Antonio nihil dico, praeter vnum, numquam illum in illo ſummo timore, ac periculo ciuitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nõnullorum de ipſo ſuſpicionem aut infitiando tollere, aut diſſimulando ſedare voluiſſe. SIMVLATIONE *collegiorum*] collegia Clodius in tribunatu non ſolum vetera, a ſenatu antea ſublata, reſtituit, ſed noua quaedam ex omni vrbis faece, ac ſeruitio conſtituit. ad Quirites: Cũ homines in tribunali Aurelio palam conſcribi, centuriarique vidiſſem. Pro Domo: Cũ in tribunali Aurelio conſcribebas palam non modo liberos, ſed etiam ſeruos, ex omnibus vicis concitatos; vim tum videlicet non parabas. Pro Sextio. Iiſdem conſulibus inſpectãtibus, ſeruorum delectus habebatur in tribunali Aurelio, nomine collegiorũ. Et in Piſonem. PROSCRIPTIONIS,] exemplo L. Lamiae relegati. REVOCATA *eſt*,] mutatis conſulibus. CN. PLANCIVS] cum in Macedonia quaeſtor eſſet. PROVINCIALIBVS *ornamentis*,] in orat. pro ipſo Plancio. Simul ac me Dyrrhachium attigiſſe audiuit, ſtatim ad me, lictoribus dimiſſis, inſignibus abiectis, veſte mutata, profectus eſt. COMMODIS Q.] ſua commoda, dum me ſuſtentaret, & conſeruaret, neglexit omnia.

ORATIO

QVA propter, P.C. quoniam in remp. ſum pariter cum rep. reſtitutus, non modo in ea defendenda nihil minuam de libertate mea priſtina, ſed etiam adaugebo. etenim, ſi eam tum defendebam, cum aliquid mihi illa debebat: quid nunc me facere oportet, cum ego illi plurimum debeo? nam quid eſt, quod animum meum frangere, aut debilitare poſſit, cuius ipſam calamitatem non modo nullius delicti, ſed etiam diuinorum in remp. beneficiorum teſtem eſſe videatis? nam & importata eſt, quia defenderam ciuitatem; & mea voluntate ſuſcepta eſt, ne a me defenſa reſp. per eundem me extremum in diſcrimen vocaretur. Pro me non, vt pro P. Popillio, nobiliſſimo homine, adoleſcentes filij, non propinquorum multitudo populum Rom. eſt deprecata, non, vt pro Q. Metello, ſummo & clariſſimo viro, ſpectata iam adoleſcentia filius, non L. & C. Metelli conſulares, non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos, qui tum conſulatum petebat; non Luculli, Seruilij, Scipiones, Metellarum filij, flentes, ac ſordidati populo R. ſupplicauerunt, ſed vnus frater, qui in me pietate filius, conſilijs parens, amore, vt erat frater inuentus eſt, ſqualore, & lacrumis, & quotidianis precibus deſiderium mei nominis renouari, & rerum geſtarum memoriam vſurpari coegit. qui cum ſtatuiſſet, niſi per vos me recuperaſſet, eandem ſubire fortunam, atque idem ſibi domicilium & vitae, & mortis depoſceret: numquam nec magnitudinem negotij, nec ſolitudinem ſuam, nec vim inimicorum, ac tela pertimuit. Alter fuit propugnator mearum fortunarum & defenſor aſſiduus, ſumma virtute & pietate C. Piſo gener: qui minas inimicorum meorum, qui inimicitias affinis mei, propinqui ſui conſulis, qui Pontum, & Bithyniam quaeſtor pro mea ſalute neglexit. Nihil vmquam ſenatus de P. Popillio decreuit: numquam in hoc ordine Q. Metelli mentio facta eſt. tribunicijs ſunt illi rogationibus, interfectis inimicis, denique nulla auctoritate ſenatus reſtituti; cum alter eorum ſenatui paruiſſet, alter vim, caedemq. fugiſſet. Nam C. quidem Marius, qui hac hominum memoria tertius ante me conſularis tempeſtate ciuili expulſus eſt, non modo a ſenatu non eſt reſtitutus, ſed reditu ſuo ſenatum cunctum paene deleuit. Nulla de illis magiſtratuum conſenſio, nulla ad remp. defendendam populi Rom. conuocatio, nullus Italiae motus, nulla decreta municipiorum, & coloniarum extiterunt. Quare, cum me veſtra auctoritas acceſſierit, populus Rom. reuocarit, reſp. implorarit, Italia cuncta paene ſuis humeris reportarit; non committam, P.C. vt, cum ea mihi ſint reſtituta, quae in poteſtate mea non fuerunt, ea non habeam, quae ipſe praeſtare poſſim, praeſertim cum illa amiſſa recuperarim, virtutem, & fidem numquam amiſerim.

EXPLANATIO

P. POPILLIO] C. Gracchi lege pulſo, deinde reſtituto. ad Quirites, pro Domo. NOBILISSIMO *homine*,] conſulari. Q. METELLO,] Numidico, de quo L. Appuleius Saturninus tulit. FILIVS,] qui, quod pro patre exſule ſupplicaſſet, Pij cognomen eſt adeptus. L. ET. C. *Metelli conſulares*,] L. Metellus Dalmaticus, C. Metellus Caprarius, & conſularis, & cenſorius, vterque Macedonici filius. NON. *Q. Metellus Nepos*,] Q. Metelli Balearici, qui Dalmatici, & Caprarij frater fuit, filius auctore Pediano. LVCVLLI,] Lucius, & Marcus, Metelli Numidici ſorore nati, vt ait Plutarchus. SERVILII,] P. Seruilius Iſauricus poſtea dictus Macedonici filia genitus. SCIPIONES,] P. Scipio & ipſe ex Macedonici filia ſuſceptus, pater eius Scipionis, qui Pompeij Magni ſocer fuit. Vide, quae diximus in ea poſt red. ad Quir. QVI *in me pietate filius*,] poſt red. ad Quir. Mihi pietate filius inuentus eſt, beneficio parens, amore idem, qui ſemper fuit, frater. TRIBVNICIIS *rogationibus*] rogationem de Popillio tulit L. Beſtia, vt in Bruto: de Metello Q. Calidius, vt pro Plancio. INTERFECTIS *inimicis*,] inimico Popillij C. Graccho, Metelli L. Saturnino. ALTER *eorum*] Popillius qui diſceſſit inuito quidem, ſed auctore tamen ſenatu. VIM,] Saturnini tribuni pl. atque adeo C. Marij vi. cõſu is, qui tunc Saturnini partes adiuuabat, veteresq. cum Metello inimicitias exercebat. QVI. HAC *hominum aetate tertius ante me conſularis tempeſtate ciuili expulſus eſt*,] primus Popillius, alter Metellus, ille C. Gracchi, hic L. Saturnini ſeditione expulſus: tertius ipſe Marius, cũ Sullae victoris arma fugir. [ILLA] patriam, dignitatem, fortunas meas. EA. NON *habeam*,] virtutem, & fidem. QVAE *ipſe praeſtare poſſim*.] quae in poteſtate mea ſunt, quae mihi adimere inimicorum iniuria non poteſt.

IN · ORATIONEM · CICERONIS
PRO · DOMO · SVA
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

RESTITVTVS *in patriam Cicero, Lentuli praecipue conſulis opera,* XVI. *menſe, poſtquam in exſulium iniquiſſima lege Clodia pulſus erat, ſtatim habuit hanc orationem ad Pontifices, in qua neruos omnes intendit, vt domum ſuam, eadem lege publicatam, & euerſam, deinde, ne profana vmquam fieri poſſet, libertati conſecratam, neque publicari, neque conſecrari potuiſſe, oſtenderet. qua de re ſic in epiſt.* I. *lib.* IV. *ad Att. Nos tacemus, & eo magis, quod de domo noſtra nihil adhuc pontifices reſponderant: qui ſi ſuſtulerint religionem, aream praeclaram habebimus. Et in* 2. *eiuſdem libri. Poſt illas datas litteras ſecuta eſt ſumma contentio de domo. diximus apud Pontifices* 1. *Kal. Oct. acta res eſt accurate a nobis: & ſi umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam ſi nũquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo uim quandam nobis dicendi dedit. Tantum autem de domo recuperanda laborabat, vt, cum eſſet in exſulio, ita ſcripſerit ad vxorem. Quod de domo ſcribis, hoc eſt de area: ego vero tum denique mihi videbor reſtitutus, ſi illa nobis erit reſtituta. Ac domum quidem ei reſtitutam eſſe, ſatis conſtat ex eadem ad Att. epiſtola: in qua ſunt haec. Cum pontifices decreſſent, ita, ſi neque populi iuſſu, neque plebiſcito, qui ſe dedicaſſe diceret, nominatim ei rei praefectus eſſet; videri, poſſe ſine religione iam partem areae mihi reſtitui; mihi facta ſtatim eſt gratulatio: nemo enim dubitat, quin domus nobis eſſet adiudicata. Sed planiſſime in oratione de Haruſp. reſp. Meam domum P. Lentulus conſul. M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Meſſalla, L. Lentulus Flamen Martialis, P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius,*

M. Le-

M. Lepidus, L. Claudius rex ſacrorum, M. Scaurus, M. Craſſus, C. Curio, Sex. Caeſar, flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinouanus, Q. Terentius, pontifices minores, cauſſa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia ampliſsimorum, ac ſapientiſsimorum ciuium adſtante, omni religione, vna mente omne, liberauerunt. Eſt autem omnis haec in ſeptem partes diſtributa oratio. Prima reſpondet Clodio, qui apud pontifices ea vituperauerat, quae per eos dies Cicero in ſenatu de rep. ideſt de Cn. Pompeio rei frumentariae praeficiendo ſenſerat. Secunda de iure publico agit, & in ea oſtenditur, legibus ijs, quibus Romana ciuitas vteretur, non poſſe quemquam ciuem eijci, aut de capite eius, vel de bonis quidquam detrahi ſine iudicio ſenatus, aut populi, aut eorum, qui de quaque re conſtituti iudices ſint. In eadem rationes afferuntur, cur tribunus pl. eſſe Clodius nō potuerit. quomodo enim, cum patricius eſſet, ad plebem tranſiuit? adoptione? at ea rata eſſe non poteſt: primum quia ſeruatum adoptandi ius non eſt. nam cum adoptare debeat is, qui neque procreare iam liberos poſſit, &, cum potuerit, ſit expertus: adoptauit Clodium ſenatorem annos viginti natus: qui liberos non modo procreare poteſt, cum habeat vxorem, ſed procreauit etiam. Et cum quaeri a pontificum collegio ſoleat, quae cauſſa ſit adoptionis, quae ratio generum, ac dignitatis, quae ſacrorum: nihil horum in illa adoptione quaeſitum eſt. Atque haec de non ſeruato adoptionis iure, quae omnis notio pontificum eſſe debuit, apud ipſos pontifices dicuntur: ad augures autem, qui aderant, de curiata lege diſputat, qua Clodius eſt adoptatus. Nefas, inquit, eſt agi cum populo, cum de caelo ſeruatur. at quo die lata lex eſt, Bibulus conſul de caelo ſeruauit. rata igitur eſſe non poteſt: quod ſi rata non eſt: qui potuit Clodius contra auſpicia adoptatus, tribunus pl. eſſe? Accedit ad infirmatam curiatam legem altera ratio. Quid ſeruatur in ferendis legibus? trinundinum, ideſt, vt promulgata lex per tres nūdinas, antequam feratur, populo pateat. quod ſpatium, tantum abeſt, vt ſeruatum ſit, vt eam legem Caeſar cōſul vix per tres horas promulgatam tulerit. Tertia pars, vel ſi tribunus pl. & per auſpicia, & per leges Clodius eſſe potuerit, quod vtrūque iam negatum eſt; ab eo tamen legem nominatim de capite ciuis indemnati fieri non potuiſſe demonſtrat. id enim priuilegium eſt: quod ſacratae leges, & XII. tabulae vetant. Neque vero hoc tantum contra leges, ſed illud etiam, quod de eius capite, fortuniſq. omnibus, qui neque adeſſe ſit iuſſus, neque citatus, neque accuſatus, legem illā Clodius tulerit: cum iudicia populi ita moderata eſſent a maioribus conſtituta, primū, vt ne poena capitis cum pecunia coniungeretur: deinde, ne, niſi prodicta die, quis accuſaretur: tum, vt ante magiſtratus accuſaret intermiſſa die, quā multam irrogaret, aut iudicaret: poſtremo, vt eſſet accuſatio trinum nūdinum, ideſt ab eo die,

quo

quo quis ad populum accuſari coeptus eſſet, ad diem iudicij trinae nundinae intercederent; pro dicta die, qua die iudicium eſſet futurum: eamq. diem ſi qua res auſpicijs, aut excuſatione ſuſtuliſſet, tota cauſſa, iudiciūq. tolleretur. Nec verba legis vitio carent: ſunt enim hæc: Velitis, iubeatis, vt M. Tullio aqua, & igni interdictum ſit. Cum ferri debuerit, vt interdicatur, nō, vt interdictum ſit. quo modo enim, quod factum non eſt, id vt ſit factum, ferri ad populum, aut verbis ullis ſanciri, aut ſuffragijs cōfirmari poſſet? peccatum eſt igitur in forma legis: quid in ipſa veritate? nō minus. ſcriptum eſt enim: Quod M. Tullius falſum S.C. retulerit. qui ſi falſum retulit, recte ſcripta lex eſt: ſi verum, nulla eſt. verum autem retuliſſe, nec ipſum pro ſuo imperio, ſed ſenatus iuſſu in coniuratos animaduertiſſe, ſenatus ipſe, cum eum reſtituit, indicauit. Sunt igitur hæc in lege vitia, primum quod lata nominatim ſit de capite ciuis indemnati: alterum, quod imperite, vt interdictum eſſet aqua, & igni, cui nondum interdictum eſſet: tertium, quod ſimul de pluribus rebus: quartum, quod per vim. id quod Lentulus conſul in lege vidit, quā de Ciceronis reditu tulit, non enim tulit, vt & venire Romā liceret, ſed vt veniret. Quarta pars Clodij maledictum, exſulem Ciceronem appellantis refellit duabus cauſſis, vel quod ex peccato, vel quod ex damnatione ſubeatur exſulis nomen. Peccaſſe me, inquit, negant omnes: optime de patria meritum, ſenatus, equeſtris ordinis, ſcribarum, plebis vrbanae, ideſt paganorum, & montanorum, denique etiam municipiorum, coloniarum, & totius Italiae de meo reditu decreta declarant. In ferenda vero lege, quae celebritas vmquam maior populi Romani, quantus omnis generis hominum, aetatum, ordinumque ſplendor? Quod ad damnationem attinet, exſul non ſum. indemnatus enim diſceſſi, nemo me vlla vmquam lege interrogauit: nemo poſtulauit: nemo diem dixit. libertatem vero, aut ciuitatem amittere ciuis Romanus nemo poteſt, niſi auctor ipſe factus ſit. Infirmatur Clodij maledictū ea quoque ratione, quod in ipſa rogatione nihil tulerat, quo minus Cicero eſſet non modo in ciuium, ſed etiam in ſenatorum numero: & quod in lege illa ſuffragium tulerit non populus Romanus, ſed multitudo hominum e ſeruis conductis, & facinoroſis, & egentibus congregata. Quincta, primum eidem Clodio reſpondet, accuſanti Ciceronem, quod de ſe ipſo glorioſius praedicaret: deinde ijs, qui obijcerent, ei diſceſſum e patria. Sexta de domo recuperāda quantum laboret, quamq. improbe Clodius fecerit in ea dedicanda, & quid ſpectarit, oſtendit. Dedicatio improbatur, quod non affuerit Collegium Pontificum, ſed vnus tantum pontifex, iſque frater vxoris Clodij, adoleſcens imperitus, nouus ſacerdos, ſororis precibus, matris minis adductus, mente, & lingua titubante. In extrema parte preces ad Iouem, Iunonem, Mineruam, ad

patrios penates, & familiares, ad Veſtam continentur: vt, ſi nefariam flammam ab eorum templis, ac delubris depulerit; ſi ſuum caput, pro eorum caerimonijs, atque templis, perditiſsimorum ciuium furori, ferroq. obiecerit; ſi nihil vmquam magis, quam de reip. ſalute laborauerit; hunc fructum ferat, vt ſibi redire in ſuas ſedes liceat. Iisdemque precibus, conuerſus ad pontifices, vtitur, vt ab ipſis iam in patriam reſtitutus, nunc, auctore ſenatu, manibus eorum in ſuis ſedibus collocetur. Habita eſt oratio ijsdem conſulibus, quibus in patriam redijt, id eſt Lentulo, & Metello. De genere, de ſtatu, de partibus orationis, quae nonnulli oſtentationis potius, quam vtilitatis publicae cauſſa, ſedulo perſequuntur, nihil addam: vel quia ſunt in promptu, ſatisq. patent ex rhetorum libris: vel quod a veterum interpretum conſuetudine non libenter diſcedo.

M · TVLLII · CICERONIS

PRO. DOMO. SVA. AD. PONTIFICES

ORATIO · XXIX.

CVm multa diuinitus, pontifices, a maioribus noſtris inuenta, atque inſtituta ſunt, tum nihil praeclarius, quam quod vos eoſdem & religionibus deorum immortalium, & ſummae reip. praeeſſe voluerunt: vt ampliſſimi, & clariſſimi ciues remp. bene gerendo, pontifices religiones ſapienter interpretando, remp. conſeruarent. quod ſi vllo tempore magna cauſſa in ſacerdotum populi R. iudicio, ac poteſtate verſata eſt, haec profecto tanta eſt, vt omnis reip. dignitas, omnium ciuium ſalus, vita, libertas, arae, foci, dij penates, bona, fortunae, domicilia veſtrae ſapientiae, fidei, poteſtatiq. commiſſa, creditaq. eſſe videantur, vobis hodierno die conſtituendum eſt. vtrum poſthac amentes, ac perditos magiſtratus improborũ ac ſceleratorum ciuium praeſidio nudare, an etiam deorum immortaliũ religione armare malitis. nam, ſi illa labes ac flamma reip. ſuum illum peſtiferum, & funeſtum tribunatum, quem aequitate humana tueri non poteſt, diuina religione defenderit: aliae caerimoniae nobis erunt, alij antiſtites deorum immortalium, alij interpretes religionum requirendi. ſin autem veſtra auctoritate, ſapientiaque, pontifices, ea, quae furore improborum in rep. ab alijs oppreſſa, ab alijs deſerta, ab alijs prodita, geſta ſunt, reſcinduntur: erit cauſſa, qua conſilium maiorum in ampliſſimis viris ad ſacerdotia deligẽdis iure ac merito laudare poſſimus. ſed, quoniam ille demens, ſi ea, quae ego per hos dies in ſenatu de rep. ſenſi, vituperaſſet, aliquem ſe aditum ad aures veſtras eſſe habiturum putauit: omittam ordinem dicendi meum: reſpondebo hominis furioſi non orationi, qua ille vti non poteſt, ſed conuicio, cuius exercitationem cum intolerabili petulantia, tum etiam diuturna impunitate muniuit.

EXPLANATIO

DIVINITVS] diuina ſaepe transferuntur ad humana per ſimilitudinẽ; cum in ſingulari laude cõmunia vocabula ſufficere non videntur Sic, diuinus ſenatus, diuina S.C. Deus ille noſter Plato eadẽ ratione eſt hic, Diuinitus, pro pręclare: ideoq. ſubiungitur, Tum nihil praeclarius. PONTIFICES] minores, abſente pontifice Max. C. Caeſare, qui tum in Gallia bellum gerebat. eorum nomina poſuimus in argumento. VOS *eoſdem, & religionibus deorum immortalium & ſummae reip. praeeſſe*] non tam eos, qui tũ pontifices erant, qui longe aberant a maiorum aetate, quam ſuperiores oẽs pontifices; vt religioni praeeſſet nemo, qui ſummã remp. ſimul non adminiſtraret, i. qui ſenator non eſſet infra: Conſilium maiorũ in ampliſſimis viris ad ſacerdotia deligendis. AMENTES, *ac perditos magiſtratus*] qualis in tribunatu Clodius fuit. IMPROBORVM, *ac ſceleratorum ciuium praeſidio*] numquam enim deerunt, qui opem illis ferant in oppreſſione bonorũ, niſi mihi mea domus, Clodij tribuni pl. furore adempta, & Libertati conſecrata, veſtris hodierno die ſententijs liberetur. AN. ETIAM *deorum immortalium religione armare*] armauit Clodius, ac muniuit improbitatem ſuam religione deorum immortalium, cum domũ Ciceronis, a ſe publicatam, atque euerſam dedicandã etiã curauit. LABES, *ac flamma reip.*] quia ſuis remp. ſceleribus deformauit, atq. incendit. QVEM *aequitate humana tueri non poteſt,*] quia reſciſſa ſunt, & reſcindentur a ſenatu, populoq. Ro. ea, quae geſſit in tribunatu quod praecipue, reſtituto Cicerone, cognitum eſt. INTERPRETES *religionum*] pontifices, de quibus dixit iam: Pontifices religiones ſapienter interpretãdo. REQVIRENDI.] vobis, & religiones, & remp. deſerentibus. AB. ALIIS *oppreſſa,*] oppreſſit remp. Clodius, deſeruerunt Põpeius, Caeſar, Craſſus, prodiderunt conſules Piſo Gabinius. PER *hos dies*] IIX. Id. Sept. vt opinor, i. biduo poſtquam in vrbem redijt. Significat ſententiam a ſe dictam in ſenatu de Pompeio, cum eſſet annonae ſumma caritas, rei frumentariae praeponendo. qua de re ſic ep. I. lib. IV. ad Att Eo biduo, cum eſſet annonae ſumma caritas, & homines ad theatrum primo, deinde ad ſenatũ concurriſſent, impulſu Clodij; mea opera frumenti inopiã eſſe clamarent; cum per eos dies ſenatus de annona haberetur, & ad eius procurationem ſermone non ſolũ plebis, verum ẽt bonorum Pompeius vocaretur; idq. ipſe cuperet: multitudoq a me nominatim, vt id decernerem, poſtularet: feci, & accurate ſententiã dixi, cum abeſſent conſulares, q tuto ſe negarent poſſe ſñiam dicere, praeter Meſſallam, & Afraniũ. factum eſt S.C. in meam ſñiam, vt cum Pompeio ageretur, vt eam rem ſuſciperet, lexq. ferretur. VITVPERASSET,] apud vos. Videtur Clodius apud pontifices verba feciſſe, priuſquam Cicero de ſua domo ageret. cuius orationi ſtatim rñdendum putauit: vt, ſi qua facta eſſet in pontificum animis offenſio, eam deleret, priuſquam ad cauſſam accederet: quod boni oratoris eſt. praeoccupatis enim iudicũ animis opinione aliqua, vel odio, iracundia, inuidia commotis, agi cauſſa aequo iure non poſſet.

poſſet. ALIQVEM *ſe aditum ad aures veſtras eſſe habiturum putauit:*] vel quod inuidere vos Pompeij gloriae, vel quod offenſos eſſe arbitraretur, quod S.C. illud de re frumētaria Pompeio mādanda, vobis abſentibus, factū eſſet. Non affuerunt eo die cōſulares, quod tuto ſe negarēt poſſe ſententiā dicere. De conſulariū autē numero pontifices aliquot erāt, vt P. Seruilius, M. Lucullus, C. Curio, M. Craſſus Q. Metellus, M'Glabrio. QVA *ille vti non poteſt,*] quia prudentiam, ac mentem, requirit oratio.

ORATIO

AC primum illud a te, homine veſana, ac furioſo, requiro, quae te tanta poena tuorum ſcelerum, flagitiorumq. vexet, vt hos tales viros, qui non ſolum conſilijs ſuis, ſed etiam ſpecie ipſa dignitatem reip. ſuſtineat, quod ego in ſententia dicenda ſalutem ciuium cum honore Cn. Pompeij coniunxerim, mihi eſſe iratos, & aliud de ſumma hoc tempore religione ſenſuros, ac me abſente ſenſerint, arbitrere? Fuiſti tu, inquit, apud pontifices ſuperior: ſed etiam, quoniam te ad populum contuliſti, ſi inferior, neceſſe eſt. Ita ne vero? quod in imperita multitudine eſt vitioſiſſimum, varietas, & inconſtantia, & crebra, tamquam tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio, hoc tu ad hos transferas? quos ab inconſtantia grauitas, a libidinoſa ſententia certum & definitum ius religionum, vetuſtas exemplorum, auctoritas litterarum, monumentorumq. deterret. Tu ne es ille, inquit, quo ſenatus carere non potuit? quem boni luxerunt? quem reſp. deſiderauit? quo reſtituto, ſenatus auctoritatem reſtitutam putabamus, quam primum adueniens prodidiſti? Nondum de mea ſententia dico: impudentiae primum reſpondebo tuae. Hunc igitur, funeſta reip. peſtis, hunc tu ciuem ferro, & armis, & exercitus terrore, & conſulum ſcelere, & audaciſſimorum hominum minis, ſeruorum delectu, obſeſſione templorum, occupatione fori, oppreſſione curiae, domo, & patria, ne cum improbis boni ferro dimicarent, cedere coegiſti, quem a ſenatu, quem a bonis omnibus, quem a cuncta Italia deſideratum, accerſitum, reuocatum conſeruandae reip. cauſſa cōſpiceris? At enim in ſenatum venire, in Capitolium intrare turbulento illo die non debuiſti. Ego vero neque veni, & domo me tenui, quamdiu turbulentum tempus fuit, cum ſeruos tuos, a te iampridem ad bonorum caedem paratos, cum illa tua conſceleratorum ac perditorum manu armatos in Capitolium tecum veniſſe conſtabat. quod cum mihi nunciaretur, ſcio me domi manſiſſe, & tibi, & gladiatoribus tuis inſtaurandae caedis poteſtatem non feciſſe. poſtea quam mihi nunciatum eſt, populum R. in Capitolium propter metum, atque inopiam rei frumentariae conueniſſe, miniſtros autem ſcelerum tuorum perterritos, partim amiſſis gladijs, partim ereptis, diffugiſſe: veni, non ſolum ſine vllis copiis, ac manu, verum etiam cum paucis amicis. an ego, cum P. Lentulus conſul, optime de me, ac de rep. meritus, cum Q. Metellus, qui, cum meus inimicus eſſet, frater tuus, & diſſenſioni noſtrae, & praecibus tuis ſalutem ac dignitatem meam praetuliſſet, me accerſerent in ſenatum; cū tanta multitudo ciuium, tam recenti officio ſuo, me ad referendam gratiam nominatim vocarent, non venirem? cum praeſertim te iam illinc cum tua fugitiuorum manu diſceſſiſſe cōſtaret. Hic tu me etiam, cuſtodē, defenſoremq. Capitolii, templorumq. omnium, hoſtem Capitolinum appellare auſus es, quod, tum in Capitolio ſenatum duo conſules haberent, eo venirem. Vtrum ne eſt tempus aliquod, quo in ſenatum veniſſe turpe ſit? an res illa talis erat, de qua agebatur, ut rem ipſam repudiare, & eos, qui agebant, condemnare deberem? primum dico, ſenatoris eſſe boni, ſemper in ſenatum uenire: nec cum iis ſentio, qui ſtatuunt minus bonis temporibus in ſenatum ipſi non uenire, nō intelligentes hanc ſuam nimiam perſeuerantiam uehementer iis, quorum animum offendere uoluerunt, gratam, & iucundam fuiſſe. At enim nonnulli propter timorem, quod ſe in ſenatu tuto non eſſe arbitrabantur, diſceſſerunt. Non reprehendo, nec quaero, fuerit ne aliquid pertimeſcendum: puto, arbitrio ſuo quemque timere oportere. cur ego non timuerim, quaeris? quia te illinc abiiſſe conſtabat. cur, cum viri boni nonnulli putarint tuto ſe in ſenatu eſſe non poſſe, ego non idem ſenſerim? cur; cum ego me exiſtimaſſem tuto omnino in ciuitate eſſe non poſſe, illi non item? an alijs licet, & recte licet, in meo metu ſibi nihil timere: mihi uni neceſſe erit & meam, & aliorum uicem pertimeſcere? An, quia non condemnaui ſententia mea duos conſules, ſum reprehendendus? eos igitur ego potiſſimum damnare debui, quorum lege perfectum eſt, ne ego indemnatus, atque optime de rep. meritus, damnatorum poenam ſuſtinerem? quorum etiam delicta, propter eorum egregiam in me conſeruando uoluntatem, non modo me; ſed omnes bonos ferre oporteret, eorum optimum conſilium ego, potiſſimum per eos in meam priſtinam dignitatem reſtitutus, conſilio repudiarem meo? At quam ſententiam dixi? primum eam, quam populi ſermo in animis noſtris iam ante defixerat: deinde eam, quae erat ſuperioribus diebus agitata in ſenatu: deinde eam, quam ſenatus frequens tum, cum mihi eſt aſſenſus, ſecutus eſt: ut neque allata ſit a me res inopinata, ac recens; nec, ſi quod in ſententia uitium eſt, magis ſit eius, qui dixerit, quam omnium, qui probarint. At enim liberum ſenatus iudicium propter metum non fuit. Si timuiſſe eos facis, qui diſceſſerunt: concede, non timuiſſe eos, qui remanſerunt. ſi autem ſine iis, qui tum abfuerunt, nihil decerni libere potuit: cum omnes adeſſent, coeptum eſt referri de inducendo S.C. ab uniuerſo ſenatu reclamatum eſt. Sed quaero, in ipſa ſententia, quoniam princeps ego ſum eius atque auctor, quid reprehendatur? utrum, cauſſa capiendi noui conſilij non fuit, an meae partes in ea cauſſa non praecipuae fuerunt an alio potius confugiendum fuit? Quae uis, quae cauſſa maior eſſe, quam fames, potuit? quam ſeditio, quam conſilia tua, tuorumque? qui, facultate oblata ad imperitorum animos incitandos, renouaturum te tua illis funeſta latrocinia ob annonae cauſſam putarunt. frumentum prouinciae frumentariae partim non habebant, partim in alias terras, credo propter varietatem venditorum, miſerant; partim, quo gratius eſſet tum, cum in ipſa fame ſubueniſſent, cuſtodiis ſuis clauſum continebant, vt ſubito nouum mitterent. res erat non in opinione dubia, ſed in praeſenti, atque ante oculos propoſito periculo: neque id coniectura proſpiciebamus, ſed iam experti videbamus. nam, cum ingraue-

ſceret annona, vt iam plane inopia, ac fames, non caritas, timeretur; concurſus eſt ad templum Concordiae factus ſenatum illuc vocante Metello conſule. qui ſi verus fuit ex dolore hominum, & fame: certe conſules cauſſam ſuſcipere, certe ſenatus aliquid conſilii capere potuit. ſin in cauſſa fuit annona, ſeditionis quidem ſtimulator, & concitator tu fuiſti: nonne id agendum nobis omnibus fuit, vt materiem ſubtraheremus furori tuo? quid, ſi vtrumque fuit, & vt fames ſtimularet homines, & vt tu in hoc vlcere tamquam vnguis exſiſteres? non ne fuit eo maior adhibenda medicina, quae & illud naturale, & hoc delatum malum ſanare poſſet. erat igitur & praeſens caritas, & futura fames. inde ſaxis facta lapidatio eſt: ſi ex dolore plebeio, nullo incitante, magnum malum: ſi P. Clodii impulſu, vſitatum hominis facinoroſi ſcelus: ſi vtrumque, vt res iſet ita, quae ſua ſponte multitudinis animos incitaret, & parati atque armati ſeditionis duces; videtur ne ipſa reſp. & conſulis auxilium implorasse, & ſenatus fidem? atqui vtrumque fuiſſe perſpicuum eſt. difficultatem annonae, ſummamq. inopiam rei frumentariae, vt homines non iam diuturnam caritatem, ſed vt famem plane timerent, nemo negat. hinc iſtum, otii & pacis hoſtem, cauſſam arrepturum fuiſſe ad incendia, caedes, rapinas, nolo, pontifices, ſuſpicemini, niſi videritis. Qui ſunt homines a Q. Metello, fratre tuo, conſule in ſenatu palam nominati, a quibus ille ſe lapidibus appetitum, & percuſſum eſſe dixit? L. Sergium & M. Lollium nominauit. quis eſt iſte Lollius? qui ſine ferro ne nunc quidem tecum eſt; qui te tribuno pl. nihil de me dicam, ſed qui Cn. Pompeium interficiendum depopoſcit. quis eſt Sergius? armiger Catilinae, ſtipator tui corporis, ſignifer ſeditionis, concitator tabernariorum, damnatus iniuriarum, percuſſor, lapidator, fori depopulator, obſeſſor curiae. his, atque huiuſmodi ducibus, cum tu in annonae caritate in conſules, in ſenatum, in bona fortunasq. locupletum, per cauſſam inopum, atque imperitorum, repentinos impetus comparares; cum tibi ſalus eſse in otio nulla poſset; cum deſperatis ducibus decuriatos ac deſcriptos haberes exercitus perditorum: non ne prouidendum ſenatui fuit, ne in hanc tantam materiam ſeditionis iſta funeſta fax adhaereſceret? Fuit igitur cauſſa capiendi noui conſilii. videte nunc, fuerint ne partes meae paene praecipuae. Quem tum Sergius ille tuus, quem Lollius, quem ceterae peſtes in lapidatione illa nominabant? quem annonam praeſtare oportere dicebant? non ne me? quid puerorum illa concurſatio nocturna? num a te ipſo inſtituta me frumentum flagitabant? quaſi vero ego aut rei frumentariae praefuiſsem; aut compreſsum aliquod frumentum tenerem; aut in iſto genere omnino quidquam aut curatione, aut poteſtate valuiſsem. ſed homo ad caedem imminens meum nomen operis ediderat, imperitis iniecerat. cum de mea dignitate in templo Iouis optimi maximi ſenatus frequentiſſimus, vno iſto diſſentiente, decreuiſſet; ſubito, illo ipſo die, cariſſimam annonam nec opinata vilitas conſecuta eſt. erant, qui deos immortales, id quod ego ſentio, numine ſuo reditum meum dicerent comprobaſſe. nonnulli autem illam rem ad illam rationem, coniecturamq. reuocabant, qui, quod in meo reditu ſpes otij, & concordiae ſita videbatur, in diſceſſu autem quotidianus ſeditionis timor, iam paene belli depulſo metu commutatam eſſe annonam dicebaur: quae quia rnſus in meo reditu facta erat durior, a me, cuius aduentu fore vilitatem boni viri dictitabant, annona flagitabatur. ego denique non ſolum ab operis tuis, impulſu tuo, nominabar; ſed etiam, depulſis ac diſſipatis tuis copiis, a populo R. vniuerſo, qui tum in Capitolium conuenerat, cum illo die minus valerem, nominatim in ſenatum vocabar. veni exſpectatus. multis ſententiis iam dictis, rogatus ſum ſententiam, dixi reip. ſaluberrimam, ac mihi neceſſariam. petebatur a me frumenti copia, annonae vtilitas, quaſi poſſem aliquid in ea re gerenda: non habebatur. flagitabar bonorum expoſtulatione: improborum conuicia ſuſtinere non poteram. delegaui amico locupletiori: non quo illi, ita de me merito, onus illud imponerem (ſuccubuiſſem enim potius ipſe) ſed quia videbam, id quod omnes, quod nos de Cn. Pompeio polliceremur, id illum fide, conſilio, virtute, auctoritate, felicitate denique ſua facillime perfecturum. itaque ſiue hunc dij immortales fructum mei reditus populo R. tribuunt, vt, quemadmodum diſceſſu meo frugum inopia, fames, vaſtitas, caedes, incendia, rapinae, ſcelerum impunitas, fuga, formido, diſcordia fuiſſet ſic reditu meo vbertas agrorum, frugum copia, ſpes otij, tranquillitas animorum, iudicia, leges, concordia populi, ſenatus auctoritas mecum ſimul reducta videantur; ſiue egomet aliquid aduentu meo, conſilio, auctoritate, diligentia pro tanto beneficio populo R. praeſtare debui; praeſto, promitto, ſpondeo; nihil dico amplius; hoc, quod ſatis eſt huic tempori, dico, remp. annonae nomine in id diſcrimen, quo vocabatur, non eſſe venturam. Num igitur in hoc officio, quod fuit praecipue meum ſententia mea reprehenditur? rem maximam eripui a peſte ſummi periculi, non ſolum eam, ſed etiam voco a caede, incendiis, vaſtitate: nemo negat: cum ad cauſſam caritatis accederet iſte ſpeculator communium miſeriarum, qui ſemper tu reip. malis ſceleris ſui faces inflammaris.

E X P L A N A T I O

MVNIVIT.] confirmauit atque auxit, naturalem petulantiam nulla poena coercente. QVAE te tanta poena tuorum ſcelerum, flagitiorumq. vexat, vt arbitrere,] ſcelera enim, & flagitia in malas opiniones, tamquam in poenam, homines impellunt. SPECIE *ipſa*] maieſtate quadam oris, & corporis. SVSTINENT] tuentur, atque conſeruant. SALVTEM *ciuium*] annonae caritate periclitantium. CVM *honore Cn. Pompeij*] quem rei frumentariae, mea ſententia praefeci. MIHI *eſſe iratos*,] quod ijs abſentibus eam de honore Cn Pompeij ſententiam dixerim, in quā S.C. factum eſt. Id aliquanto clarius nō multo poſt. At enim, inquit, liberū ſenatus iudiciū propter metum nō fuit. Si timuiſſe eos facis, qui diſceſſerunt: cōcede, nō timuiſſe eos qui rem anſerunt. ſin autē ſine ijs, qui tū abfuerūt, nihil decerni libere potuit: cū omnes adeſſent coeptū eſt referri de inducēdo S.C. ab vniuerſo ſenatu reclamatum eſt. AC. ME *abſente ſenſerint*,] in ſenatu, cum & de ſalute mea, & de meis bonis

bonis ageretur. Hoc eſt, opinor, quod ait in ea de Haruſp. reſp. cauſſam de domo duobus locis eſſe dictã: ſemel videlicet in ſenatu abſente Cicerone, iterũ in foro, ipſo agẽte. Propterea ſubiungitur. Quòniam te ad populum cõtuliſti: ideſt in forũ, vbi populus aderat. Niſi ſi hoc ſenſu dictũ accipias. Quoniam, cum extraordinarium imperiũ ad Pompeiũ detuliſti, ſenatũ, & pontifices ipſos, qui ſenatores ſunt, & tamquã ſenatores ab extraordinarijs imperijs abhorrẽt, offendiſti: vt a ſenatu ad populũ defeciſſe videaris. SVPERIOR] cum in ſenatu de Cicerone actum eſt. INFERIOR] apud eoſdem. A. LIBIDINOSA *ſententia*] ab ea ſententia, quam libido, non ratio afferat. CERTVM, *& definitum ius religionum,*] libidini contrarium. VETVSTAS *exemplorum,*] quae meam cauſſam probant. AVCTORITAS *litterarum,*] in ea, quae ſcripta ſunt, de iure dedicandi, de religione vel inferenda, vel tollenda: MONVMENTORVMQ.] rerum, quae exſtant, conſeruatae religionis indicio. TVNE *es ille, inquit, quo ſenatus carere non potuit?*] non eſt hoc negantis Clodij, ſed plane confitentis, Cicerone ſenatum carere non potuiſſe, eiq. honorem illũ ac beneficiũ exprobrantis, quo maiorẽ eius culpã oſtẽdat, q ſtatim adueniens prodiderit auctoritatẽ optime de ſe meriti ſenatus, facto S.C. cum liberum ſenatus iudicium propter metũ non eſſet, abeſſent autẽ ſummi ordinis principes viri conſulares. FERRO, *& armis.*] ſeruis, improbiſq ciuibus armatis. EXERCITVS *terrorem,*] exercitus Caeſaris, qui tunc erat ad portas, cũ de Cicerone Clodius legẽ tulit. poſt Red. in ſen. Erat alius ad portas cũ imperio in multos annos, magnoq exercitu. Pro Sextio: Caeſar, quẽ maxime ignari homines veritatis mihi eſſe iratũ putabant, erat ad portas, erat cũ imperio, erat in Italia eius exercitus. CONSVLVM] Piſonis, & Gabinij. SERVORVM *delectu*] collegiorum nomine infra. Cum in tribunali Aurelio conſcribebas non modo liberos, ſed etiam ſeruos. pro Sextio: Iiſdẽ cõſulibus inſpectantibus, ſeruorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, collegiorum nomine. In Piſonẽ, Poſt red. ad Quir. OBSESSIONE *templorum*] templum Caſtoris ſignificat. pro Sextio: Iiſdem conſulibus arma in templum Caſtoris palam comportabantur. Et in Piſonem. NE. CVM *improbis*] hoc ad Ciceronẽ, non ad Clodium refertur. Se enim patria ceſſiſſe, ne ſua cauſſa res ad arma deduceretur, & ſaepe in orationibus, & in epiſtolis gloriatur. IN *Capitolium*] in quo ſenatus habebatur. TVRBVLENTO *illo die*] commota plebe propter annonae caritatem. PRAETVLISSET,] cum me in patriam reſtituit. OFFICIO *ſuo*] erga ſalutem meam.] CVSTODEM, *defenſoremq.*] Catilinae temporibus. EOS,] conſules. CONDEMNARE] iudicio meo, ſi in ſenatum non venirem infra: An, quia non cõdemnaui mea ſententia duos conſules, ſum reprehendendus? NON *nulli*] praeſertim cõſulares, qui tunc in ſenatum non venerunt, exceptis Meſſalla, & Afranio. TVTO *omnino in ciuitate eſſe non poſſe*] cum tuis armis ceſſi. ILLI *non item?*] non item exiſtimarunt: quia, mea mente, ipſi non timuerunt. Aliter hic antea, nec ſine mendo, legebatur: ego ſic reſtitui ex antiquo libro ſummi poetae, doctiſſimi hominis, amiciſſimi mei, Petri Angelij Bargaei: ET. MEAM *& aliorum vicem*] & mea, & aliorum cauſſa. NON *condemnaui*] quos condemnare viſus eſſem, ſi ab ijs in ſenatũ arceſſitus nõ veniſſem. INDEMNATVS] eiectus nullo iudicio. vnde illud pro Milone: Diem, mihi credo, dixerat, multã irrogarat, actionem perduellionis intenderat. DAMNATORVM *poenam ſuſtinerem?*] ne exſularem, vt damnati. OPTIMVM *conſilium*] cum ideo ſenatũ haberent, vt annonae difficultatem opportuno remedio tollerent. QVAM *populi ſermo*] ſenſimus id, quod ſentire populum, atque expoſcere videbamus, vt curandi frumenti munus Pompeio mandaretur. IN *animis noſtris*] in ſenatorum animis. SVPERIORIBVS *diebus*] ante meum aduentum. PROPTER *metum*] plebis, circa curiam adſtantis. QVI *remanſerunt.*] qui ſi timuiſſent, non remanſiſſent. AB *vniuerſo ſenatu reclamatum eſt*] patet igitur, eos, qui tum abfuerunt, ſi affuiſſent, idem ſenſuros fuiſſe, quod ij, qui affuerunt. AN. ALIO *potius confugiendum fuit?*] non ad Pompeium. infra: Negat oportuiſſe quidquã vni extra ordinem decerni. CONSILIA *tua,*] de renouandis ob annonae cauſſam latrocinijs. OB *annonae cauſſam*] occaſione praeſentis annonae: ob annonam ſpecie, reuera improbo conſilio. CONCVRSVS *ad templum Concordiae factus,*] ad Att. ep. I. lib. IV. Eo biduo cũ eſſet annonae ſumma caritas, & homines ad theatrũ primo, deinde ad ſenatũ concurriſſent impulſu Clodij; mea opera frumenti inopiã eſſe clamarent. CAPERE *potuit.*] pro debuit, vt ad Att. lib. 2. Feſtiue, mihi crede, & minore ſonitu, quam putarã, orbis in rep eſt conuerſus, citius omnino, quam potuit. IN *cauſſa fuit annona.*] malim, cauſſa fuit, ſublata, in, praepoſitione. HOC *delatum malum*] ſeditionem a te concitatam. NIHIL *de me dicam,*] ſe quoque inſidijs a Lollio petitum ſignificat. CN. POMPEIVM] Damnianum quendam Pedianus, locũ interpretans pro Milone; inſidiatorẽ Pompeij nominat praeter eũ, potuit & hic Lollius de tollendo Pompeio, impulſus a Clodio, cogitare. PER *cauſſam inopum, atque imperitorum,*] quaſi defenderet inopes atque imperitos. nam, Per cauſſam, eſt per ſpeciẽ, ſignificatione falſa DECVRIATOS] in decurias diſtributos. Sic pro Sextio: cum vicatim homines conſcriberentur, decuriarentur. MATERIAM *ſeditionis*] annonae difficultatem. ISTA *funeſta fax*] Clodius cum ſua ſeditioſorum ad caedem, ad direptionem parata manu. Tribus verbis inducta translatio, materiam, fax adhaereſceret. ANNONAM *praeſtare*] annonae ſubuenire, inopiae mederi. IMPERITIS *iniecerat.*] apte, Iniecerat, verbum temeritatis, cum Imperitis, dixiſſet. IN *templo Iouis Opt. Max.* recitabo verba pro Sextio quibus eadẽ ſententia cõtinetur. Quid ego, inquit, illa de me diuina S C. commemorem? vel quod in templo Iouis Opt. Max. factum eſt: cũ vir is, qui tripartitas orbis terrarũ oras, atque regiones tribus triũphis, adiunctis huic imperio, notauit, de ſcripto ſentẽtia dicta, mihi vni teſtimoniũ patriae cõſeruatae dedit: cuius ſententiã ita frequẽtiſſimus ſenatus ſecutus eſt, vt vnus diſ-

ſentiret

ſentiret hoſtis. NON *habebatur* quid? frumenti videlicet copia. mihi tamen ſuſpectus locus eſt AMICO *locupletiori.*] Pompeio.

ORATIO

NEGAT oportuiſſe quidquam vni extra ordinem decerni. Non iam tibi ſic reſpondebo, vt ceteris; Cn. Pompeio plurima, periculoſiſſima, maxima terra mariq. bella extra ordinem eſſe commiſſa; quarum rerū ſi quem paeniteat, cum victoriae populi R. paenitere. non ita tecum ago. cum ijs haec a me haberi oratio poteſt, qui ita diſputant, ſe, ſi qua res ad vnum deferenda ſit, ad Cn. Pompeium delaturos potiſſimum, ſed ſe extra ordinem nihil cuiquam dare; cum Pompeio datum ſit, id ſe pro dignitate hominis ornare, ac tueri ſolere. horum ego ſententiam ne laudem, impedior Cn. Pompeij triumphis: quibus ille, cum eſſet extra ordinem ad patriam defendendam vocatus, auxit nomen populi R. imperiumq. honeſtauit. conſtantiam probo: qua mihi quoque vtendum fuit; quo illo auctore extra ordinem bellum cum Mithridate, Tigraneq. geſſit. ſed cum illis tamen poſſum aliquid diſputare: tua vero quae tanta impudentia eſt, aut audeas dicere, extra ordinem dari nihil cuiquam oportere? qui cum lege nefaria Ptolemaeum, regem Cypri, fratrem regis Alexandrini, eodem iure regnantem, cauſſa incognita, publicaſſes; populumq. R. ſcelere obligaſſes; cum in eius regnum, bona, fortunas latrocinium huius imperij immiſiſſes, cuius cum patre, auo, maioribus ſocietas nobis, & amicitia fuiſſet: huius pecunias deportandas, &, ſi quis ſuum ius defenderet, bello gerendo M. Catonem praefeciſti: dices, quem virum? ſanctiſſimum, prudentiſſimum, fortiſſimum, amiciſſimum reip. virtute, conſilio, ratione vitae mirabili ad laudem, & prope ſingulari: ſed quid ad te, qui negas eſſe iuris, quemquam vlli rei extra ordinem praefici? atque in hoc ſolum inconſtantiam redarguo tuam, qui in ipſo Catone, quem tu non pro illius dignitate produxeras, ſed pro tuo ſcelere ſubduxeras, quem tuis Sergijs, Lollijs, Titijs, ceteriſq. caedis & incendiorum ducibus obieceras, quem carnificem ciuium, quem indemnatorum necis principem, quem crudelitatis auctorem fuiſſe dixeras, ad hunc honorem, & imperium extra ordinem nominatim rogatione tua detuliſti: & tanta fuiſti intemperantia, vt illius tui ſceleris rationem occultare non poſſes: litteras in concione recitaſti, quas tibi a C. Caeſare miſſas diceres. CAESAR. PVLCHRO. Cum etiam es argumentatus, amoris eſſe hoc ſignum, cum nominibus tantum vteretur, neque adſcriberet, pro conſul, aut, tribuno pl. deinde gratulari, quod idem in poſterum M. Catonem tribunatu tuo remouiſſes, & quod idem in poſterum de extraordinarijs poteſtatibus libertatem ademiſſes. quas aut numquam tibi ille litteras miſit; aut, ſi miſit, in concione recitari noluit: aut, ſiue ille miſit, ſiue tu finxiſti, certe conſilium tuum de Catonis honore illarum litterarum recitatione patefactum eſt.

EXPLANATIO

HORVM *ego ſententiam ne laudem,*] laudare non poſſum, in eo, quod ſe dicunt extra ordinem nihil cuiquam dare. TRIBVS *triumphis:*] triumphauit ex Hiſpania Sertorio & Perperna deuictis, ex Africa Hiabra & Domitio ex Aſia Mithridate, & Tigrane. CONSTANTIAM *probo:*] quod extra ordinem nihil cuiquam dant. QVA *mihi quoque vtendum fuit;*] ipſi faciunt. quod ſolent, cum extra ordinem Pompeio nihil dant: aeque enim id omnibus negant. ego quoque, quod antea feceram in bello Mithridatico extra ordinem Pompeio mandando, idem feci nunc in rei frumentariae procuratione eidem extra ordinem decernenda: & quā in illis conſtantiā probo, eadē in me ipſo delector. QVO *ille auctore*] praetor Cicero orationē habuit pro lege Manilia, ut Pompeius cum Mithridate, ac Tigrane extra ordinem bellum gereret. POSSVM *aliquid diſputare:*] ſuam enim quandam rationem habent, cum nimiam in vno homine potentiā non probant. tu vero cur id non probas in Pompeio, quod in Catone antea probaſti? quaenam haec impudentia eſt, vt in re ſimili non ſimiliter ſentias? POPVLVMQ. *Romanum ſcelere obligaſſes.*] inductum a te, vt legem tuā de publicando Ptolomaei regno ſuis ſuffragijs comprobaret. Nota ſatis hiſtoria. LATROCINIVM *huius imperij*] latrocinium enim vere dici poteſt illa publicatio. SI. QVIS] malim, ſi ſis. QVID *ad te?*] Catonis laudes tuum factum non excuſant. nam ſi iuris non eſt, vlli rei quemquam extra ordinem praefici: cur tu Catonem praefeciſti? SERGIIS, *Lollijs, Titijs,*] Sergium, Lollium ſupra, & infra, Titium in ea pro Sextio, & de Haruſp. reſp. nominat. SVBDVXERAS,] ne tibi aduerſaretur in tuo tribunatu. CARNIFICEM *ciuium,*] quia ſententiam illam dixit de coniuratis vltimo ſupplicio afficiendis, quam ſenatus ſecutus eſt. Salluſtius, Plutarchus. ILLIVS *tui ſceleris*] in amandando Catone. A C. CAESARE] ex Gallia. notae ſunt Caeſaris & Catonis inimicitiae. LIBERTATEM *ademiſſes.*] Catoni: ne poſſet in poſterum contra extraordinarias poteſtates verba facere. quod enim ipſe accepiſſet, in alijs reprehendere nō poſſet. huc illud pertinet ex oratione pro Sextio: Qui in concione palam dixerint, linguam ſe euelliſſe M. Catoni, quae ſemper contra extraordinarias poteſtates libera fuiſſet.

ORATIO

SED omitto Catonem, cuius eximia virtus, dignitas, & in eo negotio, quod geſſit, fides, & continentia tegere videtur improbitatem & legis, & actionis tuae. quis prouinciam homini poſt homines natos turpiſſimo, ſceleratiſſi-

*ſcele-atiſſimo, contaminatiſſimo, quis illam optimam ſertilemq. Syriam, quis bellum pacatiſſimis gẽtibus, quis pecuniam ad emendoс agros conſtitutam, ereptam vi ex Caeſaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? cui quidem cum Ciliciam dediſſes, mutaſti pactionem. & Ciliciam ad praetorẽ item extra ordinem tranſtuliſti: Gabinio, pretio amplificato, Syriam nominatim dediſti. Quid? homini taeterrimo, crudeliſſimo, fallaciſſimo, omnium ſcelerum libidinumq. maculis notatiſſimo. L. Piſoni non ne nominatim populos liberos, multis S. C. etiam recenti lege generi ipſius liberatos, vinctos, & conſtrictos tradidiſti? non ne, cum ab eo merces tui beneficij pretiumq. prouinciae meo ſanguine tibi eßet perſolutum, tamen aerarium cum eo partitus es? ita ne vero? tu prouincias conſulares, quas C. Gracchus, qui vnus maxime popularis fuit, non modo non abſtulit ab ſenatu, ſed etiam, vt neceſſe eſſet quotannis conſtitui per ſenatum decreta, lege ſanxit, eas lege Sempronia per ſenatum decretas, reſcidiſti? extra ordinem, ſine ſorte, nominatim dediſti, non conſulibus, ſed reip. peſtibus: nos, quod nominatim rei maximae, paene iam deſperatae, ſummum virum, ſaepe ad extrema reip. diſcrimina delectũ, praefecimus, a te reprehendimur? Quid tandem, ſi, quae tum in illis reip. tenebris, caecisq. nubibus, & procellis, cum ſenatum a gubernaculis deieciſſes, populum e naui exturbaſſes, ipſe archipirata cum grege praedonum impuriſſimo pleniſſimis velis nauigares, ſi, quae tum promulgaſti, conſtituiſti, promiſiſti, vendidiſti, perficere potuiſſes: qui locus in orbe terrarum uacuus extraordinarijs faſcibus, atque imperio Clodiano fuiſſet? ſed excitatus aliquando Cn. Pompeij (dicam, ipſo audiente, quod ſenſi, & ſentio, quoquo animo me auditurus eſt) excitatus, inquam, aliquando Cn. Pompeij nimium diu reconditus, & penitus abſtruſus animi dolor ſubuenit ſubito reip. ciuitatemq. fractam malis, mutam, debilitatem, abiectam metu, ad aliquam ſpem libertatis, & priſtinae dignitatis erexit. Hic uir extra ordinem rei frumentariae praeficiendus non fuit? ſcilicet tu beluini ſpurciſſimo praeguſtatori libidinum tuarum, homini egentiſſimo, & facinoroſiſſimo, Sex. Clodio, ſocio tui ſanguinis, qui ſua lingua etiam ſororem tuam a te abalienauit, omne frumentum priuatum, & publicum, omnes prouincias frumẽtarias, omnes mancipes, omnes borreorum claues lege tua tradidiſti. qua ex re primum caritas nata eſt, deinde inopia: impendebat fames, incendia, caedes, direptio: imminebat tuus furor omnium fortunis, & bonis. Queritur etiam importuna peſtis, ex ore impuriſſimo Sex. Clodij rem frumẽtariam eße ereptam; ſummisq. in periculis, eius viri auxilium imploraße remp. a quo ſaepe ſe & ſeruatam, & amplificatam eſſe meminiſſet. Extra ordinẽ ferri nihil placet Clodio. quid? de me quod tuliße te dicis, parricida, fratricida, ſororicida, non ne extra ordinem tuliſti? an de peſte ciuis, quemadmodum omnes iam dij atque homines iudicarunt, conſeruatoris reip. quemadmodum autem tute ipſe confiteris, non modo indemnati, ſed ne accuſati quidem, licuit tibi ferre non legem, ſed nefarium priuilegium, lugente ſenatu, maerentibus bonis omnibus, totius Italiae precibus repudiatis, oppreßa captaq. republica: mihi, populo R. implorante, ſenatu poſcente, temporibus reip. flagitantibus, non licuit de ſalute populi R. ſententiam dicere; qua quidem in ſententia ſi Cn. Pompeij dignitas aucta eſt coniuncta cum vtilitate communi; certe laudandus eſſem, ſi eius dignitati ſuffragatus viderer, qui meae ſaluti opem & auxilium tuliſſet. deſinant, deſinant homines iiſdem machinis ſperare me reſtitutum poſſe labefactari, quibus antea ſtantem perculerunt. quod enim par amicitiae conſularis fuit vmquam in hac ciuitate coniunctius, quam fuimus inter nos ego, & Cn. Pompeius? quis apud populum R. de illius dignitate illuſtrius, quis ſenatui ſaepius dixit? qui tantus fuit labor, quae ſimultas, quae contentio, quam ego non pro illius dignitate ſuſceperim? qui ab illo in me honos, quae praedicatio de mea laude, quae remuneratio beneuolentiae praetermiſſa eſt? hanc noſtram coniunctionem, hanc conſpirationem in rep. bene gerenda, hanc iucũdiſſimam vitae atque officiorum omnium ſocietatem certi homines fictis ſermonibus, & falſis criminibus diremerunt; cum iidem illum, vt me metueret, me caueret, monerent; iidem apud me, mihi illum eſſe vni inimiciſſimum, dicerent; vt neque ego ab illo, quae mihi petenda eßent, ſatis audacter petere poßem; neque ille, tot ſuſpicionibus certorum hominum & ſcelere exulceratus, quae meum tempus poſtularet, ſatis prolixe mihi polliceretur. data merces eſt erroris mei magna, pontifices; vt me non ſolum pigeat ſtultitiae meae, ſed etiam pudeat; qui, cum me non repentinum aliquod meum tempus, ſed veteres multo ante ſuſcepti, & prouiſi labores cum viro fortiſſimo & clariſſimo coniunxiſſent, ſim paſſus a tali amicitia diſtrahi, neque intellexerim, quibus aut vt apertis inimicis obſiſterem, aut vt inſidioſis amicis non crederem. proinde deſinant aliquando meiſdem inflammare verbis: Quid ſibi iſte vult? neſcit, quantum auctoritate valeat, quas res geſſerit, qua dignitate ſit reſtitutus, cur ornat eum, a quo deſertus eſt? Ego vero neque me tum deſertum puto, ſed paene deditum; nec, quae ſint in illa reip. flamma geſta contra me, neque quo modo, neque per quos, patefaciundum mihi eſſe arbitror. ſi vtile reip. fuit, haurire me vnum pro omnibus illam indigniſſimam calamitatem: etiam hoc vtile ſit, quorum id ſcelere conflatum ſit, me occultare, & tacere. Illud vero eſt hominis ingrati, tacere, (itaque libẽtiſſime praedicabo) Cn. Pompeium ſtudio, & auctoritate aeque, vt vnumquemque veſtrum, opibus, contentione, precibus, periculis denique praecipue pro ſalute mea laboraſſe hic tuis, P. Lentule, cum tu nihil aliud dies & noctes, niſi de ſalute mea, cogitares, conſiliis omnibus interfuit: hic tibi grauiſſimus auctor ad inſtituendam, fideliſſimus ſocius ad comparandam, fortiſſimus adiutor ad rem perficiendam fuit: hic municipia, colonias q. adiit: hic Italiae totius auxilium cupientis implorauit: hic in ſenatu princeps ſententiae fuit: idemq. cum dixißet, tum etiam pro ſalute mea populum R. obſecrauit. Quare iſtam orationem, qua es vſus, omittas licet, poſt illam ſententiam, quam dixeram de annona, pontificum animos eße mutatos: proinde quaſi iſti aut de Cn. Pompeio aliter, atque ego exiſtimo, ſentiant, aut, quid mihi pro exſpectatione populi R. pro Cn. Pompeii meritis erga me, pro ratione mei temporis faciendum fuerit, ignorent; aut etiam, ſi cuius forte pontificis animum, quod certo ſcio aliter eße, mea ſententia oſtendit, alio modo ſit conſtituturus aut de religione pontificum, aut de rep. quam eum aut caerimoniarum ius aut ciuitatis ſalus coegerit.

EXPLANATIO

HOMINI *poſt homines natos turpiſſimo,*] Gabinium ſignificari conſtat. QVIS *bellum pacatiſſimis gentibus,*] pro bellum contra pacatiſſimas gentes. infra: Integerrimas; pacatiſſimasq. gentes ad diripiendum tradidiſſes. PECVNIAM] ex aerario. AGROS] Campanos, qui lege C. Caeſaris populo diuiderentur. ITEM *extra ordinem*] vt de Syria. PRETIO *amplificato,*] maiore, quam pro Cilicia. POPVLOS *liberos*] vide orationem in ipſum Piſonem, & de Prouincijs. GENERI *ipſius*] C. Caeſaris. DECRETA] hoc abundat fortaſſe: aut lege, Decerni, dele, conſtitui: cum ſequatur, Per ſenatum decretas. RESCIDISTI?] tua lege, ademptas ijs, quibus eas lege Sempronia ſenatus decreuerat. SINE *ſorte,*] ſortiri enim prouincias, vel comparare inter ſe ſolebant. REI *maximae,*] rei frumentariae. EXCITATVS,] qui ſopitus aliquandiu fuerat: vt etiam Ciceronem ipſum, optime de ſe meritum, eijci patria ſit paſſus. de eadem re pro Sextio: Hic aliquando, ſerius, quam ipſe vellet, Cn. Pompeius, inuitiſſimis ijs, qui mentem optimi, ac fortiſſimi viri ſuis conſilijs ac fictis terroribus a defenſione meae ſalutis auerterant, excitauit illam ſuam non ſopitam, ſed ſuſpicione aliqua retardatam, conſuetudinem reip. bene gerendae. MVTAM,] Mutilatam, vel Mutilam, fortaſſe rectius: cum ſequentibus enim congruere magis videtur. HELVONI *ſpurciſſimo,*] quia cunnilingus putaretur. infra: Hanc tibi legem Clodius ſcripſit ſpurciorem lingua ſua, vt interdictum ſit, cui non ſit interdictum? PRAEGVSTATORI *libidinum tuarum,*] quia pudenda lingeret ſororis Clodij, cum qua Clodius ipſe rem habuiſſe diceretur. SOCIO *tui ſanguinis,*] qui tibi ſocius eſſet in turpi conſuetudine ſororis tuae SVA *lingua*] dixi iam, cunnilingum putatum eſſe. ABALIENAVIT,] effecit, vt ipſa magis eum diligeret, quam te. MANCIPES,] publicanorum principes, qui publica ſuo periculo redimebant IMPVRISSIMO] & hoc ad illud refertur, Heluoni ſpurciſſimo. PARRICIDA, *fratricida, ſororicida,*] qui in patrem, fratrem, ſororem impius fuiſti. IISDEM *machinis*] fictis ſermonibus, & falſi criminibus. ILLVSTRIVS,] ſic malo, quam, vt antea, Induſtrius mendi origo fuit litterarum ſimilitudo, quia ſcribebant veteres, Inluſtris. FICTIS *ſermonibus,*] pro Sextio: Quem virum, ſtudioſum mei, cupidiſſimum reip. conſeruandae, domi meae certi homines, ad eam rem compoſiti, monuerunt, vt eſſet cautior; eiuſq. vitae a me inſidias apud me domi poſitas eſſe dixerunt. Et in Piſonem: Veſtrae fraudes, veſtrũ ſcelus, veſtrae criminationes inſidiarum mearum, illius periculorũ, nefarie fictae, ſimul eorũ, qui, famliaritatis licentia ſuorũ improbiſſimonum ſermonũ domicilium in auribus eius impulſu veſtro collocauerunt veſtrae cupiditates prouinciarum effecerant, vt ego excluderer, omneſque, qui me, qui illius gloriam, qui remp. ſaluam eſſe cupiebant, ſermone, atque aditu prohiberentur. MEVM *tempus*] & hic, & paullo poſt, tempus accipe pro aduerſo tempore, vt in prooemio Manilianae, amicorum temporibus. PROVISI] cogitati, a ratione profecti: SIM *paſſus*] fictis ſermonibus, & falſi criminibus. QVID *ſibi iſte vult?*] cur tanto pere Pompeium ornat? quid ſpectat? PAENE *deditum,*] grauius eſt, deditum, quam deſertum. CVM *dixiſſet,*] cum peroraſſet: vide duas poſt reditum orationes: ex quibus ea patent, quae dixit Pompeius, antequam obſecraui. AVT *de rep.*] ſubiungit, cognitionem Pontificum in ius religionis, & in ius reip. fuiſſe diſtributam.

ORATIO

INTELLIGO, *pontifices, me plura extra cauſſam dixiſſe, quam aut opinio tulerit, aut voluntas mea: ſed cum me purgatum vobis eſſe superem, tum etiam veſtra in me attente audiendo benignitas prouexit orationem meam. ſed hoc compenſabo breuitate eius orationis, quae pertinet ad ipſam cognitionem veſtram: quae cum ſit in ius religionis, & in ius reip. diſtributa; religionis partem, quae multo eſt verboſior, praetermittens, de iure reip. dicam quid eſt enim aut tam arrogãs, quam de religione, de rebus diuinis, caerimonijs, ſacris, pontificum collegium docere conari; aut tam ſtultum, quam, ſi quis quid veſtris libris inuenerit, id narrare vobis; aut tam curioſum, quam ea ſcire velle, de quibus maiores noſtri vos ſolos & conſuli, & ſcire voluerunt? Nego potuiſſe iure publico, legibus ijs, quibus haec ciuitas vtitur, quemquam ciuem vlla eiuſmodi calamitate affici ſine iudicio. hoc iuris in hac ciuitate etiam tum, cum reges eſſent, dico fuiße, hoc nobis eſſe a maioribus traditum, hoc eſſe denique proprium liberae ciuitatis, vt nihil de capite ciuis, aut de bonis ſine iudicio ſenatus, aut populi, aut eorum, qui de quaque re conſtituti iudices ſint, detrahi poſſit. Vides ne me non radicitus euellere omnes actiones tuas? neque illud agere, quod apertum eſt, te omnino nihil geſſiße iure, non fuiße tribunum pl.? hoc dico eſſe parricidium: dico apud pontifices: augures adſunt: verſor in medio iure publico. Quod eſt, pontifices, ius adoptionis? nempe vt is adoptet, qui neque procreare iam liberos poſſit; &, cum potuerit, ſit expertus. Quae deinde cauſſa cuique ſit adoptionis, quae ratio generum, ac dignitatis, quae ſacrorum, quaeri a pontificum collegio ſolet. quid eſt horum in iſta adoptione quaeſitum? adoptat annos viginti natus, etiam minor, ſenatorem: liberorum ne cauſſa? at procreare poteſt, habet vxorem, ſuſcepit etiam liberos. exheredabit igitur pater filium. quid ſacra Clodiae gentis, cur intereunt, quod in te eſt? quae omnis notio pontificum, cum adoptarere, eſſe debuit. niſi forte ex te ita quaeſitum eſt, num perturbare remp. ſeditionibus velles? & ob eam cauſſam adoptari, non vt filius eßes, ſed vt tribunus pl. fieres, & funditus euerteres ciuitatem? reſpondiſti, credo, te ita velle.*

velle. pontificibus bona cauſſa viſa eſt: approbauerunt. non aetas eius, qui adoptabat, quaeſita eſt, vt in Cn. Aufidio, M. Pupio: quorum vterque noſtra memoria, ſumma ſenectute, alter Oreſtem, alter Piſonem adoptauit, quas adoptiones, ſicut alias innumerabiles, hereditates nominis, pecuniae, ſacrorum ſecutae ſunt. tu neque Fonteius es, qui eſſe debebas; neque patris heres; neque, amiſſis ſacris paternis, in haec adoptiua veniſti. ita, perturbatis ſacris, contaminatis gentibus, & quam deſeruiſti, & quam polluiſti, iure Quiritium legitimo tutelarum & hereditatum relicto, factus es eius filius contra fas, cuius per aetatem pater eſſe potuiſti. Dico apud pontifices: nego iſtam adoptionem pontificio iure eſſe factam: primum, quod eae veſtrae ſint aetates, vt is, qui te adoptauit, vel tibi loco filij per aetatem eſſe potuerit: deinde, quod cauſſa quaeri ſolet adoptandi; vt & is adoptet, qui, quod natura iam aſſequi non poteſt, & legitimo & pontificio iure quaerat; & ita adoptet, vt ne quid aut de dignitate generum, aut de ſacrorum religione minuatur: illud in primis, ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur; vt haec ſimulata ſuſceptio filij quam maxime veritatem illam ſuſcipiendorum liberorum imitata eſſe videatur. quae maior calumnia eſt, quam venire imberbem adoleſcentulum, bene valentem, ac maritum; dicere, filium ſenatorem populi R. ſibi velle adoptare; id autem ſcire, & videre omnes, non vt ille filius inſtituatur, ſed vt e patricijs exeat, vt tribunus pl. fieri poſſit, idcirco adoptari? neque id obſcure: nam adoptatum emancipari ſtatim, ne ſit eius filius, qui adoptarit. cur ergo adoptatur? probate genus adoptationis: iam omnium ſacra interierint, quorum cuſtodes vos eſſe debetis; iam patricius nemo relinquetur. cur enim quiſquam vellet tribunum pl. ſe fieri non licere, anguſtiorem ſibi eſſe petitionem conſulatus, in ſacerdotium cum poſſit venire, quia a patricio non ſit locus, non venire? vt cuique aliquid acciderit, quare commodius ſit eſſe plebeium, ſimili ratione adoptabitur. itaque populus R. breui tempore neque regem ſacrorum, neque flamines, nec ſalios habebit; nec ex parte dimidia reliquos ſacerdotes, neque auctores centuriatorum, & curiatorum comitiorum: auſpiciaq. populi R. ſi magiſtratus patricij creati non ſint, intereant neceſſe eſt, cum interrex nullus ſit; quod & ipſum patricium eſſe, & a patricio prodi neceſſe eſt.

E X P L A N A T I O

OMNES *actiones tuas?*] ſed eam tantum, quae ad me vnum pertinet. PARRICIDIVM:] Patricium, ſententia poſtulat. nam ſi patricius eſt, ſequitur, vt tribunus pl. eſſe non potuerit. cur autem patricius ſit, probatur in ſequentibus. AVGVRES *adſunt;*] non quod omnes, quicumque augures erant, adeſſent: ſed ij tantum, qui pontifices ijdem erant. hac enim in cauſſa nõ augurũ, ſed pontificũ iudiciũ erat, itaque domũ ſuã a pontificibus religione liberatã, dicit in ea de Haruſp. reſp. Et ad Att. ſcribens, religionis iudices pontifices appellat apud eos ait ſe dixiſſe, eos de ſua domo decreuiſſe: mẽtionem augurũ nullã facit. QVOD *eſt pontifices ius adoptionis?*] de iure adoptionis vide Gelliũ lib. v. c. 19. GENERVM, *ac dignitatis,*] ne ſcilicet a genere clariſſimo ad obſcuriſſimũ, a ſumma dignitate ad infimã condicionẽ adoptione transferatur. infra: Ita adoptet, ne quid aut de dignitate generũ, aut de ſacrorũ religione minuatur. SACRORVM,] ne ſacra interirent. adoptati autẽ in aliena ſacra tranſibant. Valerius Max. lib. VII. c. 7: M. Anneij filius in Suffenatis familiã, ac ſacra tranſierat. Pro Murena: Sacra interire illi noluerunt. FILIVM.] Clodiũ: ne adoptiuus naturales hereditatis parte priuet. infra: Neque patris heres. INTEREVNT,] quia, cũ adopteris a Fõteio, ad Fõteiae gẽtis ſacra trãſis, QVAESITVM *eſt,*] cum adoptareris. EIVS,] Fonteij. QVI *adoptabas,*] annos viginti natus. ALTER *Oreſtem, alter Piſonem adoptauit.*] Oreſtem Aufidius, Piſonem Pupius. conſul autem cum M. Meſſalla M. Pupius Piſo biennio poſt Ciceronem fuit. TVTELARVM,] nec tutor, nec heres iam eſſe potes: amiſiſti enim ius Quiritum, ſacris perturbatis, contaminata vtraque gente, Clodiã, quã deſeruiſti, Fonteia, quam polluiſti. PROBATE *genus adoptionis: iam omnium ſacra interierint, quorum cuſtodes vos eſſe debetis: iam patricius nemo relinquetur.*] abſoluta aliqua narratione, vſurpat ſaepe hanc figuram orator, vt ex vno facto, ſi iudices male iudicauerint, commune damnum proponat. ſic infra: Date hanc tribuno pl. licentiam, & intuemini paulliſper animis iuuentutem, & eos maxime, qui imminere iam cupiditate videntur in tribuniciam poteſtatem: collegia medius fidius tribunorum pl. tota reperientur, hoc iure firmato, quae coeant de hominum locupletiſſimorum bonis, praeda praeſertim populari, & ſpe largitionis oblata. Aliquanto poſt: Date de hac religione aditum, pontifices: iam nullum fortunis communibus exitum reperietis. Simile & illud or. 2. in Rullum: committite vos nunc, Quirites, his hominibus haec omnia, quos odorari hunc decemuiratum ſuſpicamini: reperietis partem eſſe eorum, quibus ad habendum, partem, quibus ad conſumendum nihil ſatis eſſe videatur. NON *licere;*] non licebat enim patricijs. ANGVSTIOREM] anguſtior ideo eſt patricijs, quam plebeijs, quia duo patricij ſimul eſſe conſules vetere lege non poſſunt, plebeij vero poſſunt. IN *ſacerdotium*] in ea ſacerdotia, quae ſolis plebeijs patent. NEQVE *regem ſacrorum*] enumerat eos ſacerdotes, qui plebeij eſſe non poterant. AVCTORES] qui probabant ea, quae centuriatis, curiatiſq. comitijs fiebant: quos ex antiquo more, cum ſenatus e ſolis patricij conſtabat, patricios eſſe oportebat. CVRIATORVM] quorum ſpecies & imago quaedam, triginta lictoribus curias repraeſentantibus, auſpiciorũ cauſſa remanſerat. in Rullum. 2. AVSPICIAQ.] penes patricios magiſtratus auſpicia fuere: patricij vero magiſtratus, conſul, praetor, aedilis cur. quaeſtor, interrex. In ep. ad M. Brutum: Dum vnus erit patricius magiſtratus, auſpicia ad patres redire non poſſunt. CVM *interrex nullus ſit;*] nullus autem erit, ſi patricij ſenatores, a quibus prodatur, non erit. ET. IPSVM *patricium eſſe,*] Aſconius pro Milone.

ORATIO

DIxi apud pontifices, iſtam adoptionem nullo decreto huius collegij probatam, contra omne pontificium ius factam, pro nihilo eſſe habendam. qua ſublata intelligis totum tribunatum tuum concidiſſe. Venio ad augures. quorum ego libros, ſi qui ſunt reconditi, non ſcrutor. non ſum in exquirendo iure augurum curioſus: haec, quae vna cum populo didici, quae ſaepe in concionibus reſponſa ſunt, noui. negant fas eſſe agi cum populo, cum de caelo ſeruatum ſit. quo die de te lex curiata lata eſſe dicatur, audes negare de caelo eſſe ſeruatum? adeſt praeſens, vir ſingulari virtute, conſtantia, grauitate praeditus, M. Bibulus, hunc conſulem illo ipſo die contendo ſeruaſſe de caelo. infirma ſunt igitur acta, tua ſententia, C. Caeſaris, viri fortiſſimi? minime: neque enim mea iam quidquam intereſt, exceptis ijs telis, quae ex illius actionibus in meum corpus immiſſa ſunt. ſed haec de auſpicijs, quae ego nunc perbreuiter attingo, acta ſunt a te, tu, tuo praecipitante iam & debilitato tribunatu, auſpiciorum patronus ſubito extitiſti: tu M. Bibulum in concionem, tu augures produxiſti: te interrogante, augures reſponderunt, cum de caelo ſeruatum ſit, cum populo agi non poſſe: tibi M. Bibulus quaerenti, ſe de caelo ſeruaſſe, reſpondit: idemq. in concione dixit, ab Appio, fratre tuo, productus, te omnino, quod contra auſpicia adoptatus eſſes, tribunum pl. non fuiſſe: tua denique omnis actio poſterioribus menſibus fuit, omnia, quae C. Caeſar egiſſet, quae contra auſpicia eſſent acta, per ſenatum reſcindi oportere: quod ſi fieret, dicebas te tuis humeris me, cuſtodem vrbis, in vrbem relaturum. Videte hominis amentiam, vbi per ſuum tribunatum Caeſaris actis alligatus teneretur. Si & ſacrorum iure pontifices, & auſpiciorum religione augures totum euertunt tribunatum tuum; quid quaeris amplius? an etiam apertius aliquod ius populi, atque legum? Hora fortaſſe ſexta diei queſtus ſum in iudicio, cum C. Antonium, collegam meum, defenderem, quaedā de rep. quae mihi uiſa ſunt ad illius miſeri cauſſam pertinere. haec homines improbi ad quoſdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. hora nona, illo ipſo die, tu es adoptatus. ſi, quod in ceteris legibus trinum nundinum eſſe oportet, id in adoptione ſatis eſt trium eſſe horarum; nihil reprehendo. ſin eadē obſeruanda ſunt, decreuit ſenatus, M. Druſi legibus, quae contra legem Caeciliam & Didiam latae eſſent, populum non teneri.

EXPLANATIO

RESPONSA *ſunt.*] ab auguribus: cū de ſuo iure a magiſtratibus interrogarētur. itaque cū populo ea potui diſcere. CVM *de caelo ſeruatum ſit.*] ſeruare de caelo, ideſt impedimento eſſe, quominus lex ferretur. cunctis plane magiſtratibus, tam plebeijs, quam patricijs, licebat. LATA *eſſe dicatur,*] non dicit, lata ſit, ſed, lata eſſe dicatur: ne legem appellet, quam contra auſpicia latam oſtendit. tulerat autem eam C. Caeſar conſul, Bibulo collega de caelo ſeruante. NEQVE *enim mea iam quidquam intereſt,*] quid ad me, ſi Caeſaris acta firma ſint? cū defunctus iā ſim, nec mali quidquā amplius ex illius actionibus expectem. IMMISSA *ſunt.*] a Clodio tribuno pl. nō aduerſante Caeſare, quia tribunū popularem a ſe alienare nolebat, metuēs, ne acta ſua ſuperioris anni a praetoribus inimicis, atque a ſenatu infirmarentur. excepit igitur Cicero ea tela, & exſulij calamitatē ſubire propter actiones Caeſaris coactus eſt: cum vero in patriam reſtitutus iam eſſet nihil eius intererat, ſi Caeſaris acta rata eſſent. AVSPICIORVM *patronus*] vt Caeſaris acta reſcinderentur: quod eū nihil ſaluis auſpicijs egiſſe diceres. APPIO,] praetore, anno poſt Clodij tribunatum proximo. VBI] qua in re amentiae enim ſummae fuit, cum eius tribunatus inter acta eſſet Caeſaris, ijsq. infirmatis nullus eſſet, ea ipſa acta reſcindere conari. C. ANTONIVM,] a M. Coelio de maieſtate accuſatum, & damnatum. ILLIVS *miſeri*] miſerum vocat quia damnatus exſulabat. VIROS *fortes*] C. Caeſarem ſignificat, qui legem curiatam de Clodij adoptione conſul tulit, vt tribunus pl. deinde factus Ciceronē in exſulium pelleret. Suetonius. TRINVNDINVM] ne qua lex feratur, niſi promulgata per tres nundinas populo patuerit. Caeſar autem legem curiatam de adoptione Clodij tribus horis pertulit. nam cū hora ſexta, quae ego in Antonij cauſſa dixeram, cognouiſſet, hora nona legem pertulit. EADEM *obſeruanda*] videtur omnino de trinundino non obſeruato aliquid ſubiungere debuiſſe: & ſane lex Caecilia & Didia, quod ex Phil. 5. licet colligere ad trinundinū pertinent: verumtamē Druſi leges a ſenatu ſublatas eſſe, nō quia ſeruatum in ijs trinundinū non eſſet, verum quia contra auſpicia latae, Cicero ipſe lib. II. de leg. auctor eſt. Ego de trinundino in lege curiata nō obſeruato protſus accipiendū arbitror iam enim Cicero diſputationem de auſpicijs abſoluerat: nunc agit de trinundino: quod & ea, quae ſupra dicta ſunt, & quae ſequuntur, ſatis probant DECREVIT *ſenatus,*] referente Philippo conſule, Druſi inimico. M. DRVSI,] eius filij qui, ſuſcepto ſenatus patrocinio, C. Gracchi tribuni pl. potentiam fregerat.

ORATIO

IAm intelligis omni genere iuris, quod in ſacris, quod in auſpicijs, quod in legibus ſit, te tribunum pl. non fuiſſe. atque ego hoc totum non ſine cauſſa relinquo. video enim quoſdam clariſſimos viros, principes ciuitatis,

aliquot

aliquot locis malcaſſe, te cum plebe iure agere potuiſſe: qui etiam de me ipſo, cum tua rogatione funere elatam remp. eſſe dicerent, tamen ia ſtatu, etſi miſerum atque acerbum fuiſſet, iure tuo factum eſſe dicebant. quod de me ciue, ac de repub. bene merito tuliſſes funeſtum funus te indixiſſe reip. quod ſaluis auſpicijs tuliſſes, iure egiſſe dicebant. quare licebit, vt opinor, nobis eas actiones non infirmare, quibus illi actionibus conſtitutum tribunatum tuum comprobauerunt. fueris ſane tribunus pleb. tam iure, tam lege, quam fuit hic ipſe Rullus, vir omnibus rebus clariſſimus, atque ampliſſimus. qua iure, quo more, quo exemplo legem nominatim de capite ciuis indemnati tuliſti? vetant leges ſacratae, vetant XII tabulae, leges priuatis hominibus irrogari: id eſt enim priuilegium. nemo vnquam tulit: nihil eſt crudelius, nihil pernicioſius, nihil, quod minus haec ciuitas ferre poſſit. proſcriptionis miſerrimum nomen illud, & omnis acerbitas Sullani temporis quid habet, quod maxime ſit inſigne ad memoriam crudelitatis? opinor, poenam in ciues R. nominatim ſine iudicio conſtitutam. hanc vos igitur, pontifices, iudicio atque auctoritate veſtra tribuno pl. poteſtatem dabitis, vt proſcribere poſſit, quos velit? quaero enim, quid ſit aliud, proſcribere, Velitis iubeatis, ut M. Tullius in ciuitate ne ſit, bonaq. eius ut mea ſint. ita enim fecit: etſi alijs verbis tulit. hoc plebiſcitum eſt? haec lex, haec rogatio eſt? hoc vos pati poteſtis, hoc ferre ciuitas, vt ſinguli ciues ſingulis verſiculis e ciuitate tollantur? equidem iam perfunctus ſum: nullam vim, nullum impetum metuo: expleui animos inuidorum: placaui odia improborum: ſaturaui etiam perfidiam, & ſcelus proditorum: denique de mea cauſſa, quae videbantur perditis ciuibus ad inuidiam eſſe propoſita, iam omnes ordines, omnes dij atque homines iudicauerunt. vobiſmet ipſis, pontifices, & veſtris liberis, ceteriſq. ciuibus pro veſtra auctoritate, & ſapientia conſulere debetis. nam, cum tam moderata iudicia populi ſint a maioribus conſtituta; primum, vt ne poena capitis cum pecunia coniungatur; deinde, ne niſi prodicta die quis accuſetur; tertio, vt ante magiſtratus accuſet intermiſſa die, quam multam irroget, aut iudicet; quarto, ſit accuſatio trinum nundinum, prodicta die, qua die iudicium ſit futurum; cum multa etiam ad placandum, atque ad miſericordiam reis conceſſa ſint; deinde exorabilis populus, facilis ſuffragatio pro ſalute; denique etiam, ſi qua res illum diem aut auſpicijs, aut excuſatione ſuſtulit; tota cauſſa, iudiciumq. ſublatum eſt: haec cum ita ſint in re, vbi crimen eſt, vbi accuſator, vbi teſtes; quid indignius, quam, qui neque adeſſe ſit iuſſus, neque citatus, neque accuſatus, de eius capite, liberis, fortunis omnibus cōductos, & ſicarios, egentes, & perditos ſuffragium ferre, & eam legem putaretae. ſi hoc de me potuit, quem bonos, quem dignitas, quem cauſſa, quem reſp. tuebatur, cuius denique pecunia non expetebatur, cui nihil oberat praeter conuerſionem ſtatus, & inclinationem communium temporum: quid tandem futurum eſt ijs, quorum vita remota ab honore populari, & ab hac illuſtri gratia eſt, pecuniae autem tantae ſunt, vt eas nimium multi egentes, ſumptuoſi, nobiles concupiſcant? date hanc tribuno pl. licentiam, & intuemini paulliſper animis iuuentutem, & eos maxime, qui imminere iam cupiditate videntur in tribuniciam poteſtatem: collegia mediusfidius tribunorum pl. tota reperientur, hoc iure firmato, quae coeant de hominum locupletiſſimorum bonis, praeda praeſertim populari, & ſpe largitionis oblata. At quid tulit legum ſcriptor peritus, callidus? Velitis, iubeatis, vt M. Tullio aqua, & ignis interdicatur? crudele, nefarium, ne in ſceleratiſſimo quidem ciue ferendum ſine iudicio. non tulit, vt interdicatur. quid ergo? vt interdictum ſit. O coenum, a portentum, o ſcelus: hanc tibi legem Clodius ſcripſit ſpurciorem lingua ſua, vt interdictum ſit, cui non ſit interdictum? Sexte noſter, bona venia dic, quoniam iam dialecticus es, & hoc quoque ligurris: quod factum non eſt, vt ſit factum, ferri ad populum, aut verbis vllis ſanciri, aut ſuffragijs confirmari poteſt? hoc tu ſcriptore, hoc conſiliario, hoc miniſtro, omnium non bipedum ſolum, ſed etiam quadrupedum impuriſſimo rempub. perdidiſti. neque tu eras tam excors, tamq. demens, vt neſcires hunc Clodium eſſe, qui contra leges faceret; & alios eſſe, qui leges ſcribere ſolerent: ſed neque eorum, neque ceterorum, in quibus eſſet aliquid modeſtiae, cuiuſquam tibi poteſtas fuit: neque tu legum ſcriptoribus iiſdem potuiſti vti, quibus ceteri; neque operum architectis; neque pontificem adhibere, quidem velles; poſtremo ne in praedae quidem ſocietate mancipem, aut praedem ſocium, extra tuorum gladiatorum numerum, aut denique ſuffragij latorem in iſta tua proſcriptione quemquam, niſi furem, aut ſicarium, reperire potuiſti. itaque, cum tu florens, ac potens per medium forum popularis volitares; amici illi tui te, vno amico tecti, & beati, qui ſe populo commiſerant, ita repellebantur, vt etiam Palatinam tuam perderent. qui tu iudiciū venerant; ſiue accuſatores erant, ſiue rei, te deprecante damnabantur. denique etiam ille nouicius Ligur, venalis adſcriptor, & ſubſcriptor tuus, cū M. Papirii, ſui fratris eſſet teſtamento, & indicio improbatus, mortem eius ſe velle perſequi dixit: nomen Sex. Propertii detulit; accuſare, alienae damnationis ſceleriſq. ſocius, propter calumniae metum non eſt auſus.

EXPLANATIO

HOC *totum*] te tribunum pl. non fuiſſe. QVOSDAM] M. Catonem ſignificat. TE. CVM *plebe iure agere potuiſſe:*] te tribunum pl. fuiſſe. Id autem ideo ſentiebat Cato, quia, ſi, Clodium tribunū pl. non fuiſſe, probaretur, infirmabantur ea, quae ipſe in Cypro inſula; lege Clodia miſſus, egiſſet. IVRE *indictum*] idem in ea de Prouincijs: Ijdem illam proſcriptionem capitis mei contra reipub ſalutē, ſed ſaluis auſpicijs robatam eſſe dicebant. itaque vir ſumma auctoritate, ſumma eloquentia dixit grauiter, caſum illum meum funus eſſe reip. ſed funus iuſtum, & indictum QVOD *ſaluis auſpicijs egiſſes,*] id ſi negaſſet Cato, legem Clodiam, de Cicerone latam, ſuſtuliſſet. EAS *actiones*] leges a Caeſare conſule latas, inter quas curiata fuit. COMPROBAVERVNT.] negantes leges Caeſaris contra auſpicia latas, vt Clodij tribunatum, & cum eo ſuas ipſi actiones conſtituerent. IVRE,] ſacrorum & auſpiciorum, quod ſupra negauit. LEGE,] trinundino in ferenda curiata lege ſeruato: quod ſer-

uatum non eſt. HIC *ipſe*] vnus ex pontificibus. RVLLVS.] P.Seruilius Rullus, qui nominatur inter pontifices in oratione de Haruſp.reſp.ſiue & P.Seruilius Vatia, Iſauricus. hic autem Rullus fortaſſe is eſt, contra quem Ciceronis exſtant orationes. SACRATAE] in ſacro Monte, in quem plebs irata patribus ſeceſſerat latae, PRODICTA *die*] conſtituta ante die. AVSPICIIS,] aduerſis: vt illo die agi per auſpicia non liceret. EXCVSATIONE] a reo allata, cum adeſſe non poſſet. VBI *crimen eſt, vbi accuſator, vbi teſtis*] quæ in mea cauſſa non fuerunt. LIBERIS,] otioſum hoc videtur. CLODIVS] Sex. Clodius ſcriba: qui poſtea, Clodij cadauere in curia illato, & incenſo, quo incẽdio curia ipſa conflagrauit, in exſiliũ miſſus eſt, & a M.Antonio cõſule, poſt Cæſaris interitum, reſtitutus. PRAEDA *praeſertim populari,*] grata propter ſpem largitionis. SPVRCIOREM *lingua ſua,*] nam cũnilingus putabatur, ideo ſequitur, Hoc quoq. liguris. Et aliquanto poſt: Quære hoc ex Clodio, ſcriptore legũ tuarũ: iube adeſt: latitat omnino: ſed, ſi requiri iuſſeris, inueniet hominẽ apud vxorem tuã occultatem ſe capite demiſſo. Et ſupra: Heluoni ſpurciſſimo, prægustatori libidinum tuarum. BONA *venia dic.*] aggreditur diſputare: propterea ſubijcit, Quoniam iam dialecticus es Hoc *quoque*] hanc laudem, vt dialecticus habearis. LIGVRRIS:] appetis, auide ſumis, item vt cum lingis mulierum pudenda. Nam eo ſpectat hoc verbum. CLODIVM *eſſe,*] aut, Clodium, gloſſema eſt: aut ideo dictum, vt emphaſis eſſet in nomine. QVI *contra leges faceret;*] non qui leges alijs ſcriberet. SOLERENTI] quos adire debuiſti, non eum qui non ſoleret. OPERVM *architectis;*] proprio, non tranſlato, vtitur ſermone: non enim; operũ, pro actionum dixiſſet: quod Latini ſermonis elegantia reſpueret: ſed Operum, dixit, Libertatis aedem ſignificans, a Clodio in euerſa Ciceronis domo exſtructam. ex quo infra Quid operum publicorum exactio? ADHIBERE] ad aram Libertatis conſeruandam pontifice .n. præeunte conſecrauit Clodius. QVEM *velles;*] pro, quemquem velles, ideſt, quem omnes probarent. adhibuiſti .n. adoleſcentem imperitum nouum ſacerdotem, ſororis precibus, matris minis adductum, ignarum, inuitũ: vt infra. Et alio loco: Non poterat vllo modo non in agendo ruere, & ſæpe peccare, præſertim illo pontifice, & magiſtro, qui cogeretur docere, antequam ipſe didiciſſet. IN. PRAEDAE *ſocietate*] in diuiſione bonorum meorum. MANCIPEM,] qui emeret. mancipes.n. ſunt, qui ſpe lucri ab auctione emunt aut conducunt. PRAEDEM *ſocium,*] malim Prædem ſocium: idq arbitror ad ſententiam eſſe aptius. AMICI *illi tui*] ad Vatinium hoc pertinet, qui ædilitatem petens, repulſam tulerat. TE. VNO *amico tecti & beati.*] ironia. quis enim vno amico tectus ac beatus eſſe poteſt, præſertim omnib. infamiae maculis notato, qualis Clodius fuit? QVI *ſe pro vulo commiſerant*] Comitijs magiſtratũ petentes. PALATINAM] tribum, in qua Clodius cenſebatur, & ſuffragium ferebat. quam in oratione pro Sextio, hanc ipſam rem commemorans, nominat his verbis: Aedilitatẽ petiuit cum hominibus primis, ſed non præſtantiſſimis opibus, & gratia: tribum ſuam non tulit: Palatinam denique, per quam omnes illæ peſtes vexare populum Romanum dicebantur, perdidit. DAMNABANTVR.] accuſatores de calumnia, rei vero de alijs criminibus: cũ ipſe tribunus pl. Clodius pro ijs deprecaretur pro Sextio: Quiſquis erat, qui aliquã partem in meo luctu ſceleris Clodiani attigiſſet, quocumq. venerat, quod iudicium cumq. ſubierat, dãnabatur. ILLE *nouitius Ligur,*] nouus in vrbe ciuis. nuper e Liguria profectus. Notat eum, vt ignobilem, & Ligurem. nã cum eſſet Aeliae gentis vt ab Aelijs nobilibus, originem ducere videretur, Liguris cognomen ex Aeliorum imaginib aſſumpſit. quo tamen cognomine, nõ cuius generis eſſet, ſed cuius nationis indicare viſus eſt. eam ignobilitatẽ in oratione pro Sextio oſtẽdit his verbis: Interceſſit Ligus iſte neſcio qui, additamentũ inimicorũ meorũ. De patria vero ſic, aliquãto poſt: Ex nouã tribunis, quos tunc habueram, vnus me abſente defluxit, qui cognomen ſibi ex Aeliorum imaginib. arripuit, quo magis nationis eius eſſe. quam generis, videretur. ASCRIPTOR, *& ſubſcriptor tuus*] adſcripſerat ſe, pecunia emptus, ad amicos Clodij ſubſcripſerat, quia ſecutus eſt eiuſdem Clodij voluntatem, cũ, Cicerone iam in exſiliũ profecto, L. Ninnio tribuno pl. de eius reditu referente, interceſſit. pro Sextio. MORTEM *eius ſe velle perſequi dixit:*] quaſi veneno ſublatus eſſet ACCVSARE *non eſt auſus.*] nominis delationem accuſatio ſequebatur: ſed legitur, cum nomen iam detuliſſet accuſationem omiſit, veritus, ne calumniæ damnaretur, qui accuſaret eum, in quo culpa non eſſet, cum in ipſo potius crimen hæreret, qui Papirium, fratrem ſuum, hereditatis cupiditate & ſpe tollendum curaſſet. ideo ſubiungitur: Alienæ dãnationis, ſceleriſq. ſocius. quia damnari nemo vere poſſet, niſi ſimul, ſceleris eiuſdem ſocius, Ligur damnaretur.

ORATIO

DE hac igitur lege dicimus, quæ iure rogata videatur: cuius quam quiſque partem tetigit, digito, voce, præda, ſuffragio, quocumque venit, repudiatus conuictuſque diſceſſit. Quid: ſi iis verbis ſcripta eſt iſta proſcriptio, vt ſe ipſa diſſoluat? eſt enim: Quod M. Tullius falſum S.C.retulerit *Si igitur retulit falſum S.C. tum eſt rogatio: ſi non retulit, nulla eſt. ſatis ne tibi videtur a ſenatu iudicatum, me non modo non emeritum eſſe auctoritatem eius ordinis, ſed etiam vnum poſt vrbem cõditam diligentiſſime ſenatui paruiſſe? quot modis doceo, legem iſtam quam vocas, non eſſe legem? Quid ſi etiam pluribus de rebus non ſortitu retuliſti: tamen ne arbitraris, id quod M. Druſus in legibus ſuis pleriſque, bonus ille vir M. Scaurus, & L. Craſſus conſulares non obtinuerint, id te poſſe, omnium facinorum, & ſtuprorũ omnium Decumis, & Clodiis auctoribus, obtinere? Tuliſti de me ne reciperer, non vt exirem: quem, tu ipſe non poteras dicere; non licere eſſe Romae. quid*

enim

enim diceres? damnatum? certe non: expulſum? qui licuit? ſed tamen ne id quidem eſt ſcriptum, vt exirem. poena eſt, qui receperit; quam omnes neglexerunt; eiectio nuſquam eſt: uerum ſit: quid operum publicorum exactio? quid nominis in ſcriptio tibi? num aliud uidetur eſſe, ac meorum bonorum direptio? praeterquam quod ne id quidem per legem Liciniam, vt ipſe tibi curationem ferres, facere potuiſti. Quid hoc ipſum, quod nunc apud pontifices agis, te meam domum conſecraſſe, te monumentum feciſſe, in meis aedibus te ſignum dedicaſſe, eaq. te ex vna rogatiuncula feciſſe; vnum & idem videtur eſſe, atque id quod de me ipſo nominatim tuliſti? tam hercule eſt vnum, quam quod idem tu lege vna tuliſti, vt Cyprius rex, cuius maiores huic populo ſocij atque amici ſemper fuerunt, cum bonis omnibus ſub praecone ſubijceretur, & exſules Byzantium reducerentur. Eidē, inquit, vtraque de re negotium dedi. Sed quid, ſi eidem negotium dediſſes, vt in Aſia ciſtophorum flagitaret, inde iret in Hiſpaniam; cum Romae deceſſiſſet, conſulatū ei petere liceret; cum factus eßet, prouinciam Syriam obtineret; quoniam de vno homine ſcriberes, vna res eſſet? quod ſi iam populus R. de iſta re conſultus eßet; & non omnia per ſeruos latronesq. geſſiſſes: non ne fieri poterat, vt populo de Cyprio rege placeret, de exſulibus Byzantijs diſpliceret? quae eſt quaſi alia vis, quae ſententia Caeciliae legis, & Didiae, niſi haec, ne populo neceſſe ſit in coniunctis rebus compluribus aut id, quod nolit, accipere, aut id, quod velit, repudiare?

E X P L A N A T I O

DIGITO, *voce,*] qui eam ſcripſit, & qui laudauit ad populum. QVOCVMQVE *venit,*] ad quodcumque iudicium. ſic pro Sextio: Qui aliquam partem in meo luctu ſceleris Clodiani attigiſſet, quocumque venerat, quod iudicium cumque ſubierat, damnabatur. REPVDIATVS *conuictusque*] repudiati accuſatores, rei conuicti. FALSVM. S.C.] de afficiendis vltumo ſupplicio coniuratis. RETVLERIT.] quo, & vnde? ad aerarium e ſenatu Phil.5 ſenatus etiam conſulta. pecunia accepta, referebat: ſyngraphae obſignabantur: S.C. numquam facta, ad aerarium deferebantur A. SENATV *iudicatum.*] qui me decretis honorificentiſſimis in patriam reuocauit. VNO *ſortitu rettuliſti:*] non refert ad populum, ſed fert tribunus pl. refert autem vel ipſe, vel ceteri magiſtratus ad ſenatum. itaque pro, Retuliſti, maliam Tuliſti, Nec in Sortitu, ſatis acquieſco, forte enim tribunus pl. in ferenda lege non vtitur. quare ſcitu, puto eſſe rectius; vt, quod ſciuit plebs, intelligatur. M. DRVSVS] tribunus pl. pater tamen an filius, non omnino conſtat: ſed de patre dictum ideo videtur, quia nominatur ante M. Scaurum, & L. Craſſum qui & poſt M. Druſum patrem, C. Graccho aequalem, & ante filium, qui L. Philippo conſule tribunus pl. fuit, in rep. floruerunt. Mouet me illa quoque ratio; quod filij non pleraeq. leges, vt hic ait Cicero, ſed omnes plane vno S.C. referente cōſule, Philippo, ſublatae ſunt. BONVS *ille vir M Scaurus.*] cuius in tuenda rep. conſtantiam vehementer Cicero laudat in ea pro Sextio, & alibi. L. CRASSVS] oratorum aetate ſua princeps. CONSVLARIS] lego, conſulares: nam tribunus pl. eſſe non potuit Scaurus, cum patricius fuerit, ex Aemilia gente. DECVMIS,] opinor hunc eſſe Decimum illum, de quo ſic ep.3. lib IV. ad Att. Vix iam Decimum deſignatorem, vix Gellium retinet. CLODIIS] Sex. Clodio ſcriba, quem paullo ante dixit legem illam P. Clodio de Ciceronis exitio tuliſſe. CERTE *non:*] ſupra: An de peſte ciuis non modo indemnati, ſed ne accuſati quidem licuit tibi ferre non legem, ſed nefarium priuilegium? Pro Sextio: Reducti exſules Byzantium condemnati, tum cum indemnati ciues de ciuitate exiiciebantur. Pro Milone: Diem mihi credo, dixerat, multam irrogarat actionem perduellionis intenderat. QVID *operum publicorum exactio*] obſcurum eſt, quid dicat; dici tamen hoc arbitror: cum id, quod in publicata & euerſa Ciceronis domo aedificatum fuerat, (id autem quid eſſet ſatis infra oſtenditur) Clodius a conductoribus exegiſſet, id ei facere non licuiſſe: cū opera publica ab ijs exigi ſolerent, qui ei muneri publice praepoſiti eſſent QVID *nominis inſcriptio tibi?*] homini priuato in opere publico? PER *legem Liciniam*] in Rull. 2. Licinia eſt lex, atque altera Aebutia quæ nō modo eum qui tulerit de aliqua curatione, ac poteſtate, ſed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne eis ea poteſtas, curatio ve mandetur. MONVMENTVM *feciſſe in meis aedibus,*] diſtinguit monumentum ab aedibus: quia monumentum eſt id, quod ad memoriam exſtruitur: propterea dicit infra: In cōſpectu totius vrbis domus eſt mea, pontifices in qua ſi manet illud non monumentū vrbis, ſed ſepulcrū inimico nomine inſcriptum, demigrandū potius aliquo eſt. SIGNVM] Libertatis. CYPRIVS *rex,*] Ptolomaei regis Alexandrini frater: qui, cognita regni ſui publicatione, ſe ipſe veneno necauit. hanc hiſtoriam & in oratione pro Sextio Cicero attigit. EXSVLES *Byzantium reducerentur.*] quod iniquum fuit: cum praeſertim libera ciuitas Byzantiū, & ſui iuris eſſet. pro Sextio: Reducti exſules Byzantiū condemnati tū cum indemnati ciues ciuitate eijciebantur. EIDEM] M. Catoni ROMAE] Roma, ſententia poſtulat. coniungit enim ea, quae diuerſa admodum ſint; vt idem in Aſiā, ex Aſia in Hiſpaniam eat; idem, cū Roma deceſſerit, conſulatū petere poſſit: quod abſentibus per leges non licebat, idē, vbi conſul factus ſit, prouinciam Syriam adminiſtret. QVAE *eſt quaſi alia vis, quae ſententia Caeciliae legis, & Didiae,*] legem Caeciliam, & Didiam eſſe de trinundino, ſupra oſtendit: hic autem nō de trinundino ſed de pluribus rebus vna lege comprehenſis eam eſſe, nō obſcure dicit. an igitur loquitur pugnantia? nō arbitror: ſed cum eſſet in lege Caecilia & Didia de trinundino in promulgata lege ſeruādo; quodāmodo ea, quae fieri nō ſolerent, prohibere videbatur. in ijs autē erat illud, ne quis de pluribus rebus vna lege ferret. nam ideo per tres nundinas legē promulgatam patere populo lex Caecilia, & Didia iubebat, vt ſpatiū conſiderandi populus haberet, ſi quid in ea contra ceteras leges, morē ve maiorū

ſcriptum

ſcriptum eſſet, quod poſtea ſuffragijs vel antiquari, vel accipi oporteret. Non igitur diſertis verbis lex Caecilia, & Didia vetabat, ne pluribus de rebus vna lege ferretur: ſed cum ſeruari trinundinum iubebat, ſimul hoc alterum quaſi iubere videbatur. in quo verba Ciceronis operaepretium eſt conſiderare. non enim dicit, Quae eſt alia vis: ſed, Quae eſt alia quaſi vis. nam illud, Quaſi, oſtendit non eam plane vim, & ſententiam eius legis fuiſſe.

O R A T I O

QVid, ſi per vim tuliſti; tamen ne lex eſt? aut quid quam iure geſtum videri poteſt, quod per vim geſtum eſſe conſtet? an ſi in ipſa latione tua, capta iam vrbe, lapides iacti, ſi manus collata non eſt? idcirco tu ad illam labem, atque eluuiem ciuitatis ſine ſumma vi peruenire potuiſti? cum in tribunali Aurelio conſcribebas palam non modo liberos, ſed etiam ſeruos, ex omnibus vicis concitatos; vim tum videlicet non parabas: cum edictis tuis tabernas claudi iubebas; non vim imperitae multitudinis, ſed hominum honeſtorum modeſtiam, prudentiamq. quaerebas: cum arma in aedem Caſtoris comportabas? nihil aliud, niſi vt ne quid per vim agi poſſet, machinabare: cum vero gradus Caſtoris conuelliſti, ac remouiſti; tum, vt modeſte tibi agere liceret, homines audaces ab eius templi aditu, atque adſcenſu repuliſti: cum eos, qui in conuentu virorum bonorum verba de ſalute mea fecerant, adeſſe iuſſiſti, eorumq. aduocationem manibus, ferro, lapidibus diſcuſſiſti; tum profecto oſtendiſti, vim tibi maxime diſplicere?

E X P L A N A T I O

LAPIDES *iacti*] non affirmat, ſed negat. nam, lapides iacti, ſpectat ad illud, quod proxime ſequitur, Si manus collata non eſt: vt ſit: Si lapides iacti non ſunt, ſi manus collata non eſt. abfuiſſe enim fatetur illam vim quae lapidibus, manuq fit: nec tamen dici poſſe Clodiam legem ſine ſumma vi latam eſſe. nam ſi lata eſt contra legem Caeciliam & Didiam: certe, quamquam nec lapides iacti, nec manus collata ſit, lata per vim eſt. Subiungit autem, quae Clodius, vim cogitans, effecerit, ne quis legi ſuae, cum ferretur, auderet obſiſtere. CVM *in tribunali Aurelio*] hac de re ſupra diximus. IN AEDEM *Caſtoris*] in qua legem Clodius tulit. infra.

O R A T I O

VErum haec furioſa vis veſani tribuni pl. facile ſuperari, frangiq. potuit virorum bonorum vel virtute, vel multitudine quid, cum Gabinio Syria dabatur, Macedonia Piſoni, vtrique infinitum imperium, ingens pecunia, vt tibi omnia permitterent, te adiuuarent, tibi manum, copias, tibi ſuos paratos centuriones, tibi pecunias, tibi familias compararent, te ſuis ſceleratis concionibus subleuaſent, ſenatus auctoritatem irriderent, equitibus R. mortem, proſcriptionemq. minitarentur, me terrerent minis, mihi caedem, & dimicationem denunciarent, meam domum, refertam viris bonis, per amicos ſuos complerent, proſcriptionis metu me frequentia nudarent, virorum bonorum me praeſidio ſpoliarent, ſenatum pro me non modo propugnare, ampliſſimum ordinem ſed etiam plorare, & ſupplicare mutata veſte prohiberent; ne tum quidem vis erat? quid igitur ego ceſſi? aut qui timor fuit? non dicam in me quidem: fac me timidum eſſe natura: quid illa tot virorum fortiſſimorum millia? quid illi equites R.? quid ſenatus? quid denique omnes boni; ſi nulla vis erat, cur me flentes potius proſecuti ſunt, quam aut increpantes retinuerunt, aut irati reliquerunt? an hoc timebam, ſi mecum ageretur more inſtitutoq. maiorũ, vt poſſem praeſens ſuſtinere? vtrum, ſi dies dicta eſſet, iudiciũ mihi fuit pertimeſcendum, an ſine iudicio priuilegium? iudicium in cauſſa tam turpi? ſcilicet is homo ſum, qui, etiam ſi cauſſa eſſet ignota, dicendo non poſſem explicare. An eam cauſſam probare non poteram, cuius tanta bonitas eſt, vt ea ipſa non modo ſe, ſed etiam me abſentem per ſe probarit? An ſenatus, an ordines an ij, qui cuncta ex Italia ad me reuocandum conuolauerunt, ſegniores me praeſente ad me retinendum, & conſeruandum fuiſſent in ea cauſſa, quam ipſe iam parricida talem dicat fuiſſe, vt me ab omnibus ad meam priſtinam dignitatem expetitum, atque reuocatum queratur? An vero in iudicio periculi nihil fuit; priuilegium pertimui, ne, mihi praeſenti ſi multa irrogaretur, nemo intercederet? tam inops aut ego eram ab amicis, aut tam nuda reſp. a magiſtratibus? quid, ſi vocatae tribus eſſent; proſcriptionem, non dicam in me, ita de ſua ſalute merito, ſed omnino in vllo ciue comprobauiſſent? An, ſi ego praeſens fuiſſem, veteres illae copiae coniuratorum, tuiq. perditi milites, atque egentes, & noua vis ſceleratiſſimorum conſulum corpori meo pepercisſent? qui, cum eorum omnium crudelitati, ſceleriq. ceſſiſſem, ne abſens quidem luctu meo mentes illorum ſatiare potui. quid enim vos vxor mea miſera violarat? quam vexauiſtis, raptauiſtis, omni crudelitate laceraviſtis: quid mea filia? cuius fletus aſſiduus, ſordeſq. lugubres vobis erant iucundae, ceterorum omnium mentes oculoſq. flectebant: quid paruus filius? quem, quamdiu abſui, nemo niſi lacrumantem confectumq. vidit, quid fecerat, quod eum toties per inſidias interficere voluiſtis? quid frater meus? qui cum aliquanto poſt meum diſceſſum ex prouincia veniſſet, neque ſibi viuendum, niſi me reſtituto, putaret, cum eius maeror, ſqualor incredibilis, & inauditus omnibus mortalibus miſerabilis videbatur: quoties ex veſtro ferro, ac manibus eſt elapſus? ſed quid ego veſtram crudelitatem expromo, quam in ipſum

me,

me, ac meos adhibuiſtis, qui parietibus, qui tectis, qui columnis, ac poſtibus meis horrificum quoddam, & nefarium omni imbutum odio bellum intuliſtis? non enim te arbitror, cum poſt meum diſceſſum omnium locupletium fortunas, omnium prouinciarum fructus, & tetrarcharum ac regum bona ſpe & auaritia deuoraſſes, argenti & ſupellectilis meae cupiditate eſſe caecatum: non exiſtimo Campanum illum conſulem cum ſaltatore collega, cum alteri totam Achaiam, Theſſaliam Boeotiam, Graeciam, Macedoniam, omnemq. barbariam, bona ciuium R. condonaſſes, alteri Syriam, Babylonem, Perſas integerrimas pacatiſſimasq. gentes ad diripiendum tradidiſſes, illos tam cupidos liminum meorum, & columnarum, & valuarum fuiſſe, neque porro illa manus copiaeq. Catilinae caementis ac tignis meorum tectorum ſe famem ſuam expleturas putauerunt: ſed vt hoſtium vrbes, nec omnium hoſtium, verum eorum, quibuſcum acerbum bellum, inteſtinumque ſuſcepimus, non praeda adducti, ſed odio ſolemus excidere, quod in quos propter eorum crudelitatem inflammatae mentes noſtrae fuerunt, cum horum etiam tectis, ac ſedibus reſidere aliquod bellum ſemper videretur. nihil erat latum de me; non adeſſe eram iuſſus: non citatus fueram: eram etiam tuo iudicio ciuis incolumis; cum domus in Palatio, villa in Tuſculano, altera ad alterum conſulem transferebatur; ſenatum conſules vetabant; columnae marmoreae ex aedibus meis, inſpectante populo R. ad ſocrum conſulis portabantur; in fundum autem vicini conſulis non modo inſtrumentum, aut ornamenta villae, ſed etiam arbores transferebantur; cum ipſa villa non praeda cupiditate, (quid enim erat praedae?) ſed odio, & crudelitate funditus euerteretur: domus ardebat in Palatio, non fortuito, ſed oblato incendio: conſules epulabantur, & in coniuratorum gratulatione verſabantur, cum alter ſe Catilinae delicias, alter Cethegi conſobrinum fuiſſe diceret. Hanc ego vim, pontifices, hos ſceleribus furorem, meo corpore oppoſito, a bonorum omnium ceruicibus depuli, omnemq. impetum diſcordiarum, omnem diu collectam vim improborum, quae inueterata compreſſo odio, atque tacito iam erumpebat, in actum, tam audaces duces, excepi meo corpore: in me vno conſulares faces iactae manibus tribunicijs: in me omnia, quae ego quondam retuderam, coniurationis nefaria tela adhaeſerunt. quod ſi, vt multis fortiſſimis viris placuit, ui, & armis contra vim decertare voluiſſem: aut viciſſem cum magna internecione improborum, ſed tamen ciuium; aut, interfectis bonis omnibus, quod illi optatiſſimum erat, vna cum rep. concidiſſem. videbam, viuo ſenatu, populoque R. celerem mihi ſumma cum dignitate reditum: nec intelligebam fieri diutius poſſe, ut mihi non liceret eſſe in ea rep. quam ipſe ſeruaſſem: quod ſi non liceret, audieram, & legeram, clariſſimos noſtrae ciuitatis viros ſe in medios hoſtes ad perſpicuā mortem, pro ſalute exercitus inieciſſe ego pro ſalute reipub. uniuerſae dubitarem? hoc meliore conditione, quam Decii, quod illi ne auditores quidem ſuae gloriae, ego etiam inſpectator meae laudis eſſe potuiſſem. itaque infractus furor tuus inanes faciebat impetus: omnem enim vim omnium ſceleratorum acerbitas mei caſus exceperat. non erat in tam immani iniuria, tantiſq. ruinis nouae crudelitati locus.

EXPLANATIO

INGENS *pecunia,*] ſupra: Quis pecuniam, ad emendos agros conſtitutā, ereptam vi ex Cæſaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? SVOS *paratos centuriones,*] pro, ſuos paratos, placuit alijs, ſparatos. quod probare nō poſſum: cum nec centurionū, nec legionariorum militum, ſed ruſticorū ſparus telum ſit. FAMILIAS] ſeruos. EQVITIBVS *Romanis*] L. Lamiam, pro ſalute Ciceronis deprecantem, a Gabinio conſule relegatum, ſignificat. poſt Red in ſen. & pro Sex. SI DIES *dicta eſſet,*] idē pro Milone: Diem mihi credo, dixerat. AN SINE *iudicio priuilegium?*] neutrum debui pertimeſcere, nec vt iudices, nec vt populus me condemnaret. VT ME *ab omnibus ad meam priſtinam dignitatem expetitum, atque reuocatum queratur?*] Huc illa ſuperiora pertinent: Tu ne es ille, inquit, quo ſenatus carere nō potuit? quem boni luxerunt? quē reſp. deſiderauit? vno reſtituto ſenatus, auctoritatem reſtiturā putabamus, quam primum adueniens prodidiſti? PER SE] me enim cauſſae bonitas reſtituit MVLTA *irrogaretur,*] populi ſuffragijs, agente tribuno pl. pro Milone: Diem mihi, credo, dixerat, multam irrogarat. A MAGISTRATIBVS] a tribuni pl. cum lex ferretur. TOTIES *per inſidias interficere voluiſti?*] oratorie: vt in Clodium iudices incendat. CAMPANVM *conſulem*] Piſonem: qui, quo anno conſul Romae eodem Capuae, quam ſuperiore anno coloniam C. Caeſar conſul fecerat, duumuir cum Pompeio fuit vnde in oratione cōtra ipſum: Seplaſia mehercle, vt dici audiebam, te vt primum adſpexit, Campanum conſulem repudiauit. Et poſt Red. ad Quir. Capuæ ne te putabas, in qua vrbe domiciliū quondam ſuperbiæ fuit, conſulem eſſe ſicut eras eo tempore, an Romæ, in qua ciuitate oēs ante vos conſules ſenatui paruerunt? SALTATORE] poſt Red. in ſen. Cur in luſtris, & helluationibus huius calamiſtrati ſaltatoris tam eximia virtus tam diu ceſſauit? In Piſonem: Tu ex tenebricoſa popina conſul extractus cum illa ſaltatrice tonſa ſenatū reip. occaſum, atque interitum lugere vetuiſti, CVM *alteri*] Piſoni. ACHAIAM, *Theſſaliam, Boeotiam, Graeciam,*] populos liberos in Piſonem: lege Cæſaris iuſtiſſima atque optima populi liberi plane & vere erant liberi: lege autē ea, quam nemo legē, praeter te, & collegam tuū putauit, omnis erat tibi Achaia, Theſſalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta. In quo animaduertendum, proprie Graeciam vocari, quae ab Iſtmi anguſtijs inciperet, Hellas Graecis dicta: cuius in prima parte Atticam Plinius ponit. LIMINVM *meorum, & columnarum, & valuarum*] quae abſtulerunt. quo modo igitur non cupidi? aut ſi non cupidi, cur abſtulerunt? Subiungitur ratio: odium illud fuit non praedae cupiditas: vt hoſtium vrbes nec omnium hoſtium, verum eorum, quibus cum acerbum bellum, inteſtinumq. ſuſcepimus, non praeda adducti, ſed odio ſolemus excidere: quod, in quos propter eorum crudelitatem inflammatæ mētes noſtrę fuerunt, cū ho-

rum etiam tectis ac ſedibus reſidere aliquod bellum ſemper videretur. ETIAM *tuo iudicio*] hominis inimiciſſimi, nedum aliorum. CIVES *incolumis*] quia condemnatus non eram & mea tamen, quaſi condemnatus eſſem, domus in Palatio, villa in Tuſculano, altera ad alterũ conſulẽ transferebatur. ALTERA *ad alterum conſulem*] domus ad Piſonem, villa ad Gabinium. AD *ſocrum conſulis*] errorem vetuſtate iam confirmatum ante multos annos ex hoc loco ſuſtulimus. legebatur enim, ſocerum. at in Piſonem: Apud ſocrum tuam, prope a meis aedibus cuius domum ad meam exhauriendam patefeceras, ſedebas, non exſtinctor, ſed auctor incendij. Vbi Pedianus: Socrus Piſonis quae fuerit, inuenire non potui, videlicet, quod auctores rerum non perinde in domibus ac familijs feminarũ, niſi illuſtrium, virorum nomina tradiderunt. Correctionis cauſſa patet. NON *fortuito ſed oblato incendio*:] in Piſonem: Cum in Palatio mea domus ardebat, nõ caſu, ſed ignibus iniectis. CONSVLES *epulabantur*,] pro Sextio: Domus ardebat in Palatio. conſules epulabantur. CVM *alterie Catilinae delicias*] Gabinium ſignificat. Delicias appellat, quaſi eum Catilina turpiter amaſſet. poſt Red. in ſen. Quorum alter a me Catilinam, amatorem ſuum, multis audientibus, alter Cethegum, conſobrinum ſuum, repoſcebat. DECII] pater, & filius. NE *auditores quidem*] quia mortem oppetentes, gloriam ſunt adepti. INFRACTVS] fractus: vt apud Virg. Turnus vt infractos aduerſo Marte Latinos, Vidit.

ORATIO

CAto fuerat proximus (quid ageret, non erat) vt qui modus omnibus moribus fuerat, idem eſſet iniuriae. quid poſſes? extrudere ad Cypriam pecuniam. praeda perierit: alia non deerit: hunc modo amandandum eſſe. ſic M. Cato inuiſus, quaſi per beneficium, Cyprum relegatur. eijciuntur duo, quos improbi videre nõ poterant, alter per honorem turpiſſimum, alter per honeſtiſſimam calamitatem. Atque vt ſciatis non hominibus iſtum, ſed virtutibus hoſtem ſemper fuiſſe, me expulſo, Catone amandato, in eum ipſum ſe conuertit, quo auctore, quo adiutore, in concionibus, ea, quae gerebat, omnia, quaeq; geſſerat, ſe feciſſe, & facere, dicebat. Cn. Pompeium, quem omnium iudicio longe principem eſſe ciuitatis videbat, diutius furori ſuo veniam daturum nõ arbitrabatur. qui ex eius cuſtodia, per inſidias, regis amici filium hoſtem captiuum ſurripuiſſet, & ea iniuria virum fortiſſimum laceſſiſſet; ſperauit iiſdem ſe copijs cum illo poſſe confligere, quibuſcum ego noluiſſem bonorum periculo dimicare: & primo quidem adiutoribus conſulibus: poſtea fregit foedus Gabinius: Piſo tamen in fide manſit. quas iſte tum caedes, quas lapidationes, quas fugas fecerit, quam facile ferro, quotidianiſq. inſidijs, cum iam a firmiſſimo robore copiarum ſuarum relictus eſſet, Cn. Pompeium foro curiaq. priuarit, domumq. conieceris, vidiſtis. ex quo iudicare poteſtis, quanta vis illa fuerit oriens, & congregata, cum haec Cn. Pompeium terruerit iam diſtracta, & exſtincta. Hoc vidit in ſententia dicenda Kal. Ian. vir prudentiſſimus, & cum reip. tum mihi, tum etiam veritati amiciſſimus, L. Cotta, qui legem de meo reditu ferendam non cenſuit; qui me conſuluiſſe reip. ceſſiſſe tempeſtati, amiciorem vobis, ceteriſq. ciuibus, quam mihi, ac meis exſtitiſſe, vi, armis, diſſenſione hominum ad caedẽ inſtituta, nouoq. dominatu pulſum eſſe dixit, nihil de meo capite potuiſſe ferri, nihil eſſe inſcriptum, aut poſſe valere; omnia contra leges, moremq. maiorum temere, turbulente, per vim, per furorem eſſe geſta: quod ſi illa lex eſſet, nec referre ad ſenatum conſules, nec ſententiam dicere ſibi licere: quorum vtrumque cum fieret, non oportere, vt de me lex ferretur, decerni; ne illa, quae nulla eſſet, eſſe lex iudicaretur. ſententia verior, grauior, vtilior, melior reip. nulla eſſe potuit. hominis enim ſcelere, & furore notato, ſimilis in rep. labes in poſterũ dimouebatur. Neque hoc Cn. Pompeius qui ornatiſſimam de me ſententiã dixit, voſq. pontifices, qui me veſtris ſententijs, auctoritatibuſq. defendiſtis, non vidiſtis illam eſſe nullam, atque eſſe potius flammam temporis, interdictum ſceleris, vocem furoris: ſed proſpexiſtis, ne qua popularis in nos aliquando inuidia redundaret, ſi ſine populi iudicio reſtituti videremur. Eodemq. conſilio M. Bibuli, fortiſſimi viri, ſenatus ſententiam ſecutus eſt, vt vos de mea domo ſtatueretis: non quod dubitaret, quin ab iſto nihil legibus, nihil religionibus, nihil iure eſſet actum, ſed ne quis oriretur aliquando in tanta vbertate improborum, qui in meis aedibus aliquam religionem reſidere diceret. nam legem quidem iſtam nullam eſſe, quotieſcumque de me ſenatus ſententiam dixit, toties iudicauit; quoniam quidem ſcripto illo iſtius ſententiam dicere vetabatur. atque hanc rem par illud ſimile, Piſo, & Gabinius, vidit. homines legum iudiciorumq. metuentes, cum frequentiſſimus ſenatus vos, vt de me referretis, quotidie flagitaret, nõ ſe rem improbare dicebant; ſed lege iſtius impediri. erat hoc verum: nam impediebantur, verum ea lege, quam idem iſte de Macedonia, Syriaq. tulerat. hanc tu, P. Lentule, neque priuatus, neque conſul legem eſſe vnquam putaſti. nam, tribunis pl. referentibus, ſententiam de me deſignatus conſul ſaepe dixiſti: ex Kal. Ian. quoad perfecta res eſt, de me retuliſti: legem promulgaſti, tuliſti: quorum tibi, ſi eſſet illa lex, nihil liceret. at etiam Q. Metellus, collega tuus, vir clariſſimus quam legem eſſe homines alieniſſimi a P. Clodio iudicarant, Piſo, & Gabinius, eam nullam eſſe, frater P. Clodij, cum de me ad ſenatum tecum vna retulit, iudicauit. ſed iſti, qui Clodij leges timuerunt, quemadmodum ceteras obſeruarunt? ſenatus quidem, cuius eſt grauiſſimum iudicium de iure legum, quotieſcumque de me conſultus eſt, toties eam nullam eſſe iudicauit. quod idem tu, Lentule, vidiſti in lege, quã de me tuliſti: nam non eſt ita latum, vt mihi Romam venire liceret, ſed vt venirem: non enim voluiſti, id quod licebat, ferre, vt liceret; ſed me ita eſſe in rep. magis vt accerſitus imperio populi R. viderer, quam ad adminiſtrandam ciuitatem reſtitutus,

EXPLANATIO

EXTRVDERE *ad Cypriam pecuniam.*] ad vendenda Ptolomaei Cyprij regis bona: ex quib. pecuniã exactam Romam retulit. PRAEDA *periret*:] verba Clodij: ſi Catonem virum optimum, ad Cypriam pecuniam mitto hæc mihi praeda omnino peribit. HVNC *modo amandandum eſſe.*] ſubaudi, ſtet, fixum ſit: deinde aliam praedam quæremus. REGIS *amici*] Tigranis hiſtoriam narrat Pedianus pro Milone. FORO *curiaq. priuaui*,] ſæpe hoc dicit: nec interpretatione opus eſt. VIS *illa*] contra me. CN. POMPEIVM] in maximis bellis ab ineunte aetate verſatum. DE ST ACTA,] cum Gabinius conſul a Clodio Pompeij cauſſa defeciſſet. NIHIL *eſſe inſcriptum*,] opinor legendum, Nihil eſſe iure ſcitum. DEFENDISTIS,] vt ſenatores non vt pontifices; cum in ſenatu de meo reditu ageretur. ILLAM *eſſe nullam*.] legem, nam a ſuperioribus pendet, PROSPEXISTIS] cum legem de me ferri voluiſtis. SCRIPTO *illo iſtius*] lege Clodia. poſt Red. in ſen. Cum a tribuno pl. vetaretur; cum praeclarum caput recitaretur, ne pedibus iret, ne ſcribendo adeſſet: totam illam clauſulam, proſcriptionem, non legem, putarint. VERVM *ea lege*,] qua tamquam empti conſules Clodio promiſerant, ſe legem illius obſeruaturos, id eſt de Ciceronis reditu non eſſe ad ſenatum relaturos. HANC] non quam de Macedonia, & Syria, ſed quam de Cicerone tulerat DESIGNATVS *conſul*] quod proxime dixit, Priuatus. ISTI] Gabinius, & Piſo. QVID *eſt enim conſul*?] hoc diſputat in Paradoxis.

ORATIO

HVnc tu etiam, pernicioſa peſtis, exſulem appellare auſus es, cum tantis ſceleribus eſſes, & factis notatus vt omnem locum, quo adiſſes, exſulij ſimillimũ redderes? quid eſt enim exſul? ipſum per ſe nomen calamitatis, non turpitudinis. quando igitur eſt turpe? re vera, quando eſt poena peccati; opinione autem hominum, etiam ſi eſt poena damnati. vtrum igitur peccato meo exſulis nomen ſubeo, an re iudicata? peccato? iam neque tu id dicere audes, quem iſti ſatellites tui felicem Catilinam nominant, neque quiſquam eorum, qui ſolebant. non modo iam nemo eſt tam imperitus, qui ea quae geſſi in conſulatu, peccata eſſe dicat; ſed nemo eſt tã inimicus patriae, qui non meis conſilijs patriam conſeruatam eſſe fateatur. quod enim eſt in terris commune tantum, tantulum ne conſilium, quod non de meis rebus geſtis ea, quae mihi eſſent optatiſſima, & pulcherrima, iudicarit? ſummum eſt populi Ro. populorumque, & gentium omnium, ac regum conſilium ſenatus: decreuit, vt omnes, qui remp. ſaluam eſſe vellent, ad me vnum defendendum venirent: oſtenditq. nec ſtare potuiſſe rempub. ſi ego non fuiſſem reſtitutus, nec futuram eſſe vllam, ſi nõ rediſſem. Proximus eſt huic dignitati ordo equeſter: omnes omnium publicanorum ſocietates de meo conſulatu, ac de meis rebus geſtis ampliſſima, atque ornatiſſima decreta fecerunt. Scribae, qui nobiſcum in rationibus, monumentiſq. publicis verſantur, non obſcurum de meis in rempub. beneficiis ſuum iudicium, decretumque eſſe voluerunt. Nullum eſt in hac vrbe collegium, nulli pagani, aut montani, quoniam plebi quoque vrbanae maiores noſtri conuenticula, & quaſi concilia quaedam eſſe voluerunt, qui non ampliſſime non modo de ſalute mea ſed etiam de dignitate decreuerint. Nam quid ego illa diuina, atque immortalia municipiorum, & coloniarum, & totius Italiae decreta commemorem? quib. tamquam gradibus mihi videor in caelum adſcendiſſe, non ſolum in patriam reuertiſſe. Ille vero dies qui fuit, cum te, P. Lentule, legem de me ferentem populus R. ipſe vidit, ſenſitq. quantus, & quanta dignitate eſſes? conſtat enim, nullis vnquam comitiis campum Martium tãta celebritate, tanto ſplendore omnis generis hominum, aetatum, ordinum floruiſſe. Omitto ciuitatum, nationum, prouinciarum, regum, orbis deniq. terrarum de meis in omnes mortales meritis vnum iudicium, vnumq. conſenſum. Aduentus meus, atque introitus in vrbem qui fuit? vtrum me patria ſic accepit, vt lucem, ſalutemq. redditam ſibi, ac reſtitutam accipere debuit, an vt crudelem tyrannum? quod vos, Catilinae gregales, de me dicere ſolebatis. Itaque ille vnus dies, quo die me populus Rom. a porta in Capitolium atque inde domum, ſua celebritate, laetitiaq. comitatum, honeſtauit, tantae mihi iucunditati fuit, vt tua mihi conſcelerata illa vis nõ modo propulſanda, ſed etiam emenda fuiſſe videatur. Quare illa calamitas (ſi ita eſt appellanda) excuſſit hoc genus totum maledicti, ne quiſquam audeat iam reprehendere conſulatum meum, tot, tantis, tam ornatis iudiciis, teſtimoniis, auctoritatibus comprobatum. quod ſi in iſto tuo maledicto probrum non modo mihi nullum obiectas, ſed etiam laudem illuſtras meam: quid te aut fieri, aut fingi dementius poteſt? vno enim maledicto bis a me patriam ſeruatam eſſe concedis; ſemel, cum id feci, quod omnes nõ negent immortalitati, ſi fieri poteſt, mandandum, tu ſupplicio puniendum putaſti; iterum, cum tuum, multorumque propter te inflammatum in bonos omnes, impetum meo corpore excepi ne eam ciuitatem, quam ſeruaſſem inermis, armatus in diſcrimine adducerem.

EXPLANATIO

POENA *damnati.*] vel ſine peccato. AN. RE *iudicata*?] quia damnatus fuerim. Refertur enim hoc ad illud, Poena damnati. IAM] cum & a ſenatu, & a populo Romano ſim reſtitutus. FELICEM] tacite ſignificat, non puniri Clodium, hoſtem reip. cum penitus Catilina ſit. QVI *ſolebant*] an-

 tequam

tequam eſſem reſtitutus. SOCIETATES] quae non ſumebant ab ea prouincia, cuius vectigalia redemiſſent. erant autem omnes equeſtris ordinis. NOBISCVM] cum ſenatoribus. COLLEGIVM,] vt fabrorum & fictorum: quę nominat Pedianus in Corneliana. PAGANI,] qui pagos extra vrbem, in agro tamen Romano, habitabant. eaq. plebs vrbana vocabatur, quia cenſeretur in vrbanis tribubus. nam plebs ruſtica, quæ cenſebatur in ruſticis, multo nobilior. *De meis in omnes mortales meritis*] ne putentur hæc arroganter dicta; non enim ſunt ex perſona Ciceronis, ſed eorum, quorum in ſe reſtituendo vnum iudicium, vnumq. conſenſum ait fuiſſe: qui cum fuerint omnes mortales, ſequitur, vt eos omnes Ciceronis merita in eam mentem adduxerint. CVM *id feci*,] cum patriam a coniurationis peſtem liberaui. PROPTER *te*,] cuius auctor fuiſti.

ORATIO

Esto: non fuit in me poena vlla peccati. at fuit iudicii. cuius? quis me vnquam vlla lege interrogauit? quis poſtulauit? quis diem dixit? poteſt igitur damnati poenam ſuſtinere indemnatus? hoc tribunicium eſt? hoc populare eſt? quamquam vbi tu te popularem, niſi cum pro populo feciſti, potes dicere? ſcilicet: cum hoc iuris a maioribus proditum ſit, vt nemo ciuis R. aut libertatem, aut ciuitatem poſſit amittere, niſi ipſe auctor factus ſit. quod tu ipſe potuiſti in tua cauſſa diſcere. credo enim, quamquam in illa adoptione legitime factũ eſt nihil, tamen te eſſe interrogatum, auctor ne eſſes, vt in te P. Fonteius vitae neciſq. poteſtatem haberet, vt in filio. quaero, ſi aut negaſſes, aut tacuiſſes, ſi tamen id XXX. curiae iuſſiſſent, num id iuſſum eſſet ratum? certe non. quid ita? quia ius a maioribus noſtris, qui non ficte & fallaciter populares, ſed vere & ſapienter fuerunt, ita comparatum eſt, vt ciuis Ro. libertatem nemo poſſet inuitus amittere. quin etiam, ſi decemuiri ſacramentum in libertatem iniuſtum iudicaſſent, tamen, quotieſcumq. vellet quis, hoc in genere ſolo rem iudicatã referre poſſe voluerunt. ciuitatem vero nemo vnquam vllo populi iuſſu amittet inuitus. qui ciues Ro. in colonias Latinas proficiſcebantur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, nomenq. dederant: qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc ciuitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo uertendi, hoc eſt mutandi ſoli cauſſa venerant. id autem vt eſſet faciundum, non ademptione ciuitatis, ſed tecti, & aquae, & ignis interdictione faciebant. populus R. L. Sulla dictatore ferente, comitiis centuriatis, municipiis ciuitatem ademit, ademit iiſdem agros. de agris ratum eſt; fuit enim populi poteſtas: de ciuitate ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. an vero Volaterranis, cum etiam tum eſſent in armis, L. Sulla victor, rep. recuperata, comitiis centuriatis, ciuitatem eripere non potuit: hodieque Volaterrani, non modo ciues, ſed etiam optimi ciues, fruuntur nobiſcum ſimul hac ciuitate; conſulari homini P. Clodius, euerſa rep. ciuitatem adimere potuit, concilio aduocato, conductis operis non ſolum egentium, ſed etiam ſeruorum, Sedulio principe, qui ſe illo die confirmauit Romae non fuiſſe. quod ſi non fuit, quid te audacius, qui in eius nomen incideris? quid deſperatius, qui ne ementiendo quidem potueris auctorem adumbrare meliorem? ſin autem is primus ſciuit, quod facile potuit, propter inopiam tecti in foro pernoctans: cur non iuret ſe Gadibus fuiſſe, cum tu te fuiſſe, Interamnae probaueris? hoc tu igitur, homo popularis, iure munitam ciuitatem & libertatem noſtram putas eſſe oportere, vt ſi, tribuno pl. rogante, Velitis, iubeatis, ne; Sedulij centum ſe velle, & iubere dixerint, poſſit vnuſquiſque noſtrum amittere ciuitatem? tum igitur maiores noſtri populares non fuerunt, qui de ciuitate, & libertate ea iura ſanxerunt, quae nec vis temporum, nec potentia magiſtratuum, nec res iudicata, nec denique vniuerſi populi R. poteſtas, quae ceteris in rebus eſt maxima, labefactare poſſit. at tu etiam, ereptor ciuitatis, legem de iniuriis publicis tuliſti Anagnino neſcio cui Menulae pergratam, qui tibi ob eam legem ſtatuam in meis aedibus poſuit, vt locus ipſe in tua tanta iniuria legem, & inſcriptionem ſtatuae refelleret. quae res municipib. Anagninis ornatiſſimis multo maiori dolori fuit, quam quae idem ille gladiator ſcelera Anagniae fecerat. Quid, ſi ne ſcriptum quidem vnquam eſt in iſta ipſa rogatione, quam te Sedulius rogat ſciſciſſe? huius, et iſta tui praeclari tribunatus hominis dignitate cohoneſtas, auctoritatem amplecteris? ſed tamen, ſi nihil de me tuliſti, quo minus eſſem non modo in ciuium numero, ſed etiam in eo loco, in quo me honores populi Ro. collocauerunt: tamen ne cum tua voce violabis quem, poſt acrium ſcelus conſilium ſuperiorum tuo, vides iudicio ſenatus, populi Ro. totius Italiae honeſtatum? quem ne tum quidem, cum aberam, negare poteras eſſe tua lege ſenatorem? vbi enim tuleras, vt mihi aqua, & ignis interdiceretur? quod Gracchus de P. Popillio, Saturninus de Metello tulit, homines ſeditioſiſſimi de optimis, ac fortiſſimis ciuibus, non, vt eſſet interdictum, quod ferri non poterat, tulerunt, ſed vt interdiceretur. vbi cauiſti, ne meo me loco cenſor in ſenatum legeret? quod de omnibus etiam quibus damnatis interdictum eſt, ſcriptum eſt in legibus. quaere hoc ex Clodio, ſcriptore legum tuarũ: iube adeſſe: latitat omnino: ſed, ſi requiri iuſſeris, inuenient hominem apud ſororem tuam, occultantem ſe capite demiſſo. ſed, ſi patrem tuum, ciuem medius fidius egregium, diſſimilemq. veſtri, nemo vnquam ſanus exſulem appellauit, qui, cum de eo tribunus pleb. promulgaſſet, adeſſe, propter iniquitatem illius Cinnani temporis, noluit; eique imperium eſt abrogatum; ſi in illo poena legitima turpitudinem non habuit, propter vim temporum, in me, cui dies dicta nunquam eſt, qui reus non fui, qui nunquam ſum a tribuno pl. citatus, damnati poena eſſe potuit, ea praeſertim, quae ne in ipſa quidem rogatione perſcripta eſt?

EXPLANATIO

NISI *cum pro populo feciſti*] pro populo facere, non ſolum eſt, populi rem, cauſſamque tueri ſed etiam, pro populo ſacra facere: quod ſacerdotũ eſt. Ludit igitur Cicero in ambigua ſententia: ſed reuera pungit acerbe Clodiũ, renouata illius temporis memoria cũ Pompeiae, Caeſaris pont. Max. vxoris amore flagrans, ad ſacra Bonae deae, quae in domo pontificis max a mulieribus pro ſalute populi fiebant, muliebri veſtitu, quaſi & ipſe pro populo facere vellet, acceſſit. SCILICET:] hoc a ſequẽtibus diſtinxi: alioqui ſententia penderet. eſt autem in. ſcilicet, ironia: vt dicatur: ſcilicet hoc tribuniciũ eſt, hoc populare eſt. illud autem. Quamquam vbi tute popularem, niſi cum pro populo feciſti, potes dicere? parentheſi includatur. NISI *ipſe auctor factus ſis*] niſi ipſe conſenſerit. IN. TVA *cauſſa*] cum es adoptatus a Fonteio VITAE *neciſq. poteſtatem haberet, vt in filio.*] expedit Gellij verba recitare ex lib. v. c 19. Cum in alienam familiam, inquit, inq. liberorum locũ extranei ſumuntur, aut per praetorem fit, aut per populum quod per praetorem fit, adoptio dicitur: quod per populum arrogatio. Idem infra: Arrogatio dicta, quia genus hoc in alienam familiam tranſitus per populi rogationẽ fit. eius rogationis verba haec ſunt: Velitis iubeatis, vti L. Valerius L. Titio tam iure legeq. filius fiet, quam ſi ex eo patre matreq. familias eius natus eſſet: vtiq. ei vitae neciſq. in eũ poteſtas fiet, vti patri endo filio eſt. Hoc ita vt dixi, ita vos Quirites rogo. LIBERTATEM] quam amittitis, qui per arrogationem in alienam poteſtatem tranſit. INVITVS] inuitus autem videtur, qui aut negat, aut tacet. SACRAMENTVM *in libertatem iniuſtum iudicaſſent.*] aliquem de libertate litigantem liberum non eſſe iudicaſſent. ſic in oratione pro Caecina. ſacramentum noſtrum iuſtum iudicauerunt, pro, liberam eſſe mulierem Arretinam iudicauerunt. nam eius mulieris libertatem Cicero defendebat. ita locus locum aperit: & quamquam vetuſti moris ratio non omnino patet, ſententiam tamen ipſam perſpicue videmus. TAMEN,] ſubaudiri videtur: Quamquam cetera a decemuiris iudicata referri non ſolent. Hoc *in genere ſe*] mendum eſt in ſe: veritatis autẽ in Vaticano libro veſtigia exſtant: ſic enim in eo legitur: Hoc in genere ſororẽ. vt ſi legas, Hoc in genere ſolo rem, vnius litterae mutatione locus emendetur. SEDVLIO *principe?*] primo ſuffragium ferente. pro Plancio: Primus ſciuit legem de publicanis. IN. EIVS *nomen incideris?*] mihi legendum videtur, In aes eius nomen incideris? aeneis enim tabulis incidebantur leges, & cum iis eorũ nomina, qui primi ſciuiſſent. PROBAVERIS?] cum de inceſtu es accuſatus pro Milone, & ad Att. lib. 2. ep. 1 EREPTOR *ciuitatis,*] quem minime decet legem ferre de publicis iniurijs: cum tamen lex ipſa bona ſit. ANAGNINO *neſcio cui Menulae per gratiam*] non tulit eam legem Clodius, vt ciuitati caueret, ſed vt Menulae gratificaretur: cuius intererat eam legem ferri: credo, vt exciperetur ipſe, aut aliqua ei ratione caueretur, qui multa ſcelera in ſuos municipes commiſiſſet. IN. TVA *tanta iniuria,*] ereptis mihi aedibus meis. INSCRIPTIONEM *ſtatuae*] inſcripſerat Menula, P. Clodio, ob latam legem de publicis iniurijs NOMINIS *dignitate*] ironia. IN. EO *loco,*] in ſenatu: ad quem, vel ſine cenſoria lectione, aditus erat ijs qui magiſtratus curules geſſiſſent. GRACCHVS] Caius tribunus pl. cuius orationes in Popillium a veteribus nominantur exſulauit autem Popilius iudicio populi: vt infra patet & in ea pro Balbo: ex qua etiam Lenati cognomen fuiſſe, cognoſcitur. DE *Metello*] Numidico, qui iurare in eius legem noluerat. ETIAM *quibus damnatis interdictum eſt*] cum ego damnatus non ſim. OCCVLTANTEM *ſe capite demiſſo.*] fellatorem ſignificat. Catullus: Non ſi demiſſo ſe ipſe voret capite. PATREM *tuum*] qui cum P. Seruilio Iſaurico conſul fuit. DISSIMILEMQ. *veſtri,*] cum dicat, Veſtri, pungit ſimul Appium, P. Clodij fratrem. IMPERIVM] conſulare. POENA *legitima*] a tribuno pl. irrogata: cum a te irrogata legitima non ſit: cum tu tribunus pl. eſſe non potueris. EA *praeſertim,*] exſulium. NE. IN *ipſa quidem rogatione*] in qua ſcriptum non erat, vt mihi aqua & ignis interdiceretur. ſupra.

ORATIO

AT uide, quid interſit inter illum iniquiſſimum patris tui caſum, & hanc fortunam, condicionemq. noſtram. patrem tuum, ciuem optimum, clariſſimi uiri filium, qui ſi uiueret, qua ſeueritate fuit, tu profecto non uiueres, L. Philippus cenſor, auunculum ſuum, praeteriit in recitando ſenatu: nihil enim poterat dicere, quare rata non eſſent, quae erant acta in ea rep. in qua ſe illic ipſis temporibus cenſorem eſſe noluiſſet. me L. Cotta, homo cenſorius, in ſenatu iuratus dixit, ſe, ſi cenſor tum eſſet, cum ego aberam, meo loco ſenatorem recitaturum fuiſſe. quis in meum locum iudicem ſubdidit? quis meorum amicorum teſtamentum diſceſſu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod & ſi adeſſem? quis me non modo ciuic ſed ſocius recipere contra tuam legem, & iuuare dubitauit? denique uniuerſus ſenatus multo ante, quam eſt lata lex, de me gratias agendas cenſuit ciuitatibus iis, quae M. Tullium, tantum ne? immo etiam ciuem optime de rep. meritum recepiſſent. & tu unus, peſtifer ciuis, eum reſtitutum negas eſſe ciuem, quem eiectum uniuerſus ſenatus non modo ciuem, ſed etiam egregium ciuem ſemper putauit? ac uero, ut annales populi R. & monumenta uetuſtatis loquuntur, Kaeſo ille Quinctius, & M. Furius Camillus, & M. Seruilius Ahala, cum eſſent optime de rep. meriti, tamen populi incitati uim, iracundiamq. ſubierunt; damnatiq. comitiis centuriatis cum in exſulium profugiſſent, rurſus ab eodem

populo placato ſunt in ſuam priſtinã dignitatẽ reſtituti. quod ſi ijs damnatis, non modo non imminuit calamitas clariſſimi nominis gloriã, ſed etiã honeſtauit: (nam etſi optabilius eſt, curſum vitae conficere ſine dolore, & ſine iniuria; tamen ad immortalitatem gloriae plus affert, deſideratum eſſe a ſuis ciuibus, quam omnino numquam eſſe violatum) mihi ſine vllo iudicio populi profecto, cum ampliſſimis omnium iudicijs reſtituto, maledicti locum, aut criminis obtinebit? fortis, & conſtans in optima ratione ciuis P. Popillius ſemper fuit: tamen eius in omni vita nihil eſt ad laudem illuſtrius, quam calamitas ipſa. quis enim iam meminiſſet eum bene de rep. meritum, niſi & ab improbis expulſus eſſet, & per bonos reſtitutus? Q. Metelli praeclarum imperiũ in re militari fuit, egregia cenſura, omnis vita plena grauitatis: tamen huius viri laudem ad ſempiternam memoriam temporis calamitas propagauit. quod ſi & illis, qui expulſi ſunt inique, ſed tamen legibus, reducti inimicis interfectis, rogationibus tribunicijs, non auctoritate ſenatus, non comitijs centuriatis, non decretis Italiae, non deſiderio ciuitatis, inimicorum iniuria probro non fuit: in me, qui profectus ſum integer, abfui ſimul cum rep. redij cum maxima dignitate, te viuo, fratre tuo altero conſule reducente, altero praetore patiente, tuum ſcelus meum probrum putas eſſe oportere? at ſi me populus R. incitatus iracundia, aut inuidia ciuitate eieciſſet; idemq. poſtea, mea in remp. beneficia recordatus, ſe collegiſſet, temeritatem, atque iniuriam ſuam reſtitutione mea reprehendiſſet: tamen profecto nemo eſſet tam amens, qui mihi populi tale iudicium non dignitati potius, quam dedecori putaret eſſe oportere. nunc vero cum me in iudicium populi nemo omnium vocarit; condemnari non potuerim; qui accuſatus non ſim; denique ne expulſus quidem ita ſim, vt, ſi contenderem, ſuperare non poſſem; contraq. a populo R. ſemper ſim defenſus, amplificatus, ornatus: quid eſt, quare quiſquam mihi ſe ipſa populari ratione anteponat? an tu populum R. eſſe illum putas, qui conſtat ex ijs, qui mercede conducuntur; qui impelluntur, vt vim afferant magiſtratibus? vt obſideant ſenatum? optent quotidie caedem, incendia, rapinas? quem tu tamen populum, niſi tabernis clauſis, frequentare nõ poteras: cui populo duces Lentidios, Lollios, Sergios praefeceras. O ſpeciem, dignitatemq. populi R. quam reges, quam nationes exterae, quam gentes vltimae pertimeſcunt, multitudinem hominum ex ſeruis conductis, ex facinoroſis, ex egentibus congregatam. illa fuit pulchritudo populi R. illa forma, quam in campo vidiſti tum, cum etiam tibi contra ſenatus, totiusq. Italiae auctoritatem, & ſtudium dicendi poteſtas fuit. ille populus eſt dominus regum, victor, atque imperator omnium gentium. quem illo clariſſimo die ſcelerate vidiſti tum, cum omnes principes ciuitatis, omnes ordinum atque aetatum omnium, ſuffragium ſe non de ciuis, ſed de ciuitatis ſalute ferre cenſebant: cum denique homines in campũ, non tabernis, ſed municipijs clauſis, venerunt. hoc ego populo, ſi tum conſules aut fuiſſent in rep. aut omnino non fuiſſent, nullo labore, tuo praecipiti furori, atque impio ſceleri reſtitiſſem: ſed publicam cauſſam, contra vim armatam, ſine populi praeſidio ſuſcipere nolui: non quo mihi P. Scipionis, fortiſſimi viri, vis intima, priuati hominis, diſpliceret: ſed Scipionis factum ſtatim P. Mucius conſul, qui in gerenda rep. putabatur fuiſſe ſegnior, geſta, multis S. C. non modo defendit, ſed etiam ornauit. mihi aut, te interfecto, cum conſulibus, aut, te viuo, & tecum, & cum illis armis decertandum fuit. erant eo tempore multa etiam alia metuenda. ad ſeruos medius fidius res perueniſſet: tantum homines impios, ex vetere illa coniuratione inuſtum nefariis mentibus, bonorum odium retinebat.

EXPLANATIO

L. PHILIPPVS] tertius in oratoria laude poſt Craſſum, & Antonium, pater eius Philippi, qui Octauiani vitricus fuit. MEO *loco*] Meo me loco, erat apertius. IVDICEM] iudicum prima decuria initio anni ex ordine ſenatorio Aurelia lege ſumebatur. KAESO *ille Quinctius*,] defenſor nobilitatis acerrimus contra plebem. CAMILLVS] qui vrbem Romam a Gallis liberauit. SERVILIVS] qui Sp. Melium, regnum appetentem, iuſſu L. Quinctij Cincinnati dictatoris magiſter equitum ſua manu obtruncauit. INIMICIS *interfectis*,] C. Graccho Popillij, Saturnino Metelli. COMITIIS *centuriatis*,] legem ferente Lentulo conſule. INTEGER,] indemnatus, non, vt illi, legibus. CONSVLE] Metello Nepote. PRAETORE] Appio, Clodij fratre germano. PATIENTE,] antea, Perente. nos, Patiente, reponere auſi ſumus ex ingenio. quod alijs tamen iudicandum permittimus. NISI *tabernis clauſis*.] fuit igitur illa non ruſtica, ſed vrbana plebs, infimae condicionis. NON *tabernis*,] vt qui ad ferendum in tuis legibus ſuffragium, & ad conciones tuas, mercede conducti, facinoroſi, egentes, venire ſoliti ſunt. SINE *populi praeſidio*] erepto mihi a te tribuno pl. & a Piſone, Gabinioq. conſulibus. P. SCIPIONIS] Naſicae, qui, Ti. Gracchum occidit. VIS *intima*.] diſplicet, Intima: placet, Vltima. pro ſumma, ad ſanguinem, caedemq. perducta. Sic Liuius lib. 2. Non vltra videbatur latura lex dilationem agrariae legis: vltimaq. vis parabatur. Et lib. III. Vim vltimam apparebat futuram. SEGNIOR,] quia contra Ti. Gracchum arma capere noluit: ne belli ciuilis auctor fuiſſe videretur. NON *modo defendit*,] pro Plancio, Tam iuſti, quam P. Mucius, qui arma, quae priuatus P. Scipio ſumpſerat, ea, Ti. Graccho interempto, iure optimo ſumpta eſſe defendit. AD *ſeruos*] ſerui contra bonos ciues arma cepiſſent. ODIVM *retinebat*,] fero, ſed, Tenebat, vſitatius.

ORATIO

Hic tu me etiam gloriari vetas: negas eſſe ferenda, quae ſoleam de me praedicare: & homo facetus inducis etiam ſermonem vrbanum, ac venuſtum; me dicere ſolere, eſſe me Iouem; eundemq. dictitare, Miner-

uam

nam eſſe ſororem meam. Non tam inſolens ſum, qui Iouem eſſe me dicam; non tam ineruditus, qui Mineruam, Iouis ſororem, meam eſſe ſororem exiſtimem. ſed tamen ego mihi ſororem virginem adſciſco: tu ſororem tuam virginem eſſe non ſiuiſti. ſed vide, ne tu te debeas Iouem dicere, quod tu iure eandem ſororem, & vxorem appellare poſſis. Et, quoniam hoc reprehendis, quod ſolere me dicas de me ipſo glorioſius praedicare: quis vmquam audiuit, cum ego de me, niſi coactus, ac neceſſario, dicerē? nam ſi, cum mihi furta, largitiones, libidines obijciuntur, ego reſpondere ſoleo, meis conſilijs, periculis, laboribus patriam eſſe conſeruatam, non tam ſum exiſtimandus de geſtis rebus gloriari, quam de obiectis non confiteri. ſed ſi mihi ante haec duriſſima reip. tempora nihil vmquam aliud obiectum eſt, niſi crudelitas illius temporis, cum a patria perniciem depuli: quid me huic maledicto vtrum non reſpondere, an demiſſe reſpondere decuit? ego vero etiam reip. ſemper intereſſe putaui, me illius pulcherrimi facti, quod ex auctoritate ſenatus, conſenſu bonorum omnium, pro ſalute patriae geſſiſſem, ſplendorem verbis, dignitatemque retinere, praeſertim cum mihi vni in hac rep. audiente populo Ro. opera mea hanc vrbem, & hanc remp. eſſe ſaluam iurato dicere fas fuiſſet.

EXPLANATIO

SORORE M *tuam*] quae vxor fuit Q. Metelli Celeris: vt in oratione pro Clodio. quamquam non vnam, ſed tres a Clodio ſorores eſſe violatas, ex epiſtola ad Lentulum intelligatur. EANDE M *ſororem, & vxorem*] qualis Ioui Iuno fuit. ANTE *haec duriſſima reip. tempora*] antequam eijceret. AVDIENTE *populo Romano*] vltimo conſulatus die, cum eum tribunus pl. Q. Metellus Nepos habendae concionis poteſtate priuaſſet, iurauit a ſe remp. eſſe ſeruatam. quod eum iure iuraſſe populus iurauit. ep. ad Metellum, lib. v.

ORATIO

EXſtinctum eſt iam illud maledictum crudelitatis, quod me non vt crudelem tyrannum, ſed vt mitiſſimum parentem, omnium ciuium ſtudijs deſideratum, repetitum, accerſitum vident. aliud exortum eſt. obijcitur mihi meus ille diſceſſus: cui ego crimini reſpondere ſine mea maxima laude non poſſum. quid enim, pontifices debeo dicere? peccati me conſcientia profugiſſe? at id, quod mihi crimini dabatur, non modo peccatum non erat, ſed erat res poſt natos homines pulcherrima. iudicium populi pertimuiſſe? at id nec propoſitum vllum fuit, &, ſi fuiſſet, duplicata gloria diſceſſiſſem. bonorum mihi praeſidium defuiſſe? falſum eſt. me mortem timuiſſe? turpe eſt. dicendum igitur eſt id, quod non dicerem, niſi coactus: nihil enim vmquam de me dixi ſublatius, adſciſcendae laudis cauſſa potius, quam criminis depellendi. dico igitur, & quam poſſum maxima voce dico: cum omnium perditorum, & coniuratorum incitata vis duce tribuno pl. conſulibus auctoribus, afflicto ſenatu, perterritis equitibus Rom. ſuſpenſa ac ſollicita tota ciuitate, non tam in me impetum faceret, quam per me in omnes bonos; me vidiſſe, ſi viciſſem, tenues reip. reliquias, ſi victus eſſem, nullas futuras. quod cum iudicaſſem, defleui coniugis miſerae diſſidium, liberorum cariſſimorum ſolitudinem, fratris abſentis amantiſſimi, atque optimi caſum, ſubitas fundatiſſimae familiae ruinas: ſed his omnibus rebus vitam antepoſui meorum ciuium; remque publicam concidere vnius diſceſſu, quam omnium interitu occidere malui: ſperaui id, quod accidit, me iacentem poſſe a viuis viris fortibus excitari; ſi vna cum bonis interijſſem, nullo modo poſſe recreari. accepi, pontifices, magnum, atque incredibilem dolorem: non nego, neque iſtam mihi adſciſco ſapientiam, quam nonnulli in me requirebant, qui me animo nimis fracto eſſe, atque afflicto loquebantur. an ego poteram, cum a tot rerum tanta varietate diuellerer, quas iccirco praetereo, quod ne nunc quidem ſine fletu commemorare poſſum, infitiari, me eſſe hominem, & communem naturae ſenſum repudiare? tum vero neque illud meum factum laudabile, nec beneficium vllum a me in remp profectū dicerem, ſi quidem ea reip. cauſſa reliquiſſem, quibus aequo animo carere: eamque animi duritiam, ſicut corporis, quod cum vritur non ſentit, ſtuporem potius, quam virtutem, putarem. ſuſcipere tantos animi dolores, atque ea, quae capta vrbe accidunt victis, ſtante vrbe vnum perpeti, & iam ſe videre diſtrahi a complexu ſuorum, diſturbari tecta, diripi fortunas, patriae denique cauſſa patriam ipſam amittere, ſpoliari populi R. beneficijs ampliſſimis, praecipitari ex altiſſimo dignitatis gradu, videre praetextatos inimicos, nondum morte complorata, arbitria petentes funeris, haec omnia ſubire conſeruandorum ciuium cauſſa, atque ita, vt doleuter abſis, non tam ſapiens, quam ij, qui nihil curāt, ſed tam amans tuorum, ac tui, quam communis humanitas poſtulat; ea laus praeclara, ac diuina. nam, qui ea quae numquam cara, atque iucunda duxit, aequo animo reip. cauſſa deſerit, nullam beneuolentiam inſignem in remp. declarat: qui autem ea relinquit reip. cauſſa, a quibus cum ſummo dolore diuellitur, ei patria cara eſt, cuius ſalutem caritati anteponit ſuorum. Quare diſrumpatur licet iſta furia, atque audiat haec ex me, quoniam laceſſiuit. bis ſeruaui; vt conſul togatus armatos vicerim; priuatus conſulibus armatis ceſſerim. vtriuſq. temporis fructum tuli maximum; ſuperioris, quod ex ſenatus auctoritate & ſenatum, & omnes bonos, meae ſalutis cauſſa, mutata veſte vidi; poſterioris, quod & ſenatus, & populus Ro. & omnes mortales & priuatim, & publice iudicarunt, ſine meo reditu remp. ſaluam eſſe non poſſe. ſed hic meus reditus pontifices veſtro iudicio continetur. nam, ſi vos me in meis aedibus collocatis, id quod in omni mea cauſſa ſemper ſtudijs, conſilijs, auctoritatibus, ſententijsq. feciſtis: video me plane, ac ſentio reſtitutum. ſin mea domus non modo mihi non redditur, ſed etiam monumentum praebet inimico doloris mei, ſceleris ſui, publicae calamitatis: quis erit, qui hunc reditum potius,

quam

quam poenam ſempiternam putet? in conſpectu prȩterea totius urbis domus eſt mea, pontifices: in qua ſi manet illud non monumentum vrbis, ſed ſepulcrum inimico nomine inſcriptum; demigrandum potius aliquo eſt, quam habitandum in ea vrbe, in qua trophaea & de me, & de rep. videam conſtituta. an ego tantam aut animi duritiem habere, aut oculorum impudẽtiam poſſim, vt cuius urbis ſervatorem me eſſe ſenatus omnium aſſenſu toties iudicarit, in ea poſſim intueri domum meam everſam non ab inimico meo, ſed ab hoſte communi, & ab eodem exſtructam, & poſitam in oculis civitatis, ne umquam conquieſcere poſſit fletus bonorum? Sp. Melij, regnum appetentis, domus eſt complanata. ecquid aliud? aequum accidiſſe Melio, populus Rom. iudicavit. nomine ipſo Aequimelij ſtultitiae poena comprobata eſt. Sp. Caſſij domus ob eandem cauſſam everſa, atque in eodem loco ȩdes poſita Telluris. in Vacci pratis domus fuit M. Vacci, quae publicata eſt, & everſa, ut illius facinus memoria, & nomine loci notaretur. M. Manlius cum ab adſcenſu Capitolij Gallorum impetum repuliſſet, non fuit contentus beneficij ſui gloria; regnum appetiſſe eſt iudicatus: ergo eius domum everſam, duobus lucis convestitam uidetis. quam igitur maiores noſtri ſceleratis ac nefarijs civibus maximam pȩnam conſtitui poſſe arbitrati ſunt, eandem ego ſubibo, ac ſuſtinebo, vt apud poſteros noſtros non exſtinctor coniurationis, & ſceleris, ſed auctor, & dux fuiſſe videar? hanc vero, pontifices, labem turpitudinis, & inconſtantiae poterit populi R. dignitas ſuſtinere, vivo ſenatus, vobis principibus publici conſilij, ut domus M. Tullii Ciceronis cum domo Fulvii Flacci, ad memoriam poenae publice conſtitutae, coniuncta eſſe videatur? M. Flaccus, quia cum C. Graccho contra ſalutem reip. fecerat, & ſenatus ſententia eſt interfectus, & eius domus everſa, & publicata eſt: in qua porticum poſt aliquanto Q. Catulus de manubiis Cimbricis fecit. iſta autem fax ac furia patriae, cum urbem, Piſone & Gabinio ducibus, cepiſſet, occupaſſet, teneret, uno eodemque tempore & clariſſimi uiri mortui monumenta delebat, & meam domum cum M. Flacci domo coniungebat; ut, qua poena ſenatus affecerat everſorem civitatis, eadem iſte, oppreſſo ſenatu, afficeret eum, quem P. C. cuſtodem patriae iudicaſſent. Hanc uero in Palatio, atque in pulcherrimo urbis loco porticum eſſe patiemini, furoris tribunicii, ſceleris conſularis, crudelitatis coniuratorum, calamitatis reip. doloris mei defixum iudicium ad memoriam omnium gentium ſempiternam? quam porticum pro amore, quem habetis in rempub. & ſemper habuiſtis, non modo ſententiis, ſed, ſi opus eſſet, manibus veſtris diſturbare cuperetis. niſi quem forte illius caſtiſſimi ſacerdotis ſuperſtitioſa dedicatio deterret. O rem, quam homines ſoluti ridere non deſinant, triſtiores autem ſine maximo dolore audire non poſſint. P. ne Clodius, qui ex pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam intulit? hunc, inquam, etiam uos, qui eſtis antiſtites caerimoniarum, & ſacrorum, auctorem habetis, & magiſtrum publicae religionis? o dii immortales, (uos enim haec audire cupio) P. Clodius ueſtra ſacra curat? ueſtrum numen horret? res omnes humanas religione ueſtra contineri putat? hic non illudit auctoritati horum omnium, qui adſunt, ſummorum uirorum? non ueſtra, pontifices, gravitate abutitur? ex iſto ore religionis uerbum excidere, aut elabi poteſt? quam tu eodem ore, accuſando ſenatum, quod ſeuere de religione deceerneret, impuriſſime taeterrimeq. violaſti. Adſpicite, pontifices, hominem religioſum, &, ſi vobis videtur, quod eſt bonorum pontificum, monete eum, modum quendam eſſe religionis, nimium eſſe ſuperſtitioſum non oportere. quid tibi neceſſe fuit, anili ſuperſtitione, homo fanatice, ſacrificium, quod alienae domi fieret, inuiſere? quae autem te tanta mentis imbecillitas tenuit, vt non putares deos ſatis poſſe placari, niſi etiã muliebribus religionibus te impliculſſes? quem umquam audiſti maiorum tuorum, qui & ſacra privata coluerunt, & publicis ſacerdotijs praefuerunt, cum ſacrificium Bonae deae fieret, interfuiſſe? neminem, ne illum quidem, qui caecus factus eſt. ex quo intelligitur, multa in vita falſo homines opinari, cum ille, qui nihil viderat ſciens, quod nefas eſſet, lumina amiſit; iſtius, qui non ſolum adſpectu, ſed etiam inceſto flagitio, & ſtupro polluit caerimonias, poena omnis oculorum ad caecitatem mentis eſt converſa. hoc auctore, tam caſto, tam religioſo, tam ſancto, tam pio, poteſtis, pontifices, non commoveri, cum ſuis dicat ſe manibus domum civis optimi evertiſſe, & eam iiſdem manibus conſecraſſe? Quae tua fuit conſecratio? tuleram, inquit, vt mihi liceret. quid? non exceperas, vt, ſi quod ius non eſſet rogare, ne eſſet rogatum? ius igitur ſtatuetis eſſe, vniuſcuiuſque veſtrum ſedes, aras, focos, deos penates ſubiectos eſſe libidini tribuniciae? in quem quiſque per homines concitatos irruerit, quem impetu perculerit, huius domum non ſolum affligere, quod eſt praeſentis inſaniae quaſi tempeſtatis repentinae, ſed etiam in poſterum tẽpus religione ſempiterna obligare? equidem ſic accepi pontifices, in religionibus ſuſcipiendis caput eſſe, interpretari, quae voluntas deorum immortalium eſſe videatur: nec eſt vlla erga deos pietas, niſi honeſta de numine eorum ac mente opinio, cum expeti nihil ab iis, quod ſit iniuſtum ac inhoneſtum, arbitrere. hominem invenire iſta labes tum, cum omnia tenebat, neminem potuit, cui aedes meas addiceret, cui traderet, cui donaret: (ipſe, cum loci illius, cum aedium cupiditate flagraret; ob eamq. cauſſam vnam, vna iſta illa rogatione ſua, vir bonus dominum ſe in meis bonis eſſe voluiſſet; tamen illo ipſo in furore ſuo non eſt auſus meam domum, cuius cupiditate inflammatus erat, poſſidere,) deos immortales exiſtimatis, cuius labore & conſilio ſua ipſi templa tenuerunt, in eius domum afflictam, & everſam, per vnius hominis ſceleratiſſimi nefarium latrocinium, immigrare voluiſſe? civis eſt nemo in tanto populo, extra contaminatam illam & cruentam P. Clodii manum, qui rem vllam de meis bonis attigerit, qui non pro ſuis opibus in illa tempeſtate defenderit. at, qui aliqua ſe contagione praedae, ſocietatis, emptionis contaminaverunt, nullius neque privati, neque publici iudicii poenam effugere potuerunt. ex his igitur bonis, quorum nemo rem vllam attigit, qui non omnium iudicio ſceleratiſſimus haberetur, dii immortales domum meam concupiverunt? iſta tua pulchra Libertas deos penates, & familiares meos lares expulit, ut a te ipſa tamquam in captivis ſedibus collocaretur? quid eſt ſanctius, quid omni religione munitius, quam domus vniuſcuiuſque civium? hic arae ſunt, hic foci, hic dii penates, hic ſacrae religionis caerimoniae continentur: hoc perfugium eſt ita ſanctum omnibus, vt inde abripi neminem fas ſit. quo magis eſt furor iſtius ab auribus veſtris repellendus: qui, quae maiores noſtri religionibus tuta nobis, & ſancta eſſe voluerunt, ea iſte non ſolum contra religionem

ligionem

ligionem labefactauit, ſed etiam ipſius religionis nomine euertit. at quae dea eſt? bonam eſſe oportet, quandoquidem eſt abs te dedicata. Libertas, inquit, eſt. eam tu igitur domi meae collocaſti, quam ex vrbe tota ſuſtuliſti? tu, cum collegas tuos, ſumma poteſtate praeditos, negares liberos eſſe; cum in templum Caſtoris aditus eſſet apertus nemini; cum hunc clariſſimum virum, ſummo genere natum, ſummis populi beneficijs vſum, pontificem, & conſularem, & ſingulari bonitate & modeſtia praeditum, quem quibus oculis adſpicere audeas, ſatis mirari non queo, audiente populo R. a pediſequis conculcari iuberes; cum indemnatum exturbares, priuilegijs tyrannicis irrogatis; cum principem orbis terrae virum incluſum domi contineres; cum forum armatis catervis perditorum hominum poſſideres: Libertatis ſimulacrum in ea domo collocabas, quae domus erat ipſa indicio tui crudeliſſimi dominatus, & miſerrimae populi R. ſeruitutis? eum ne potiſſimum Libertas domo ſua debuit pellere, qui niſi fuiſſet, in ſeruorum poteſtatem ciuitas tota veniſſet? at vnde inuenta eſt iſta Libertas? quaeſiui enim diligenter. Tanagraea quaedam meretrix fuiſſe dicitur. eius non longe a Tanagris ſimulacrum marmoreum in ſepulcro poſitum fuit. hoc quidam homo nobilis, non alienus ab hoc religioſo Libertatis ſacerdote, ad ornatum aedilitatis ſuae deportauit. etenim cogitarat omnes ſuperiores muneris ſplendore ſuperare: itaque omnia ſigna, tabulas, ornamentorum quod ſuperfuit in fanis & communibus locis, tota e Graecia, atque inſulis omnibus, honoris populi R. cauſſa, ſane frugaliter domum ſuam deportauit. is poſtea quam intellexit poſſe ſe, interuerſa aedilitate, a L. Piſone conſule praetorem renunciari, ſi modo eadem prima littera competitorem habuiſſet aliquem, aedilitatem duobus in locis partim in arca, partim in hortis ſuis collocauit: ſignum de buſto meretricis ablatum iſti dedit, quod eſſet ſignum magis iſtorum, quam publicae libertatis. hanc deam quiſquam violare audeat, imaginem meretricis, ornamentum ſepulcri, a fure ſublatam, a ſacrilego collocatam? haec me domo mea pellet? haec, vltrix afflictae ciuitatis reip. ſpolijs ornabitur? haec, erit in eo monumento, quod poſitum eſt, vt eſſet indicium oppreſſi ſenatus ad memoriam ſempiternam turpitudinis.

E X P L A N A T I O

DVLGATA *gloria*] vna pulcherrimi facti, altera iudicijs populi factum comprobantis. DISCESSISSEM. ex iudicio absolutus eſſem. ARBITRIA] praemia: vt in Piſonem: Arbitria non mei ſolum, ſed patriae funeris abſtuliſti. Et poſt Red. in ſen. CVIVS *ſalutem*] diſceſſit enim rep. cauſſa, ne, ſi armis tueri ſe contra Clodium vellet, reip. ſalutem in diſcrimen adduceret. ſupra: Remp. concidere vnius diſceſſu, quam omnium interitu occidere malui. IN *omni mea cauſſa*] cum eſt acta in ſenatu. IN *conſpectu totius vrbis*] in Palatio. SEPVLCRVM *inimico nomine inſcriptum*] ſignificatur id, quod in ea de Haruſp. reſp. Inimicorum domos diſturbauit: veſtris monumentis nomen ſuum inſcripſit. AB *eodem exſtructum*.] exſtruxit enim Clodius in euerſa Ciceronis domo libertatis aedem. Alio loco: Mea domo, ſceleratius etiam aedificata, quam euerſa. SP. MELII.] quem occidit M. Seruilius Ahala, ſupra nominatus. AEQVIMELII] quo nomine complanatio illa eſt appellata. SP. CASSII] Vuſcelini, qui ter conſul fuit. Liuius, Dionyſius, Cicero, Valerius. M. VACCI.] M. Vitruuij Vacci: qui Fundanorum dux contra Romanos pugnauit: eius aedes in Palatio dirutae, Vacci prata ſunt appellata. Liuius. CASTISSIMI *ſacerdotis*] acerba in Clodium ironia, qui, tamquam ſacerdos, noctu libidinis cauſſa domum C. Caeſaris pont. max. in qua mulieres pro populo ſaciebāt, muliebri veſtitu introiuit. PONTIFICIS *max.*] C. Caeſaris, cuius domum cum eſt ingreſſus, eripuiſſe religionem videtur. ingredi enim, cum mulieres ſacra facerent, viris non licebat. NISI *quem forte*] apparet, eam domus partem, in qua noua porticus exſtructa eſt a Clodio dedicatam, licet ea ipſe vti cogitaret. infra: Porticum cum conclauibus, pauimentatam, trecentum pedum concupierat. IS. IN *meam inuluit*, exſtructa Libertatis aede. HVNC *inquam*] malin, Hunc hunc, inquam. QVOD *ſi vtrē de religione decerneret*,] cum de inceſtu Clodius eſt accuſatus qui ſpe corrumpendi iudicij, contendit, & obtinuit, adiuuante in primis M. Pupio Piſone conſule, ne ſibi in cauſſa ſenatus iudicaret. ep. 14. lib. 1 ad Att. NIMIVM *eſt ſuperſtitioſum*] nimium eſſe cupidum ea videndi, quae viris videre non licet. Pungit eū non ſine feſtiuitate, quod, cum viris adſpicere ſacra Bonae deae non liceret, ipſe tamen, vbi ea fiebant, in domū pontificis max. eſſet ingreſſus. eademq. feſtiuitate ſubiungit: Quid tibi neceſſe fuit, anili ſuperſtitione, homo fanatice, ſacrificiū, quod alienae domui fieret, inuiſere? QVI *caecus factus eſt*] Senectute: cui tamen vt caeco licuit interesse: Ap. Claudiū Caecū, qui diſſuaſit Pyrrhi pacem, ſignificat. FALSO *homines opinari*] vt eū opinātur, fabulā eſſe de luminibus amittendis, ſi quis vir Bonae deae ſacra viderit. nam, vt Clodius qui nō ſolum adſpectu, verū etiā inceſto flagitio & ſtupro caerimonias eius deae polluit, lumina nō amiſerit, caecus tamē, quod ad mentē attinet, factus eſt. nihil enim rectū videt, nihil iuſtū, nihil piū: praeceps in ſcelera ruit tamquā caecus. ILLE] Ap. Claudius Caecus. NIHIL *viderat ſciens*,] tu apertē vidiſti ſciens, quod non licebat. ille, cū auctor fuiſſet Potitiae genti vt quae olim ſacra ab Hercule didicerat, eorū ſolemnia ſeruos publicos doceret, poſt aliquot annos memori deum ira luminibus captus eſt. Liuius lib. 9. QVOD *ne fas eſſet*,] quod videre nefas eſſet. NON *exceperas*] quod excipi ſolet in legibus: NON *eſt auſus in domum poſſidere*.] cū emiſſet, poſſidere tamen nō eſt auſus. Huc illud pertinet, quod infra legitur Domus mea prope tota vacua eſt. SVA *ipſi templa tenuerunt*.] vrbe a me ſeruata Catilinae temporibus. IMMIGRARE *voluiſſe*?] libertatem quis credat in meas aedes immigraſſe, cum ego libertatem in vrbe conſeruauerim. BONAM *eſſe oportet*,] renouat memoriam Bonae deae, cuius caerimonias nefario ſtu-

pro

pro Clodius polluerat. NEGARES *liberos eſſe,*] intercedentes, aut obnunciantes contemneres. IN *templum Caſtoris*] in quo legem Clodius, reuulſis gradibus, ne quis introire poſſet, contra Ciceronem tulit. HVNC] M. Lucullum vt opinor. INDEMNATVM] ſeipſum ſignificat. PRINCIPEM *orbis terrae virum*]. Cn. Pompeium. QVIDAM *homo nobilis,*] deſcribit Ap. Claudium, P. Clodij fratrem. NON *alienus*] iocus quidam eſt. Loquitur enim de P. Clodij fratre. TOTA *Graecia,*] in qua legatus, aut quaeſtor fuerat. SANE *frugaliter*] Appij rapinas notat. A. L. PISONE *conſule*] vt eſſet praetor, ſicuti fuit, Appius Lentulo & Metello coſ. SI NOVO *eadem prima littera competitorem habuiſſet aliquem,*] vt reliquae nominis litterae, prima tantum incolumi, corrumpi mutariq. poſſent.

ORATIO

O Q. Catule, (patrem ne appellem, an filium? recentior memoria filij eſt, & cum rebus meis geſtis coniunctior) tantum ne te feſellit, tum mihi ſumma, & quotidie maiora praemia in rep. fore putabas? negabas fas eſſe duos conſules eſſe in hac ciuitate inimicos reip. duo ſunt inuenti, qui ſenatum tribuno furenti conſtrictum traderent, qui pro me patres conſcriptos deprecari, & populo ſupplices eſſe edictis atque imperio vetarent, quibus ſpectantibus domus mea diſturbaretur, diriperetur, qui denique ambuſtas fortunarum mearum reliquias ſuas in domos comportari iuberent. Venio nunc ad patrem. Tu, Q. Catule, M. Fuluij domum, cum is fratris tui ſocer fuiſſet, monumentum tuarum manubiarum eſſe voluiſti, vt eius, qui perniicioſa reip. conſilia cepiſſet, omnis memoria funditus ex oculis hominum ac mentibus tolleretur. hoc ſi quis tibi aedificanti illam porticum diceret, fore tempus, cum is tribunus pl. qui auctoritatem ſenatus, iudicium bonorum omnium neglexiſſet, tuum monumentum, conſulibus non modo inſpectantibus, verum adiuuantibus, disturbaret, euerteret, idq. cum eius ciuis, qui remp. ex ſenatus auctoritate conſul defendiſſet, domo coniungeret: nonne reſponderes, id, niſi euerſa ciuitate, accidere non poſſe? at videte hominis intolerabilem audaciam cum proiecta quadam, & effrenata cupiditate. monumentum iſte numquam, aut religionem vllam excogitauit: habitare laxe, & magnifice voluit, duasq. & magnas, & nobiles domos coniungere. eodem puncto temporis, quo meus diſceſſus iſti cauſſam caedis eripuit, a Q. Seio contendit, vt ſibi domum venderet. cum ille id negaret, primo ſe luminibus eius eſſe obſtructurum minabatur. affirmabat Poſtumus, ſe viuo illam domum iſtius numquam futuram. acutus adoleſcens ex ipſius ſermone intellexit, quid fieri oporteret: hominem veneno apertiſſime ſuſtulit: emit domum, licitatoribus defatigatis, prope dimidio carius, quam aeſtimabat. Quorſum igitur haec oratio pertinet? domus mea illa prope tota vacua eſt: vix pars aedium mearum decima ad Catuli porticum acceſſit. cauſſa fuit ambulatio, & monumentum, & iſta Tanagraea, oppreſſa libertate, Libertas. in Palatio pulcherrimo proſpectu, porticum cum conclauibus pauimentatam trecentum pedum concupierat, ampliſſimum periſtylum, cetera eiuſmodi, facile vt omnium domos & laxitate, & dignitate ſuperaret. & homo religioſus, cum aedes meas idem emeret, & venderet, tamen illis tantis tenebris non eſt auſus ſuum nomen emptioni illi adſcribere: poſuit ſcilicet Stratonem illum, hominem ſua virtute egentem, vt is, qui in Marſis, vbi natus eſt, tectum, quod imbris vitandi cauſſa ſuccederet, nullum haberet, aedes in Palatio nobiliſſimas emiſſe ſe diceret. inferiorem aedium partem aſſignauit non ſuae genti Fonteiae, ſed Clodiae, quam reliquit: quem in numerum ex multis Clodijs nemo nomen dedit, niſi aut egeſtate, aut ſcelere perditus.

EXPLANATIO

O Q. CATVLE. (*patrem appellem, an filium?*)] ſimilis illa figura in Oratore. o M. Druſe: (patrem appello) & Phil. 3. o C. Caeſar: (adoleſcentem appello.) EXCOGITAVIT.] ferro, ſic tamen, vt, cogitauit, magis probem. CONIVNGERE.] meam cum ſua. POSTVMVS,] Q. Seius Poſtumus. Vſitatum eſt Ciceroni, quod primo cognomen omiſerit, ſolum ſubijcere: vt lib. 2. de Orat. facta P. Rutilij mentione, ſubiunxit: C. Canius, eques Romanus, cum Rufo adeſſet Erat autem, Rufus, cognomen Rutilij. QVID *fieri oporteret:*] intellexit, veneno eſſe tollendum. LITICATORIBVS *defatigatis.*] in auctione victis; ſed malim, Licitatoribus. PROPE *tota vacua eſt:*] nam etſi emit eam Clodius, poſſidere tamen non eſt auſus. quod ſupra dictum eſt. AD *Catuli porticum*] Catuli porticum deleuerat Clodius & ibi aliam porticum extruxerat. ſupra: Clariſſimi viri mortui monumenta delebat, De inde ſubiungit de Clodij porticū Hanc vero in Palatio, atque in pulcherrimo Vrbis loco porticum eſſe patiemini? Appellat igitur Catuli porticum, non quae eſſet, ſed quae fuerat ex qua; & ex parte aedicum Ciceronis porticum trecentum pedum Clodius fecerat. CAVSSA *fuit ambulatio,*] a Clodio facta ambulatio cauſſa fuit, vt ad eam porticum vix pars aedium mearum decima acceſſerit. MONVMENTVM,] ſacra aedes. TANAGRAEA. *Libertas.*] ſignum Tanagraeae meretricis. OPPRESSA *libertate.*] iocum quaeſiuit ex varia ſignificatione eiuſdem nominis. PERISTYLVM,] locum columnis clauſum. ILLIS *tantis tenebris,*] cum nec vmbram honeſti cerneret. SVA *virtute*] ſuis vitijs. id enim argute ſignificat.

ORATIO

*H*ANC *vos, pontifices, tam varium, tam nouam in omni genere voluntatem, impudentiam, audaciam, cupiditatem comprobabitis? Pontifex, inquit, affuit. Non te pudet, cum apud pontifices res agatur pontificem, dicere, non collegium pontificum, affuiſſe? praeſertim cum tribunus pl. vel denunciare potueris, vel etiã cogere? Eſto: collegium non adhibuiſti: quid? de collegio quis tandem affuit? poſuerat enim auctoritatem in vno, quae eſt in his omnibus. ſed tamen auget & aetas, & honos dignitatem. opus erat etiam ſcientia: quam etſi omnes conſecuti ſunt, tamen certe peritiores vetuſtas facit. Quis ergo affuit? Frater, inquit, vxoris meae. Si auctoritatem quaerimus; etſi id eſt aetatis, vt nondum conſecutus ſit; tamen, quanta eſt in adoleſcente auctoritas, ea propter tantam coniunctionem affinitatis minor eſt putanda. ſin autem ſcientia eſt quaeſita; quis erat minus peritus, quam is, qui paucis illis diebus in collegium venerat? qui etiam tibi erat magis obſtrictus beneficio recenti, cum ſe, fratrem vxoris tuae, fratri tuo germano antelatum videbat. etſi in eo prouidiſti, ne frater te accuſare poſſet. hanc tu igitur dedicationem appellas, ad quam non collegium, non honoribus populi R. ornatum pontificem, non denique adoleſcentem quemquam, cum haberes in collegio familiariſſimos, adhibere potuiſti? affuit is, ſi modo affuit, quem tu impuliſti, ſoror rogauit, mater coegit.*

EXPLANATIO

AFFVIT.] cum dedicarem. VXORIS *meae.*] Fuluiae, non tamen germanus, (nam & ipſe Fuluius fuiſſet) ſed aut conſobrinus, aut vterinus. fuit enim hic adoleſcens L. Pinarius Natta L. Murenae, qui poſt Ciceronẽ conſul fuit, vitricus. Pinariũ fuiſſe, quod infra legitur, oſtendit Quẽ ego, inquit, credo, ſi eſt ortus ab illis, quos memoriae proditum eſt ab ipſo Hercule, perfuncto iam laboribus ſacra didiciſſe, in viri fortis aerumnis non ita crudelem fuiſſe, vt in viui, & iam ſpirantis caput buſtum ſuis manibus imponeret. Ab Hercule autem ſacra didiciſſe Pinarios & Potitios, auctor eſt Liuius: ſed Potitiorum, eodem auctore, tota gens interijt Pinarij ſuperfuerunt. Ibidem infra: Viderat ille Murenam, vitricũ ſuum. At in oratione pro Murena, vitricum eum appellat, L. Nattae. Nattam autem Pinariae gentis cognomen fuiſſe, qui vel hunc noſtrum lib. 2. de D. uin. vel Tacitum lib. IV. vel faſtos Capitolinos anno 390 legerit, ignorare nemo poſſit. FRATRI *tuo germano*] Appio. alius enim Clodio germanus frater non erat. ANTELATVM] te tribuno pl. ei comitijs populi fauente. PROVIDISTI, *ne frater te accuſare poſſet.*] qua ratione prouiderit, obſcurum. niſi ſi non ipſe Clodius de creando pontifice vxoris fratre ad populum tulit, ſed alium induxit, qui ferret: ne frater eum accuſare poſſet. NON *denique adoleſcentem quemquam,*] praeter vxoris tuae fratrem.

ORATIO

*V*IDETE *igitur, pontifices, quid ſtatuatis in mea cauſſa de omnium fortunis. vero ne, pontifices, ſi quis, ſtatis, ſi is poſtem tenuerit, & aliquid dixerit, domum vniuſcuiuſque conſecrare poſſe: an iſtae dedicationes, & templorum, & delubrorum religiones ad honorem deorum immortalium ſine vlla ciuium calamitate a maioribus noſtris conſtitutae ſunt? eſt inuentus tribunus pl. qui, conſularibus copijs inſtructus, omni impetu furoris in eum ciuem irrueret, quem perculſum ipſa reſp. ſuis manibus extolleret. quid, ſi quis ſimilis iſtius (neque enim iam deerunt, qui imitari velint) aliquem mei diſſimilem, cui reſp. non tantum debeat, per vim afflixerit, domum eius per pontificem dedicarit; id vos iſta auctoritate conſtituetis ratum eſſe oportere? Dicitis, quem reperiet pontificem? Quid? & tribunus pl. idem eſſe non poteſt pontifex? M. Druſus ille, clariſſimus vir, tribunus pl. pontifex fuit. ergo, ſi is Q. Caepionis, inimici ſui, poſtem aedium tenuiſſet, & pauca verba feciſſet, aedes Caepionis eſſent dedicatae? Nihil loquor de pontificio iure, nihil de ipſis verbis dedicationis, nihil de religione, caerimonijs: non diſſimulo me neſcire ea, quae, etiam ſi ſcirem, diſſimularem, ne alijs moleſtus, vobis etiam curioſus viderer: et ſi effluunt multa ex veſtra diſciplina, quae etiam ad noſtras aures ſaepe permanant. poſtem teneri in dedicatione oportere, videor audiſſe, templi. ibi enim poſtis eſt, vbi templi aditus eſt, & valuae. ambulationis poſtes nemo vnquam tenuit in dedicando. ſimulacrum autem, aut aram ſi dedicaſti, ſine religione loco moueri poteſt. ſed iam hoc dicere tibi non licebit, quoniam pontificem poſtem tenuiſſe dixiſti. Quamquam quid ego de dedicatione loquar? aut quid de veſtro iure, & religione, contra quam propoſueram, diſputabo? ego vero ſi omnia ſollemnibus verbis, veteribus, & priſcis inſtitutis acta eſſe dicerem, tamen me reip. iure defenderem. An, cum in eius ciuis diſceſſu, cuius vnius opera ſenatus, atque omnes boni ciuitatem eſſe incolumem toties iudicaſſent, oppreſſam teterrimo latrocinio cum duobus ſceleratiſſimis conſulibus remp. teneres; domum eius, qui patriam a ſe ſeruatam perire ſuo nomine noluiſſet, per pontificem aliquem dedicaſſes: poſſet recreata reſp. ſuſtinere? date huc religioni aditum, pontifices: iam nullum fortunis cõmunibus exitum reperietis. an, ſi poſtem tenuerit pontifex, & verba, ad religionem deorum immortalium compoſita, ad perniciem ciuium tranſtulerit, valebit ad inuidiam nomen ſanctiſſimum religionis: ſi tribunus pl. verbis non minus priſcis, & paene ſollemnibus bona ciuis cuiuſpiam conſecrarit, non valebit? atqui C. Atinius patrum memoria bona Q. Metelli, qui eum ex ſenatu cen-

ſor eiecerat, aui tui Q. Metelle, & tui P. Seruili, & proaui tui P. Scipio, conſecrauit, foculo poſito in roſtris, adhibitoq. tibicine. quid tum? num ille furor tribuni pl. ductus ex nonnullis veterum temporum exemplis, fraudi Metello fuit, ſummo illi, & clariſſimo viro? certe non fuit. Vidimus hoc idem Cn. Lentulo cenſori tribunum pl. facere: numquid igitur is bona Lentuli religione obligauit? Sed quid ego ceteros? tu, tu, inquam, capite velato, concione aduocata, foculo poſito, bona tui Gabinij, cui regna omnia Syrorum, Arabum, Perſarumq. donaras, conſecraſti. quod ſi tum nihil eſt actum: quid in meis bonis agi potuit? ſin eſt ratum: cur ille gurges, helluatus tecum ſimul reip. ſanguinem, ad caelum tamen extruxit villã in Tuſculano uiſceribus aerarij: mihi meas ruinas, quarum ego ſimilem totam urbem eſſe paſſus nõ ſum, adſpicere non licuit? Omitto Gabinium, quid? exemplo tuo bona tua nonne L. Ninnius, vir omnium fortiſſimus, atque optimus, conſecrauit? quod ſi, quia ad te pertinet, ratum eſſe negas oportere: ea iura conſtituiſti in praeclaro tribunatu tuo, quibus in te conuerſis recuſares, alios euerteres? ſin iſta conſecratio legitima eſt: quid eſt, quod profanum in tuis bonis eſſe poſſit? an conſecratio nullum habet ius, dedicatio eſt religioſa? quid ergo illa tua tum obteſtatio tibicinis? quid foculus? quid preces? quid priſca verba voluerunt? ementiri, fallere, abuti deorum immortalium numine ad hominum timorem voluiſti? nam, ſi eſt illud ratum: mitto Gabinium: tua domus certe, & quidquid habes aliud, eſt Cereri conſecratum. ſin ille ludus fuit: quid te impurius, qui religiones omnes pollueris aut ementiendo, aut ſtuprando? Iam fateor, inquit, in Gabinio me nefarium fuiſſe. Quippe vides poenam illam, a te in alium inſtitutam, in te ipſum eſſe conuerſam. Sed homo, omnium ſcelerum flagitiorumq. documentum, quod in Gabinio fateris, cuius impudicitiam pueritiae, libidines adoleſcentiae, dedecus et egeſtatem reliquae vitae, latrocinium conſulatus vidimus, cui ne iſta quidem ipſa calamitas iniuria potuit accidere, id in me infirmas, & grauius eſſe dicis, quod vno adoleſcente, quam quod concione tota teſte effeciſti. Dedicatio magnam, inquit, habet religionem. Non ne vobis Numa Pompilius videtur loqui? diſcite orationem, pontifices, & vos flamines: etiam tu rex diſce a gentili tuo: quamquam ille gentem iſtam reliquit: ſed tamẽ diſce ab homine religionibus dedito, iuſto, tum omnium religionum perito. Quid? in dedicatione non ne, & quis dicit, & quid, & quomodo, quaeritur? an tu haec ita confundis, & perturbas, vt, quicumque velit, quod velit, quo modo velit, poſſit dedicare? quis eras tu, qui dedicabas? quo iure? qua lege? quo exemplo? qua poteſtate? vbi te iſti rei populus R. praefecerat? video enim eſſe legem veterem tribunicia, quae vetet iniuſſu plebis aedes, terram, aram conſecrare. neque tum hoc ille Q. Papirius, qui hanc legem rogauit, ſenſit: neque ſuſpicatus eſt fore periculum, ne domicilia, aut poſſeſſiones indemnatorum ciuium conſecrarentur. neque enim id fieri fas erat, neque quiſquam fecerat: neque erat cauſſa, cur prohibendo non tam deterrere videretur, quam admonere. ſed, quia conſecrabantur aedes, non priuatorum domicilia, ſed quae ſacrae nominantur; conſecrabantur agri, non ita vt noſtra praedia, ſi quis vellet, ſed vt imperator agros de hoſtibus captos conſecraret; ſtatuebantur arae, quae religionem afferrent, ipſo ſi loco eſſent conſecratae: haec, niſi plebs iuſſiſſet, fieri vetuit. quae ſi tu interpretaris de noſtris aedibus atque agris ſcripta eſſe, non repugno: ſed quaero, quae lex lata ſit, vt tu meas aedes conſecrares; vbi tibi haec poteſtas data ſit; quo iure feceris. neque ego nũc de religione, ſed de bonis omnium noſtrum, nec de pontificio, ſed de iure publico diſputo. Lex Papiria vetat aedes iniuſſu plebis conſecrari. ſit ſane hoc de noſtris aedibus, ac non de publicis templis. vnum oſtende verbum conſecrationis in ipſa tua lege: ſi illa lex eſt, ac non vox ſceleris, & crudelitatis tuae. quod ſi tibi tum in illo reip. naufragio omnia in mentem venire potuiſſent, aut ſi tuus ſcriptor in illo incendio ciuitatis non ſyngraphas cum Byzantijs exſulibus, & cum legatis regijs faceret, ſed vacuo animo tibi iſta non ſcita, ſed portenta conſcriberet: eſſes omnia ſi minus re, at verbis legitimis conſecutus. ſed vno tempore cautiones ſcribebant pecuniarum; foedera ſcribebantur prouinciarum; regum appellationes venales erant; ſeruorum omnium vicatim celebrabatur tota vrbe deſcriptio; inimici in gratiam reconciliabantur; imperia adſcribebantur nouae iuuentuti; Q. Seio venenum miſero parabatur; de Cn. Pompeio, propugnatore & cuſtode imperij, interficiendo conſilia inibantur; ſenatus ne quid eſſet; vt lugerent boni ſemper; vt capta reſp. conſulum proditione, vi tribunicia teneretur; haec cum tot, tantaq. agerentur, non mirum eſt, praeſertim in furore animi, & caecitate, multa illum, & te feſelliſſe.

E X P L A N A T I O

VERO *ne.*] antea, Verbo ne, quod mendoſum duxi. vſitatum autem, Vero: vt, Vero inquam, Brute. Totus hic locus male antea diſtinguebatur: ego ſic interpũxi. Vero ne põtifices putatis, ſi poſtẽ tenuerit, & aliquid dixerit, domũ vniuſcuiuſque conſecrare poſſe? an iſtae dedicationes, & tẽplorum, & delubrorum religiones ad honorẽ deorũ immortaliũ ſine vlla ciuiũ calamitate a maioribus noſtris cõſtitutae ſunt: eſt inuentus tribunus pl. qui cõſularibus copijs inſtructus, omni impetu furoris in eũ ciuẽ irrueret quẽ perculſum ipſa reſp. ſuis manibus extolleret? Quod etiã legitur, ſi is poſtem tenuerit, malim, ſi quis: vt generaliter dicatur: in quo certe vis maior eſſet. INIMICI *ſui,*] exortas inter eos inimicitias ex occaſione annuli aurei in auctione empti, Plinius ait. NEMO *vmquam tenuit.*] ambulatio enim templum nõ eſt, neque templi pars. SINE *religione loco moueri poteſt.*] auferatur ſimulacrũ, aut ara Libertatis: ſi modo ea ſunt a te per pontificẽ dedicata. poteſt enim id fieri religione ſalua: aedes autẽ meas, nõ iure, nõ more dedicatae mihi reddantur: ſiquidẽ ambulationis poſtes nemo vmquam tenuit in dedicando. HOC *dicere tibi non licebit,*] ſimulacrũ, aut aram te per pontificẽ dedicaſſe: cũ iam dixeris, ipſum pontificem nõ ſimulacrũ, aut aram, ſed ambulationis poſtẽ in mearum aedium dedicatione tenuiſſe. DIXISTI.] ſupra: Pontifex inquit, affuit. LOQVAR?] magis placeret, loquor: &, diſputo, pro diſputabo. ACTA *eſſe dicerem.*] quae acta eſſe nego. PERI-

RE *ſuo nomine noluiſſet,*] diſceſſi enim, ne patriam in diſcrimen adducerē: quod tu cū tuis ſatellitibus optabas. in ep. ad Lentu ū: Qui meos ciues, a me ſeruatos, & me ſeruare cupientes, ſeruis armatis obiici noluerim. DATE *de hac religione aditum*]ad ſimilem religionem ſi hanc dedicandi rationē fertis: aditus hic erit ad commune exitiū. vbi enim tribunus pl. alicui erit inimicus eius bona conſecrabit. PAENE *ſolemnibus.*] paene iiſdem, quibus vtuntur pontifices ad conſecrandum NON *valebit*]oſtendit eſſe timendū, ne valeat: quamquā, valere non debere, probat ſequentibus exemplis C. ATINIVS] Labeo, tribunus pl. Epitome lib. LIX. Q. METELLI,] Macedonici. Plinius hiſtoriam narrat lib. VII. c. 44. AVI *tui Q. Metelle,*] Nepotem appellat non celerem qui iam perierat. vt ex oratione in Vatiniū colligitur. ſed Nepoti proauus, nō auus, Macedonicus fuit, duobus inter vtrūque interiectis Metellis, Baleárico Macedonici filio. & Nepote Balearici, huius Q. Metelli Nepotis patre. eſt igitur μνημονικὸν ἁμάρτημα. P. SERVILI,] Iſauricus eſt. cui ſi Macedonicus auus, maternus fuit. PROAVI *tui P. Scipio,*] hic eſt Scipio ille, quē Q. Metellus Pius, Numidici filius adoptauit: itaque Scipio Metellus interdū appellatur. pronepos Macedonici eſſe potuit, matre natus, cui pater fuerit aliquis ex Macedonici filijs, aut mater ex filiabus aliqua. in oratione poſt Red. ad Quir. & in ſen. Metellarū filij Luculli, Seruilij, Scipiones. FOCVLO *poſito in Roſtris, adhibitoq. tibicine.*]quod ſolemne erat in ſacrificijs cōſecratio autē ſine ſacrificio non erat. Plinius lib. XXII. c. 6 Inuenio apud auctores, eundem, praeter hunc honorem, adſtantibus Mario, & Catulo cos. praetextatū immolaſſe ad tibicinē, foculo poſito. FRAVDI *fuit?*] nocuit? NON *fuit.*] quia conſecratio illa non valuit & bona ſua Metellus quamquā conſecrata, poſſedit. CN. LENTVLO *cenſore*] cenſor fuit cum L. Gellio, ſex annis ante Ciceronem conſulem. CAPITE *velato.*] tamquam eſſet pontifex. AD *caelum tamen exſtruxit villam*] externas, villas nimium quantū altitudine ſuperantē. pro Sextio: Villā aedificare in oculis omniū tantā, tuguriū, vt iam videatur eſſe illa villa, quā ipſe tribunus pl. pictā olim in cōcionibus explicabat, quo fortiſſimum, ac ſummum ciuē in inuidiā homo caſtus ac non cupidus vocaret. In Piſonē Permutationes ad hunc Tuſculanum montem inſtruendum. VISCERIBVS *aerarij:*] pecunia publica: quam tu ei, lege de prouincijs lata, ſumptā ex aerario dederas tamquā Syriae proconſuli futuro, Hoc eſt, quod proxime dixit, Heluatus tecum ſimul reip. ſanguinem. CONSECRATIO] bonorum. DEDICATIO] templi, ſimulacri arae, ſimilium. SI. EST *illudratum:*] de aedibus meis a te Libertati conſecratis. MITTO. *Gabinium:*] cuius a te bona conſecrata ſunt: nec tamen ea conſecratio valuit. CERERI] alicui deo bona conſecrabantur. EMENTIENDO] qui valere conſecrationem debere, modo ais, modo negas. STVPRANDO] cum bonae Deae puluinarique ſtuprum intuleris. IN *Gabinio*] in conſecrandis Gabinij bonis. IN *alium*] in Gabinium. IN *te ipſum*] a L. Ninnio. QVOD *in Gabinio fateris,*] te nefarium fuiſſe cum eius bona conſecraſti. ID. IN *me infirmas*] non idem ais de meaium aedium conſecratione. GRAVIVS *eſſe*] magis valere oportere. VNO *adoleſcente.*] pontifice quem adhibuiſti ad meae domus dedicationem. CONCIONE *tota teſte*] cum Gabinij bona conſecraſti. MAGNAM *religionem.*] maiorem, quam conſecratio: itaque magis obſeruanda. VOS *flamines:*]duo flamines affuerunt, qui cum collegio pontificum de Ciceronis domo iudicarunt, L. Lentulus flamen Martialis, & Sex. Caeſar flamen Quirinalis: vt in orat. de Haruſp. reſp. TVREX] L. Claudium appellat, ſacrorum regem. vt in eadem oratione. A GENTILI *tuo:*] a P. Clodio. HOC] a te factum in domo ciuis indemnati. SENSIT:] nam ſi ſenſiſſet, vetuiſſet. ADMONERE.] proponere in mentem hominum inducere. IPSO *loco*] de hoſtibus capto, & conſecrato. DE *publicis templis:*] de quibus Papirius ſenſit. TVVS *ſcriptor*] Sex. Clodius. Supra. CVM *Byzantijs exſulibus,*] tua lege reſtitutis. ſupra, & pro Sextio. CVM *legatis regijs*] regum appellationes a te ementibus. Q. SEIO] Poſtumio. ſupra.

ORATIO

AT videte, quanta ſit vis huius Papiriae legis in re tali, non qualem tu affers, ſceleris plenam, & furoris. Q. Marcius cenſor ſignum Concordiae fecerat, idq. in publico collocarat. hoc ſignum C. Caſſius cenſor cū in curiam tranſtuliſſet, collegium veſtrum conſuluit, num quid eſſe cauſſae videretur, quin id ſignum curiamq. Concordiae dedicaret? Quaeſo, pontifices, & hominem cum homine, & tempus cum tempore, & rem cum re comparate. ille erat ſumma modeſtia, & grauitate cenſor: hic tribunus pl. ſcelere, & audacia ſingulari. tempus illud erat tranquillum, & in libertate populi, & gubernatione poſitum ſenatus: tuum porro tempus libertate populi R. oppreſſa, ſenatus auctoritate deleta. res illa plena iuſtitiae, ſapientiae, dignitatis: cenſor enim, penes quem maiores noſtri, id quod tu ſuſtuliſti, iudicium ſenatus de dignitate eſſe voluerunt, concordiae ſignum volebat in curia, curiamq. ei deae dedicare, praeclara voluntas, atque omni laude digna: perſcribere enim ſe arbitrabatur, vt ſine ſtudijs diſſenſionis ſententiae dicerentur, ſi ſedem ipſam, ac templum publici conſilij religione Concordiae deuinxiſſet. tu, cum ferro, cum metu, cum edictis, cum priuilegijs, cum praeſentibus copijs perditorum, abſentis exercitus terrore, & minis, conſulum ſocietate, & nefario foedere, ſeruitute oppreſſam ciuitatem teneres, Libertatis ſignum poſuiſti magis ad ludibrium impudentiae, quam ad ſimulationem religionis ille in curia, quae poterat, ſine cuiuſquam incommodo dedicabat: tu in ciuis optime de rep. meriti cruore, ac paene oſſibus ſimulacrum non libertatis publicae, ſed licentiae collocaſti. atque ille tamen ad collegium retulit: tu ad quem retuliſti? ſi quid deliberares; ſi quid tibi aut piandum, aut inſtituendum fuiſſet religione domeſtica; tamen inſtituto ce-

terroſum vetere ad pontificem detuliſſes: nouum delubrum cũ in vrbis clariſſimo loco, nefando quodam atque inaudito inſtituto inchoares, referẽdam ad ſacerdotes publicos non putaſti? at, ſi collegium pontificum adhibendũ non videbatur, nemo ne horum tibi idoneus viſus eſt, qui aetate, honore, auctoritate antecellunt, vt cum eo dedicationem communicares? quorum quidem tu non contempſiſti, ſed pertimuiſti dignitatẽ. tu ta auderes quaerere ex P. Seruilio, aut ex M. Lucullo; quorum ego conſilio, atque auctoritate remp. conſul ex veſtris manibus, ac faucibus eripui, quibuſnam verbis, aut quo ritu, primum hoc dico, ciuis domum conſecrares; deinde ciuis eius, cui princeps ſenatus, cui etiam ordines omnes, deinde Italia tota, poſt cunctae gentes teſtimonium huius vrbis, atque imperij conſeruati dediſſent? quid diceres, o nefanda & pernicioſa labes ciuitatis? ades, ades Luculle, Seruili, dum dedico domum Ciceronis, vt mihi praeeatis, poſtemq. teneatis. es tu quidem cum audacia, tum impudentia ſingulari: ſed tibi tamen oculi, vultus, verba cecidiſſent, cum te viri, qui ſua dignitate perſonam populi R. atque auctoritatem imperij ſuſtinerent, verbis grauiſſimis perterruiſſent, neque ſibi fas eſſe dixiſſent, ſurori intereſſe tuo, atque in patriae parricidio, & ſcelere. quae cum videres, tum te ad tuum affinem non delectum a te, ſed relictum a ceteris contuliſti: quem ego tamen credo, ſi eſt ortus ab illis, quos memoriae proditum eſt, ab ipſo Hercule, perfuncto iam laboribus, ſacra didiciſſe, in tui ſortis aerumnis non ita crudelem fuiſſe, vt in viui, & iam ſpirantis caput buſtum ſuis manibus imponeret. qui aut nihil dixit; aut, ſi fecit, omnino poenam hanc maternae temeritatis tulit, vt mutam in delicto perſonam, nomenq. praeberet: aut, ſi dixit aliquid verbis haeſitantibus, poſtemq. tremebunda manu tetigit, certe nihil rite, nihil caſte, nihil more, inſtitutoq. perfecit. viderat ille Murenam, vitricum ſuum, conſulem deſignatum, ad me conſulem cum Allobrogibus communis exitij indicia afferre: audierat ex illo, ſe a me bis ſalutem accepiſſe, ſeparatim ſemel, iterum cum vniuerſis. quare quis eſt, qui exiſtimare poſſit, huic nouo pontifici primam hanc poſt ſacerdotium initum religionem inſtituenti, vocemq. mittenti, non & linguam obmutuiſſe, & manum obtorpuiſſe, & mentem debilitatam metu concidiſſe? praeſertim cum ex collegio tanto non regem, non flaminem, non pontificem videret, fieriq. particeps alieni ſceleris inuitus cogeretur, & grauiſſimas poenas affinitatis impuriſſimae ſuſtineret. Sed, vt reuertar ad ius publicum vindicandum, quod ipſi pontifices ſemper non ſolum ad ſuas caerimonias, ſed etiam ad populi iuſſa accommodauerunt; habetis in commentarijs veſtris, C. Caſſium cenſorem de ſigno Concordiae dedicando ad pontificum collegim retuliſſe, eiq. M. Aemilium pontificem maximum pro collegio reſpondiſſe; niſi eum populus R. nominatim praefeciſſet, atque eius iuſſu faceret, non videri eam recte poſſe dedicari. Quid? cum Licinia, virgo Veſtalis, ſummo loco nata, ſanctiſſimo ſacerdotio praedita, T. Flaminino, Q. Metello cos. aram, & aediculam, & puluinar ſub ſaxo ſacro dedicaſſet, non eam rem ex auctoritate ſenatus ad hoc collegium Sex. Iulius praetor retulit? cum P. Scaeuola pontifex maximus pro collegio reſpondit; quod in loco publico Licinia C. F. iniuſſu populi dedicaſſet, ſacrum non videri eſſe. quam quidem rem quanta ſeueritate, quantaq. diligentia ſenatus ſuſtulerit, ex ipſo S. C. facile cognoſcetis. recita. S. C. Vi-

detis ne praetori vrbano negotium datum, vt curaret, ne id ſacrum eſſet? & vt, ſi quae eſſent inciſae, aut inſcriptae litterae, tollerentur? O tempora, o mores. tum cenſorem, hominem ſanctiſſimum, ſimulacrum Concordiae dedicare pontifices in templo inaugurato prohibuerunt; poſt autem ſenatus in loco auguſto conſecratam eam aram tollendam ex auctoritate pontificum cenſuit, neque vllum eſt paſſus ex ea dedicatione litterarum exſtare monumentum: tu, procella patriae, turbo, ac tempeſtas pacis, atque otij, quod in naufragio reip. tenebris offuſis, demerſo populo R. euerſo, atque eiecto ſenatu, dirueris, aedificaris; religione omni violata, reip. tantum nomine contaminaris; in ciuis huiuſce aedibus, & in vrbe, quam ſuis laboribus ac periculis conſeruaſſet, monimentum deletae reip. collocaris ad equitum notam, ad dolorem bonorum omnium, ſublatoq. Q. Catuli nomine inciderit; id ſperaſti remp. diutius, quam quod mecum ſimul expulſa careret his moenibus, eſſe laturam? At ſi, pontifices, neque is, cui licuit, neq. id, quod fas fuit, dedicauit: quid me attinet iam illud tertiũ, quod propoſuerã, docere, non ijs inſtitutis, ac verbis, quib. caeremoniae poſtulant, dedicaſſe? dixi a principio, nihil me de ſciẽtia veſtra, nihil de ſacris, nihil de abſcondito iure pontificum dicturum. quae ſunt adhuc a me de iure dedicandi diſputata, non ſunt quaeſita ex occulto aliquo genere litterarum, ſed ſumpta de medio ex rebus palam per magiſtratus actis, ad collegiumq. delatis, ex S. C. ex lege. illa interiora iam veſtra ſunt, quid dici, quid praecipere, quid tangi, quid teneri ius fuerit. Quae ſi omnia ex Coruncanij ſcientia, qui periti ſſimus pontifex fuiſſe dicitur, acta eſſe conſtarent; aut ſi M. Horatius ille Puluillus qui, cum eius dedicationem multi propter inuidiam fictis religionibus impedirent, reſtitit, & conſtantiſſima mente Capitolium dedicauit, huiuſmodi alicui dedicationi praefuiſſet, tamen in ſcelere religio non valeret: nedum valeat id, quod imperitus adoleſcens, nouus ſacerdos, ſororis precibus, matris minis adductus, ignarus, inuitus, ſine collegis, ſine libris, ſine auctore, ſine ſcriptore, furtim, mente, ac lingua titubante fecisse dicatur: praeſertim cum iſte impurus, atque impius hoſtis omnium religionum, qui contra fas inter viros ſaepe mulier, & inter mulieres vir fuiſſet, ageret illam rem ita raptim, & turbulente, vt neque mens, neque vox, neque lingua conſiſteret. delatum tum eſt ad vos pontifices, & poſt omnium ſermone celebratum, quemadmodum iſte praepoſteris verbis, omnibus obſcenis, identidem ſe ipſe reuocando, dubitans, timens, haeſitans, omnia aliter, ac vos in monumentis habetis, & pronunciarit, & fecerit. quod quidem minime mirum eſt, in tanto ſcelere, tantaq. dementia, ne audaciae quidem locum ad timorẽ comprimendũ fuiſſe. etenim, ſi nemo vnquam praedo tam barbarus, atque immanis fuit, qui, cum fana ſpoliaſſet, deinde aram aliquam in litore deſerto, ſomnijs ſtimulatus, aut religione aliqua conſecraret, non horreret animo, cum diuinum numen ſcelere violatum placare precibus cogeretur: qua tandem iſtum perturbatione mentis, omnium templorum, atque tectorum, totiusq. vrbis praedonem, fuiſſe cenſetis, cum pro deteſtatione tot ſcelerum vnam aram nefarie conſecraret? non poterat vllo modo (quamquam & inſolentia dominatus extulerat animos, & erat incredibili armatus audacia) non in agendo ruere, ac ſaepe peccare, praeſertim illo pontifice, & magiſtro, qui cogeretur docere, antequam ipſe didiciſſet. magna vis

eſt cum

eſt cum in deorum immortalium numine; tum vero in ipſa rep. dij immortales, ſuorum templorum cuſtodem, ac praeſidem ſceleratiſſime pulſum cum viderent, ex ſuis templis in eius aedes immigrare nolebant: itaque iſtius vecordiſſimi mentem cura, metuq. terrebant. res vero publica, quamquam erat exterminata mecum, tamen obuerſabatur ante oculos exterminatoris ſui & ab iſtius inflammato, atque ignita furore iam tum me, ſeq. repetebat. quare, quid eſt mirum, ſi iſte metu, ſi furore inſtinctus, ſcelere praeceps, neque inſtitutas caerimonias perſequi, neque verbum vllum ſollemne potuit effari? Quae cum ita ſint, pontifices, reuocate iam animos veſtros ab hac ſubtili noſtra diſputatione ad vniuerſam remp. quam antea cum viris fortibus multis, in hac vero cauſſa ſolis veſtris ceruicibus ſuſtinetis. vobis vniuerſi ſenatus perpetua auctoritas, cui vosmetipſi praeſtantiſſimi ſemper in mea cauſſa praefuiſtis; vobis Italiae magnificentiſſimus ille motus, municipiorumq. concurſus; vobis campus, centuriarumq. vna vox omnium, quarum vos principes, atque auctores fuiſtis; vobis omnes ſocietates, omnes ordines, omnes, qui aut re, aut ſpe denique ſunt boni, omne vobis erga meam dignitatem ſtudium & iudicium non modo commiſſum, verum etiam commendatum eſſe arbitrantur. denique ipſi dij immortales, qui hanc vrbem, atque hoc imperium tuentur, vt eſſet omnibus gentibus poſteritatiq. perſpicuum, diuino me numine eſſe reip. redditum, idcirco mihi videntur fructum ipſum reditus, & gratulationis meae ad ſuorum ſacerdotum poteſtatem, iudiciumq. reuocaſſe. hic eſt enim reditus, pontifices, haec reſtitutio, in domo, in ſedibus, in aris, in focis, in dijs penatibus recuperandis. quorum ſi iſte ſuis ſceleratiſſimis manibus tecta, ſedesq. conuellit; ducibusq. conſulibus, tamquam vrbe capta, hanc vnam domum, quaſi acerrimi propugnatoris, ſibi delendam putauit: tamen illi dij penates ac familiares mei per vos in meam domum mecum erunt reſtituti.

E X P L A N A T I O

NON *qualem tu affers.*] in dedicationes mearum aedium. ID *quod tu ſuſtuliſti,*] in Piſonem: Ab eodẽ homine, in ſtupris inauditis nefarijsq verſato, vetus illa magiſtra pudoris, & modeſtiae, ſeueritas cenſoria ſub ata eſt. De quo vide Pedianum. IVDICIVM *ſenatus eſſe voluerunt,*] de dignitate, delegendo ſenatu, aut eijciendis, qui a cenſore non probarentur. ABSENTIS *exercitus*] C Caeſaris. pro Sextio. QVI *ſua dignitate perſonam populi Romani, atque auctoritatem imperij ſuſtinerent,*] ſimiliter ſupra: Qui non ſolum conſilijs ſuis ſed etiam ſpecie ipſa dignitatem reip. ſuſtinẽt. AD *tuum affinem,*] ad fratrem vxoris tuae pontificem. SI. EST *ortus*] quod eius nomen indicat. AB *illis*] a Pinarijs: de quibus ſupra diximus IN *viri fortis aerumnis*] in meis aerumnis: cum & Hercules ipſe, vir fortiſſimus, aerumnas tulerit: cui quaſi gratiã, ob ſacra ab illo cognita, referre affinis ille Clodij, id eſt L. Pinarius Natta, videretur, ſi viri fortis aerumnoſi miſericordiã caperet. IN *viui, & iam ſpirantis caput*] in meas aedes me viuo & adhuc ſpirante. BVSTVM] ſignum de buſto meretricis ablatum. IMPONERET,] tamquam ſignum libertatis AVT *nihil dixit;*] cum priſca, ſolemniaque verba dici oporteret. SI. FECIT,] ſi dedicauit ſine vllis verbis. MATERNAE *temeritatis*] mater enim coegit. quod ſupra legitur. infra vero: Nouus ſacerdos, ſororis precibus, matris minis adductus. SEPARATIM *ſemel*] cum de ambitu, Cicerone defendente, eſt abſolutus. quae exſtat oratio. CVM *vniuerſis*] Catilinae temporibus MANVM] in tenendo poſte. VIDERET,] ſolus enim dedicauit. ALIENI *ſceleris*] Clodiani. COGERETVR,] a matre. AFFINITATIS] quod frater eſſet vxoris Clodij. IMPVRISSIMAE.] propter Clodium, hominem impuriſſimum. ADIVS *publicum vindicandum,*] nemo eſt paullo humanior, qui, Dedicandi, quanto ſi rectius, quam, Vindicandũ, nõ intelligat: cũ praeſertim haud ita multo poſt dicatur: Quae ſunt adhuc a me de iure dedicandi diſputata. M. AEMILIVM *pont. max.*] opinor eum eſſe, qui anno V. C. DXC. cum C. Popillio cõſul fuit, quinquennio ante cenſores M. Valeriũ Meſſallam & C. Caſſium Longinũ, qui hic nominatur. Si quis tamen eius patrẽ, qui ſexies princeps ſenatus fuit, ſignificari malit, quẽ ijs cenſoribus extrema ſenectute fuiſſe neceſſe eſt: nõ contendã. nã ſi ſexies, vt hiſtoriae narrant princeps ſenatus fuit, quo cũ honore affectũ, niſi poſt cõſulatũ, veriſimile nõ videtur: ad cẽſores Meſſallã & Longinum vitam perduxit. EA *recte*] cum loquatur de vno Concordiae ſigno, quem locum habeat Ea, non video. tollerẽ ſi cũ opinione mea vel vnus conſentiret antiquus liber. Sed omnes in menda cõſentiunt: vnus Fuluii Vrſini habet, Eo pro Ea. IN *templo inaugurato*] in curia Hoſtilia: quae templum erat licet non ſacra. Eſt autẽ templũ locus in caelo, vel in terra, cõceptis verbis ab augure definitus. ideo auguratum vel inauguratum dicebatur. Varro lib. VI. de lin. lat. IN *loco auguſto*] non in curia Hoſtilia in qua ſimulacrum illud dedicari pontifices prohibuerunt. CONSECRATAM] non modo conſecratam, verũ etiã dedicatã ſequitur enim, Neque vllum eſt paſſus ex ea dedicatione litterarũ exſtare monumentũ. A quo autem conſecratam, & dedicatã? ab eo ſcilicet, cui non liceret, vt a tribuno pl. aut a praetore, nullo adhibito pontifice. ideo ſenatus ex auctoritate pontificũ arã eã tollendã cenſuit. REI P., *tantum nomine*] pro, Tantum, ſi, Tamen, legatur, fortaſſe rectius. HVIVSCE] ſe ipſum hoc dicens indicabat. AD *equitum notam,*] cur hoc? fortaſſe quia Cicero equeſtri loco natus. mendi tamen ſuſpicione non careo. INCIDERIS] tuo nomine inſcripto; ſed apertius, Tuum incideris. NEQVE *is, cui licuit, neque id, quod fas fuit.*] non licuit Clodio dedicare: nec fas fuit dedicare domum meam: cũ praeſertim pontifex ille quẽ adhibuit, poſtẽ ambulationis tenuerit in aedificando: quod antea factum erat numquam. CORVNCANII] Tiberij: quem de plebe pontificem primum

eſſe factum Liuius lib. XII. prodidit. FICTIS *religionibus*] allato de morte filij nuncio: cum dicerent, funeſta familia dedicari templum non poſſe. Liuius lib. 2. IN *ſcelere*] cum necis, cui liceret, nec id, quod fas eſſet, dedicaret. RELIGIO] ſcientia pontificis, quae in adoleſcente imperito, nouo ſacerdote, eſſe non potuit. SINE *auctore*,] nam ſi erat imperitus, auctorem ſaltem peritum, quem ſequeretur, adhibere debuit. QVI *contra fas inter viros ſaepe mulier, & inter mulieres vir fuiſſet*,] ſimile illud in Verrē lib. 2. Homo inertior, magis vir inter mulieres nequā, impura inter viros muliercula, proferri nemo poteſt. PRO *dei ſtatione tot ſcelerum*] quaſi diuinum numeri, tot ſceleribus violatū, placare vellet. SENATVS] qui decreta de me fecit, honorificentiſſima. PRAESTANTISSIMI] ſubolet mendum aut, ſincerū ſi eſt, dic additū eſſe, vt afferretur cauſſa, cur praefuerint: ideo ſcilicet, quia ceteris praeſtarent. CONCVRSVS:] ad me reſtituendum, ac defendendum. poſt Red. in ſen. CAMPVS,] in quō de meo reditu lata lex eſt. TECTA, *ſedesq.*] domum meam, extruſis dijs penatibus.

ORATIO

QVOCIRCA te, Capitoline, quem propter beneficia populus R. optimum propter vim maximum nominauit; teque, Iuno regina, & te, cuſtos vrbis, Minerua, quae ſemper adiutrix conſiliorum meorum, teſtis laborum exſtitiſtis, precor, ac quaeſo; vosque, qui maxime me repetiſtis, atque reuocaſtis, quorum de ſedibus haec mihi propoſita eſt contentio, patrij penates, familiaresque qui huic vrbi, & reip. praeſides eſtis, vos obteſtor, quorum ego a templis ac delubris peſtiferam illam & nefariam flammam depuli: teque, Veſta mater, cuius caſtiſſimas ſacerdotes ab hominum amentia furore, & ſcelere defendi, cuiusq. ignem illum ſempiternum non ſum paſſus aut ſanguine ciuium reſtingui, aut cum totius vrbis incendio commiſceri: vt, ſi in illo paene fato reip. obieci meum caput pro veſtris caeremonijs, atque templis perditiſſimorum ciuium furori, atque ferro; & ſi iterum, cum ex mea contentione interitus bonorum omnium quaereretur, vos ſum teſtatus, vobis me ac meos commendaui, meq. ac meum caput ea condicione deuoui, vt, ſi & eo ipſo tempore & ante in conſulatu meo, commodis meis omnibus, emolumentis, praemijs praetermiſſis, cura, cogitatione, vigilijs omnibus nihil, niſi de ſalute meorum ciuium, laboraſſem, tum mihi reip. aliquando reſtitutae liceret frui; ſin autem mea conſilia patriae non profuiſſent, vt perpetuum dolorem auulſus a meis ſuſtinerem: hanc ego deuotionem capitis mei, cum ero in ſedes meas reſtitutus, tum denique conuictam eſſe, & commiſſam putabo. nam nunc quidem, pontifices, non ſolum domo, de qua cognoſcitis, ſed tota vrbe careo, in quam videor eſſe reſtitutus. vrbis enim celeberrimae & maximae partes aduerſum illud non monumentum, ſed vulnus patriae contuentur. quem cum mihi conſpectum morte magis vitandum, fugiendumq. eſſe videatis: nolite, quaeſo, eum, cuius reditu reſtitutam remp. fore putaſtis, non ſolum dignitatis ornamentis ſed etiam vrbis partibus velle eſſe priuatum. non me bonorum direptio, non tectorum exciſio, non depopulatio praediorum, non praeda conſulum, ex meis fortunis crudeliſſime capta, permouet. caduca ſemper, & mobilia haec eſſe duxi, non virtutis, atque ingenij, ſed fortunae, & temporum munera: quorum ego non tam facultatem vnquam, & copiam expetendam putaui, quam & in vtendo rationem, & in carendo patientiam. etenim ad noſtrum vſum propemodum iam eſt definita moderatio rei familiaris: liberis autem noſtris ſatis amplum patrimonium paterni nominis, ac noſtrae memoriae relinquemus. domo per ſcelus erepta, per latrocinium occupata, per religionis vim ſceleratius etiam aedificata, quam euerſa, carere ſine maxima ignominia reip. meo dedecore, ac dolore non poſſum. Quapropter, ſi dijs immortalibus, ſi ſenatui, ſi populo R. ſi cunctae Italiae, ſi prouincijs, ſi exteris nationibus, ſi vobiſmet ipſis, qui in mea ſalute principem ſemper locum auctoritatemq. tenuiſtis, gratum, & iucundum meum reditum intelligitis eſſe: quaeſo, obteſtorq. vos, pontifices, vt me, quem auctoritate, ſtudio, ſententijs reſtituiſtis, nunc, quoniam ſenatus ita vult, manibus quoque veſtris in ſedibus meis collocetis.

EXPLANATIO

CVSTOS *vrbis, Minerua*,] in ep. ad Cornificium: Senatus decreuit, vt noſtra Minerua, cuſtos vrbis, quā turbo deiecerat reſtitueretur. Inſcripſerat Cicero Mineruae ſimulacrū, quod habebat in ſuo ſacrario CVSTODI *vrbis*, vt ex Dione lib. XXXIX. licet intelligere. quod eam auctorē, adiutricemq. habuiſſet earum rerum, quas pro ſalute patriae conſul geſſiſſet. ideo ſubiungit hic: Quae ſemper adiutrix conſiliorum meorum, teſtis laborum exſtitiſti. Simulacrum illud, cum a Clodio tribuno pl. patria pelleretur, in templo Iouis Capitolini collocauit; quod lib. 2. de Leg. notū his verbis eſſe voluit. Nos, qui illam cuſtodem vrbis, omnibus ereptis noſtris rebus, ac perditis, violari, ab impiis paſſi non ſumus, eamq. ex noſtra domo in ipſius patris domū detulimus, iudicia ſenatus, Italię ac gentium denique omniū conſeruatae patriae conſecuti ſumus. Idē oſtendit Dio, addit etiā, a Cicerone conſecratam: quod eo quoque patet, quia reuerſus in patriam non retulit eam in domum ſuam, ſed, vbi diſcedens poſuerat, ibi reliquit. CONVICTAM *eſſe, & commiſſam*] ad exitum perductam, exitu ipſo comprobatam. Similiter in orat. ad Quirites poſt red. Eius deuotionis me eſſe conuictum arbitror. DIGNITATIS *ornamentis*] domo, quae ornamentum dignitatis eſt. SATIS *amplum patrimonium paterni nominis, ac memoriae*] ſic ad Coelium, filio meo, ſi erit vlla reſp. ſatis amplum patrimonium relinquam memoriam nominis mei. SENTENTIIS] in ſenatu dictis. ITA *vult*] namquid vellit, declarauit, cum me tot decretis reſtituit. MANIBVS] quod antea ſententijs feciſtis.

IN · ORATIONEM · CICERONIS
DE · ARVSPICVM · RESPONSIS
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

EXaudito in agro propinquo, & ſuburbano, qui Latinienſis vocabatur, ſtrepitu quodam recondito, & horribili armorum fremitu, perterrita tam nouo, tantoq. motu ciuitate, ſenatus, vt ſolebat in ſimilibus prodigijs, atque oſtentis, haruſpices, Etruſca vetere diſciplina inſtructos, & interpretandi peritos, conſulendos cenſuit. haruſpices hac reſponderunt, ſcriptaq. ſenatui dederunt: Poſtulationes debitas eſſe ioui, Saturno, Neptuno, dijs caeleſtibus.

Ludos minus diligenter factos, pollutosq.

Loca ſacra, & religioſa, profana haberi:

Oratores contra ius, faſq. interfectos:

Fidem, & iuſiurandum neglectum:

Sacrificia vetuſta, occultaq. minus diligenter facta, pollutaq.

Monere deos immortales, ne per optimarum diſcordiam, diſſenſionemq. patribus, principibusq. caedes, periculaq. creentur, auxilioq. deminuti deficiantur, quare ad vnum imperium prouinciae redeant, exercitusq. pulſus, deminutioq. accedat.

Ne deterioribus, repulſiſq. honos augeatur.

Octo ſunt hac haruſpicum reſponſa: quorum ex illo, loca ſacra, & religioſa profana haberi, Clodius aedilis cur. in concione dixit, in ea cauſſa domum eſſe Ciceronis; quam a ſe conſecratam, profanam haberi. inde ſumpta

pta Cicero occaſione ſuae domus defendendae, inuidiáq; liberanda, hanc orationem habuit in ſenatu, in qua, poſt exſpiatā aedium ſuarum religionem, ita in ipſum Clodium eſt inuectus, vt omnia fere, haruſpicum reſponſa ad ipſum pertinere oſtenderit; quod ſi quid calamitatis reip. impedeat, eiuſdem ſceleri furoriq. tribuendum. Nam quod ad primum reſponſum attinet, vnde commota ſit ira deorum immortalium, Ludos minus diligenter factos, pollutosq. *non poſſe ludos vllos, niſi Megaleſia, ſignificari, quae Clodius aedilis fecerat, pollueratq. ſeruorum multitudine in ſcenam immiſſa; cum ad eos ludos liberi tantum homines accedere ſolerent. De locis ſacris, religioſis, quod ſecundum reſponſum erat, quod in eum Clodius contulerat, in ipſum retorquet, dicitq. ſuam domum tribus iudicijs eſſe liberatam; quam vero domum Clodius, vetere domino Q. Seio interfecto, teneat, in ea ſacellum, aras fuiſſe. in eadem cauſſa ponit amicos Clodij, L. Piſonem, qui Dianae ſacellum in Caeliculo ſuſtulerat, & Sex. Serranum, qui ſacella ſuffoderat, incenderat, inaedificarat, oppreſſerat. In tertio reſponſo,* Oratores contra ius, fasq. interfectos, *notari ait ſcelus Clodij, & Piſonis: quorum ille Theodoſium chium, legatum a libera ciuitate miſſum, ſic ad percutiēdum curauerit, hic Platonem ex Oreſtide, libera Macedoniae parte, cum ad ſe legatus veniſſet, crudeliſſima nece affecerit. Quarto,* Fidem, & iuſiurandum neglectum, *deſignari iudices illos, qui manifeſto inceſtus crimine Clodium cōtra fidem, & iuſiurandum abſoluerent. In quincto,* Sacrificia vetuſta, occultaq. minus diligenter facta, pollutaq *facile Clodij culpam agnoſci, qui ſacra Bonae deae, omnium vetuſtiſsima, & occultiſsima, ſtupro nefario polluiſſet. Sextum,* Monere Deos immortales, ne per optima tum diſcordiam, diſsenſionemq. patribus, principibusq. caedes, periculaq. creentur; auxilioq. deminuti deficiantur; quare ad vnum imperium prouinciae redeant, exercitusq. pulſus, deminutioq. accedat. *ad Clodium ex parte quadam ſpectare; quia diſcordiam optimatium moliretur; ex alia parte ad optimates ipſos, inter ſe diſsidentes. Septimum,* Ne deterioribus, repulſisq. honos augeatur, *diſtribuitur in Vatinium, & Clodium. repulſam enim tulerat Vatinius in petitione aedilitatis: deterrimus autem omnium mortalium Clodius videbatur, qui parentes, deos immortales, patriam laeſiſſet. Habita eſt haec oratio Marcellino, & Philippo coſs.*

M · TVLLII · CICERONIS

DE . HARVSPICVM . RESPONSIS

ORATIO . XXX.

Heſterno die, P.C. cum me & veſtra dignitas, & frequentia equitum Rom. quibus ſenatus dabatur, magnopere commoviſſet, putaui mihi reprimendam eſſe P. Clodij impudicam impudentiam, cum is publicanorum cauſſam ſtultiſſimis interrogationibus impediret, & P. Tullioni Syro nauaret operam, atque ei ſeſe, cui totus venierat, etiam vobis inſpectantibus venditaret. itaque hominem furentem exſultantemque continui, ſimul ac periculum iudicij intendi: duobus inceptis verbis omnem impetum gladiatoris, ferociamq. compreſſi. attamen ignarus ille, qui conſules eſſent, exſanguis, atque aeſtuans, ſe e curia repente praeripuit, cum quibuſdam fractis iam atque inanibus minis, & cum illius Piſoniani temporis Gabinianique terroribus. quem cum egredientem inſequi coepiſſem, cepi equidem fructum maximum & ex conſurrectione omnium veſtrum, & ex comitatu publicanorum. ſed vaecors repente ſine ſuo vultu, ſine colore, ſine voce conſtitit, deinde reſpexit, & ſimul ad Cn. Lentulum conſulem adſpexit, concidit in curiae paene limine, recordatione credo Gabinij ſui, deſiderioq. Piſonis, cuius ego de effrenato & praecipiti furore quid dicam? haud poteſt grauioribus a me verbis vulnerari, quam eſt ſtatim in facto ipſo a grauiſſimo viro P. Seruilio confectus, ac trucidatus. cuius ſi etiam vim, & grauitatem illam ſingularem, ac paene diuinam aſſequi poſſem; tamen non dubito, quin ea tela, quae coniecerit inimicus, quam ea, quae collega patris emiſit, leniora, atque hebetiora eſſe videantur. ſed tamen mei facti rationem exponere illis volo, qui heſterno die dolore me elatum, & iracundia longius prope digreſſum arbitrabantur, quam ſapientis hominis cogitata ratio poſtularet. Nihil feci iratus, nihil impotenti animo, nihil non diu conſideratum, ac multo ante meditatum. ego enim, P.C. inimicum me ſemper eſſe profeſſus ſum duobus, qui me, qui rem meam, cum defendere deberent, ſeruare poſſent, cumq. ad cōſulare officium ipſius inſignibus illius imperij, ad meam ſalutem non ſolum auctoritate, ſed etiam precibus veſtris vocarentur, primo reliquerunt, deinde prodiderunt, poſtremo oppugnauerunt, praemijsq. nefariae pactionis funditus vna cum rep. oppreſſum, exſtinctumq. voluerunt; quiq. ſuo ductu, & imperio cruento illo, atque funeſto ſupplicia neque a ſociorum moenibus prohibere, neque hoſtium urbibus inferre potuerunt; excisionem, inflammationem, euerſionem, depopulationem, vaſtitatem eam ſua cum praeda meis omnibus tectis, atque agris intulerunt. cum his furijs, & facibus, cum his, inquam, exitioſis prodigijs, ac paene huius imperij peſtibus bellum mihi inexpiabile dico eſſe ſuſceptum, neque id tamen ipſum tantum, quantum meus, ac meorum, ſed tantum, quantum veſter atque omnium bonorum dolor poſtulauit. In Clodium vero non eſt hodie meum maius odium, quam illo die fuit, cum illum, ambuſtum religioſiſſimis ignibus, cognoui muliebri ornatu ex inceſto ſtupro, ex domo pontificis maximi emiſſum. tum, inquam, tum vidi, ac multo ante proſpexi, quanta tempeſtas excitaretur, quanta impenderet procella reipub. Videbam, illud ſcelus tam importunum, audaciam tam immanem, adoleſcentis furentis, nobilis, vulnerati, non poſſe arceri otij finibus; erupturum illud malum aliquando, ſi impunitum fuiſſet, ad perniciem ciuitatis. non multum mihi ſane poſt ad odium acceſſit: nihil enim contra me fecit odio mei, ſed odio ſeueritatis, odio dignitatis, odio reip. non me magis violauit, quam ſenatum, quam equites Rom. quam omnes bonos, quam Italiam cunctam: non denique in me ſceleratior fuit, quam in ipſos deos immortales: etenim illos eo ſcelere violauit, quo nemo antea: in me fuit eodem animo, quo etiam eius familiaris Catilina, ſi viciſſet, fuiſſet: itaque eum numquam a me eſſe accuſandum putaui, non plus quam ſtipitem illum; qui quorum hominum eſſet, neſciremus, niſi ſe Ligurem ipſe eſſe diceret. quid enim hunc perſequar, pecudem, ac belluam, pabulo inimicorum meorum, & glande corruptum? qui ſi ſenſit, quo ſe ſcelere deuinxerit; non dubito, quin ſit miſerrimus: ſin autem id non videt; periculum eſt, ne ſe ſtuporis excuſatione defendat. accedit etiam, quod, exſpectatione omnium, fortiſſimo, & clariſſimo viro, T. Annio deuota, & conſtituta iſta hoſtia eſſe videtur: cui me praeripere deſponſam iam, & deſtinatam laudem, cum ipſe eius opera, & dignitatem, & ſalutem recuperarim, valde eſt iniquum. etenim ut P. ille Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiumq. Carthaginis, qui illam a multis imperatoribus obſeſſam, oppugnatam, labefactatam, paene captam, aliquando quaſi fatali euentu ſolus euertit: ſic T. Annius ad illam peſtem comprimendam, exſtinguendam, funditus delendam natus eſſe videtur, & quaſi diuino munere donatus reip. ſolus ille cognouit, quemadmodum armatum ciuem, qui lapidibus, qui ferro alios fugaret, alios domi contineret, qui vrbem totam, qui curiā, qui forum, qui templa omnia caede, incendijsque terreret, non modo vinci, verum etiam vincire oporteret. huic ego, & tali, & ita de me ac de patria merito viro, numquam mea voluntate praeripiam eum praeſertim reum, cuius ille inimicitias non ſolum ſuſcepit propter ſalutem meam, verum etiam appetiuit. ſed ſi etiam nunc, illaqueatus iam omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium, exſpectatione ſupplicij iam non diuturnu implicatus, feretur tamen haeſitans, & in me impetum impeditus facere conabitur: reſiſtam & aut concedente, aut etiam adiuuante Milone, eius conatum refutabo: velut heſterno die, cum mihi ſtanti tacens minaretur voce tantum, attigi legum initium, & iudicij. concidit ille: conticuit: diem dixiſſet, ut fecerat: feciſſem, ut ei ſtatim tertium a praetore dies diceretur. atque hoc

ſic meditetur: & cogitet, ſi conſenuerit ſuis ſceleribus, quae commiſit, aut ſeſe conſecratum Miloni; ſi quod in me telum intorſerit, ſtatim me eſſe arrepturum arma iudiciorum, atque legum atqui paullo ante, P.C. concionem habuit, quae eſt ad me tota delata; cuius concionis primum vniuerſum argumentum ſententiamq. audite, cum riſeritis impudentiam hominis, tum de me de tota concione audietis.

EXPLANATIO

DE *haruſpicum reſponſis*] Aſconius in Corneliana, de haruſpicum reſponſo appellat; Cicero ipſe vtroque modo. VESTRA *dignitas.*] cuius rationem habere nullã Clodius videbatur, cum equites Romanos, quibus ſenatus dabatur, impudẽter exagitans venditaret ſe homini Syro vobis inſpectantibus. QVIBVS *ſenatus dabatur,*] vt audirentur controuerſiae, quae erant inter Syros, & eam publicanorũ ſocietatem, quae Syriaca vectigalia de cenſorib. redemerat. Diſſenſiones autẽ inter prouinciales, & publicanos numquã fere non fuiſſe, notius eſt, quam vt exemplis indicandum eſſe videatur. VENDITARET.] eſt quidam lepor, ei ſeſe, cui totus venierat, etiã venditare. DVOBVS *inceptis verbis*] initio legis recitatio, infra: Voce tantum attigi legum initium, & iudicij: concidit ille. Accuſare Clodium de vi poterat Cicero quia ſaxis ignibus, ferro vaſtitatem ſuis aedib. intuliſſet. quod qui feciſſent, eos decreuit ſenatus lege de vi quae eſſet in eos qui vniuerſam rẽp. oppugnaſſent, teneri. infra. QVI *conſules eſſent,*] non enim erant ij, qui fuerant ipſo tribuno pl. Piſo, & Gabinius, ſed Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, L. Marcius Philippus, bene de rep. ſentiẽtes. SE *curia repente proripuit,*] valuae igitur patebant: quod etiã conijcitur ex ijs verbis Phil. I. Cur valuae Concordiae non patent? FRACTIS *iam, atque inanibus,*] mutata ratione temporum: cum nec ipſe tribunus pl eſſet nec Piſo Gabiniuſque conſules. TERRORIBVS.] ita terrores iaciebat vt Piſone Gabinioq. cos. IN *facto ipſo*] cum egrediens minaretur. GRAVITATEM *illam ſingularem, ac paene diuinam*] de eodem in orat, poſt Red. in ſen. Orationis ſuae diuina quadam grauitate. INIMICVS.] ipſe Cicero. COLLEGA *patris*] cum patre P. Clodij conſulatum geſſerat P. Seruilius Iſauricus. DVOBVS,] conſulibus, Piſoni. & Gabinio. NEFARIAE *pactionis*] acceptis a Clodio prouincijs, prodita ſalute mea. A. SOCIORVM *moenibus*] hoc ad Piſonem pertinet: de quo in ea de Prouincijs: Macedonia ſic a barbaris, quibus eſt propter auaritiam pax erepta, vexatur, vt Theſſalonicenſes, poſiti in gremio imperij noſtri, relinquere opidum, & arcem munire cogantur. Et in Piſonem. VESTER] aeque enim, atque ipſemet, de mea calamitate doluiſtis. ILLO *die*] cauſſam odij a priuata iniuria remouere & ad publica delicta transferre, oratoriae artis eſt. habet enim id auctoritatis aliquanto plus apud eos, qui audiunt. AMBVSTVM *ignibus,*] eorum ſacrorum, quae apud pontificem max. in operto Bonae deae a ſolis mulieribus pro ſalute populi Romani fiebant. Ambuſtum vocat, quaſi ad ſacrificia, ita prope acceſſerit, vt ignibus ambuſtus videri poſſit. VVENERATI,] infamia ſtupri, Bonae deae puluinaribus illati grauiter offenſi. NON *poſſe arceri otij finibus*:] non poſſe excludi, prohiberi, amoueri. intrabit otij fines, & ciuitatem perturbabit. SEVERITATIS,] iuſtitiae delicta ſeuere punientis. DIGNITATIS,] cui qui ſtudet, bonus eſt. IN *ipſos deos immortales*] inceſtum Clodij ſignificat. STIPITEM *illum,*] Aelium Ligurem, P. Clodij collegam in tribunatu: qui referente L. Ninnio de Ciceronis reditu, interceſſit. QVORVM *hominum eſſet.*] cuius nationis. pro Sextio: Ex nouem tribunis, quos tunc habueram, vnus me abſente defluxit, qui cognomẽ ſibi ex Aeliorum imaginibus arripuit quo magis nationis eius eſſe, quam generis videretur. QVO *ſe ſcelere deuinxerit,*] cum ſe Clodio adiunxit, meq. oppugnauit. ACCEDIT] hoc ad Clodium, non ad Ligurem, pertinet. DEVOTA,] promiſſa, debita, aſſignata. ISTA *hoſtia*] accuſatorem habebit Milonem. & ab eo tamquam hoſtia mactabitur. AEIOS *fugaret,*] Ciceronem. ALIOS *domi contineret,*] Pompeium. STANTI *tacens*] Stanti iacens, aptius videtur. non enim tacebat Clodius, cum minaretur. VOCE *tantum attigi*] ſupra: Duobus inceptis verbis omnem impetum gladiatoris, ferociamque compreſſi. DIEM *dixiſſet*] diem dicere, magiſtratus eſt non priuati hominis. erat autem hoc anno, ideſt Lentulo, & Marcellino cos. aedilis cur. Clodius ſenſus eſt Si me die dicta, ad populum vocaſſet: ego illum contra eo crimine accuſaſſem; quo cauſſam ante me dicere cogeretur. Eiuſmodi crimina de vi, & de maieſtate erantque, nulla interpoſita mora, extra ordinem diebus etiam feſtis iudicabantur. vide orationem pro Coelio, & eiuſdem Coelij epiſtolam, quae incipit, Etſi de rep. quae ſcribam, non habeo. TERTIVS *dies*] adeſſet die tertio ad cauſſam dicendam.

ORATIO

DE religionibus factis, & caerimonijs eſt concionatus P. C. Clodius: P, inquam, Clodius, ſacra, & religiones negligi, violari, pollui, queſtus eſt. non mirum ſi hoc vobis ridiculum videtur; etiam ſua concioviſit, hominem, quo modo ipſe gloriari ſolet, ducentis confixum S.C. quae ſunt omnia contra illum pro religionibus facta, hominemq. illum, qui puluinaribus Bonae deae ſtuprum intulerit, eaq. ſacra, quae viri oculis ne imprudentis quidem adſpici fas eſt, non ſolum adſpectu virili, ſed flagitio, ſtuproq. violarit, in concione de religionis

nis neglectis conqueri. itaque nunc proxima concio eius exſpectatur de pudicitia. quid enim intereſt, verum, ab altaribus religioſiſſimis fugatus, de ſacris, & religionibus conqueratur, an, ex ſororum cubiculo egreſſus, pudorem, pudicitiamq. defendat? Reſponſum haruſpicum hoc recens de fremitu in concione recitaui: in quo cum alijs multis ſcriptum etiam illud eſt, id quod audiſtis, loca ſacra, & religioſa, profana haberi. in ea cauſſa eſſe dixit domum meam, a religioſiſſimo ſacerdote P. Clodio conſecratam. gaudeo mihi de toto hoc oſtento, quod haud ſcio an grauiſſimum multis his annis huic ordini nunciatum ſit, datam non modo iuſtam, ſed etiam neceſſariam cauſſam eſſe dicendi. reperietis enim, ex hoc toto prodigio atque reſponſo nos de iſtius ſcelere, ac furore, ac de impendentibus periculis maximis prope iam voce Iouis Optimi Maximi praemoneri. ſed primum expiabo religionem aedium mearum, ſi id facere vere ac ſine cuiuſquam dubitatione potero. ſin ſcrupulus tenuiſſimus reſidere alicui videbitur, non modo patienti, ſed etiam libenti animo portentis deorum immortalium, religioniq. parebo. Sed quae tandem eſt in hac urbe tanta domus ab iſta religionis ſuſpicione tam vacua atque pura? quamquam veſtrae domus P. C. ceterorumq. ciuium multo maxima ex parte ſunt liberae religione: tamen vna mea domus iudicijs omnibus liberata in hac urbe ſola eſt. te enim appello, Lentule, & te, Philippe. ex hoc haruſpicum reſponſo decreuit ſenatus, vt de locis ſacris, religioſis ad hunc ordinem referretis. poteſtis ne referre de mea domo? quae, vt dixi, ſola in hac vrbe, omni religione, omnibus iudicijs liberata eſt: quam primum inimicus ipſe in illa tempeſtate ac nocte reip. cum cetera ſcelera ſtylo illo impuro Sex Clodius conſcripſiſſet, ne vna quidem attigit littera religionis. deinde eandem domum populus R. cuius eſt ſumma poteſtas omnium rerum, comitijs centuriatis, omnium aetatum ordinumq. ſuffragijs eodem iure eſſe iuſſit, quo fuiſſet. poſtea vos, P. C. non quod dubia res eſſet, ſed vt huic furiae, ſi diutius in hac vrbe, quam delere cuperet, maneret, vox interdiceretur, decreniſtis, vt de mearum aedium religione ad pontificum collegium referretur. quae tanta religio eſt, qua non in noſtris dubitationibus, atque in maximis ſuperſtitionibus vnius P. Seruilij, ac M. Luculli reſpõſo, ac verbo liberemur? de ſacris publicis, de ludis, Maximis, de deorum penatium, Veſtaeq. matris caerimonijs, de illo ipſo ſacrificio, quod fit pro ſalute populi R. quod poſt Romam conditam huius vnius caſti tutoris religionum ſcelere violatum eſt, quod tres pontifices ſtatuiſſent, id ſemper populo R. ſemper ſenatui, ſemper ipſis dijs immortalibus ſatis ſanctum, ſatis auguſtum, ſatis religioſum eſſe viſum eſt. at vero meam domum P. Lentulus conſul, & pontifex, P. Seruilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M'. Glabrio, M. Meſſalla, L. Lentulus flamẽ Martialis, P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius rex ſacrorum, M. Scaurus, M. Craſſus, C. Curio, Sex. Caeſar flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinouanus, Q. Terentius, pontifices minores, cauſſa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia ampliſſimorum ac ſapientiſſimorũ ciuium adſtante, omni religione vna mente omnes liberauerunt. Nego, vmquam poſt ſacra conſtituta, quorum eadem eſt antiquitas, quae ipſius vrbis, vlla de re, ne de capite quidem virginum Veſtalium, tã frequens collegium iudicaſſe. quamquam ad facinoris diſquiſitionem intereſt adeſſe quamplurimos: (ita eſt enim interpretatio illa pontificum, vt ijdem poteſtatem habeant iudicum: religionis expiatio vel ab vno pontifice perito recte fieri poteſt: quod idem in iudicio capitis durum, atque iniquum eſt) tamen ſic reperietis, frequentiores pontifices de mea domo, quam vmquam de caerimonijs virginum, iudicaſſe. Poſtero die frequentiſſimus ſenatus, te conſule deſignato, Lentule, ſententiae principe, P. Lentulo, & Q. Metello coſ. referentibus, ſtatuit, cum omnes pontifices, qui erant huius ordinis, adeſſent, cumq. alij, qui honoribus populi R. antecedebant, multa de collegij iudicio verba feciſſent, omneſq. iidem ſcribendo adeſſent, domum meam iudicio pontificum religione liberatam videri.

EXPLANATIO

QVI *puluinaribus Bonae deae ſtuprum intulerit,*] in Piſonem: Emiſſus etiam ille auctor tuus prouinciae, cum ſtuprum Bonae deae puluinaribus intuliſſet. EX *ſororum cubiculo*] Stuprum ſororibus Clodium intuliſſe, conſtans fama fuit. DE *fremitu*] in agro Latinienſi audito. ſupra. SCRIPTVM] reſponſum illud ſcriptum erat. infra: De ea re ſcriptum eſt. A RELIGIOSISSIMO *ſacerdote*] ironia: quaſi ſacrum & religioſum eſſe debuerit, quod Clodius, homo impuriſſimus, conſecrauit. STYLO *illo impuro*] leges enim ſcribere P. Clodio tribuno pl. Sex. Clodius ſolitus erat. NE *vna quidem attigit littera religionis.*] ne vna quidem littera religioſam fecit. VOX *interdiceretur.*] ne poſſet vmquam dicere, meam domum, quam ipſe conſecraſſet, religione non eſſe liberatam. QVOD *fit pro ſalute populi Romani,*] in operto Bonae deae. Q. METELLVS,] Nepos. quem non eſſe ſtatim poſt P. Lentulum nominatum, & cõſulem appellatum, equidem miror. M'. GLABRIO, *M. Meſſalla,*] conſulares, Gabrio gentis Aciliae, Meſſalla Valeriae. GALBA.] Sulpicius, qui Ciceronis competitor fuerat in conſulatu. DVOBVS *locis dicta,*] primum in ſenatu, abſente Cicerone, cum de reditu eius ageretur: deinde in foro apud pontifices, ipſo cauſſam ſuam agente. pro Domo: Primum illud a te, homine veſano, ac furioſo requiro, quae te tanta poena tuorum ſcelerum, flagitiorumq. vexet, vt hos tales viros aliud de ſumma hoc tempore religione, ſenſuros, ac me abſente ſenſerint, arbitrere? INTERPRETATIO] diſquiſitio, & explanatio facinoris, quod a virgine Veſtali commiſſum dicatur. POTESTATEM *iudicum:*] poteſtatem condemnandi. RELIGIONIS *expiatio*] vt in priuatis aedibus religione liberandis. SENTENTIAE *principe,*] primus enim ſententiam dicebat conſul deſignatus. SCRIBENDO *adeſſent,*] cum ſcriberetur S.C.

ORATIO

DE hoc igitur loco ſacro potiſſimum videntur haruſpices dicere, qui locus ſolus ex priuatis locis omnibus hoc praecipue iuris habet, vt ab ipſis, qui ſacris praeſunt, ſacer non eſſe iudicatus ſit? verum referte, quod ex S.C. facere debetis. aut vobis cognitio dabitur, qui primi de hac domo ſententiam dixiſtis, & eam religione omni liberaſtis: aut ſenatus ipſe iudicabit, qui, vno illo ſolo antiſtite ſacrorum diſſentiente, frequẽtiſſimus antea iudicauit: aut id, quod certe fiet, ad pontifices reijcietur, quorum auctoritati, fidei, prudentiae maiores noſtri ſacra, religionesq. & priuatas, & publicas commendarunt. quid ergo hi poſſunt aliud iudicare, ac iudicarunt? multae ſunt domus in hac vrbe, P. C. atque haud ſcio an paene cunctae iure optimo, ſed tamen iure priuato, iure hereditario, iure auctoritatis, iure mancipij, iure nexi. nego eſſe vllam domum aliam aeque priuato iure, atque optima lege, publico vero omni praecipuo, & humano, & diuino iure munitam. quae primum aedificatur ex auctoritate ſenatus pecunia publica: deinde contra vim nefariam huius gladiatoris tot S.C. munita, atque ſaepta eſt. primum, negotium iiſdem magiſtratibus eſt datum anno ſuperiore, vt curarent, vt ſine ui mihi aedificare liceret, quibus in maximis periculis vniuerſa reſp. commendari ſolet: deinde, cum ille ſaxis, & ignibus, & ferro vaſtitatem meis aedibus intuliſſet, decreuit ſenatus, eos, qui id feciſſent, lege de vi, quae eſt in eos, qui vniuerſam remp. oppugnaſſent, teneri. uobis uero referẽtibus, o poſt hominum memoriam fortiſſimi, atque optimi conſules, decreuit idem ſenatus frequentiſſimus; qui meam domum uiolaſſet, contra remp. eſſe facturum. nego ullo de opere publico, de monumento, de templo tot ſenatus extare conſulta, quot de mea domo: quam ſenatus unam poſt hanc urbem conſtitutam ex aerario aedificandam, a pontificibus liberandam, a magiſtratibus defendendam, a iudicibus puniendam putaret. P. Valerio pro maximis in remp. beneficijs data domus eſt in uilla publica: at mihi in Palatio reſtituta. illi locus: at mihi etiam parietes, atque tectum. illi, quam ipſe priuato iure tueretur: mihi, quam publice magiſtratus omnes defenderent. quae quidem ego ſi aut per me, aut ab alijs haberem; non praedicarem apud uos, ne nimis gloriari uiderer. ſed, cum ſint mihi data a uobis, cum ea attententur eius lingua, cuius antea manu euerſa uos mihi & liberis meis manibus ueſtris reddidiſtis: nõ ego de meis, ſed de ueſtris factis loquor: nec uereor, ne haec mea ueſtrorum beneficiorum praedicatio non grata potius, quam arrogans uideatur. quamquam, ſi me, tantis laboribus pro communi ſalute perfunctum, efferret aliquando ad gloriam in refutãdis maledictis improborum hominum animi quidam dolor; quis non ignoſceret? uidi enim heſterno die quẽdam murmurantem; quem aiebant negare, ferre me poſſe, quia, cum ab hoc eodem impuriſſimo parricida rogaretur, cuius eſſem ciuitatis, reſpondi me, probantibus & uobis, & equitibus R. eius eſſe, quae carere me non potuiſſet. ille, ut opinor, ingemuit. quid igitur reſponderem? (quaero ex eo ipſo, qui me non ferre poteſt) me ciuem eſſe Romanum? litterate reſpondiſſem, an tacuiſſem? deſertum negotium. poteſt quiſquam uir in rebus magnis cum inuidia uerſatus, ſatis grauiter contra inimici contumeliam ſine ſua laude reſpondere? at ipſe non modo reſpondet, quidquid poteſt, cum eſt laceſſitus; ſed etiam gaudet, ſe ab amicis, quid reſpondeat, admoneri.

EXPLANATIO

VERVM *referte*,] ad ſenatum, de haruſpicum reſponſo. VOBIS] conſulibus: qui cum eſſent conſules deſignati, primi ſententiam dixerant. VNO *illo ſolo*] P. Clodio. ANTISTITE *ſacrorum*] ironia. Saepe enim ſacerdotem appellat, quia tamquam ſacerdos ad ſacra Bonae deae acceſſerat. DISSENTIENTE,] pro Sextio. Cuius ſententiam ita frequentiſſimus ſenatus ſecutus eſt, vt vnus diſſentiret hoſtis. IVRE *optimo*]. iure illae quidem optimo, verumtamen priuato: mea vero & priuato, & publico, nec publico tantum humano, ſed etiam diuino. IVRE *auctoritatis*,] vſucapionis iure. vnde illud ex XII. tabulis: Vſus, & auctoritas fundi, biennium eſto. pro Caecina, & in Topicis, & Vlpianus titulo de dominijs. IVRE *mancipij*] ius mancipij eſt cum aliquid ita obligatur, vt auferri non poſſit. vnde Lucretius lib. III. Vitaq. mancipio nulli datur, omnibus vſu. IVRE *nexi*.] cum aliquid per aes, & libram alienatur. ATQVE *optima lege*,] cum in antiquis & nonnullis etiam impreſſis libris Quo que, legatur, pro, Atque; facile in eam opinionem delabor, vt legendum putem, Quo quae optima lege: ſicuti dixit in Rul. II. Decem viri eodem iure ſint, quo qui optima lege. Et or. III. Id eo iure teneret, quo optimo priuatum. Recte etiam ſic: Nego eſſe vllam domum aliam priuato eodem optimo quo quae optima lege. Vel: Vllam domum aliam aeque priuato iure, vt quae optima lege. Cum dixerit in Rullum or. III. Ea omnia eo iure ſint, vt quae optimo iure priuata ſunt. AEDIFICATVR] nondum erat abſoluta, cum aedificari coepta eſſet anno ſuperiore. P. VALERIO] Poplicolae. vide Plutarchum. AIEBANT,] qui prope illum ſedebant. nam ego murmurantem ſolum vidi: quid diceret, longe ſedens intelligere non potui. ILLE,] non Clodius, ſed is, quem murmurantem vidit. LITTERATE *reſpondiſſem*:] eleganter & magnifice. nobilis enim ſermo eſt, ciuis Romanus ſum: ſed quia communis eſt omnium ciuium Romanorum, minus affeciſſet eorum animos, qui Ciceronis gloriam ferre non poterant proprie igitur de ſua laude reſpondit.

ORATIO

Sed, quoniam mea cauſa expedita eſt, videamus nunc quid haruſpices dicant. Ego enim fateor me & magnitudine oſtenti, & grauitate reſponſi, & una atque conſtanti haruſpicum voce vehementer eſſe commotum: neque is ſum, qui, ſi cui forte videor plus quam ceteri, qui aeque atque ego ſunt occupati, verſari in ſtudio litterarum, iis delecter, aut vtar, omnino litteris, quae noſtros animos deterreant atque auocant a religione. ego vero primum habeo auctores, ac magiſtros religionum colendarum maiores noſtros: quorum mihi tanta fuiſſe ſapientia videtur, vt ſatis ſuperq. prudentes ſint, qui illorum prudentiam, non dicam aſſequi, ſed, quanta fuerit, perſpicere poſſint: qui ſtatas, ſollemneſq. caerimonias pontificatu; rerum bene gerendarum auctoritates, augurio; fatorum veteres praedictiones, Apollinis vatum libris; portentorum explanationes, Etruſcorum diſciplina contineri putarunt: quae quidem tanta eſt, vt noſtra memoria, primum Italici belli funeſta illa principia, poſt Sullani, Cinnaniq. temporis extremum paene diſcrimen, tum hanc recentem vrbis inflammandae, delendiq. imperii coniurationem non obſcure nobis paullo ante praedixerint. deinde etiam cognoui multa homines doctiſſimos ſapientiſſimoſq. & dixiſſe, & ſcripta de deorum immortalium numine reliquiſſe: quae quamquam diuinitus perſcripta video, tamen eiuſmodi ſunt, vt ea maiores noſtri docuiſſe illos, non ab illis didiciſſe videantur. etenim quis eſt tam vecors, qui aut, cum ſuſpexerit in caelum, deos eſſe non ſentiat, & ea, quae tanta mente fiunt, vt vix quiſquam arte vlla ordinem rerum ac viciſſitudinem perſequi poſſit, caſu fieri putet; aut, cum deos eſſe intellexerit, non intelligat eorum numine hoc tantum imperium eſſe natum, & auctum, & retentum? quam volumus, licet, P. C. ipſi nos amemus: tamen nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Poenos, nec artibus Graecos, nec denique hoc ipſo huius gentis ac terrae domeſtico natiuoq. ſenſu Italos ipſos ac Latinos, ſed pietate, ac religione, atque hac vna ſapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi gubernariq. perſpeximus, omnes gentes nationeſq. ſuperauimus. quare, ne plura de re minime loquar dubia, adhibete animos, & mentes veſtras non ſolum aures, ad haruſpicum vocem admouete.

EXPLANATIO

Expedita *eſt,*] facilem defenſionem habet. Ostenti.] fremitus auditi. Gravitate *reſponſi,*] reſponderunt haruſpices, loca ſacra, & religioſa profana haberi. Qui *ſtatas, ſollemneſq. caerimonias pontificatu,*] pontificatu, pro pontificum ſcientia, dixit. Sic etiam legitur apud Valerium Max. lib. I. c. I. &, quod hic, Augurio, apud illum, Augurum obſeruatione. Rervm *bene gerendarum auctoritates,*] vt ea bene geri putarentur, quae augures probaſſent. Fatorvm] fata, quae olim Apollo, vatum ore praedixiſſet. Vatvm] Sibyllarum: quorum libros dubiis rebus, temporibuſq. difficillimis Romani conſulebant. Hanc *recentem*] Catilina duce. quae vero oſtenta apparuerint, cognoſce ex orat. III. in Catil. Pavllo *ante*] Cotta & Torquato coſ. Dio lib. XXXVII. Praedixerint.] quibus prodigiis Italici belli principia, Sullani Cinnaniq. temporis calamitates, Catilinae coniurationem praedixerint, ex Obſequentis bello intelligitur.

ORATIO

Quod in agro Latinienſi auditus eſt ſtrepitus cum fremitu. mitto haruſpices: mitto illam veterem, ab ipſis diis immortalibus, vt hominum fama eſt, Etruriae datam diſciplinam: nos non ne haruſpices eſſe poſſumus? exauditus in agro propinquo, & ſuburbano eſt ſtrepitus quidam reconditus, & horribilis fremitus armorum. quis eſt ex gigantibus illis, quos poetae ferunt bellum diis immortalibus intuliſſe, tam impius, qui hoc tam nouo tantoque motu non magnum aliquid deos populo Rom. praemonſtrare, & praecinere fateatur? de ea re ſcriptum eſt poſtulationes decretas eſſe Ioui, Saturno, Neptuno, Telluri, diis caeleſtibus. audio, quibus diis violatis expiatio debeatur: ſed, hominum quae ob delicta, quaero. Ludos minus diligenter factos, pollutoſque quos ludos? te appello, Lentule, (tui ſacerdotii ſunt tenſae, curricula, praecentio, ludi, libationes, epulaeque ludorum publicorum) voſque, pontifices, ad quos epulones Iouis Optimi Maximi, ſi quid eſt praetermiſſum, aut commiſſum, afferunt, quorum de ſententia illa eadem renouata, atque inſtaurata celebrantur: qui ſunt ludi minus diligenter facti? quando, aut quo ſcelere polluti? reſpondebis, & pro te, & pro collegis tuis, & pro pontificum collegio. nihil cuiuſquam aut negligentia contemptum, aut ſcelere eſſe pollutum; omnia ſollemnia ac iuſta ludorum, omnibus rebus obſeruatis, ſumma cum caerimonia eſſe ſeruata. Quos igitur haruſpices ludos minus diligenter factos pollutoſq. eſſe dicunt? eos, quorum ipſi dii immortales, atque illa mater dea te, te, Cn. Lentule, cuius abaui manibus eſſet accepta, ſpectatorem eſſe voluit. quod ni tu Megaleſia illo die ſpectare voluiſſes; haud ſcio, an viuere nobis, atque his de rebus iam queri liceret. uis enim innumerabilis incitata, ex omnibus vicis collecta, ſeruorum, ab hoc edili religioſo repente fornicibus, oſtiiſq. omnibus in ſcenam, ſigno dato immiſſa irrupit. tua tum, tua, Cn. Lentule, eadem virtus fuit, quae priuato quondam tuo proauo. te, nomen, imperium, vocem, aſpectum, impetum tuum ſtans ſenatus, equiteſque Rom. & omnes boni ſequebantur, cum ille ſeruorum & ludiorum multitudini ſenatum populumque Ro. vinctum ipſo conſeſſu, & conſtrictum ſpectaculis, atque im-

peditum

peditum turba & anguſtijs tradidiſſet. an, ſi ludius conſtitit aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus, & matrimus ſi terram non tenuit. aut tenſam, aut lorum omiſit, aut ſi aedilis uerbo, aut ſi nutu aberrauit. ludi ſunt non rite facti, eaq. errata expiantur, & mentes deorum immortalium ludorum inſtauratione placantur: ſi ludi ab laetitia ad metum traducti ſunt; ſi non intermiſſi, ſed perempti, atque ſublati ſunt; ſi ciuitati vniuerſae ſcelere eius, qui ludos ad luctum conferre voluit, extiterunt dies illi feſti paene funeſti: dubitabimus, quos ludos ille fremitus nunciet eſſe pollutos? Ac ſi volumus ea, quae de quoque deo nobis tradita ſunt, recordari, hanc Matrem magnam, cuius ludi violati, polluti, paene ad caedem, & ad funus ciuitatis conuerſi ſunt, hanc, inquã, accepimus agros, & nemora cum quodam ſtrepitu fremituq. peragrare. haec igitur vobis haec populo Ro. & ſcelerum indicia oſtendit, & periculorum ſigna patefecit. Nam quid ego de illis ludis loquor, quos in Palatio noſtri maiores ante templum, in ipſo Matris magnae conſpectu, Megaleſibus fieri celebrarique voluerunt? qui ſunt more inſtitutisq. maxime caſti, ſollemnes, religioſi: quibus ludis primum ante populi conſeſſum ſenatui locum P. Africanus iterum conſul ille maior dedit; vt eos ludos haec lues impura pollueret? quo ſi quis liber aut ſpectandi, aut etiam religionis cauſſa acceſſerat, manus afferebantur: quo matrona nulla adijt propter vim conſeſſumque ſeruorum. ita ludos eos, quorum religio tanta eſt, vt ex vltimis terris arceſſita in hac vrbe conſederit; qui vni ludi ne verbo quidem appellantur Latino; vt vocabulo ipſo & appetita religio externa, & Matris magnae nomine ſuſcepta declaretur; hos ludos ſerui fecerunt, ſerui ſpectauerunt, tota denique hoc aedile ſeruorum Megaleſia fuerunt. Pro dij immortales, qui magis nobiſcum loqui poſſetis, ſi eſſetis, verſareminiq. nobiſcũ? ludos eſſe pollutos ſignificatis, ac plane dicitis. quid magis deformatum, inquinatum, peruerſum, conturbatum dici poteſt, quam omne ſeruitium, permiſſu magiſtratus liberatum, in alteram ſcenam immiſſum, alteri propoſitum; vt alter conſeſſus poteſtati ſeruorum obijceretur, alter ſeruorum totus eſſet? ſi examen apum ludis in ſcenam veniſſet, haruſpices acciendos ex Etruria putaremus: videmus vniuerſi repente examina tanta ſeruorum immiſſa in populum Rom. ſaeptum, atque incluſum, & non commouemur? atque in apum fortaſſe examine nos ex Etruſcorum ſcriptis haruſpices, vt a ſeruitio caueremus, monerent: quod igitur ex aliquo diſiuncto diuerſoque monſtro ſignificatum caueremus, id cum ſibi ipſum monſtrum eſt, & cum in eo ipſo periculum eſt, ex quo periculum portenditur, non pertimeſcemus? Iſtiuſmodi Megaleſia fecit pater tuus? iſtiuſmodi patruus? Is mihi etiam generis ſui mentionem facit; cum Athenionis, aut Spartaci exemplo ludos facere maluerit, quam Caij, aut Appii Claudiorum, illi cum ludos facerent, ſeruos de cauea exire iubebant: tu in alteram ſeruos immiſiſti, ex altera liberos eieciſti. itaque, qui antea voce praeconis a liberis ſemouebantur, tuis ludis non voce, ſed manu liberos a ſe ſegregabant. Ne hoc quidem tibi in mentem veniebat Sibyllino ſacerdoti, haec ſacra maiores noſtros ex veſtris libris expetiſſe? ſi illi ſunt veſtri, quos tu impia mente conquiris, violatis oculis legis, contaminatis manibus attrectas. hac igitur vate ſuadente quondam, defeſſa Italia Punico bello, atque Hannibale vexata, ſacra iſta maiores noſtri, adſcita ex Phrygia, Romae collocauerunt: quae vir is accepit, qui eſt optimus a populo Rom. iudicatus P. Scipio: femina autem, quae matronarum caſtiſſima putabatur, quincta Claudia, cuius priſcam illam ſeueritatem ſacrificii tua ſoror mirifice exiſtimatur imitata. nihil te igitur neque maiores tui coniuncti cum his religionibus, neque ſacerdotium ipſum, quod eſt haec tota religio conſtituta, neque curulis aedilitas, quae maxime hanc tueri religionem ſolet, permouit, quo minus caſtiſſimos ludos omni flagicio pollueres, dedecore maculares, ſcelere obligares? Sed quid ego id admiror? quia accepta pecunia Peſſinuntem ipſum, ſedem domiciliumq. matris deorum, vaſtaris; & Brogitaro Gallograeco, impuro homini, ac nefario, cuius legati te tribuno diuidere in aede Caſtoris tuis operis nummos ſolebant, totum illum locum fanumq. vendideris; ſacerdotem ab ipſis aris puluinaribusq. detraxeris; omnia illa, quae vetuſtas, quae Perſae, quae Syri, quae reges omnes, qui Europã Aſiamq. tenuerunt, ſemper ſumma religione coluerunt, peruerteris; quae denique noſtri maiores tam ſancta duxerunt, vt, cum refertam vrbem atque Italiam fanorum haberemus, tamen noſtri imperatores, maximis & periculoſiſſimis bellis, huic deae vota facerent, eaq. in ipſo Peſſinunte, ad illam ipſam principem aram, & in illo loco, fanoq. perſoluerent: quod cum Deiotarus religione ſua caſtiſſime tueretur, quem vnum habemus in orbe terrarum fideliſſimum huic imperio, atque amantiſſimum noſtri nominis; Brogitaro, vt ante dixi, addictum pecunia tradidiſti. atque hunc tamen Deiotarum, ſaepe a ſenatu regali nomine dignum exiſtimatum, clariſſimorum imperatorum teſtimoniis ornatum, tu etiam regem appellari cum Brogitaro iubes. ſed alter eſt rex iudicio ſenatus per nos, pecunia Brogitarus per te appellatus. alterum putabo regem, ſi habuerit, vnde tibi ſoluat, quod ei per ſyngrapham credidiſti: nam cum multa regia ſunt in Deiotaro, tum illa maxime, quod tibi nummum nullum dedit; quod eam partem legis tuae, quae congruebat cum iudicio ſenatus, vt ipſe rex eſſet, non repudiauit; quod Peſſinuntem, per ſcelus a te violatum, & ſacerdote ſacriſque ſpoliatum, recuperauit, vt in priſtina religione ſeruaret; quod caerimonias, ab omni vetuſtate acceptas, a Brogitaro pollui non ſinit, mauultq. generum ſuum munere tuo, quam illud fanum antiquitate religionis, carere. Sed, vt ad haec haruſpicum reſponſa redeã, ex quibus eſt primum de ludis: quis eſt, qui id non totum in iſtius ludos praedictum, & reſponſum eſſe fateatur?

E X P L A N A T I O

IN. AGRO *Latinienſi*] in agro Latino ſuburbano, vbi Latinienſis olim populus fuerat: quem cum alijs Latij populis enumerat Plinius lib. III. c. 5. FREMITVS *armorum*] vt antea C. Mario, L. Valerio cos. vide Obſequentem. SCRIPTVM *eſt*,] in haruſpicum reſponſo ſupra: Reſponſum haruſpicum

cum hoc recens de fremitu in concione recitauit: in quo cum alijs multis ſcriptum etiam illud eſt, &c. POSTVLATIONES] procurationes appellat in extrema oratione: quod eſt, expiationes. nā hic ſequitur: Audio, quibus dijs violatis expiatio debeatur. Quod ſi hoc poſtulatio valet: malim legere, Debitas, quam, Decretas: cum aliquanto poſt dicat: Eodem oſtento, Telluri poſtulatio deberi dicitur. LVDOS *minus diligenter factos, pollutosq.*] verba ſcripta in haruſpicum reſponſo. LENTVLE,] Marcellinum appellat, qui conſul erat. TVI *ſacerdotij*] pontifex non erat, vt e ſequentibus conſtat: erat autem, opinor, epulo Iouis Opt. Max. PRAETERMISSVM,] infra: Aut negligentia contemptū, aut ſcelere pollutum. CVIVS *abaui manibus*] P. Scipionis Naſicae, qui vir optimus in tota ciuitate a ſenatu iudicatus, Idaeam matrem, aduectam e Phrygia, ſuis manibus accepit, feminarum autem caſtiſſima Quincta Claudia, infra, & Liuius lib. xxix Suetonius in Tiberio: Poſtulare autem videtur hiſtoriae ratio, vt Ataui, legatur potius, quam, Abaui, fuit enim Marcellini atauus ille Scipio, qui belli Iugurthini anno primo conſul mortuus eſt; proauus ille cui Serapioni cognomē fuit; abauus is, qui Corculum dictus eſt; atauus Naſica ille, cuius manibus Idaea mater eſt accepta. nam Scipio ille, quem anno primo Iugurthini belli mortuus eſſe diximus, Marcellini pater eſſe nō potuit, diſtat enim ab eius morte Marcellini cōſulatus annis LIV. nec veriſimile videtur, tam ſero conſulem eſſe factum, vt concedamus eum eſſe natum vel eo ipſo anno, quo Scipio ille cōſul periit. quae ſi parum certa videtur eſſe coniectura: teſte Cicerone vtamur ſubiungit enim hic: Tua, tum, tua, Cn. Lentule eadem virtus fuit, quae priuato quondam tuo proauo. Proauum appellat Marcellini Naſicam Serapionem, qui Ti. Gracchum occidit: at is pater ſine dubio fuit eius Naſicae, qui conſul mortuus eſt anno primo Iugurthini belli. MEGALESIA] ludos in honorem Ideæ matris ab ędilibus cur. dari ſolitos. dedit autem eos hoc anno ędilis Clodius, Marcellino conſule. PRIVATO *quondam tuo proauo.*] Scipione, Naſica Serapione, qui Ti. Gracchum remp. perturbantē, conſule P. Mucio ſegniter agente, priuatus interfecit. Priuatum appellat ad maiorem laudem, quia fecit priuatus, quod Mucius cōſul facere dubitabat. Sic in ea pro domo: Non quo mihi P. Scipionis, fortiſſimi viri, vis intima, priuati hominis, diſpliceret. Et pro Plancio: P. Mucius, qui arma quae priuatus P. Scipio ſumpſerat, ea, Ti. Graccho interempto, iure optimo ſumpta eſſe defendit. NOMEN,] quia Corneliae gentis, origine ab eo Cornelio Scipione ducta, qui cum in vindicandis Ti. Gracchi conatibus Q. Mucium conſulem ſegniorem videret, ſequi ſe iuſſis, qui ſaluam remp. vellent, impetu cum optimatib. facto, Gracchum interemit. IMPERIVM,] conſulare. SEQVEBANTVR,] vto. im ſecuti ſunt proauum tuum. SI TERRAM *non tenuit aut tenſam, aut lorum omiſit.*] quid eſt, terram tenere? equidem omnino legendū arbitrarer, Si tenſam non tenuit aut lorum omiſit: niſi mihi ſcrupulum iniiceret Arnobius, qui lib. IV. ita ſcriptum reliquit: Commiſſum omnes ſtatim in religiones damnatis ſacras, ſi ludius conſtitit; aut tibicen repente conticuit; aut ſi patrimus ille, qui vocitatur, puer omiſit per ignorantiam lorum, aut terram tenere nō potuit. Nam etſi, terram tenere, quid ſit ignorare me fateor, & plane ſuſpicor de mendo: mutare tamen cum duobus in locis eodem modo ſcriptum videam non audeo. neque hanc difficultatem tollit Plutarchus, quamquam hoc de genere ludorum aperte agat in Coriolano. NAM *quid ego de illis ludis loquar,*] aliorum ludorum mentionem videtur inducere, ſed loquitur tamen de Megalenſibus, verum illis vetuſtis, nō iis quos proxime Clodius fecerat diuerſa igitur ſunt tempora, non diuerſi ludi. ANTE *templum,*] aedem Matris magnæ cenſores Liuius, & Clodius eodem anno, quo deuecta eſt, faciendam locauerunt, ante vero quam propriam aedem haberet, in aede Victoriae ſimul: crum eius locatum eſt Liuius lib. xxix MEGALENSIBVS,] diebus. ANTE *populi conſeſſum*] Liuius lib. xxxiv. non Africanum iterum conſulem ſenatui locum ante populi conſeſſum ait dediſſe, ſed auctorem fuiſſe, vt id facerent ædiles cur. eius anni Serranus, & Libo: idq. etiā illis imperaſſe cēſores Paetum, & Cethegum. & Cicero pro C. Cornelio, nec dediſſe locum Scipionem ſenatui ante populum, nec auctorem fuiſſe, ſed paſſum eſſe dicit. Quam varietatem ſic excuſat Aſconius: In ea de haruſpicum reſponſo, quia in ſenatu habebatur, cuius auribus erat blandiēdum, & magnopere illum laudat & non auctorem fuiſſe dandi, (nam id erat leuius) ſed ipſum etiam dediſſe dicit. Eſt illa quoque inter veteres controuerſia, quod hic Cicero factum id eſſe ludis Megalenſibus plane narrat, Liuius autem, Antiatem ſecutus, non Megalēſibus, ſed Romanis, alij nec Megalenſibus, nec Romanis, ſed votiuis: quod ex Aſconij verbis licet conijcere. QVO] redit ad ea Megaleſia, quae Clodius dederat. MANVS *afferebantur:*] a ſeruis. ID, CVM *ſibi ipſum monſtrum eſt,*] ipſi ſerui, in ſcenam immiſſi, monſtrum eſt. IN, EO *ipſo*] in ſeruis ipſis. PORTENDITVR,] denunciatur in apum examine. PATER *tuus?*] Ap. Claudius, cum eſſet aedilis cur. PATRVVS?] P. Claudius, Appij frater maior. ATHENIONIS, *aut Spartaci*] qui Seruile bellum excitarunt. SIBYLLINO *ſacerdotii,*] vnus erat Clodius ex decemuiris, qui Sibyllinis libris praeerant: quod ſequentibus intelligitur. HAC *igitur vate*] Sibylla. SVADENTE *quondam,*] ſuis verſibus Liuius lib. xxix. TVA *ſoror*] carpit impudentiam ſororis Clodij: quam & in orat. pro Coelio vehementer exagitat. MAIORES *tui,*] Quincta Claudia. CONIVNCTI *cum his religionibus,*] quia Quincta Claudia Matrem magnam ſuis manibus accepit, eademq. ſacra fecit. SACERDOTIVM *ipſum,*] cum ſis decemuir. QVO *eſt haec tota religio conſtituta,*] e Sibyllinorum librorum doctrina, quibus decemuiri praeerant. BROGITARO] Deiotari regis genero. ATQVE *hunc tamen Deiotarum,*] fortaſſe, Deiotarum, abundat, vt inepta a neſcio quo addita interpretatio ad verbum, Hunc.

ORATIO

SEquitur de locis ſacris, religioſis. O impudentiam miram. de mea domo dicere audes? committe vel conſulibus, vel ſenatui, vel collegio pontificum tuam. ac mea quidem his tribus omnibus iudicijs, vt dixi antea, liberata eſt. at in ijs aedibus, quas tu Q. Seio, equite Rom. viro optimo, per te apertiſſime interfecto, tenes, ſacellum dico fuiſſe, aras. tabulis hoc cenſorum, memoria multorum firmabo, ac docebo. agatur modo haec res, quod ex eo S. C. quod nuper eſt factum, referri ad vos neceſſe eſt: habeo quae de locis religioſis velim dicere. cum de domo tua dixero, in qua tamen ita eſt inaedificatum ſacellum, vt alius fecerit, tibi tantummodo ſit demoliendum; tum uidebo, num mihi neceſſe ſit de alijs etiam aliquid dicere. putant enim nonnulli ad me pertinere, armamentarium Telluris aperire. nuper id patuiſſe dicunt. & ego recordor: nunc ſanctiſſimam partem, ac ſedem maximae religionis priuato dicunt veſtibulo contineri. multa me mouent: quod aedes Telluris eſt curationis meae; quod is, qui illud armamentarium ſuſtulit, meam domum, pontificum iudicio liberatam, ſecundum fratrem ſuum iudicatam eſſe dicebat. mouet me etiam in hac caritate annonae, ſterilitate agrorum, inopia frugum, religio Telluris, & eo magis, quod eodem oſtento Telluri poſtulatio deberi dicitur. Vetera fortaſſe loquimur: quamquam hoc ſi minus ciuili iure perſcriptum eſt, lege tamen naturae, communi iure gentium ſancitum eſt, ut nihil mortales a dijs immortalibus uſu capere poſſint. uerumtamen antiqua negligimus: etiam ne ea negligemus, quae fiunt maxime, quae uidemus? L. Piſonem quis neſcit his ipſis temporibus maximum & ſanctiſſimum Dianae ſacellum in Celiculo ſuſtuliſſe? adſunt uicini eius loci: multi ſunt etiam in hoc ordine, qui ſacrificia gentilicia illo ipſo in ſacello ſtato loco, anniuerſaria factitarint. & conquirimus, dij immortales quae loca deſiderent, quid ſignificent, de quo loquantur? A Sex. Serrano ſanctiſſima ſacella ſuffoſſa, incenſa, inaedificata, oppreſſa, ſumma denique turpitudine eſſe foedata neſcimus? tu meam domum religioſam facere potuiſti? ecqua mente? qua inuaſeras: qua manu? qua diſturbaras: qua uoce? qua incendi iuſſeras: qua lege? quam ne in illa quidem impunitate tua ſcripſeras: quo puluinari? quod ſtupraras: quo ſimulacro? quod ereptum ex meretricis ſepulcro in imperatoris monumento collocaras. quid habet mea domus religioſi, niſi quod impuri, & ſacrilegi parietem tangit? itaque, ne quis meorum imprudens introſpicere poſſit tuam domum, ac te ſacra illa tua facientem uidere, tollam altius tectum, non ut ego te deſpiciam, ſed tu ne adſpicias urbem eam, quam delere uoluiſti. ſed iam haruſpicum reliqua reſponſa uideamus.

EXPLANATIO

Q. SEIO,] Poſtumo. pro Domo. ALIVS] Q. Seius. APERIRE.] ſublato priuato veſtibulo. IS. QVI] Appium, P. Clodij fratrem, ſignificat. ſubiungit enim: Meam domum, pontificum iudicio liberatam, ſecundum fratrem ſuum iudicatam eſſe dicebat. POSTVLATIO] expiatio. ſupra: De ea re ſcriptum eſt, poſtulationes decretas eſſe Ioui, Saturno, Neptuno, Telluri. VESTRA] quae apud veteres fiebant. Sex. *Serrano*] Atiliae gentis, qui, cum de reditu Ciceronis promulgata lex eſt, tribunus pl. cum collega Num. Quinctio diſſenſit. SCRIPSERAS:] ſcripſit enim Sex. Clodius. QVO *puluinari?*] puluinar enim erat in ſacris & religioſis locis. QVOD *ſtupraras:*] ab aedibus ſuis ad Bonam deam ſermonem conuertit. in Piſonem: Emiſſus ille auctor tuus prouinciae, cum ſtuprum Bonae deae puluinaribus intuliſſet. MERETRICIS] Tanagraeae. pro Domo. IMPERATORIS] Q. Catuli. MONVMENTO] porticu, quam Clodius cum Ciceronis domo euerſam Libertati conſecrarat. QVID *habet mea domus religioſi,*] quaedam domus meae pars, quia P. Clodij, hominis impuri, & ſacrilegi, parietem tangit, religionis habere quiddam videtur; vt in ea habitare nefas eſſe videatur.

ORATIO

ORatores contra ius faſque interfectos. Quid eſt hoc? de Alexandrinis video eſſe ſermonem: quem ego non refuto. ſic enim ſentio, ius legatorum, cum hominum praeſidio munitum ſit, tum etiam diuino iure eſſe uallatum. ſed quaero ab illo, qui omnes indices tribunus e carcere in forum effudit, cuius arbitrio ſicae omnes nunc, atque omnia uenena tractantur, qui cum Hermacho Chio ſyngraphas fecit, ecquid ſciat, unum acerrimum aduerſarium Hermachi, Theodoſium, legatum ad ſenatum a ciuitate libera miſſum, ſica percuſſum? quod non minus, quam de Alexandrinis, indignum dijs immortalibus eſſe uiſum, certo ſcio nec confero nunc in te unum omnia. ſpes maior eſſet ſalutis, ſi praeter te nemo eſſet impurus. plures ſunt. hoc & tu tibi confidis magis, & nos prope iure diffidimus. quis Platorem ex Oreſtide, quae pars Macedoniae libera eſt, hominem in illis locis clarum, ac nobilem, legatum Theſſalonicam ad noſtrum, vt ſe ipſe appellauit, imperatorem veniſſe neſcit? quem ille propter pecuniam, quam ab eo extorquere non poterat, in uincula coniecit, & medicum intromiſit ſuum, qui legato, ſocio, amico, libero foediſſime & crudeliſſime venas inciderет. ſecures ſuas cruentari ſcelere noluit: nomen quidem populi R. tanto ſcelere contaminauit, vt id nulla re poſſit, niſi ipſius ſupplicio, expiari. quales hunc carnifices putamus habere, qui etiam medicis ſuis non ad ſalutem, ſed ad necem vtatur? ſed recitemus, quid ſequa-

ſequatur. Fidem & iuſiurandum neglectum. hoc quid ſit, per ſe ipſum non facile interpretor: ſed ex eo, quod ſequitur, ſuſpicor de tuorum iudicum manifeſto periurio dici: quibus olim erepti eßent nummi, niſi a ſenatu praeſidium poſtulaſſent. quare autem de his dici ſuſpicer, haec cauſſa eſt, quod ſic ſtatuo, & illud in hac ciuitate eſſe maxime illuſtre, atque inſigne periurium, & te ipſum tamen in periurij poenam ab ijs, quibuſcum coniuraſti, non vocari.

EXPLANATIO

DE *Alexandrinis*] quos Romã miſſos Ptolomaeus rex inſidijs pleroſque ſuſtulit. Dio. AB ILLO,] ab ipſo Clodio. E CARCERE] iudices fecit, quo anno tribunus pl. fuit, eos, qui propter ſcelera in carcerem coniecti erant. PLATOREM *ex Oreſtide,*] eadem res narratur in orat. in Piſonem. VT SE *ipſe appellaat*] nam a militibus ob victoriam imperator appellatus eſt. L. Piſonem ſignificat. in oratione tamen cõtra ipſum, Appellatus eſt, inquit, hic vulturius illius prouinciae, ſi dijs placet, imperator. DE *tuoram iudicam manifeſto periurio*] cum te de inceſtu notiſſimo abſoluerunt. NISI *a ſenata praeſidium poſtulaßent*] iocus in iudices a Clodio corruptos, qui de eius inceſtu iudicaturi, cum a ſenatu, quaſi vim timerent, praeſidium poſtulaſſet; & Clodium tamen, nummis ab eo acceptis, poſtea abſoluiſſent: feſtiue Q. Catulus cum ex ijs quendam vidiſſet, Quid vos, inquit, praeſidium a nobis poſtulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis] ep. 14. lib. xv. ad Att. AB *ijs, quibus cum coniuraſti,*] a iudicibus, olim tua pecunia corruptis.

ORATIO

ET video in haruſpicum reſponſis haec eße ſubiuncta, ſacrificia vetaſta, occultaq. minus diligenter facta, pollutaque. Haruſpices haec loquuntur, an patrij, penatesq. dij? multi enim ſunt, credo, in quos huius maleficij ſuſpicio cadat. quis, praeter hunc vnum? obſcure dicitur, quae ſacra polluta ſint? quid planius, quid grauius, quid religioſius dici poteſt? Vetaſta, occultaque. nego vlla verba Lentulum, grauem oratorem, ac diſertum, saepius, cum te accuſaret, vſurpaſſe, quam haec, quae nunc ex Etruſcis libris in te conuerſa, atque interpretata dicuntur. etenim quod ſacrificium tam vetus eſt, quam hoc, quod a regibus aequale huic vrbi accepimus? quod autem tam occultum, quam id, quod non ſolum curioſos oculos excludit, ſed etiam errantes, quo non modo improbitas, ſed ne imprudentia quidem poſſit intrare? quod quidem ſacrificium nemo ante P. Clodium omni memoria violauit, nemo vnquam adijt, nemo neglexit, nemo vir adſpicere non horruit: quod fit per virgines Veſtales, fit pro populo R. fit in ea domo, quae eſt in imperio, fit incredibili caerimonia, fit ei deae, cuius ne nomen quidem viros ſcire fas eſt: quam iſte iccirco Bonam dicit, quod in tanto ſibi ſcelere ignouerit. non ignouit, mihi crede, non. niſi forte tibi ignotum putas, quod te iudices dimiſerunt excuſſum, & exhauſtum, ſuo iudicio abſolutum, omnium condemnatum; aut quod oculos, vt opinio illius religionis eſt, non perdidiſti. quis enim ante te ſacra illa vir ſciens viderat, vt quiſquam poenam, quae ſequeretur illud ſcelus, ſcire poßet? an tibi luminis obeſſet caecitas plus, quam libidinis? ne id quidem ſentis, coniuentes illos oculos abaui tui magis optandos fuiſſe, quam hos flagrantes ſororis? tibi vero, ſi diligenter attenderis, intelliges hominum poenas deeſſe adhuc, non deorum. homines te in re foediſſima defenderant: homines turpiſſimum, nocentiſſimumq. laudarunt: homines propter pecuniam iudicio liberauerunt: hominibus iniuria tui ſtupri, illata in ipſos, dolori non fuit: homines tibi arma alij in me, alij poſt in illum inuictum ciuem dederunt: hominum beneficia prorſus concedo tibi, ac maiora non eſſe quaerenda: a dijs quidem immortalibus quae poteſt homini maior eße poena furore, atque dementia? niſi forte, in tragoedijs quos vulnere ac dolore corporis cruciari, ac conſumi vides, grauiores deorum immortalium iras ſubire, quam illos, qui furentes inducuntur, putas. non ſunt illi eiulatus, & gemitus Philoctetae tam miſeri, (quamquam ſunt acerbi) quam illa exſultatio Athamantis, & quam ſomnium matricidarum. tu, cum furiales in concionibus voces mittis, cum domos ciuium euertis, cum lapidibus optimos viros foro pellis, cum ardentes faces in vicinorum tecta, iactas, cum aedes ſacras inflammas, cum ſeruos concitas, cum ſacra ludosq. conturbas, cum vxorem ſororemq. non diſcernis, cum, quod ineas cubile, non ſentis, cum bacchatis, cum furis, tum das eas poenas, quae ſunt ſolae hominum ſceleri a dijs immortalibus conſtitutae. nam corporis quidem noſtri infirmitas multos ſubit caſus per ſe: denique ipſum corpus tenuiſſima ſaepe de cauſſa conficitur: deorum tela impiorum mentibus figuntur. quare miſerior es, cum in omnem fraudem raperis oculis, quam ſi omnino oculos non haberes.

EXPLANATIO

QVOD *ſacrificium tam vetuſtum eſt, quam hoc,*] Bonae deae fieri ſolitum. QVAE *eſt in imperio,*] domum pontificis max. ſignificat nam in ea ſacrificiũ illud fieri ſolebat. NON, *mihi crede, non.*] iterata particula, non, venuſtatem habet: vt ad Atticum: Non ſunt ab obſequio noſtro, non: ſuas radices habent. Quo loco plura diximus, recitatis etiam Graecorum exemplis. ABAVI *tui*] Appij Caeci: quem nõ abauum, ſed proauum appellat in epiſtola ad Appium P. Clodij fratrem. ſubtiliorẽ

enim hiſtoriae nationẽ ſaepe Cicero negligit, nã reuera nec abauus, nec atauus, nec tritauus P. Clodij fuit Appius Caecus, ſed tritauit pater. FLAGRANTES] eidẽ Clodiae, quae Metelli Celeris vxor fuerat, flagrantiam oculorum tribuit in orat. pro Coelio. IN *illum inuictum ciuem*] in Pompeium, qui ſe domo tenuit metu armorum Clodij quamdiu tribunus pl. fuit. EIVLATVS, *& gemitus*] pede ſagitta Herculis vulnerato. de Philoctete tragoediã ſcripſit apud Graecos Sophocles, quae exſtat, apud Latinos Atticus, quae perijt. EXVLTATIO *Athamantis*,] furore perciti, laeſa Iunone. de quo in Piſonem, & Ouidius Metam. MATRICIDARVM] quorum notiſſimi Oreſtes, & Alcmaeon.

ORATIO

SED, quoniam de ijs omnibus, quae haruſpices commiſſa eſſe dicunt, ſatis eſt dictum; videamus, quid ijdem haruſpices a dijs iam immortalibus dicant moneri. Monent, ne, per optimatium diſcordiam, diſſenſionemq. patribus, principibusq. caedes, periculaq. creentur, auxilioq. deminuti deficiantur; quare ad vnum imperium prouinciae redeant, exercitusq. pulſus, deminutioq. accedat. Haruſpicum verba ſunt haec omnia: nihil addo de meo. quis igitur hanc optimatium diſcordiam molitur? idem iſte: nec vlla vi ingenij, aut conſilij ſui, ſed quodam errore noſtro: quem quidem ille, quod obſcurus non erat, facile perſpexit. hoc enim etiam turpius afflictatur reſp. quod ne ab eo quidem vexatur, vt, tamquam fortis in pugna vir, acceptis a forti aduerſario vulneribus aduerſis & honeſtis, cadere videatur. Ti. Gracchus conuellit ſtatum ciuitatis, qua grauitate vir? qua eloquentia? qua dignitate? nihil vt a patris, auiq. Africani praeſtabili inſigniq. virtute, praeterquam quod a ſenatu deſciuerat, deflexiſſet. ſecutus eſt C. Gracchus, quo ingenio? quanta vi, quanta grauitate dicendi? vt dolerent boni omnes, non illa tanta ornamenta ad meliorem mentem, voluntatemq. eſſe conuerſa. ipſe L. Saturninus ita fuit effrenatus, & paene demens, vt auctor eſſet egregius & ad animos imperitorum excitandos inflammandosq. perfectus. nam quid ego de P. Sulpicio loquar? cuius tanta in dicendo grauitas, iucunditas, tanta vbertas fuit, vt poſſet, vel vt prudentes errarent, vel vt boni minus bene ſentirent, perficere dicendo. Cum his conflictari, & pro ſalute patriae quotidie dimicare, erat omnino illis, qui tum remp. gubernabant, moleſtum: ſed habebat ea moleſtia quandam tamen dignitatem. hic vero, de quo ego ipſe tam multa nunc dico, pro dij immortales, quid eſt? quid valet? quid affert, vt tanta ciuitas, ſi cadet, quod dij omen obruant, a viro tamen confecta videatur? qui, poſt patris mortem, primam illam aetatulam ſuam ad ſcurrarum locupletum libidines detulit: quorum intemperantia expleta, in domeſticis eſt germanitatis ſtupris volutatus: deinde iam robuſtus, prouinciae ſe, ac rei militari dedit, atque ibi piratarum contumelias perpeſſus, etiam Cilicum libidines, barbarorumq. ſatiauit: poſt, exercitu L. Luculli ſollicitato, per nefandum ſcelus fugit illinc. Romaeq. recenti aduentu ſuo cum propinquis ſuis decidit, ne reos faceret: a Catilina pecuniam accepit, vt turpiſſime praeuaricaretur. inde cum Murena ſe in Galliam contulit: in qua prouincia mortuorum teſtamenta conſcripſit, pupillos necauit, nefarias cum multis ſcelerum pactiones ſocietatesque conflauit: vnde vt redijt, quaeſtum illum maxime fecundum, vberemq. campeſtrem totum ad ſe ita redegit, vt homo popularis fraudaret improbiſſime populum; idemq. vir clemens diuiſores omnium tribuum domi ipſe ſuae crudeliſſima morte mactaret. Exorta eſt illa reip. ſacris, religionibus, auctoritati veſtrae, iudicijs publicis funeſta quaeſtura: in qua idem iſte deos hominesq. pudorem, pudicitiam, ſenatus auctoritatem, ius, fas, leges, iudicia violauit. atque hic ei gradus (o miſera tempora, ſtultasq. noſtras diſcordias) P. Clodio gradus ad remp. hic primus eſt aditus ad popularem iactationem, atque adſcenſus. nam Ti. Graccho inuidia Numantini foederis, cui feriendo quaeſtor C. Mancini conſulis cum eſſet, interfuerat, & in eo foedere improbando ſenatus ſeueritas dolori, & timori fuit: iſtaq. res illum, fortem, & clarum virum, a grauitate patrum deſciſcere coegit. C. autem Gracchum mors fraterna, pietas, dolor, magnitudo animi ad exſpetendas domeſtici ſanguinis poenas excitauit. Saturninum, quod in annonae caritate quaeſtorem a ſua frumentaria procuratione ſenatus amouit, eiq. rei M. Scaurum praefecit, ſcimus dolore factum eſſe popularem. Sulpicium ab optima cauſſa profectum, Caioq. Iulio conſulatum contra leges petenti reſiſtentem, longius, quam voluit, popularis aura prouexit. fuit in his omnibus cauſa, & ſi non iuſta, (nulla enim poteſt cuiquam male de rep. merendi iuſta eſſe cauſſa) grauis tamen, & cum aliquo animi & virili dolore coniuncta. P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus ſoleis, purpureisq. faſciolis, a ſtrophio, a pſalteria, a flagitio, a ſtupro eſt factus repente popularis. niſi eum mulieres exornatum ita deprehendiſſent; niſi ex eo loco, quo eum adire fas non erat, ancillarum beneficio emiſſus eſſet: populari homine populus R. reſp. ciue tali careret. Hanc ob amentiam in diſcordijs noſtris, de quibus ipſis his prodigijs recentibus a dijs immortalibus admonemur, arreptus eſt vnus ex patricijs, cui tribuno pl. fieri non liceret. quod anno ante frater Metellus, & concors etiam tum ſenatus principe Cn. Pompeio, ſententiã dicenti excluſerat, acerrimeq. vna voce ac mente reſtiterat, id poſt diſſidium optimatium, de quo ipſo nunc monemur, ita perturbatum, itaque permutatum eſt, vt, quod frater conſul, ne fieret, obſtiterat, quod affinis, & ſodalis, clariſſimus vir, qui illum reum non laudaret, excluſerat, id is conſul efficeret in diſcordijs principum, qui illi vnus inimiciſſimus eſſe debuerat, & eo feciſſe auctore ſe diceret, cuius auctoritatis neminem poſſet paenitere. Iniecta eſt fax foeda, ac luctuoſa reip. petita eſt auctoritas veſtra, grauitas ampliſſimorum ordinum, conſenſio bonorum omnium, totus denique ciuitatis ſtatus: haec enim certe petebantur, cum in me, cognitorem harum omnium rerum, illa flamma illorum temporum conijciebatur. excepi, & pro patria ſolus exarſi, ſic tamen, vt vos, ijſdem ignibus circumſaepti, me primum ictum pro uobis, & fumantem videretis. non ſedabantur diſcordiae, ſed etiam creſcebat in eos odium, a quibus nos defenſi putabamur. ecce ijſdem auctoribus, Pompeio principe, qui cupientem Italiam, populum Romanum deſiderantem, flagitantes vos non auctoritate ſua ſolum,

ſed

ſed etiam precibus ad meam ſalutem excitauit, reſtituti ſumus. ſit diſcordiarum finis aliquando: a diuturnis diſſenſionibus ſonquieſsamus: non ſinit eadem iſta labes: ea habet conciones: ea miſcet, ac turbat, ut modo uendat illis, nec tamen ita, ut ſe quiſquam, ſi ab iſto laudatus ſit, laudatiorem putet, ſed ut eos, quos non amant, ab eodem gaudeant uituperari. atque ego hunc non miror: quid enim faciat aliud? illos, homines ſapientiſſimos grauiſſimosque, miror: primum, quod quemquam clarum hominum, atque optime de rep. ſaepe meritum, impuriſſimi uoce hominis uiolari facile patiuntur: deinde, quod exiſtimant perditi hominis profligatiq. maledictis poſſe, id quod minime conducit ipſis, cuiuſquam gloriã dignitatemq. uiolari: poſtremo, quod non ſentiunt id, quod tamen mihi iam ſuſpicari uidentur, illius furentes, ac uiolentos impetus in ſe ipſos poſſe conuerti. atque ex hac nimia nonnullorum alienatione, & quibuſdam haerentia tela in rep. quae quamdiu haerebant in uno me, grauiter equidem, ſed aliquanto leuius ferebam. an iſte, niſi primo ſe dedidiſſet iis, quorum animos a noſtra auctoritate ſeiunctos eſſe arbitrabamur: niſi eos in caelum ſuis laudibus, praeclarus auctor, extolleret: niſi exercitum C. Caeſaris, in quo fallebat multos, ſed eum nemo redarguebat, niſi eum, inquam, exercitũ ſignis infeſtis in curiam ſe immiſſurũ minitaretur: niſi Cn. Põpeio adiutore, M. Craſſo auctore, quae faciebat, facere clamaret: niſi ſonſules ſauſſam cõiunxiſſe ſecum, in quo uno non mentiebatur, confirmaret: tam crudelis mei, tam ſceleratus reip. uexator eſſe potuiſſet? idem, poſtea quam reſpirare uos a metu caedis, emergere auctoritatem noſtram a fluctibus illis ſeruitutis, reuiuiſcere memoriam ac deſiderium mei uidit, uobis ſe coepit ſubito fallaciſſime uenditare: tum, leges Iulias contra auſpicia latas, & hic, & in concionibus dicere: in quibus legibus inerat curiata illa lex, qua totum eius tribunatum continebat, quam caecus amentia non uidebat: producebat fortiſſimum uirum M. Bibulũ; quaerebat ex eo, C. Caeſare leges ferente, de caelo ſemper ne ſeruaſſet? ſemper ſe ille ſeruaſſe dicebat. Augures interrogabat, quae ita latae eſſent, recte ne latae eſſent? illi uitio lata eſſe dicebant. ferebant in oculis hominem quidem boni uiri, & de rep. optime meriti, ſed illius, ut ego arbitror, furoris ignari. longius proceſſit: in ipſum Cn. Pompeium, auctorem, ut praedicare eſt ſolitus, conſiliorum ſuorum, inuehi coepit. inibat gratiam a nonnullis. tum uero eſt ratus ſe poſſe, quoniam togatum domeſtici belli exſtinctorem nieſerio ſcelere foedaſſet, illum etiam, illum externorum bellorum hoſtiumq. uictorem affligere. tum eſt illa in templo Caſtoris ſcelerata, & paene deletrix huius imperij ſica deprehenſa. tum ille, cui nulla hoſtium diutius urbs unquam fuit clauſa, qui omnes anguſtias, omnes altitudines, omniũ obiecta tela ſemper ui & uirtute perfregit, obſeſſus ipſe eſt domi, meq. nonnulla imperitorum uituperatione timiditatis meae, conſilio, & facto ſuo liberauit. nam ſi Cn. Pompeio, uiro uni omnium fortiſſimo, quicumque nati ſunt, miſerrimum magis fuit, quam turpe, quam diu ille tribunus pl. fuit, lucem non adſpicere, carere publico, minas eius perferre; cum in concionibus diceret, uelle ſe in Carinis aedificare alterã porticum, quae Palatio reſponderet: certe mihi exire domo mea ad priuatum dolorem fuit luctuoſum, ad rationem reip. glorioſum. Videtis igitur hominem per ſe ipſum iampridem afflictum, ac iacentem, perniicioſis optimatium diſcordijs excitari. cuius initia furoris diſſenſionibus eorum, qui tum a vobis ſeiuncti videbantur, ſuſtentata ſunt. reliqua iam praecipitantis tribunatus, etiam poſt tribunatum, obtrectatores eorum, atque aduerſarij defenderunt, ne a rep. reip. peſtis remoueretur. reſtiterunt etiam, ne cauſſam diceret: etiam, ne priuatus eſſet. etiam ne in ſinu, atque in delicijs quidam optimi viri viperam illam venenatam, ac peſtiferã habere potuerunt? quo tandem decepti munere? volo, inquiunt, eſſe, qui in concione detrahat de Pompeio. detrahat ille vituperando? velim, ſic hoc vir ſummus, atque optime de mea ſalute meritus, accipiat, ut a me dicitur: dicam quidem certe, quod ſentio. mihi medius fidius tum de illius ampliſſima dignitate detrahere, cum maximis laudibus efferebat, videbatur. Vtrum tandem C. Marius ſplendidior, cum eum C. Glaucia laudabat, an cum eundem iratus poſtea vituperabat? an ille demens, & iampridem ad poenam, exitiumq. praeceps, foedior, atque inquinatior in Cn. Pompeio accuſando quam in vniuerſo ſenatu vituperando fuit? quod quidem miror, cum alterum gratum ſit iratis, alterum eſſe tam bonis ciuibus non acerbum. ſed ne id viros optimos diutius delectet, legant hanc eius concionem, de qua loquor, in qua Pompeium ornat, an potius deformat? certe laudat, & vnum eſſe in hac ciuitate dignum huius imperij gloria dicit, & ſignificat ſe illi amiciſſimum eſſe, & reconciliationem eſſe gratiae factam. quod ego quamquam quid ſit, neſcio; tamen hoc ſtatuo, hunc, ſi amicus eſſet Pompeio, laudaturum illum non fuiſſe. quid enim, ſi illi inimiciſſimus eſſet, amplius ad eius laudem minuendam facere potuiſſet? videant ij, qui illum Cn. Pompeio inimicum eſſe gaudebant, ob eamq. cauſſam in tot, tantisque ſceleribus conniuebant, & nonnumquam eius indomitos, atque effrenatos furores plauſu etiam ſuo perſequebantur, quam ſe cito inuerterit: nunc enim iam laudat illum; in eos inuehitur, quibus ſe antea venditabat. quid exiſtimatis eum, ſi reditus ei gratiae patuerit, eſſe facturum, qui tam libenter in opinionem gratiae irrepat? Quas ego alias optimatium diſcordias a dijs immortalibus definiri putem? nam hoc quidem verbo neque P. Clodius, neque quiſquam de gregalibus eius, aut de conſiliarijs deſignatur. habent Etruſci libri certa nomina, quae in id genus ciuium cadere poſſunt. deteriores, repulſos (quod iam audietis) hos appellant, quorum & mentes, & res ſunt perditae, longeq. a communi ſalute diſiunctae. quare, cum dij immortales monent de optimatium diſcordijs, de clariſſimorum, & optime meritorum ciuium diſſenſione praedicunt, cum principibus periculum caedemq. portendunt; in tuto collocant Clodium, qui tantum abeſt a principibus, quantum a puris, quantum a religioſis. uobis, o clariſſimi, atque optimi ciues, & veſtrae ſaluti conſulendum, & proſpiciendum uident. caedes principum oſtenditur: id, quod interitum optimatum ſequi neceſſe eſt, adiungitur: etiam, ne in vnius imperium res decidat, admonemur. ad quẽ metum ſi deorum monitis non duceremur, tamẽ ipſi noſtro ſenſu, coniecturaque raperemur. neque enim vllus alius diſcordiarũ ſolet eſſe exitus inter claros, & potentes viros, niſi aut uniuerſus interitus, aut victoris dominatus, aut regnum. Diſſenſit cum Mario, clariſſimo ciue, conſul nobiliſſimus, & fortiſſimus L. Sulla: horum vterq. ita cecidit victus, ut uictor idem regnauerit. cum Octauio collega Cinna diſſenſit: utriuſque horũ ſecunda

fortuna regnum eſt largita, aduerſa mortem. idem iterum Sulla ſuperauit: tum ſine dubio habuit regalem poteſtatem, quamquam remp. recuperauit. Ineſt hoc tempore haud obſcurum odium, atque id inſitum penitus, & inuſtum animis hominum ampliſſimorum: diſſident principes: captatur occaſio: qui non tantum opibus valent, neſcio quam fortunam tamen, ac tempus exſpectant: qui ſine controuerſia plus poſſunt, hi fortaſſe nonnumquam conſilia, ac ſententias inimicorum ſuorum extimeſcunt. tollatur haec e ciuitate diſcordia: iam omnes iſti, qui portenduntur, metus exſtinguentur: iam iſta ſerpens, quae tum hic deliteſcit, tum ſe emergit, & fertur illuc, compreſſa, atque illiſa morietur. monent enim ijdem, ne occultis conſilijs resp. laedatur. quae ſunt occultiora, quam eius, qui auſus in concione eſt dicere, iuſtitium edici oportere, iuriſdictionem intermitti, claudi aerarium, iudicia tolli? niſi forte exiſtimatis hanc tantam colluuionem illi, tantamq. euerſionem ciuitatis in mentem ſubito in Roſtris, nec cogitanti venire potuiſſe. eſt quidem ille plenus vini, ſtupri, ſomni, plenusq. inconſideratiſſimae, ac dementiſſimae temeritatis: veruntamen nocturnis vigilijs, etiam coitione hominum, iuſtitium illud conceptum, ac meditatum eſt. mementote, P. C. verbo illo nefario tentatas aures veſtras, & perniciosam viam audiendi conſuetudine eſſe munitam.

EXPLANATIO

AVIQ. *Africani*] materni. P. SVLPICIO] qui loquitur in oratorijs libris. L. LVCVLLI] cuius vxor erat Clodius ſoror. SOLLICITATO,] bello Mithridatico. Plutarchus. CVM *propinquis ſuis decidit. vt reos faceret:*] ſic omnes plane veteres libri. mihi nec hiſtoria haec nota eſt, nec ſatis conſtat, menda ne locus vacet. A. CATILINA] quem cum accuſaſſet, praeuaricatoris infamiam ſubijt, in Piſonem, & Aſconius. QVAESTVM *illum*] quem populus facere ſoleret, diuiſoribus in campo nummos diſtribuentibus. VIR *clemens*] ironia. clementē enim ſe profitebatur, eamq. ſui cōtra Ciceronē odij cauſſam afferebat quod ciues Romanos occidiſſet. DEOS, *hominesq.*] Deos, quia violauit, cū quaeſtor eſſet ſacra Bonae deae: Homines, quia Pompeiae, Caeſaris pont. max. vxori, pro populo ſacra facienti, quaeſtor ſtuprum intulit. PVDOREM, *pudicitiamq.*] pudor eſt animi, pudicitia corporis. SENATVS *auctoritatem,*] quia cauſſam ſuam de inceſtu noluit a ſenatu iudicari. IVDICIA *violauit.*] quia, corruptis iudicibus, abſolutus eſt. HIC *ei gradus*]. quaeſtura, in qua Deos homineſq. ſenatum, leges, iudicia violauit. NOSTRAS *diſcordias*] quarum cauſſa tanta fertur improbitas. AD *popularem iactationem*] vt ſe populo iactaret, quaſi res praeclaras in quaeſtura geſſiſſet. ADSCENSVS.] poſt eiuſmodi quaeſturam adſcendit ad honores. nam & tribunatum pl & aedilitatē eſt adeptus. Quo ſpectant ea, quae paullo poſt cū indignatione quadā inferuntur. P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus ſoleis, purpureiſq. faſciolis, a ſtrophio, a pſaltria, a flagitio, a ſtupro eſt factus repente popularis. INVIDIA *Numantini foederis,*] Plutarchus. AB *optima cauſſa profectum,*] hoc eſt, quod ait Aſconius, Ab initijs bonarum actionum ad perditas progreſſus. primū enim pro rep. deinde contra pugnauit: vnde Sulla victore eſt interfectus. SATVRNINVM *quod*] nonnulli veteres libri, Saturninumq. habent: alij, Saturninū quidem: vtrique mendoſe placeret, Saturninū, quod eum. CAIOQ. *Iulio*] Caeſari Straboni, qui de ridiculis lib de Orat. diſputat. CONSVLATVM *contra leges petenti*] pertinent ad hunc locum Aſconij verba. C. Caeſar inquit, aedilicius quidē mortuus eſt, ſed tantū in ciuitate potuit, vt cauſſa belli ciuilis cōtentio eius cū Sulpicio tribuno fuerit. nam & ſperabat, & id agebat Caeſar vt, omiſſa praetura, cōſul fieret. cui cū primis tēporibus iure Sulpicius reſiſteret, poſtea nimia contentione ad ferrū, & ad arma proceſſit. CROCOTA,] crocei coloris veſte muliebri. Plautus in Epid. & Aul. MITRA,] capitis muliebre tegumentum. MVLIEBRIBVS *ſoleis,*] ſoleis mulieres, calceis viri in publico vtebantur, ijdem tamē ſoleis domi: vnde Horatius, Et ſoleas poſſit. PVRPVREISQ. *faſciolis,*] faſcijs quidē crura viri tegebant, non tamen purpureis, ſed albis. quib. cū Pompeius Magnus cretatis vteretur, nouum morem laſciuia quadam inductum carpens Cicero in quadā ad Atticū epiſtola, Cretatae, inquit, eius faſciae mihi non placebant. STROPHIO,] faſcia pectorali, qua papillae cohibebantur. PSALTRIA,] pſaltriae veſtitu, quo ingreſſus eſt in eam domum, vbi Bonae deae ſacra fiebant. FLAGITIO, *& ſtupro*] BONAE deae puluinaribus illato. POPVLARIS,] populo gratus, cum eſſe deberet odioſus. ANCILLARVM] non matronarum. EMISSVS] ex domo pontificis max quo ſtuprum intulerat. ARREPTVS] non delectus cū ratione aliqua, ſed improbo conſilio temere arreptus, qui remp. perturbaret. VNVS *ex patricijs*] P. Clodius. NON *liceret.*] nam patricijs tribunatus pl. non dabatur, & Clodio tamen in diſcordijs ciuium datus eſt. ANNO *ante*] ante Cęſarem conſulem, qui Clodium ad plebem traduxit. FRATER] P. Clodij non germanus, ſed conſobrinus. METELLVS,] Celer conſul. CONCORS *etiam tum ſenatus*] qui diſſidere coepit anno ſequenti alijs Caeſarem, alijs collegam Bibulum ſequentibus. PRINCIPI *Cn. Pompeio ſententiam dicenti.*] ſi ſic legatur videbitur Pompeius pro Clodio ad plebem traducendo ſententiā dixiſſe: cū tamen, cōtra eū dixiſſe, infra cognoſcatur, vbi & de cōſule Metello, & de ipſo Pōpeio idē iteratur his verbis: Quod frater cōſul, ne fieret, obſtiterat, quod affinis, & ſodalis clariſſimus vir qui illū reū nō laudarat, excluſerat. Non igitur Metellus, & ſenatus Pompeio excluſit, ideſt negauit, ſed eum Pompeio, ſententiā contra Clodiū dicente, excluſit. quare omnino legendū ſtatuo, Principe, nō Principi, Dicente, non Dicenti: adiuuante Maffeiano libro, in quo eſt, Principe. AFFINIS,] Pompeius, cuius filius Appij filiam, fratris P. Clodij in matrimonio habebat.

habebat. SODALIS,] eius nomen ſodalitatis obſcurum: honeſtam quidem fuiſſe, verba ipſa declarant. ſic pro Murena: Ser. Sulpicius, ſodalis filij. Et pro Coelio: Sibi in Lupercis ſodalē eſſe Cęliū dixit. REVM] de inceſtu. NON *laudarat*,] laudabantur rei a claris viris: & laudatur hoc anno Pompeius P. Sextium, de vi reum. IS. CONSVL] C. Caeſar, qui Clodium ad plebem traduxit. DESVERAT,] ob vxóre a Clodio ſtupratam: quo eam crimine, aut criminis certe ſuſpicione, dimiſit. EO *auctore*] profecto ſignificatur Pompeius: qui hoc anno vxore ducta Caeſaris conſulis filia, eius voluntatē in omni re ſecutus eſt. nec ad aliū magis, quā ad Pompeiū, ſpectare videtur id, quod ſequitur, Cuius auctoritatis neminem poſſet paenitere. DICERET,] ad excuſationem ſuam. COGNITOREM,] defenſorem. NOS *defenſi*] cum, a Clodio pulſi, reſtituti ſumus in patriam IN. EOS] in bonos viros, praeſertim in Pompeiū. cui Clodius, pulſo Cicerone, ita inimicus eſſe coepit, vt eius vitae inſidias fecerit. quibus patefactis, tamdiu Pompeius domi ſe tenuit quā diu Clodius in tribunatu fuit. IISDEM *auctoribus*,] qui me abſentem defenderant. VT *modo uendit illis*] mutilus locus, qui fortaſſe ſic reſtitui poſſet: vt modo his ſeſe venditet, modo illis. Conſulendi veteres libri. VITVPERARI.] vt Pompeium, quem Bibulus, Cato, Domitius, Caeſari fauentem, non amabant Ex *hac nimia*] totus hic locus obſcuratur mendo. pateret ſententia, ſi ſic legeretur, de quo tamen nihil affirmo: Ex hac nimia nonnullorū alienatione a quibuſdā haerent ea tela in rep. AN. ISTE,] deſcribit illud tempus, quo pulſus eſt a Clodio tribuno pl. QVORVM *animos*] Caeſarem, Pompeium, Craſſum ſignificat. ij enim inter ſe coniuncti, a ſenatus auctoritate, ideſt a reip. cauſſa deſciuerāt. ARBITRABAMVR;] rectius, Arbitrabatur: vt in Clodiū totam culpā conferat: quaſi arbitraretur id, quod omnino verū non eſſet. ita Cicero principes ciuitatis, Caeſarē, Pompeiū, Craſſum, quos tunc non amicos, hoc autem tpe ſui amantiſſimos habebat, nouae coniunctionis tuēdae gratia ex aliqua parte purgat. NISI *eos in caelum ſuis laudibus extolleret*;] tum, cum tribunus pl. erat. infra, laudibus a Clodio elatum eſſe Pompeium dicit. PRAECLARVS *auctor*,] grauis, & qui valde ornaret eos, quos in caelum laudibus extolleret ironia. LEGES *Iulias*] a C Iulio Caeſare conſule, inuito ſenatu, latas. CONTRA *auſpicia*]. de caelo ſeruante, impediendi gratia, Bibulo collega. CVRIATA] de adoptione Clodij. QVAE *totum eius trib. uiatam continebat*:] nam ſi curiata lex vitio lata: plebeius eſſe Clodius non potuit, ergo nec tribunus pl. QVIDAM *boni viri*,] Caeſaris inimici Bibulus Cato, alij bene de rep. ſentientes. A. NONNVLLIS.] qui Pompeium oderant, cum Caeſare coniunctum. TOGATVM] ipſum Ciceronem, qui Catilinae coniurationem in vrbe oppreſſerat. SICA] pro Milone: Comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſeruus P. Clodij, quē ille ad Cn. Pompeiū interficiendū collocarat. extorta eſt cōfitenti ſica de manibus: caruit foro poſtea Pompeius, caruit ſenatu, caruit publico: ianua ſe ac parietibus, non iure legū, iudiciorumq. texit. MISERRIMVM *magis fuit, quam turpe*,] miſeria enim carere culpa poteſt turpitudo non poteſt. Miſerum, placeret magis, quam, Miſerrimū. IN *Carinis*] in Pompeij domo, quae erat in Carinis, vnde illud ſex Pompeij, Cenabimus in Carinis. AEDIFICARE *alteram porticum*,] Euerſa Pompeij domo, ſicuti, euerſa mea, porticum fecerat in Palatio. QVAE *Palatio reſponderet*:] quae porticum illam referret, quam in Palatina mea domo aedificauerat. AD *rationem reip.*] Pompeius enim, cum exire domo noluit, vni ſibi cauit: ego, cum exiui domo mea, reip. conſului. CVIVS *initia furoris*] prima tribunatus tempora. EORVM,] Caeſaris, Pompeij, Craſſi, qui tum ab optimatibus diſſentiebant. IAM *praecipitantis tribunatus*] tria ponit tempora, incipientis, deſinentis, finiti tribunatus. nā praecipitantis, valet, ad exitū accedentis. & Matius in ep. ad Cic. Aetate praecipitata, dixit, quae iam ad exitum vitae perueniſſet. OBTRECTATORES *eorum*] ij, quos iam ſaepe nominaui, Bibulus, Cato, Domitius. NE *cauſſam diceret*;] ne iudicium fieret, cū accuſaretur a Milone de vi. ad Lentulū: Impunitatem eſt eorū ſententijs aſſecutus, qui, cū tribunus pl. poenas a ſeditioſo ciue per bonos viros iudicio perſequi vellet, exemplū praeclariſſimū in poſterū vindicandae ſeditionis de rep. ſuſtulerunt. Pro Sextio: Ecce tibi conſul, praetor, tribunus pl. noua noui generis edicta proponunt: ne reus adſit: ne citetur: ne quaeratur NE *priuatus eſſet*.] nā cum ante Clodij iudiciū comitia aedilicia fieri voluerunt, aedilis cur. vt crearetur, effecerūt. IN *ſinu, atque in delicijs*] Ad Lentulum: Inimicum meum, meū autem? immo vero legū, iudiciorum, otij, patriae, bonorū omniū, ſic amplexabantur, ſic in manibus habebant ſic fouebant, ſic in me praeſente oſculabantur, non illi quidē vt mihi ſtomachū facerent, ſed certe vt facere ſe arbitrarentur. C. GLAVCIA] praetor, primum amicus C. Marij conſulis, deinde & illius, & reip. inimicus, interfectus eſt, vt hoſtis publicus, cum Saturnino. ALTERVM *gratum ſit iratis*.] vituperatio Pompeij. ALTERVM] vituperatio ſenatus. TAM *bonis ciuibus*] qui Pompeiū oderunt. NE *id viros optimos diutius delectet*.] Pompeiū a Clodio vituperari. ORNAT, *an potius deformat*?] perſiſtit in hoc; ſi quem Clodius Laudet eum deformari potius, quā ornari. QVID *ſit, neſcio*;] reconciliationē gratiae nō eſſe factā ſignificat. AD. EIVS *Laudem minuendam*] valde minuit eius laudem, cum eum Laudauit. VIDEANT *illi*,] qui dicunt: Volo eſſe, qui in concione detrahit de Pompeio. SI *reditus ei gratiae patuerit*,] Si ille cū Pompeio in gratiā rediret: quod nunc, quamquā ſit falſum, in concione tamen praedicat. ESSE *facturum*.] pro Pompeio contra eos, qui eum in concionibus vituperari volebant. QVAS *ego alias*] niſi quorundam bonorum virorum cum Pompeio? IN. TVTO *collocant Clodium*,] nihil ei portendunt mali. REMP. *recuperauit*.] de manibus improborum ciuium ereptam, optimatibus reſtituit. QVI *non tantum opibus valent*.] vt Bibulus, Cato, Domitius, inimici Caeſaris, & Pompeij. PLVS *poſſunt*,] plus poterant Caeſar, & Pompeius. SENTENTIAS] in ſenatu. SE *emergit*,] antique

que dictum. Nepos in Attici vita: Quibus ex malis vt ſe emerſerat. ſic. erumpere, & ſe erumpere, veteres dicebant. *Fertur illuc,*] delitescit hic, in ſenatu ſuam enim hic mentem occultat. Fertur illuc, ad populum: nam ibi aperit conſilia ſua, illuc autem Cicero cum dicebat, digito forum, apertis curiae valuis oſtendebat. *Verbo illo nefario*] cum iuſtitium nominauit. *Tentatas aures ueſtras,*] an verbum illud nefarium ferre poſſent ſed quo modo tentatae ſunt ſenatorum aures, cum illa Clodius non in ſenatu, ſed in concione dixerit? Quia poſſunt & ſenatores in concione adeſſe. *In roſtris*] e quibus arbitratu ſuo, aedilitatem gerens, concionari poterat,

ORATIO

SEquitur illud ne deterioribus, repulſiſque bonos augeatar. Repulſos videamus: nam, deteriores qui ſins. poſt docebo. ſed tamen, in eum eadere hoc verbum maxime, qui ſit vnus omnium mortalium ſine vlla dubitatione deterrimus, concedenduta eſt. qui ſunt igitus repulſi? non, vt opinor, ij. qui aliquando honorem vitio ciuitatis, non ſuo, non ſunt aſſecuti: nam id quidem multis ſaepe optimis ciuibus, atque honeſtiſſimis viris accidit. repulſi ſunt ij, quos ad omnia progredientes, quos munera cantra leges gladiatoria parantes. quos apertiſſime largientes non ſolum alieni, ſed etiam ſui, vicini, tribules, vrbani, ruſtici repulerunt. hi ne honore augeantur, monemur. debet eſſe gratam, quod praedicunt: ſed tamen huic malo populus Ro. ipſe, nullo haruſpicum admonitu, ſua ſponte proſpexit. Deteriores caue te: quorum quidem magna eſt natio, ſed tamen eorum omnium hic dux eſt, atque princeps. etenim, ſi vnum hominem deterrimum poeta praeſtanti aliquis ingenio, fictis conquiſitiſque vitijs deformatum, vellet inducere, nallum profecto dedecus reperire poſſet, quod in hoc non ineſſet; multaque in eo penitus defixa, atque haerentia praeteriret. parentibus, & dijs immortalibus, & patriae nos primum natura conciliat. eodem enim tempore & ſuſcipimur in lucem; & hoc caeleſti ſpirita augemur; & certam in ſedem ciuitatis, ac libertatis adſcribimus. iſte parentum nomen, ſacra, memoriam, gentem Fonteiano nomine obruit: deorum ignes, ſollemnes menſas, abditos ac penetrales focos, occalta, & maribus non inuiſa ſolum, ſed etiã inaudita ſacra inexpiabili ſcelere peruertit: idemq. earum templum inflammauit dearum, quarum ope etiam alijs incendijs ſubuenitur. Quid de patria loquar? qui primum eum ciuem vi, ferro, periculis, vrbe, omnibus patriae praeſidijs depulit, quem vos patriae conſeruatorem eſſe ſaepiſſime iudicaueritis: deinde, euerſo ſenatus, vt ego ſemper dixi, comite; duce, vt ille dicebat; ſenatum ipſum principem ſalutis, mentiſq. publicae, vi, caede, incendijſque peruertit: ſuſtulit duas leges, Aeliam, & Fuſiam, maxime reip. ſalutares: cenſuram exſtinxit: intercesſionem remouit: auſpicia deleuit: conſules, ſceleris ſui ſocios, aerario, prouincijs, exercitu armauit: reges qui erant, vendidit; qui non erant, appellauit: Cn. Pompeium vi, ferro domum compulit: imperatorum monumenta euertit: inimicorum domos diſturbauit: veſtris monumentis nomen ſuum inſcripſit. infinita ſunt ſcelera, quae ab illo in patriam ſunt edita. Quid, quae in ſingulos ciues, quos necauit? ſocios, quos diripuit? imperatores, quos prodidit? exercitus, quos tentauit? Quid vero ea, quanta ſunt, quae in ſe ipſum ſcelera, quae in ſuos edidit? quis minas vmquam pepercit hoſtium caſtris, quam ille omnibus corporis ſui partibus? quae nauis vmquam in flumine publico tam vulgata omnibus, quam iſtius aetas fuit? quis vmquam nepos tam libere eſt cum ſcortis, quam hic cum ſororibus volutatus? quam denique tam immanem Charybdim poetae fingendo exprimere potuerunt, quae tantos exhaurire gurgites poſſet, quantas iſte Byzantiorum, Brogitarorumq. praedas exſorbuit? aut tam eminentibus canibus Scyllam, tamque ieiunis, quam quibus iſtum videtis Gellijs, Clodijs, Titijs Roſtra ipſa mandentem? Quare, id quod extremum eſt in haruſpicum reſponſis, prouidete ne reipub. ſtatus commutetur. etenim vix haec, ſi vndique fulciamus, iam labefacta, vix, inquam, innixa in omnium noſtrum humeris cohaerebũt. fuit quondam ita firma haec ciuitas, & valens, vt negligentiam ſenatus, vel etiam iniurias ciuium ferre poſſet: iam non poteſt: aerarium nullum eſt: vectigalibus non fruuntur, qui redemerunt: auctoritas principum cecidit: conſenſus ordinum eſt diuulſus: iudicia perierant: ſuffragia diſtricta tenentur a paucis: bonorum animus ad nutum noſtri ordinis expeditus iam non erit: ciuem, qui ſe pro patriae ſalute opponat inuidiae, fruſtra poſthac requiretis. quare hunc ſtatum, qui nunc eſt qualiſcumque eſt, nulla alia re, niſi concordia, retinere poſſumus. nam, vt meliore ſimus loco, ne optandum quidem eſt, illo impunito: deteriore autem ſtatu vt ſimus, vnus eſt inferior gradus, aut interitus, aut ſeruitutis. quo ne trudamur, dij immortales nos admonent; quoniam iampridem humana conſilia ceciderunt. Atque ego hanc orationem, P. C. tam triſtem, tam grauem non ſuſcepiſſem, non, inquam, niſi hanc perſonam, & has partes honoribus populi Rom. veſtris plurimis ornamentis, mihi tributis, deberem, & poſſem ſuſtinere. ſed tamen facile, tacentibus ceteris, reticuiſſem: ſed haec oratio omnis fuit non auctoritatis meae, ſed publicae religionis. mea fuerunt verba fortaſſe plura, ſententiae quidem omnes haruſpicum: ad quos aut referri nunciata oſtenta non conuenit, aut eorum reſponſis cõmoueri neceſſe eſt. quod ſi cetera magis peruulgata nos ſaepe & leuiora mouerunt: vox ipſa deorum immortalium non mentes omnium permouebit? nolite enim id putare accidere poſſe, quod in fabulis ſaepe videtis fieri, vt deus aliquis, elapſus de caelo, coetus hominum adeat, verſetur in terris, cum hominibus colloquatur. cogitate genus ſonitus eius, quem Latinienſes nunciarunt: recordamini illud etiam, quod nondum eſt relatum, quod eodem fere tempore factus in agro Piceno Potentiae nunciatur terrae motus horribilis cum quibuſdam, multis metuendiſque rebus: haec eadem profecto, quae futura proſpicimus, impendẽtia pertimeſcetis. etenim haec deorum immortalium vox, haec paene oratio iudicanda eſt, cum ipſe mundus, cum agri terrae motu quodam nouo contremiſcunt, & inuſitato aliquid ſono

incre-

incredibiliq. praedicunt. in quo conſtituenda nobis quidem ſunt procurationes, & obſecratio, quemadmodum monemur: ſed faciles ſunt preces apud eos, qui ultro nobis uiam ſalutis oſtendunt: noſtrae nobis ſunt inter nos irae, diſcordiaeq. placandae.

EXPLANATIO

QVOS *munera contra leges gladiatoria parantes.*] & hic, & in ſequentibus Vatinium deſignat: vt ex oratione in ipſum, & ex ea pro Sextio intelliginr. TRIBVLES,] cum aedilitatem peteret, tribum ſuam ſergiam non tulit. SVA *ſponte proſpexit.*] qui Vatinio tepulſam negauit. FONTEIANO *nomine*] quia Fonteiam in gentem adoptatus, parentum nomen, ſacra, memoriam, gentem Clodiã deleuit, atque extinxit. DEORVM *ignes,*] loquitur de ſacris Bonae deae a Clodio pollutis. EARVM *templum*] Nympharum, quae ſubuenire incendijs putabantur. pro Milone. AELIAM, & *Fuſiam*,] de his legibus alibi diximus. CENSVRAM *extinxit*:] tulit enim, ne quem cenſores in ſenatu legendo præterirent, neue qua ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus, & vtriuſque cenſoris ſententia damnatus eſſet. in Piſonem. INTERCESSIONEM *remouit: auſpicia deleuit*:] quod vtrumque lege Aelia, & Fuſia confirmabatur. de Prouincijs, Aſconius, Dio lib. XXXIX. APPELLAVIT:] vt Brogitarum Gallograecum, ſupra: Deiotarum regem appellari cum Brugitaro iubes. IMPERATORVM *monumenta*] Q. Catuli porticum. INIMICORVM *domos*] meam domum. VESTRIS *monumentis*] domui meae, queae monumentum eſt veſtrum: a Clodio enim diruta publico ſumpta eſt aedificata. Ad Lentulum: Idemq. poſtea non meum monumẽtum, (non enim illae manubiae meae, ſed operis locatio mea fuerat) monumentum vero ſenatus, hoſtili nomine & cruentum inuſtum litteris eſſe paſſi ſunt. Quibus verbis, non eſſe delatam inſcriptionem illam, intelligitur. IMPERATORES,] L. Lucullum. EXERCITVS] Luculli. ſupra. BYZANTIORVM,] exſulum, quos lege ſua reſtituit. pro Domo, pro Sextio. BROGITARORVMQ.] Brogitari Gallograeci: cui Peſſinuntem, fanumque. Matris magnae vendidit. GELLIIS, *Clodys, Titys,*] perditis, & egentiſſimis hominibus. pro Domo, pro Sextio. AERARIVM *nullum eſt*:] tria fuiſſe Romae aeraria, iam docuimus. eorum duo clauſa, extremis reip. temporibus reſeruata: tertium apertum numquam non fuit: quo vectigalia conferebantur, & vnde ad ſumptus quotidianos pecunia promebantur. de quo ſupra: Auſus in concione eſt dicere, iuſtitium edici oportere, iuriſdictionem intermitti, aerarium Claudi, iudicia tolli? Enumerat enim ea, quae ſi fierent, permiſceri omnia, & conuelli ſtatum reip. neceſſe erat. Hoc igitur tertium aerarium ſaepe exhauriebatur; de quo dixit in ea de prouincijs: Quibus quidem vos, in his anguſtijs aerarij, tamen ſubueniatis, neceſſe eſt. NON *fruuntur,*] cur? nam bellum hoc tempore, quo vectigalia impedirentur, nullum erat. auaritiam, & rapinas eorum, qui prouincijs praeeſſent, ſignificari puto, nam in orat. de prouincijs illa conijcit in Gabinium. Publicanos tradidit in ſeruitutem Iudaeis, & Syris, ſtatuit ab initio, & in eo perſeuerauit, ius publicano non dicere: pactiones, ſine vlla iniuria factas, reſcidit: cuſtodias ſuſtulit: vectigales multos, ac ſtipendiarios liberauit: quo in opido ipſe eſſet, antiquo veniret, ibi publicanum, aut publicani ſeruum eſſe vetuit. QVI *redemerunt*:] publicani, ex equeſtri ordine. CECIDIT:] diſſenſionibus. ORDINVM] ſenatus, & equitum. Ad Lentulum: Qui a ſenatu & ordinem coniunctiſſimum, & hominem clariſſimum abalienarunt. OPPONAT *inuidiae*,] improborum infenſae voluntati. NE *optandum quidem eſt illo impunito*:] ne optare quidem licet, non modo ſperare niſi Clodius poenas det. Tres hic Cicero ſtatus nominat, praeſentem, qui nec optimus eſt, nec deterrimus, qui nulla alia te, niſi concordia, retineri poteſt: meliorem, quem, Clodio impunito, non modo ſperare ſed ne optare quidem licet: deteriorem, ex interitu aut ſeruitute. TRISTEM,] ſeueram: vt pro Coelio, Huic triſti, ac decrepito ſeni. LATINIENSES] qui eam agri ſuburbani partem incolunt, vnde ſonitus inſolitus eſt auditus. QVOD *nondum eſt relatum*,] ad ſenatum. QVAE *futura proſpicimus*,] ex monitis haruſpicum. IMPENDENTIA] propinqua. MVNDVS,] hoc nomine totum id ſignificatur, quod caeli ambitu continetur. PROCVRATIONES,] expiationes, placationes: ſupra, poſtulationes vocauit. VIAM *ſalutis oſtendunt*:] voce ſua. nam hic fremitus, & hic terrae motus, vox Deorum, quae noſtra pericula praedicit, eſt putanda.

IN · ORATIONEM · CICERONIS
PRO . CN . PLANCIO .
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

CVm aedilitatem ſimul peterent Cn. Plancius, & M. Iuuentius Laterenſis, creatus aedilis eſt Plancius, Laterenſis praeteritus. qua ille commotus ignominia, Plancium de ſodalitijs accuſauit, quod inter ambitus crimina grauiſſimum eſt, vt inter crimina maieſtatis perduellio. patrocinium Cicero ſuſcepit, egitq. cauſſam diligenter, memor eius temporis, quo quaeſtor in Macedonia Plancius eiectum lege Clodia complexus eſt, fouitq. omni genere officii. Hanc orationem, & eam pro Scauro habuit eodem anno, ideſt L. Domitio, Ap. Claudio cos. nam in ep. 1. lib. 3. ad Q. fr. ita ſcribit: Orationes pro Scauro, & pro Plancio, efflagitatas, abſolui. Defenſum autem Scaurum eſſe iis conſulibus, diſerte narrat Aſconius. vt illud omittam, quod ex ep. 1. lib. 2. ad Q. fr. intelligitur, tribunum pl. Plancium fuiſſe Marcellino & Philippo cos. quo veriſimile ſit, biennio poſt, ideſt L. Domitio, Ap. Claudio cos. aedilitatem petiiſſe. Quaeſitor hac in cauſſa fuit C. Alfius, ab accuſatore editus: vt ipſa declarat oratio: & ipſi quoque iudices, editicii dicti, hanc enim Licinia lex facultatem accuſatori dabat in crimine de ſodilitiis.

M. TVLLII CICERONIS
PRO CN. PLANCIO,

ORATIO XXXI.

CVm propter egregiam, & ſingularem Cn. Plancij, iudices, in mea ſalute cuſtodienda fidem tam multos, & bonos viros eius honori viderem eſſe fautores; capiebam animo non mediocrem voluptatem; quod, cuius officium mihi ſaluti fuiſſet, ei meorum temporum memoriam ſuffragari videbam. cum autem audirem meos partim inimicos, partim inuidos huic accuſationi eſſe fauturos, eandemque rem aduerſariam eſſe in iudicio Cn. Plancio, quae in petitione fuiſſet adiutrix; dolebam, iudices, & acerbe ferebam, ſi huius ſalus ob eã ipſam cauſſam eſſet infeſtior, quod is meam ſalutem, atque vitam ſua beneuolentia, praeſidio, cuſtodiaq. texiſſet. nunc autem veſter, iudices, conſpectus, & conſeſſus iſte reficit, & recreat mentem meam, cum intueor, & contemplor vnumquemque veſtrum. video enim hoc in numero neminem, cui mea ſalus cara non fuerit, cuius non exſtet in me ſuum meritum, cui non ſim obſtrictus memoria beneficij ſempiterna. itaque non exſtimeſco, ne Cn. Plancio cuſtodia meae ſalutis apud eos obſit, qui me ipſum maxime ſaluum videre voluerunt; ſaepiusque, iudices, mihi venit in mentem, admirãdum eſſe, M. Laterenſem, hominem ſtudioſiſſimum, & diligentiſſimum ſalutis meae, reum hunc potiſſimum ſibi delegiſſe; quam metuendum, ne vobis id ille magna ratione feciſſe videatur. quamquam mihi non ſumo tantum, iudices, neque arrogo, vt Cn. Plancium ſuis erga me meritis impunitatem conſecuturum putem. niſi eius integerrimam vitam, modeſtiſſimos mores, ſummam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam oſtendero, nihil de poena recuſabo. ſin omnia praeſtitero, quae ſunt a bonis viris expetenda: petam, iudices, a vobis, vt cuius miſericordia ſalus mea cuſtodia ſit, vos ei veſtram miſericordiam, me deprecante, tribuatis. equidem ad reliquos labores, quos in hac cauſſa maiores ſuſcipio, quam in ceteris, etiam hanc moleſtiam aſſumo, quod mihi non ſolum pro Cn Plancio dicendum eſt, cuius ego ſalutem non ſecus ac meam tueri debeo; ſed etiã pro me ipſo, de quo accuſatores plura paene quam de re, reoque, dixerunt. quamquam, iudices, ſi quid eſt in me ipſo ita reprehenſum, vt id ab hoc alienum ſit, non me id magnopere conturbet; non enim timeo, ne, quia perraro grati homines reperiantur, idcirco, cum me nimium gratum illi eſſe dicant, id mihi criminoſum eſſe poſſit. quae vero ita ſunt agitata ab illis, vt aut merita Cn. Plancij erga me minora eſſe dicerent, quam a me ipſo praedicarentur; aut, ſi eſſent ſumma, negarent ea tamen ita magni, vt ego putarem, ponderis apud vos eſſe debere: haec mihi ſunt tractanda, iudices, & modice, ne quid ipſe offendam; & tum denique, cum reſpondero criminibus; ne non tam innocentia reus ſua, quam recordatione meorum temporum, defenſus eſſe videatur. Sed mihi in cauſſa facili, atque explicata perdifficilis, iudices, & lubrica defenſionis ratio proponitur. nam, ſi tantummodo mihi neceſſe eſſet contra Laterenſem dicere, tamen id ipſum eſſet, in tanto vſu noſtro, tantaque amicitia, moleſtum: vetus enim eſt lex illa iuſtae veraeque amicitiae, quae mihi cum illo iamdiu eſt, vt idem amici ſemper velint: neque eſt vllum certius amicitiae vinculum, quam conſenſus, & ſocietas conſiliorum, & voluntatum. mihi autem non eſt in hac re ſolum moleſtum, contra illum dicere; ſed multo id magis, quod in ea cauſſa contra dicendum eſt, in qua quaedam hominum ipſorum videtur facienda eſſe contentio.

EXPLANATIO

IN. MEA *ſalute cuſtodienda*] temporibus Clodianis, cum in Macedonia Plancius quaeſtor eſſet, qua de re in extrema oratione. ESSET *infeſtior*,] in diſcrimine verſaretur, oppugnaretur ſic mare infeſtum, quo propter piratas nauigare tutum non eſt. SVVM *meritum*,] cum dixerit, cuius; videtur aut abundare, ſuum, aut ſummum, eſſe reponendum. NE QVID *ipſe offendam*;] ne quid ipſe committam, quod reprehendi poſſit, ſi Plancij in me merita ſupra modum efferam. IN *tanto vſu noſtro*,] in tanta conſuetudine.

ORATIO

QVaerit enim Laterenſis, atque hoc vno maxime vrget, qua ſe virtute, qua laude Plancius, qua dignitate ſuperarit. ita, ſi cedo illius ornamentis, quae multa, & magna ſunt; non ſolum huius dignitatis iactura facienda eſt, ſed etiam largitionis recipienda ſuſpicio. ſin hunc illi antepono; contumelioſa habenda eſt oratio: & dicendum eſt id, quod ille me flagitat, Laterenſem a Plancio dignitate eſſe ſuperatum. ita aut amiciſſimi hominis exiſtimatio offendenda eſt ſi illam accuſationis condicionem ſequar: aut optime de

me meriti ſalus deferenda eſt. ſed ego, Laterenſis, caecũ me, & praecipitem ferri confitear in cauſſa, ſi te aut a Plancio, aut ab ullo dignitate potuiſſe ſuperari dixero: itaque diſcedam ab ea contentione, ad quam tu me uocas; & ueniam ad illam, ad quam me cauſſa ipſa deducit. Quid? tu non inanem dignitatis iudicem putas eſſe populum? fortaſſe nonnumquam eſt: utinam uero ſemper eſſet: ſed eſt perraro, & ſi quando eſt, in iis magiſtratibus eſt mandandis. quibus ſalutem ſuam committi putat. his leuioribus, diligentia, & gratia petitorum honos paritur, non iis ornamentis, quae eſſe in te uidemus. nam, quod ad populum pertinet, ſemper dignitatis iniquus iudex eſt, qui aut inuidet, aut fauet. quamquam nihil potes in te Laterenſis conſtituere, quod ſit proprium laudis tuae, quin id tibi ſit commune cum Plancio. ſed hoc totum agetur alio loco. nunc tantum diſputo de iure populi: qui & poteſt, & ſolet non numquam dignos praeterire: nec, ſi a populo praeteritus eſt, quem non oportuit; a iudicibus condemnandus eſt, qui praeteritus non eſt. nam, ſi ita eſſet, quod patres apud maiores noſtros tenere non potuerunt, ut reprehenſores eſſent comitiorum, id haberent iudices; uel quod multo etiam minus eſt ferendum. tum enim magiſtratum non gerebat is, qui ceperat, ſi patres auctores non erant facti: nunc poſtulatur a uobis, ut eius exſulio, qui creatus ſit, iudicium populi R. reprehendatis. itaque quamquam, qua nolui, ianua ſum ingreſſus in cauſſam; ſperare uideor, tam longe abſuturam eſſe orationem meam a minima ſuſpicione offenſionis tuae, te ut potius obiurgem, quod iniquum in diſcrimen adducas dignitatem tuam, quam ut ego eam ulla contumelia coner attingere. Tu continentiam, tu induſtriam, tu animum in remp. tu uirtutem, tu innocentiam, tu fidem, tu labores tuos, quod aedilis non ſis factus, fractos eſſe, & abiectos, & repudiatos putas? uide tandem, Laterenſis, quantum a te diſſentiam. ſi medius fidius decem ſoli eſſent in ciuitate uiri boni, ſapientes, iuſti, graues, qui te indignum aedilitate iudicauiſſent: grauius de te iudicatũ putarem, quam eſt hoc, quod tu metuis, ne a populo iudicatum eſſe uideatur. non enim comitiis iudicat ſemper populus; ſed mouetur plerumque gratia; cedit precibus; facit eos, a quibus eſt maxime ambitus: denique ſi iudicat, non delectu aliquo, aut ſapientia ducitur ad iudicandum, ſed impetu non numquam, & quadam etiam temeritate. non eſt enim conſilium in uulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia: ſemperq. ſapientes ea, quae populus feciſſet, ferenda, non ſemper laudanda duxerunt. Quare, cum te aedilem fieri oportuiſſe dicis; populi culpam, non competitoris, accuſas. At fueris dignior, quam Plancius: de qua ita tecum contendam paullo poſt, ut conſeruem dignitatem tuam: ſed ut fueris dignior; non competitor, a quo es uictus, ſed populus, a quo es praeteritus, in culpa eſt. in quo primum illud debes putare, comitiis, praeſertim aediliciis, ſtudium eſſe populi, non iudicium: eblandita illa, non enucleata eſſe ſuffragia: eos, qui ſuffragium ferant, quid denique ipſi debeant, conſiderare ſaepius, quam quid cuique a rep. uideatur deberi. ſin autem maius eſſe iudicium: nõ tibi id reſcindendum eſt, ſed ferendum. male iudicauit populus: at iudicauit. non debuit: at potuit. non fero: at multi clariſſimi, & ſapientiſſimi ciues tulerunt. eſt enim condicio liberorum populorum, praecipueq. huius principis populi, & omnium gentium domini, atque uictoris: poſſe ſuffragiis uel dare, uel detrahere, quod uelit, cuique: noſtrum autem eſt, qui hac tempeſtate populi iactemur, ac fluctibus ferre modice populi uolũtates, allicere alienas, retinere partas, placare turbatas: honores ſi magni non putemus, non ſeruire populo; ſi eos expetamus, non defatigari ſupplicando.

E X P L A N A T I O

SVPERARIT.] in petitione aedilitatis. LARGITIONIS] de qua Plancius accuſatur. nam ſi dignitate non vicit; reliquum eſt, vt comitia corruperit. QVOD *ille me flagitat.*] quod me Laterenſis cogit dicere. huc pertinent illa ſuperiora: Quaerit Laterenſis, atque hoc vno maxime vrget, qua ſe virtute, qua Laude Plancius qua dignitate ſuperarit. AMICISSIMI *hominis*] Laterenſis. SI *illam accuſationis condicionem ſequar:*] ſi illum a Plancio dignitate ſuperatum eſſe dicam. quod Laterenſis a me flagitat. CONTENTIONE] comparatione. AD *illam.*] quae fit in populi comitijs, cum populus, competitores dignitate non diſtinguens, aut inuidet, aut fauet arbitratu ſuo. TV. NON *inanem*] tu non inanem, nec leuem, ſed grauem, & ſapientem in honore mandando iudicem putas eſſe populum? fortaſſe non inanis nonnumquã eſt Eadem ſententia legunt alij: Tu ne aequum: ſed mutatione magna. PATRES] ſenatus. VT *reprehenſores eſſent comitiorum,*] vt liceret ijs reprehendere comitia. AVCTORES *non erant facti:*] non probauerant. Poſtea, mutata ratione, priuſquam populus ſuffragia iniret, in incertum comitiorum euentum patres auctores fiebant. Liuius lib. I. QVA *nolui,*] quia loquor de tua dignitate: quod nolebam. QVOD, *tu metuis, ne a populo iudicatum eſſe videatur.*] tu metuis, ne, quia præteritus es, ideo, te eſſe indignum ædilitate, a populo iudicatum eſſe videatur. ego contra, ſi te decem ſoli viri boni, ſapientes, iuſti, graues indignum aedilitate iudicaſſent, grauius de te iudicatum putarem, quam quod eſt a populo iudicatum. pluris enim apud me eſſet decem eiuſmodi hominum iudicium, quam populi vniuerſi: quod tu metuis ne minuerit exiſtimationem tuã. NON *enim comitiis iudicat ſemper populus:*] non ſemper verè & ſimpliciter iudicat. DISCRIMEN,] non enim diſcernit, non diſtinguit eos, qui petunt, ex meritis, & dignitate. DILIGENTIA:] in examinandis cuiuſque meritis. PRAESERTIM *aedilicijs,*] iudicat enim diligentius conſularibus, & praetorijs. EBLANDITA] blanditijs quaeſita. ENVCLEATA,] libera, & a vero animi ſenſu profecta.

ORATIO

VEnio iam ad ipſius populi partes; vt illius contra te oratione potius, quam mea, diſputem. qui ſi tecum congrediatur, & ſi vna uoce loqui poſsit, haec dicat: Ego tibi, Laterenſis, Plancium non antepoſui, ſed cum eſſetis aeque boni uiri, meum beneficium potius ad eum detuli, qui a me contenderat, quam ad eum, qui mihi non nimis ſummiſſe ſupplicarat. Reſpondebis, credo, te, ſplendore, & uetuſtate familiae fretum, non ualde ambiendum putaſſe. at uero te ille ad ſua inſtituta, ſuorumq. maiorum exempla reuocabit. ſemper ſe dicet rogari uoluiſſe, ſemper placuiſſe; M. Seium, qui ne equeſtrē quidem ſplendorē incolumem a calamitate iudicii retinere potuiſſet, homini nobiliſſimo, innocentiſſimo, M. Piſoni praetuliſſe; praepoſuiſſe ſe Q. Catulo, in ſumma familia nato, ſapientiſſimo, & ſanctiſſimo uiro, non dico C. Serenum, ſubtiliſſimum hominem, (fuit enim & animi ſatis magni, & conſilii) ſed Cn. Manlium, non ſolum ignobilem, uerum ſine uirtute, ſine ingenio, uita etiā contempta ac ſordida. Deſiderarunt te inquit, oculi mei, cū tu eſſes Cyrenis. me enim, quam ſocios, tua frui uirtute malebam: & quo plus intererat, eo plus aberas a me: certe non uidebam. deinde ſitientem me uirtutis tuae deſeruiſti, at dereliquiſti. coeperas enim petere tribunatum pl. temporibus iis, quae iſtam eloquentiam, & uirtutem requirebant. quam petitionem cum reliquiſſes, ſi hoc iudicaſti, tanta in tempeſtate te gubernare non poſſe, de uirtute tua dubitaui: ſi nolle, de uoluntate: ſin, quod magis intelligo, temporibus te aliis reſeruaſti, ego quoque, inquam, & reſp. ad ea te tempora reuocaui, ad quae tu te ipſe ſeruaras. pete igitur eum magiſtratum, in quo mihi magnae utilitati eſſe poſſis. aediles quicumque erunt. idem mihi, quod oſtenderas: aut ſi, quod mea minus intereſt, id te magis forte delectat, reddam tibi iſtam aedilitatem etiam negligenter petenti. ſed ampliſſimos honores ut pro dignitate tua conſequare, condiſcas, cenſeo, mihi paullo ante diligentius ſupplicare.

EXPLANATIO

N*E equeſtrem quidem ſplendorem*] damnatus enim partem tam ſuarū fortunarum amiſit, quae cenſum equeſtrē, qui quadragenta millia nummū erāt, imminuit. vt inter equites Romanos deinde cenſeri non potuerit ideo dixit Horatius: „ Si quadringentis ſex ſeptē millia deſint, „ Plebs eris. NOBILISSIMO,] patricij generis M. PISONI] M. Puppio Piſoni, qui biennio poſt Ciceronem conſul fuit in eo cum antiquae vitae ſimilitudinem, tum litteras fuiſſe multas, Pedianus auctor eſt. eruditū fuiſſe graecis doctrinis maxime ex omnibus, qui ante eum fuerunt, Cicero ait in Bruto. Triumphaſſe proconſulem de Hiſpanis, idem oſtendit in orat. in Piſonem. PRAETVLISSE;] in aedilitate: quod infra narratur. C. SERENVM,] cum ſequatur mentio Cn. Mallij, ſuſpicor legendum, C. Serranum, qui conſul fuit ante Mallium proxime. vt non modo Serranum Catulo praelatum eſſe, quod videri poſſe tolerabilius, Cicero dicat, verum etiam Cnº Mallium poſteriore anno. IGNOBILEM,] ignobiles Mallij, nobiles Manlij. de eadem re ſic pro Murena. Quis L. Philippum, ſummo ingenio opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio ſuperari poſſe arbitratus eſt: quis Q. Catulū, humanitate, ſapientia, integritate antecellentem, a Cn. Mallio. Et hic autē, & in ea pro Murena, eiecto Manlio. Malliū reſtitui. & in ea quoque pro Sex. Roſcio, Mallius Glaucia quidā cū antea legeretur, Manlius, repoſui. quia Manliorū nota nobilitas, Mallij autem perobſcuri: in quo noſtram opinionē veterū librorū adiuuat auctoritas. INQVIT,] populus. CVM *tu eſſes Cyrenis.*] quaeſtor. ſequitur enim mentio tribunatus quem cum petere coepiſſet, omiſit & infra: Cyrenis liberalem in publicanos, iuſtum in ſocios fuiſſe. QVO *plus intererat,*] adeſſe te mea cauſſa. NON *videbam.*] quod proxime dixit, Deſiderauerunt te oculi mei. TEMPORIBVS *iis,*] coepit enim petere tribunatum pl. Caeſare & Bibulo cos. deinde petere deſtitit, ne iuraret in agrariam Caeſaris legem. huius mihi ſenſum loci aperuerunt verba Ciceronis in ep. ad Att. lib. 2. Habet, inquit, Campana lex execrationem in coitione canditatorum, ſi mentionem fecerint, quo aliter ager poſſideatur, atque vt ex legibus Iulijs nō dubitant iurare ceteri: Laterenſis exiſtimatur recte feciſſe, quod tribunatum pl. petere deſtitit ne iuraret. Atque hoc eſt, quod in hac ipſa oratione infra, ait Cicero: Noli exiſtimare, non magnum quēdam motū fuiſſe illius petitionis tuae, de qua ne aliquid iurares, deſtitiſti. QVAE *iſtam eloquentiam & virtutem requirebant.*] quia ſecutis ſunt conſules, Piſo, & Gabinius, qui ſalutē Ciceronis, contra mentē ſenatus, & bonorum omniū prodiderunt. TANTA *in tempeſtate*] anno tam turbulento. EVM *magiſtratum*] tribunatum pl. AEDILES *quicumque erunt:*] coniungerem cum ſequentibus, & ita locum hunc, ſi quid opis ferrent antiqui libri, libenter corrigerem: Aediles quicumque erunt: tu da mihi, quod oſtenderas. hoc ſenſu: Sint aediles quilibet: tu da mihi, quod oſtenderas, vt cum petas magiſtratum, in quo mihi magnae vtilitati eſſe. poſſis. QVOD *mea minus intereſt,*] minus enim prodeſſe mihi potes in aedilitate quam in tribunatu. PAVLLO *ante*] quod non feciſti, omiſſa tribunatus petitione, quam non omiſerat Plancius.

ORATIO

HAec populi oratio eſt: mea vero Laterenſis haec; quare uictus ſis, non debere iudicem quaerere, modo ne largitione ſis victus. nam ſi, quotieſcumque praeteritus erit is, qui non debuerit praeteriri; toties oporte-

bit eum, qui factus erit, condemnari: nihil iam eſt, quod populo ſupplicetur, nihil quod direptio, nihil quod ſupplicatio magiſtratuum, renunciatio ſuffragiorum exſpectetur, ſimul vt qui ſint profeſſi, video quid dicam: hic familia conſulari eſt, ille praetoria: reliquos video eſſe ex equeſtri loco: ſunt omnes ſine macula, ſunt aeque boni viri, atque integri: ſed ſeruari neceſſe eſt gradum. cedat cõſulari generi praetorium, nec contendat cum praetorio equeſter locus: ſublata ſunt ſtudia, exſtinctae ſuffragationes, nullae contentiones, nulla libertas populi in mandandis magiſtratibus, nulla exſpectatio ſuffragiorum: nihil, vt plerumque euenit, praeter opinionem accidet, nulla erit poſthac varietas comitiorum. ſin hoc perſaepe accidit, vt & factos aliquos, & non factos eſſe miremur; ſi campus, atque illae vndae comitiorum, vt mare profundum, & immenſum, ſic efferueſcũt quodam quaſi aeſtu, vt ad alios accedant, ab alijs autem recedant: in tanto nos impetu ſtudiorum, & motu temeritatis, modum aliquem, & conſilium, & rationem requiramus? quare noli me ad contentionem veſtram reuocare, Laterenſis etenim, ſi populo grata eſt tabella, quae frontes aperit hominum, mentes tegit; datq. eam libertatem, vt, quod velint, faciant, promittant autem, quod rogentur: cur tu in iudicio exprimis, quod non fit in campo? hic, quam ille, dignior, perquam graue eſt dictu. quo modo igitur eſt aequum? ſic credo, (quod agitur, quod ſatis eſt iudici) hic factus eſt. cur iſte potius, quam ego? vel neſcio, vel non dico, vel denique, quod mihi grauiſſimum eſſet dicere, ſed impune tamen deberem dicere, non recte. nam quid aſſequerere, ſi illa extrema defenſione vterer, populum, quod voluiſſet, feciſſe, non quod debuiſſet? quid, ſi populi quoque factum defendo, Laterenſis, & doceo, Cn. Plancium non obrepſiſſe ad honorem, ſed eo veniſſe curſu, qui ſemper patuerit omnibus hoc noſtro equeſtri loco; poſſum ne eripere orationi tuae contentionem veſtram, quae tractari ſine contumelia non poteſt, & te ad cauſſam, crimenq. deducere? ſi, quod equitis R. filius eſt, inferior eſſe debuit; omnes tecum equitum R. filij petiuerunt. nihil dico amplius: hoc tamen miror, cur tu huic potiſſimum iraſcare, qui longiſſime a te abfuit. equidem, ſi quando, vt fit, iactor in turba, non illum accuſo, qui eſt in ſumma Sacra via, cum ego ad Fabianum fornicem impellor; ſed eum, qui in me ipſum incurrit, atque incidit. tu neque Q. Pedio, forti viro, ſuccenſes, neque huic A. Plotio, ornatiſſimo homini, familiari meo: & ab eo, qui hos dimouit, potius, quam ab ijs, qui in te ipſum incubuerunt, te depulſum putas. ſed tamen haec tibi eſt prima cum Plancio generis veſtri familiaeq. contentio, qua abs to vincitur; cur eam non confitear, quod neceſſe eſt? ſed non hic magis quam ego a meis competitoribus & alias, & in conſulatus petitione vincebar. ſed vide, ne haec ipſa, quae deſpicis, huic ſuffragata ſint. ſic enim conferamus,

EXPLANATIO

NIHIL *quod diremptio, nihil quod ſupplicatio magiſtratuum, renunciatio ſuffragiorum exſpectetur.*] Diremptio de ſuffragijs dicitur. nam cum, poſtea quam lata ſunt, enumerantur, vt ex numero, quid iuſſerit, aut quid noluerit populus, cognoſcatur: dirimi tunc dicuntur. vnde Horatius: Et non admiſſae dirimit ſuffragia plebis. Quod cum ita ſit: quem locum inter, Diremptio, & Renunciatio ſuffragiorum habere poſſint illa verba Nihil quod ſupplicatio magiſtratum, non equidem video: interdumq. venit in mẽtem ſuſpicari, ne, ſupplicatio magiſtratuum in margine ſcriptum fuerit gloſſematis loco illorum verborum, Nihil iam eſt, quod populo ſupplicetur. certe, ſi tollatur, nihil obſcuritatis in ſententia ſupererit. SIMVL *vt qui ſint profeſſi,*] totus hic locus nec menda fortaſſe vacat, nec interpunctis recte diſtinctus eſt. ego, vt medear vtrique vulneri, mihi non arrogo: tantum dicam, quod ſentio. crederem enim hoc modo non inepte poſſe corrigi, & diſtingui. Si, ſimul vt qui ſint profeſſi, (vide quid dicam: hic familia conſulari eſt, ille praetoria: reliquos video eſſe ex equeſtri loco: ſunt omnes ſine macula. ſunt aeque boni viri, atque integri: ſed ſeruari neceſſe eſt gradum) cedat conſulari generi praetorium nec contendat cum praetorio equeſter locus: ſublata ſunt ſtudia. Sic enim coniungo, vt ex duobus membris cohaereat ſententia. Si, ſimul vt qui ſint profeſſi, cedat conſulari generi praetorium, nec contendat cum praetorio equeſter locus: ſublata ſunt ſtudia. Quemadmodum & ſupra locutus eſt. Nam ſi, quotieſcumque praeteritus eritis, qui non debuerit praeteriri, toties oportebit eum, qui factus erit condemnari: nihil iam eſt, quod populo ſupplicetur. TABELLA,] ſuffragij. FRONTES *aperit hominum, mentes teget.*] quia licet vnicuique liberaliter & laeta fronte polliceri, quod praeſtare tamen in ſuffragio nolit. ideo autem licet, quia tabella mentes tegit. CVM *tu in iudicio exprimis.*] vt contentio de dignitate fiat. QVOD *agitur.*] non enim agitur, vter dignior, ſed, vter factus ſit: quod iudici ſcire ſatis eſt; cauſſam, cur ſit factus, non exquirit. CVR *iſte potius, quam ego?*] ex perſona Laterenſis. VEL *neſcio,*] ex perſona Ciceronis. CONTENTIONEM *veſtram*] paullo ante dixit, Contentionem veſtrum: quod magis placet. eſt enim, contentionem, pro comparationem: & quod caput eſt, Maffeianus liber habet, Veſtrum. NIHIL *dico amplius:*] tacite ſignificat, Eos dignitate inferiores fuiſſe Plancio, auſos tamen eſſe cum Laterenſi in aedilitatis petitione contendere. QVI *longiſſime a te abfuit.*] quia populus de alijs prius, quam de Plancio, ſuffragium tulit. HVIC *a Plotio,*] qui cum Plancio aedilis deſignatus erat vt infra. Huic: quia Plancij aduocatus aderat. iudicem enim fuiſſe non arbitror. quia Laterenſis eum, competitorem ſuum, & cum Plancio deſignatum aedilem, iudicem non ediſſet.

O R A T I O

*E*Sſe tuum nomen vtraque familia conſulare. num dubitas igitur, quin omnes, qui fauent nobilitati, qui id putant eſſe pulcherrimum, qui imaginibus, qui nominibus veſtris ducuntur, te ædilem fecerint? equidem non dubito. ſed ſi parum multi ſunt, qui nobilitatem ament: num iſta eſt noſtra culpa? etenim ad caput, & ad frontem vtriuſq. generis veniamus. Tu es ex municipio antiquiſſimo Tuſculano, ex quo plurimæ familiæ ſunt conſulares, in quibus eſt etiam Iuuentia, quot e reliquis municipijs omnibus non ſunt: hic eſt e præfectura Atinati, non tam priſca, non tam honorata, non tam ſuburbana. quantum intereſſe vis ad rationem petendi? primum, vtrum magis fauere putas Atinates, an Tuſculanos ſuis? alteri (ſcire enim hoc propter vicinitatē facile poſſum) cum huius, ornatiſſimi, atque optimi viri, Cn. Saturnini patrem ædilem, cum prætorem viderunt, quod primus ille non modo in eam familiam, ſed etiam in præfecturam illam ſellam curulem attuliſſet, mirandum in modū lætati ſunt; alteros (credo, quia refertum eſt municipium conſularibus: nam maleuolos non eſſe certo ſcio) numquam intellexi vehementius hoſpitum ſuorum honore lætari. habemus hoc nos, habent noſtra municipia, quid ego de me, de fratre meo loquar? quorum honoribus agri prope dicam ipſi, monteſque fauerunt. num aliquando vides Tuſculanum aliquem de M. Catone illo, in omni virtute principe, num de Ti. Coruncanio, municipe ſuo, num de tot Fabijs gloriari? verbum nemo facit. at, in quemcumque Arpinatem incideris, etiam ſi nolis, erit tamen tibi fortaſſe de nobis aliquid, aliquid & de C. Mario audiendum. Primum igitur hic habuit ſtudia ſuorum ardentia: tu tanta, quanta in hominibus iam ſaturatis honoribus eſſe potuerunt. deinde tui municipes ſunt illi quidem ſplendidiſſimi homines, ſed tamen pauci, ſi quidem cum Atinatibus conferantur; huius præfectura plena virorum fortiſſimorum, ſic, vt nulla tota Italia frequentior dici poſſit, quam quidem nunc multitudinem videtis, iudices, in ſqualore, & luctu ſupplicem vobis. hi tot equites Rom. tot tribuni ærarij (nam plebem a iudicio dimiſimus, quæ cuncta comitijs adfuit) quid roboris, quid dignitatis huius petitioni attulerunt? non enim tribum Terentinam, de qua dicam alio loco, ſed dignitatem, ſed oculorum coniectum, ſed ſolidam, & robuſtam, & aſſiduam frequentiam præbuerunt. iam municipia coniunctione etiam vicinitatis vehementer mouentur. omnia, quæ dico de Plancio, dico expertus in nobis: ſumus enim finitimi Atinatibus. laudanda eſt, vel etiam amanda vicinitas retinens veterem illum officij morem, non infuſcata maleuolentia, non aſſueta mendacijs, non fucata, non fallax, non erudita artificio ſimulationis vel ſuburbano, vel etiam vrbano. nemo Arpinas non Plancio ſtuduit, nemo Soranus, nemo Caſinas, nemo Aquinas; totus ille tractus celeberrimus Venafranus, Allifanus, tota denique noſtra illa aſpera, & montuoſa, at fidelis & ſimplex, & fautrix ſuorum regio ſe huius honore ornari, ſe augeri, dignitate, arbitrabatur: iiſdemq. nunc a municipijs adſunt equites Rom. publice cum legationis teſtimonio; nec minore nunc ſunt ſolicitudine, quam tum erant ſtudio. etenim eſt grauius ſpoliari fortunis, quam non augeri dignitate.

E X P L A N A T I O

VTRAQVE *familia*] paterna, materna. FAVERE] honore ſuorum lætari. ALTERI] Atinates. PROPTER *vicinitatem*] nam Atinatibus finitimi ſunt Arpinates. HVIVS,] qui aderat: vt infra: Cum hoc Cn. Saturnino. HABEMVS *hoc nos,*] vt lætemur honore municipum noſtrorum. NVM *de Ti. Coruncanio,*] hic ex omnibus, qui iuris adepti ſcientiam ſunt, profiteri primus cœpit. Pōponius de Orig. iur. FABIIS] Tuſculo Fabios in vrbem veniſſe auctor nemo eſt, itaque vir ſummæ doctrinæ, præſtantis ingenij, nunc Epiſcopus Ilerdenſis. Antonius Auguſtinus legēdum putat, Alijs. VERBVM *nemo facit*] quia refertum eſt municipium conſularibus, & prope iam ſaturati honoribus Tuſculani ſunt, quod alijs municipijs non contigit. TRIBVM *Terentiam,*] in qua ſuffragium Atinates ferebant. Non, inquit, hi tot equites, hi tot tribuni ærarij tribuerunt Plancio tribum, ſed dignitatem. QVAE *cuncta comitijs affuit*] præfecturæ ſuffragij ius non habebant: hic tamen, plebem Atinatem comitijs affuiſſe, plane conſtat. quid putandum? hoc opinor, Atinates ciuitate donatos eſſe, & in municipiorum iura tranſiſſe. nam & infra vt de municipio, non vt de præfectura, Cicero loquitur, cum ait. Sic te Plancius hoc non ſolum municipij, verum etiam vicinitatis genere vincebat.

O R A T I O

*E*Rgo, vt alia in te erant illuſtriora, Laterenſis, quæ tibi maiores tui reliquerant: ſic te Plancius hoc non ſolum municipij, verumetiam vicinitatis genere vincebat. niſi forte te Lauicana, aut Bouillana, aut Gabina vicinitas adiuuabat: quibus e municipijs vix iam, qui carnem Latinis petant, inueniuntur. Adiungam, ſi vis, id quod tu etiam huic obeſſe putas, patrem, publicanum. qui ordo quanto adiumento ſit in honore, quis neſcit? flos enim equitum R. ornamentum ciuitatis, firmamentum reipub. publicanorum ordine continetur. quis eſt ergo, qui neget, ordinis eius ſtudium fuiſſe in honore Plancij ſingulare? neque iniuria: vel quod erat pater is, qui eſt princeps iamdiu publicanorum: vel quod is ab ſocijs vnice diligebatur: vel quod diligētiſſime rogabat: vel quia pro filio ſupplicabat: vel quia huius ipſius in illum ordinē ſumma officia quæſturæ, tribunatusq.

conſtabant:

conſtabam: vel quod illi in hoc ornando ordinem ſe ornare, & conſulere liberis ſuis arbitrabantur. aliquid praeterea: timide dico, ſed tamen dicendum eſt: non enim opibus, non inuidioſa gratia, non potentia vix ferenda, ſed commemoratione beneficii, ſed miſericordia, ſed precibus aliquid attulimus etiam nos. appellaui populum: tribunus ſummiſi me, & ſupplicaui: vltro mehercules ſe mihi etiam offerentes, vltro pollicentes rogaui. valuit cauſſa rogandi, non gratia: nec, ſi vir ampliſſimus, cui nihil eſt quod roganti concedi non iure poſſit, de aliquo, vt dicis, non impetrauit, ego ſum arrogans, quod pro eo laborabam, qui valebat ipſe per ſeſe; rogatio ipſa ſemper eſt gratioſiſſima, quae eſt officio neceſſitudinis coniuncta maxime. neque ego ſic rogabam, vt petere viderer, quia familiaris eſſet meus, quia vicinus; quia huius parente ſemper plurimum eſſe in vſus, ſed ut quaſi parenti, & cuſtodi meo. non potentia mea, ſed cauſſa rogationis, fuit gratioſa. nemo mea reſtitutione laetatus eſt, nemo iniuria doluit, cui non huius in me miſericordia grata fuerit. etenim, ſi ante reditum meum Cn. Plancio ſe uulgo uiri boni, cum hic tribunatum peteret, ultro offerebant: cui nomen meum honori fuiſſet, ei meas praeſentis preces non putas profuiſſe? an Minturnenſis coloni, quod C. Marium ciuili errore, atque ex impiis manibus eripuerunt, quod tecto receperunt, quod feſſum inedia, fluctibusq. recrearunt, quod uiaticum congeſſerunt, quod nauigium dederunt, quod eum linquentem terram eam, quam ſeruauerat, lacrumis, uotisque omnibus proſecuti ſunt, aeterna in laude uerſantur: Plancio, quod me, uel ui pulſum, uel ratione cedentem tempori, receperit, iuuerit, cuſtodierit, his, & ſenatui, populoque Rom., ut haberent quod educerent, conſeruarit, honori hanc fidem, miſericordiam, uirtutem, fuiſſe miraris? uitia mehercule res hae Cn. Plancii, de quibus dixi, tegere potuerunt; ne tu in ea uita, de qua iam dicam, tota & tanta adiumenta huic honori fuiſſe mirere.

EXPLANATIO

QVI *carnem Latinis petant,*] ex Liuio, & alijs notum eſt; ſacrificio facto in monte Albano ferijs Latinis, carnem caeſarum hoſtiarium municipibus, qui affuiſſent, diſtribui ſolitam. A *sociis*] quod perquam rarum, vt ab ſocijs publicani diligantur. vbi enim vectigalia exiguntur, ibi fere contentiones, odiaq. naſcuntur. HVIVS *ipſius*] Cn. Plancij. DE *aliquo,*] qui tum petijt aedilitatem.

ORATIO

Hic eſt enim, qui, adoleſcentulus cum A. Torquato profectus in Africam ſic ab illo grauiſſimo, & ſanctiſſimo, atque omni laude & honore digniſſimo uiro dilectus eſt, ut & contubernii neceſſitudo, & adoleſcentuli modeſtiſſimi pudor poſtulabat. quod, ſi adeſſet, non minus ille declararet, quam hic, illius frater patruelis, & ſocer, T. Torquatus, illi omne uirtute & laude par: qui eſt quidem cum illo maximis uinculis & propinquitatis, & affinitatis coniunctus, ſed ita magni amoris, ut illae neceſſitudinis cauſſae leues eſſe uideantur. Fuit in Creta poſtea contubernalis Saturnini, propinqui ſui miles huius Q. Metelli. quibus cum fuerit probatiſſimus, hodieq. ſit; omnibus eſſe ſe probatum debet ſperare. In ea prouincia legatus fuit C. Sacerdos, qua uirtute, qua conſtantia uir? L. Flaccus, qui homo? qui ciuis? qualem hunc putent, aſſiduitate, teſtimonioq. declarant. In Macedonia tribunus militum fuit: in eadem prouincia poſtea quaeſtor. primum Macedonia ſic eum diligit, ut indicant hi principes ciuitatum ſuarum: qui cum miſſi ſint ob aliam cauſſam, tamen huius repentino periculo commoti huic aſſident, pro hoc laborant; huic ſi praeſto fuerint, gratius ſe ciuitatibus ſuis facturos putant, quam ſi legationem, & mandata ſua confecerint. L. uero Apuleius hunc tanti facit, ut morem illum maiorum, qui praeſcribit in parentum loco quaeſtoribus ſuis praetores eſſe oportere, officiis, beneuolentiaq. ſuperarit. Tribunus pl. fuit, non fortaſſe tam uehemens, quam iſti, quos tu iure laudas, ſed certe talis, quales ſi omnes ſemper fuiſſent, numquam deſideratus uehemens eſſet tribunus. Omitto illa, quae ſi minus neceſſaria ſunt, at certe, cum ſunt prolata, laudantur: ut uiuat cum ſuis, primum cum parente, (nam meo iudicio Pietas fundamentum eſt omnium uirtutum) quem ueretur ut deum, (neque enim multo ſecus parens liberis) amat uero ut ſodalem, ut fratrem, ut aequalem. quid dicam cum patruo? cum affinibus? cum propinquis? cum hoc Cn. Saturnino, ornatiſſimo uiro? cuius quantam honoris huius cupiditatem fuiſſe creditis, cum uideatis luctus ſocietatem? Quid de me dicam? quid mihi in huius periculo reus eſſe uideor. Quid de his tot uiris talibus, quos uidetis ueſte mutata? atqui haec ſunt indicia ſolida, iudices, & expreſſa, haec ſigna probitatis, non fucata forenſi ſpecie, ſed domeſticis inuſta notis ueritatis. facilis eſt illa occentatio, & blanditia popularis: adſpicitur, non attrectatur: procul apparet. non excutitur, non in manus ſumitur.

EXPLANATIO

A. TORQVATO] qui poſt praeturam Africam rexit, conſul numquam fuit. SATVRNINI] qui videtur cum Q. Metello, cui poſtea Cretici cognomen a Creta deuicta fuit, quaeſtor fuiſſe, legatus enim non fuit: quia legari infra nominantur. HVIVS *Q. Metelli.*] qui vel aduocatus, vel iudex aderat. C. SACERDOS,] Liciniae gentis. OB *aliam cauſſam*] cum prouinciae mandatis. L. VERO *Appuleius*] cuius in Macedonia quaeſtor Plancius fuit. TALIS] moderatus, & prudens.

dens. QVALES *ſi omnes ſemper fuiſſent.*] non, omnes tribuni pl. abſurdum enim & falſum eſſet ideo vehementem deſideratum eſſe tribunum pl. quia reliqui omnes nec moderati, nec prudentes fuiſſent omnes igitur ciues ſignificari arbitror: qui quoniam inſolentes, & ſuperbi fuerunt, propterea poteſtas tribunicia deſiderata eſt. OCCVRSATIO,] facile eſt, ad colligendam populi gratiam, occurſare, & blandiri. ADSPICITVR, *non attrectatur.*] ideo certa non putatur, nec ei valde creditur.

ORATIO

OMnibus igitur rebus ornatum hominem, quem externis, quem domeſticis nonnullis rebus inferiorem quam te, generis & nominis dico, ſuperiorem aliis, municipum, vicinorum, ſocietatum ſtudio, temporum meorum memoria, patris virtute, integritate, modeſtia, aedilem factum eſſe miraris? hunc tu vitae ſplendorem maculis adſpergis iſtis? iacis adulteria, quae nemo non modo nomine, ſed ne ſuſpicione quidem poſſit agnoſcere? maritum appellas, vt verba fingas, non ſolum crimina. ductum eſſe ab eo in prouinciam aliquem dicis libidinis cauſſa: quod non crimen eſt, ſed impudicum in maledicto mendacium. raptam eſſe mimulam. quod dicitur Atinae factum a iuuene, vetere quodam in ſcenicos iure, maximeq. opidano. o adoleſcentiam traductam eleganter, cui quidem cum, quod licuerit, obiiciatur, tamen id ipſum falſum reperiatur. Emiſſus aliquis e carcere. & quidem emiſſus, vt cognoſtis, neceſſarii hominis, optimiq. adoleſcentis rogatu. idem poſtea prae mandatis requiſitus. atque haec, nec vlla alia, ſunt coniecta maledicta in eius vitam, de cuius vos pudore, religione, integritate dubitetis.

EXPLANATIO

MARITVM *appellas,*] eius, quem in prouinciam libidinis cauſſa duxit. VT *uerba fingas,*] quia feminarum mariti dicuntur, non marium. NON *crimen eſt,*] falſum enim. IN *ſcenicos*] mima enim illa de ſcena rapta, vetere quadam licentia, in ſcenicos, praeſertim in opidis, permiſſa. EMISSVS] a Plancio, cum tribunus pl. eſſet. VT *cognoſtis,*] vobis enim nota illa res. PRAE *mandatis*] mendi ſuſpicio non abeſt. malim, Propere mandatis: aut, Per mandata. nam ſi legas, Praet. ideſt praetoris: non excuſabitur Plancius, quaſi paenituerit eum, & corrigere factum voluerit. at ſi mandata illa Plancii fuerunt: excuſabitur,

ORATIO

PAter vero, inquit, etiam obeſſe filio debet. O uocem duram, atque indignam tua probitate, Laterenſis. pater vt in iudicio capitis, pater vt in dimicatione fortunarum, pater vt apud tales viros obeſſe filio debeat? qui ſi eſſet turpiſſimus, ſordidiſſimus, tamen ipſo nomine patrio valeret apud clementes iudices, & miſericordes, valeret, inquam, communi ſenſu omnium, & dulciſſima commendatione naturae. ſed, cũ ſit Cn. Plancius is eques R. ea primum vetuſtate equeſtris ordinis, vt pater, vt auus, vt maiores eius omnes equites R. fuerint, ſummum in praefectura florentiſſima gradum tenuerint & dignitatis & gratiae; deinde, vt ipſe in legionibus P. Craſſi imperatoris inter ornatiſſimos homines, equites R. ſummo ſplendore fuerit; vt poſtea princeps inter ſuos, plurimarum rerum ſanctiſſimus, & iuſtiſſimus iudex, maximarum ſocietatum auctor, plurimarum magiſter: ſi nõ modo in eo nihil vnquam reprehenſum, ſed laudata ſunt omnia, tamen is oberit honeſtiſſimo filio pater, qui vel minus honeſtum, & alienum tueri vel auctoritate ſua, uel gratia poſſit?

EXPLANATIO

OBESSE *filio debet.*] quia publicanus. IN *praefectura florentiſſima*] Atinati. IPSE] pater Plancii. P. CRASSI] patris M. Craſſi, qui cum Pompeio conſul bis fuit. hic de Hiſpaniis triumphauit & in dominatione L. Cinnae, ne in manus inimicorum incideret, ſe ipſum interemit. vtriuſque rei auctor Pedianus.

ORATIO

ASperius, inquit, locutus eſt aliquid aliquando. immo fortaſſe liberius. at id ipſum, inquit, non eſt ferendum. ergo hi ferendi ſunt, qui queruntur libertatem equitis R. ſe ferre non poſſe? ubinam ille mos? ubi illa aequitas iuris? ubi illa antiqua libertas, quae malis oppreſſa ciuilibus extollere iam caput, & aliquando recreata ſe erigere debebat? equitum ego R. etiam in homines nobiliſſimos maledicta, publicanorum in Q. Scaeuolam, uirum omnibus ingenio, iuſtitia, integritate praeſtantem, aſpere, & ferociter, & libere dicta commemorem? conſuli P. Naſicae praeco Granius medio in foro, cum ille, edicto iuſtitio, domum deſcendens rogaſſet

Granium,

Granium, quid triſtis eſſet, an quod auctiones eſſent; immo uero, inquit, quod legiones. idem tribuno pl. potentiſſimo homini, M. Druſo, ſed multa in remp. molienti, cum ille eum ſalutaſſet, vt fit, dixiſſetque, quid agis Grani? reſpondit, immo uero tu Druſe quid agis? ille L. Craſſi, ille M. Antonii uoluntatem aſperioribus facetiis ſaepe perſtrinxit impune. nunc uſque eo oppreſſa ueſtra arrogantia ciuitas eſt, ut, quae fuit olim praeconi in ridendo, nunc equiti R. in plorando non ſit conceſſa libertas. quae enim umquam fuit Plancio uox contumeliae potius, quam doloris? quid eſt autem umquam queſtus, niſi cum a ſociis, & a ſe iniuriam propulſaret? cum a ſenatu impediretur, quo minus, id quod hoſtibus ſemper erat tributum, reſponſum equitibus R. redderetur. omnibus illa iniuria dolori publicanis fuit: ſed cum ipſum dolorem hic tulit paullo apertius. communis ille ſenſus in aliis fortaſſe latuit: hic, quod cum ceteris animo ſentiebat, id magis, quam ceteri, & uultu promptum habuit, & lingua. quamquam, iudices, (agnoſco enim ex me) permulta in Plancium, quae ab eo numquam dicta ſunt, conferuntur. ego quia dico aliquid aliquando non ſtudio adductus, ſed contentione dicendi, aut laceſſitus; & quia, ut fit in multis, exit aliquando aliquid, ſi non perfacetum, attamen fortaſſe non ruſticum: quod quiſque dixit, me id dixiſſe dicunt. ego autem, ſi quid eſt, quod mihi ſcitum eſſe uideatur, & homine ingenuo dignum, atque docto, non aſpernor; ſtomachor uero, cum aliorum non me digna in me conferuntur. Nam, quod primus ſciuit legem de publicanis, tum cum uir ampliſſimus conſul id illi ordini per populum dedit, quod per ſenatum. ſi licuiſſet, dediſſet: ſi in eo crimen eſt, quia ſuffragium tulit; quis non tulit publicanus? ſi, quia primum ſciuit; utrum id ſortis eſſe uis, an eius, qui illam legem ferebat? ſi ſortis; nullum crimen eſt in caſu: ſi conſulis; ſplendor etiam Plancii, hunc a ſummo uiro principem ordinis iudicatum.

E X P L A N A T I O

IN *Q. Scaeuolam*] qui Aſiam rexerat, & ab iniurijs publicanorum prouinciales defenderat. quã ob cauſſam poſtea virũ innocentiſſimũ qui Scaeuolae quaeſtor fuerat. P. Rutiliũ equites Romani, cum lege Sempronia iudicarent, condemnarunt. in ep. ad Lentulum: Scis, quam inimici illi ipſi Q. Scaeuolae fuerint. P. NASICAE] Serapionis filio, qui, vt in Bruto ſcripſit Cicero, mortuus eſt in conſulatu. alium enim Granij aetate Naſicam conſulem non reperio. EDICTO *iuſtitio*] propter bellum Iugurthinum: quod L. Beſtiae, Naſicae collegae, mandatum eſt DOMVM *deſcendens*] in forum deſcendebant, non e foro domum. quare, Diſcedens, omnino reponendum cenſeo, ſuffragatur noſtrae ſententiae Maffeianus liber. QVOD *auctiones eſſent,*] iocus in Granium, qui laetus eſſe deberet, cum auctiones eſſent, vnde ipſe tamquam praeco lucrum faceret. QVOD *legiones.*] quae ſcribuntur edicto iuſtitio. M. DRVSO] qui belli ſocialis initio domi ſuae tribunus pl. a neſcio quo eſt interfectus. TV. DRVSE *quid agis?*] pro, quid turbas? quid in rep. moliris? Nouas enim leges, de ciuitate praeſertim Italis danda, quadriennio ante lege Licinia & Muſica pulſis, Druſus ferre conabatur. PLANCIO patri. non filio, vt e ſuperioribus, & ſequentibus intelligitur. dixerat enim Laterenſis quaeſtum eſſe de ſenatoribus Planciũ patrem, & eas querellas apud ſenatores iudices obeſſe filio debere A SOCIIS] a ſocietate publicanorum, qui Aſiae vectigalia conduxerant. ET. A. SE] qui erat in ea ſocietate. INIVRIAM] quod petentibus publicanis, vt induceretur locatio, quia nimium magno conduxiſſent, nullum a ſenatu reſponſum daretur. hac de re ſic ad Att ep. 15. lib. 1. ſcripſit Cicero. Aſiani, qui de cenſoribus conduxerunt, queſti ſunt in ſenatu ſe. cupiditate prolapſos nimium magno conduxiſſe; vt induceretur locatio, poſtulauerunt. Et ep. 16 Cato miſeros publicanos tertium iam menſem vexat, neque ijs a ſenatu reſponſum dari patitur HIC] de Plancio patre adhuc loquitur. nam filius publicanus non erat, ſed ſenator. QVOD *primus ſciuit*] & hoc de Plancio patre. Sciſcere, eſt probare: vnde plebiſcitum. LEGEM *de publicanis*] quam tulit C. Caeſar conſul vt publicani tertia pecuniae debitae parte releuarentur, quo facto equeſtrem ſibi ordinem adiunxit, cum & populum antea teneret. ita facilem adſcenſum ad eam, de qua ſemper cogitauit ſingularem poteſtatem parabat. Suetonius. SI *licuiſſet.*] nõ licuit, in primis obſiſtente Catone. Q[V]IA *primum ſciuit.*] omnino legendum Primus. SI *conſulis;*] qui legem tulit. SPLENDOR *etiam Plancii,*] non dubito, quin is, qui primus legem ſciſcebat, deligeretur ab eo, qui legem ferebat: vt Sedulius a Clodio tribuno pl. legem in Ciceronem ferente delectus eſt de quo ſic in ea pro Domo Conſulari homini P. Clodius, euerſa rep. ciuitate adimere potuit, concilio aduocato, conductis operis non ſolum egentium, ſed etiam ſeruorum, Sedulio principe, qui ſe illo die confirmauit Romae non fuiſſe, quod ſi non fuit quid te audacius, qui in aes eius nomen incideris? quid deſperatius, qui ne ementiendo quidem potueris auctorem adumbrare meliorem? ſin autem is primus ſciuit, quod facile potuit, propter inopiam tecti in foro pernoctans: cur non iuret, ſe Gadibus fuiſſe, cum tu te fuiſſe Interamnae probaueris? A. SVMMO *uiro*] a Caeſare legem ferente. ORDINIS] equeſtris primus enim ſciſcebat, qui ſui princeps eſſet ordinis. SED *aliquando ueniamus ad cauſſam:*] hactenus reſpondit maledictis: quae ſunt extra cauſſam.

O R A T I O

SEd aliquando ueniamus ad cauſſam: in qua tu, nomine legis Liciniae, quae eſt de ſodalicijs, omnes ambitus leges complexus es. neque enim quid quam aliud in hac lege, niſi editicios iudices, es ſecutus. quod genus

iudiciorum

iudiciorum ſi eſt aequum vlla in re, niſi hac tribuaria: non intelligo, quamobrem ſenatus hoc vno in genere tribus edi voluerit ab accuſatore, neque eandem editionem tranſtulerit in ceteras cauſſas; de ipſo denique ambitu, de reiectione fieri voluerit iudicium alternorum; cumq. nullum genus acerbitatis praetermitteret, hoc tamen vnum praetereundum putarit. quid? huius rei obſcura cauſſa eſt, an & agitata, cum iſta in ſenatu res agebatur & diſputata heſterno die copioſius a Q. Hortenſio? cui tum eſt ſenatus aſſenſus. hoc igitur ſenſimus: cuiuſcumque tribus largitor eſſet, & per conſenſionem magiſtratuum, quae honeſte ſodalitas nominatur, quam quiſque tribum turpi largitione corrumperet, eum maxime iis hominibus, qui eius tribus eſſent, eſſe notum. ita putauit ſenatus, cum reo tribus ederentur eae, quas is largitione deuinctas haberet, eoſdem fore teſtes, & iudices acerbum omnino genus iudicii: ſed tamen, ſi vel ſua, vel ea, quae maxime eſſet cuique coniuncta, tribus ederetur, vix recuſandum. tu autem Laterenſis quas tribus edidiſti? Terentinam credo. fuit certe id aequum, & certe exſpectatum eſt, & fuit dignum conſtantia tua. cuius tu tribus venditorem, & corruptorem, & ſequeſtrem Plancium fuiſſe clamitas, eam tribum profecto, ſeueriſſimorum praeſertim hominum & grauiſſimorum, edere debuiſti. aut Voltiniam. libet enim tibi, neſcio quid etiam de illa tribu criminari. hanc igitur ipſam cur non edidiſti? quid Plancio cum Lemonia? quid cum Vfentina? quid cum Cruſtumina? nam tertiam etiam, non quae iudicaret, ſed quae reiiceretur, eſſe voluiſti. dubitatis igitur iudices, quin vos M. Laterenſis ſuo iudicio non ad ſententiam legis ſed ad ſuam ſpem aliquam de ciuitate delegerit? dubitatis, quin eas tribus, in quibus magnas neceſſitudines habet Plancius, cum ille non ediderit, iudicarit officiis ab hoc obſeruatas, non largitione? quid enim poteſt dicere, cur iſta editio non ſummam habeat acerbitatem, remota ratione illa, quam in decernendo ſecuti ſumus? tu deligas ex omni populo aut amicos tuos, aut inimicos meos; aut denique eos, quos inexorabiles, quos inhumanos, quos crudeles exiſtimes? tu me ignaro, nec opinante, inſcio, notes & tuos, & inimicorum neceſſarios, vel iniquos meos, vel etiam defenſorum meorum? eodemq. adiungas, quos natura putes aſperos, atque omnibus iniquos? deinde effundas repente, vt ante conſeſſum eorum iudicum videam, quam potuerim, qui eſſent futuri, ſuſpicari? apud eoſq. me, ne quinque quidem reiectis, quod in proximo reo de conſilii ſententia conſtitutum eſt, cogas cauſſam de fortunis omnibus dicere? non enim, ſi aut Plancius ita vixit, vt offenderet ſciens neminem; aut tu ita erraſti, vt eos ederes imprudens, vt nos, inuito te, tamen ad iudices, non ad carnifices veniremus; idcirco iſta editio per ſe non acerba eſt. an vero nuper claſſiſſimi ciues nomen editi iudicis non tulerunt, cum ex CXXV iudicibus, principibus equeſtris ordinis, quinque & LXX reus reiiceret. L. referret; omniaq. potius permiſcuerunt, quam ei legi, condicioniq. parerent: nos neque ex delectis iudicibus, ſed ex omni populo; neque editos ad reiiciendum, ſed ab accuſatore conſtitutos iudices ita feremus, vt neminem reiiciamus? neque ego nunc legis iniquitatem queror, ſed factum tuum a ſententia legis doceo diſcrepare: & illud acerbum iudicium, ſi, quemadmodum ſenatus cenſuit, populusq. iuſſit, ita feciſſes, vt in hanc & ſuam, & ab hoc obſeruatas ederent, non modo non quererer, ſed hunc, iudicibus editis, qui teſtes iidem eſſe poſſent, abſolutum putarem. neque nunc multo ſecus exiſtimo. cum enim has tribus edidiſti, ignotis te iudicibus vti malle, quam, notis, iudicauiſti; fugiſti ſententiam legis, aequitatem omnem reiecisti; in tenebris, quam in luce, cauſſam verſari maluiſti. Voltinia tribus ab hoc corrupta. Terentinam habuerat venalem. quid diceres apud Voltinienſes, aut tribules ſuos iudices? immo vero tu quid diceres? quum iudicem ex illis aut tacitum teſtem haberet, aut vero etiam excitares? etenim, ſi reus tribus ederet, Voltiniam fortaſſe Plancius propter vicinitatem, ac neceſſitudinem ſuam edidiſſet? &, ſi quaeſitor edendus fuiſſet, quem tandem potius, quam hunc C. Alfium, quem habet, cui notiſſimus eſſe debet, vicinum, tribulem, grauiſſimum hominem iuſtiſſimumque, edidiſſet? cuius quidem aequitas, & meae ſimilis voluntas erga Cn. Plancii ſalutem, quam ille ſine vlla cupiditatis ſuſpicione praeſefert, facile declarat, non fuiſſe fugiendum tribulem huic iudicem, cui quaeſitorem tribulem exoptandum fuiſſe videatis. neque ego nunc conſilium reprehendo tuum, quod non eas tribus, quibus hic maxime notus erat, ediderit: ſed a te doceo conſilium non ſeruatum ſenatus. etenim, quis te tum audiret illorum? aut quid diceres? ſequeſtrem ne Plancium? reſpuerent aures, nemo agnoſceret, repudiaretur. an gratioſum? illi libenter audirent, nos non timide confiteremur. noli enim putare, Laterenſis, legibus iſtis, quas ſenatus de ambitu ſancire voluerit, id eſſe actum, vt ſuffragatio, vt obſeruantia, vt gratia tolleretur. ſemper fuerunt boni viri, qui apud tribules ſuos gratioſi eſſe vellent. neque vero tam durus in plebem noſter ordo fuit, vt eam coli noſtra modica liberalitate noluerit: neque hoc liberis noſtris interdicendum eſt, ne obſeruent tribules ſuos, ne diligant, ne reficere neceſſariis ſuis ſuam tribum poſſint, ne par ab his munus in ſua petitione reſpectent. haec enim plena ſunt officii, plena obſeruantiae, plena etiam antiquitatis. iſto in genere & fuimus ipſi, cum ambitionis noſtra tempora poſtulabant, & clariſſimos uiros eſſe uidimus, & hodie eſſe uidemus quamplurimos gratioſos. Decuriatio tribulium, deſcriptio populi, ſuffragia largitione deuincta ſeueritatem ſenatus, & bonorum omnium uim, ac dolorem excitarunt. haec doce, haec profer, huc incumbe Laterenſis, decuriaſſe Plancium, conſcripſiſſe, ſequeſtrem fuiſſe, pronunciaſſe, diuiſiſſe: tum mirabor te iis armis uti, quae tibi lex dabat, noluiſſe. tribulibus enim iudicibus, non modo ſeueritatem illorum, ſi iſta uera ſunt, ſed ne uultus quidem ferre poſſemus. hanc tu rationem cum fugeris; cumq. hos iudices habere nolueris, quorum in huius delicto cum ſcientia certiſſima, tum dolor grauiſſimus eſſe debuerit: quid apud hos dices, qui abs te taciti requirunt, cur hoc ſibi oneris impoſueris, cur ſe potiſſimum delegeris, cur denique ſe diuinare malueris, quam eos, qui ſcirent, iudicare? Ego Plancium, Laterenſis, & ipſum gratioſum eſſe dico, & habuiſſe in petitione multos cupidos ſui gratioſos. quos tu ſi ſodales uocas; officioſam amicitiam nomine iniquas criminoſo. ſin, quia gratioſi ſunt, accuſandos putas: noli mirari te id, quod tua dignitas poſtularit, repudiandis gratioſorum amicitiis non eſſe aſſecutum. Iam ut ego doceo gratioſum eſſe tribulibus Plancium, quod multis benigne fecerit, pro multis ſpoponderit, in operas plurimos patris auctoritate, & gratia miſerit, quod denique omnibus officiis per ſe, per patrem, per maiores ſuos totam Atinatem praefecturam comprehenderit: ſic tu doce ſequeſtrem fuiſſe, lar-

gitum eſſe, conſcripſiſſe, tribules decuriauiſſe. quod ſi non potes; noli tollere ex ordine noſtro liberalitatem; noli maleficium putare eſſe gratiam; noli obſeruantiam ſancire poena. itaque haeſitantem te in hoc ſodaliciorum tribuario crimine ad communem ambitus cauſſam contuliſti. in qua deſinamus aliquando, ſi videtur, vulgari, & peruagata declamatione contendere. ſic enim tecum ago. quam tibi commodum eſt, vnam tribum delige tu; doce id, quod debes, per quem ſequeſtrem, quo diuiſore corrupta ſit: ego, ſi id facere non potueris, quod, vt opinio mea fert, ne incipies quidem; per quem tulerit, docebo. eſt ne haec vera contentio? placet ne ſic agi? non poſſum magis pedem conferre, vt aiunt, aut propius accedere. quid taces? quid diſſimulas? quid tergiuerſaris? etiam atque etiam inſto, atque urgeo, inſector, poſco, atque adeo flagito crimen. quamcumque tribum, inquam, delegeris, quam tulerit Plancius; tu oſtendito, ſi poteris, vitium; ego, qua ratione tulerit, docebo. nec erit haec alia ratio Plancio, ac Laterenſi. nam vt, quas tribus tu tuliſti, ſi iam ex te requiram, poſſis, quorum ſtudio tuleris, explicare: ſic ego hoc contendo, me tibi ipſi aduerſario cuiuſcumque tribus rationem popoſceris, redditurum. Sed, cur ego ſic ago? quaſi non comitijs iam ſuperioribus ſit Plancius deſignatus aedilis. quae comitia primum habere coepit conſul, tum omnibus in rebus ſumma auctoritate, tum harum ipſarum legum ambitus auctor: deinde habere coepit ſubito, praeter opinionē omnium: vt, ne ſi cogitaſſet quidem quiſpiam largiri, daretur ſpatium comparandi. vocatae tribus, latum ſuffragium, deſcriptae, renunciatae. longe plurimum ualuit Plancius. nulla largitionis nec fuit, nec eſſe potuit ſuſpicio. an tandem una centuria praerogatiua tantum habet auctoritatis, ut nemo umquam prior eam tulerit, quin renunciatus ſit: tu aut his ipſis comitijs conſularibus, aut certe in illum annum aedilem Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, ſed uniuerſus populus uoluntatem ſuam declarauit, cuius in honore non unius tribus pars, ſed comitia tota comitijs fuerint praerogata? quo quidem tempore ſi id Laterenſis facere uoluiſſes, aut ſi grauitatis eſſe putaſſes tuae, quod multi nobiles ſaepe fecerunt, ut, cum minus ualuiſſent ſuffragijs, quam putaſſent, poſtea, prolatis comitijs proſternerent ſe, & populo R. fracto animo, atque humili ſupplicarent: non dubito, quin omnis ad te conuerſura ſe fuerit multitudo. numquam enim nobilitas, integra praeſertim, atque innocens, a populo R. ſupplex repudiata fuit. ſed, ſi tibi grauitas tua, & magnitudo animi pluris fuit, ſicut eſſe debuit, quam aedilitas: noli, cum habeas id, quod malueris, deſiderare id, quod minoris putaris. equidem primum, ut honore dignus eſſem, maxime ſemper laboraui: ſecundo, ut exiſtimarer: tertium mihi fuit illud, quod pleriſque primum eſt, ipſe honos: qui ijs denique debet eſſe iucundus, quorum dignitati populus R. teſtimonium, non beneficium ambitioni dedit.

EXPLANATIO

NOMINE *Legis liciniae*] Laterenſis Planciū accuſauerat de ſodalitijs lege Licinia, quae non ad vniuerſum ambitum, ſed proprie ad ſodalitia, quod in ambitu grauiſſimū crimen erat, itē vt in maieſtate perduellio, pertinebat nihil autē Laterenſis, cū ea lege Plancium in iudiciū vocauit, praeter hoc ſpectauit vt ederet reo iudices quos vellet, ex quibus vellet tribubus: quod Ciceronis verba illa declarant: Neque n. quidam in hac lege niſi editicios iudices, ſecutus eſt. Acerbū porro iudicij genus hoc erat, quippe cū accuſator vel ſuos, vel ſuorū neceſſarios, vel eius etiā, qui accuſabatur, inimicos edere iudices poſſet. quā facultatē legiſlator ideo dederat, vt accuſator, cuius homines tribus pecunia corruptos eſſe ſuſpicaretur, ex ea tribu iudices caperet eos, qui corrupti nō eſſent, quorū videlicet ſciētia certiſſima, dolor autē e tribuliū ſuorū culpa grauiſſimus deberet eſſe. OMNES *ambitus legis complexus es.*] videris accuſare Planciū voluiſſe Licinia lege: nec tamen, quo de crimine lata lex eſt illud attingis: nihil, inquā, in Planciū de ſodalitijs affers; ſed cōfers te ad eas leges, quae de ambitu ſunt, cū alia, ſodalitijs omiſſis ambitus crimina Plancio conaris intendere. infra: Haeſitantē te in hoc ſodalitiorū tribuario crimine ad cōmunē ambitus cauſſam contuliſti. NEQVE *enim quidquam aliud,*] cū non haberes crimen, quod Plancio Licinia lege obijceres, accuſaſti tamen ea lege, vt edēdorum iudicū facultate vti poſſes. nihil praeterea ſecutus es: vnū hoc ſpectaſti. EDITICIOS] quos in hac vna de ſodalitijs cauſſa, delectos ex oī populo, accuſator edebat reo. SI . EST *aequum ulla in re, niſi hac tribuaria:*] reprehendit Laterenſem, qui cū reliqua potius ambitus crimina, quā ſodalitiū, in Plāciū conferat, iudices tamē ediderit arbitratu ſuo: quod in vna tribuaria re, ideſt in crimine ſodalitij, in quo tribus edebat accuſator, aequū erat. quod ſi, inquit, hoc aequū eſſet in alijs rebus, praeter hanc tribuariā: non id fieri hoc vno in genere ſenatus voluiſſet, ſed eandem iudicū edendorū rationē ad ceteras quoque cauſſas trāſtuliſſet, praeſertim ad ambitū, qui cū ſodalitij cauſſa quaſi affinitate quadā cōiūgitur. Tu inquit, finxiſti velle te accuſare Planciū Licinia lege de ſodalitijs, vt ederes iudices, quos velles ꝙ aſſecutus es: accuſas tamen reliquis potius de ambitu legibus: cū vel agere de ſodalicijs Plācij debeas, vt, beneficio legis in aedēdis iudicibus iure ac merito vſus eſſe videaris: vel, ſi te crimē ipſum, quo accuſas, deficit ideoq. accuſationē tuā ad cōmunē ambitus cauſſam traducis, cōfiteri, nō recte a te iudices editos eſſe, quos tantū in cauſſa de ſodalitijs edi ſenatus cenſuit, populuſq iuſſit. DE *ipſo denique ambitu,*] ſi aequū eſt edi iudices in alijs rebus, niſi hac tribuaria, ideſt niſi in cā de ſodalitijs: nō video, cur ſenatus nō modo in ceteris diſſimilibus cauſſis, ſed in ipſo ambitu, ad quē ſodalitia ptinēt, editicios iudices nō probauerit. nō probauit aūt, quia nō aequū eſſe iudicauit. cur igitur tu cōtra ſnīam ſenatus in ea cā iudices edidiſti, in qua, legis Liciniae ſimulatione, reliquis de ambitu legibus accuſas? DE *reiectione iudicum fieri uoluerit alternorum;*] in omnibus cauſſis, exceptis ſodalitiorum criminibus, reiectio iudicum fiebat ab accuſatore, & reo: quod Cicero iudicū alternorum

norũ de reiectione appellat. Iudices enim, cũ ſenatorius ordo lege Cornelia L. Sullae ſolus iudicaret, e curia ſenatoria conſcribebantur: poſtea lege Aurelia. L. Cottae, qua iudicia inter tres ordines cõmunicata, e ſenatu, ex equitibus, e tribunis aerarijs. hi ſelecti iudices vocabãtur, de quibus ĩ oratione pro Cluẽtio, apud Pedianum, & Plinium. horũ nomina in vrnã coniecta, ſortite deducebantur a quaeſitore, id eſt ab eo, qui de maioribus criminibus, ambitu, repetundis, inter ſicarios, maieſtate, quaerebat. ita de plutibus cõfecto per ſortitionẽ neceſſario numero, permittebatur accuſatori, ac reo, vt ex illo numero reijcerent, quos putarent ſibi aut inimicos, aut ex aliqua re, vt Pediani verbis vtar, incommodos fore. Poſt reiectionẽ, ſubſortiebatur idẽ quaeſitor in locũ reiectorũ alios, quibus ille iudicũ legitimus numer⁹ cõpleretur. erat igitur prima ſortitio, ſecũda reiectio, tertia ſubſortitio. His perfectis, iurabant iudices in leges, vt obſtricti religione iudicarent. cũ iuraſſent oẽs, p̃ter ipſum p̃torẽ, qui iudicio praeerat (nã praetorẽ non iuraſſe, tũ ex Cicerone, tũ ex Pediano conſtat) nomina eorũ libellis conſignabantur, & vbique habebantur, ne pro ſelectis iudicibus, vt fit in multitudine, aliqui ſuppoſiti corruptiſſime iudicarent. eorundẽ iudicũ nomina in codicẽ relata praetor aſſeruabat. qua de re ſic in ea pro Cluentio Multam a Iunio petiuit: qua lege? quod in legẽ nõ iuraſſet: quae res nemini vnquã fraudi fuit: & quod C. Verres, praetor vrbanus, homo ſanctus, & diligens, ſubſortitionẽ eius in eo codice nõ haberet, qui tũ interlitus proferebatur. Quibus verbis illud quoque planũ fit, ſubſortiri ſolitũ eũ, qui iudicio praeeſſet, ſiue praetor eſſet, ſiue non eſſet. nã Iunius ille a quo multã petitã eſſe Cicero dicit, praeturã nondũ adeptus erat, cũ in Oppianici iudicio iudex quaeſtionis fuit. itaque miror, quod a Pediano ſcriptũ eſt, & ſortitũ eſſe iudices, & ſubſortitũ praetorẽ Verrẽ in Oppianici iudicio: cõtra quã & ipſius verba Ciceronis, iã a nobis proxime recitata demonſtrant, & illa praeterea, quae dixit in Verrẽ lib. 1. De ſubſortitione, inquit, illa Iuniana, iudices, nihil dico. Cũ igitur, vt redeã vnde diuerti, reiectio iudicũ fieret, in omnibus cauſſis; lata eſt Licinia lex ex S. C. in ſententiã Q. Hortenſij oratoris facto, vt in cauſſa de ſodalitijs iudices ab accuſatore editi, nulla interpoſita reiectione, iudicarent. quod infra Cicero docuit his verbis: Quid? huius rei obſcura cauſſa eſt, an & agitata; cũ iſta in ſenatu res agebatur, & diſputata heſterno die copioſius a Q. Hortẽſio? cui tũ eſt ſenatus aſſenſus. Ex eo autẽ S. C. Latã eſſe legẽ, (nã multae leges & ſine S. C. & contra ſenatus voluntatẽ ferebantur) indicat id, quod infra ſcriptũ eſt: Si quemadmodũ ſenatus cenſuit, populusq. iuſſit, ita feciſſes, vt in hũc & ſuã & ab hoc obſeruatas tribus ederes: nõ modo non quererer, ſed hunc, iudicibus editis, qui teſtes ijdẽ eſſe poſſent, abſolutũ putarẽ. CVM *iſta res in ſenatu agebatur,*] hoc ipſo anno. nam Domitiũ, huius anni conſulem, legũ ambitus auctorem fuiſſe, infra dicit. A *Q. Hortenſio?*] qui cauſſam egit Plancij ante Ciceronem. QVAE *honeſte ſodalitas nominatur,*] honeſto vocabulo ſodalitas, vere autem & proprie ſodalitiũ dicitur: quod honeſtũ vocabulũ non eſt. HOC *igitur ſenſimus:*] nos ſenatores, tum cum illa res agebatur. TERENTINAM, *credo.*] Plancij tribum: quam in primis edere debuit nec tamen edidit. CVM *Lemoniã?*] quam Laterenſis edidit. TERTIAM] Cruſtuminam. QVAE *reijceretur,*] indicat hic locus, vbi tres tribus accuſator ederet tertiam a reo reijci potuiſſe. NON *ad ſententiam legis,*] ideo enim iudices editicios lex accuſatori dabat, vt ederet eos, qui largitione deuincti ſuffragium pro aliquo tuliſſe putarẽtur. at Laterenſis iudices edidit ex tribu Lemonia, ex Veientina, e Cruſtumina: cũ quibus Plancio nihil fuiſſe, ipſemet Laterenſis in ſermone oſtenderat, cũ de Terentina, & Voltinia criminaretur, has autẽ non nominaret. AD *ſuã ſpem aliquã*] quã nos ignoramus. Tacite iudices admonet de cõſilio Laterenſis, eos iudices edẽtis, quos putaret aut amicos ſuos, aut inimicos Plãcij, aut denique inexhorabiles, inhumanos, crudeles. DE *ciuitate*] de omni ciuium numero, ex omnibus tribubus: quod infra dicit: Ex omni populo. QVAM *in decernendo ſecuti ſumus?*] cũ in ſenatu decreuimus, vt accuſator tribus ederet, quae de reo iudicarent, id ſecuti ſumus, vt, quae maxime reo cõuinctae tribus eſſent, eas ederet: quod eas maxime corruptas eſſe veriſimile videretur. tu autem Laterenſis eas edidiſti, cũ quibus Plancio nihil eſt: qui Terentinã, & Voltiniam officijs ab eo, non largitione, obſeruatas iudicares. NOTES] deligas. DEFENSORVM *meorum?*] Ciceronis. IN *primo reo*] ipſo quoque de ſodalitijs cauſſam dicente: cui iudices conceſſerunt, vt ex ijs, qui editi erant iudices quinque reijceret: quod Plancio conceſſum non eſt. VT NOS, *inuito te, tamen ad iudices, non ad carnifices veniremus;*] conciliat Plancio iudices; cum eos laudat a iuſtitia; & ait editos eſſe a Laterenſe imprudente: quos nõ edidiſſet, ſi tales fore putaſſet: eius enim conſiliũ fuit, edere inexorabiles, inhumanos, crudeles, amicos ſuos, inimicos Plancij. ICCIRCO *iſta editio per ſe nõ acerba eſt,*] quia neminem poſſumus reijcere. PRINCIPIBVS *equeſtris ordinis,*] non eſt credendũ, hoc tempore lata iã Aurelia lege, quae iudicia inter tres ordines communicabat, ſolũ equeſtrẽ ordinem iudicaſſe: ſed eſt intelligendum, totũ illum numerũ equitum Romanorũ, qui diuerſis iudicijs aſſignati erãt, fuiſſe. CXXV. cũ ijs praeterea ſenatores, & tribunos aerarios iudicaſſe: rerũ autẽ ex CXXV. iudicibus equeſtris ordinis potuiſſe reijcere quinque & LXX. & L. referre: referebat autẽ eos ipſos, qui de CXXV. ſuperarant, qui, demptis LXXV. erãt L. quã poteſtatẽ licet reus haberet, eius tamẽ amici, clariſſimi ciues, nomẽ editi iudicis in ea cauſſa non tulerũt. Hic quaero, cũ dicat Cicero, Nomen editi iudicis: ex quo ordine ederentur ab accuſatore illi iudices. ex equeſtri ueriſimile vix videtur. nã illi CXXV nõ edebãtur accuſatoris arbitirio. Sed deligebãtur a praetore, vt arbitror, idq. sũma diligẽtia: qđ ex eo cõſtat, Prĩcipib. equeſtris ordinis: ex ijs autẽ L. quos reus, LXXV. reiectis, referebat, accuſatorẽ edidiſſe, puto, quos volebat qđ reo nõ videtur obeſſe potuiſſe, cũ ederẽtur ex ijs L. quos ipſe probaſſet. recte igitur dixit, Nomen editi iudicis quaſi nomẽ ipſum tantũ ĩ cauſſa verſaretur, res

ipſa nulla eſſet, vt pote cũ illa editio reũ nõ laederet. Occurrit alia quaeſtio: cur vnius equeſtris ordinis mentio fiat, ſenatores tribuniq. aerarij omittantur: quaſi nõ ex ijs reijciendi facultatẽ reus haberet, aut ij non itẽ vt equites ederentur. Reſpondere licet, quod cũ ratione conſentit: cũ tres ordines iudicarent, nõ ex vno equeſtri, ſed ex reliquis quoque duobus reũ quoſdã reiecisse, alios retuliſſe: ex relatis autem accuſatorẽ edidiſſe Ex *delectis iudicibus.*] & hoc id, quod ſupra diximus, confirmat, primũ delectos eſſe iudices a praetore deinde reiectos a reo, poſtremo editos ab accuſatore. Ex *omni populo*] nam tribus ex omni populo deligebantur. Editos *ad reiiciendum*] quod ferre poſſemus: ſed ab accuſatore conſtitutos, vt a reo reijci non poſſint, hoc vero ferendũ nõ videtur Et *illud acerbum iudicium*] videtur hoc per ſe cõſiſtere, nec verbum, quo ſuſtentetur, deſiderare, quaſi dicat: Et, quod acerbum iudicium eſt, ſi, quemadmodum in S.C. & lege ſcriptũ eſt, ita feciſſes, vt in Planciũ, & ſuã tribum Terentinã, & ab eo obſeruatas ederes, (ſic enim lego, poſtulante ſententia, non, Ederent) nõ modo nõ quererer, ſed, iudicibus editis, ijs, quibus Plancij integritas nota eſſet, abſolutũ Planciũ putarem. Neque *nunc multo ſecus exiſtimo.*] oſtendit ſe Lemoniae, & Veientinae, quas Laterenſis ediderat, non multo ſecus confidere, quã ſi Terentina, Plancij tribus, & eius vicina Voltinia, editae fuiſſent: quamquã illae Planciũ integritatẽ non ita, vt Terentina, & Voltinia, notã haberent. Ignotis] qui Plancium ignorarent. Qvam *notis.*] quam ijs, qui Planciũ noſſent. Aculeus in Laterenſis iniquitatem: qui cũ ſciret, ſi Plancius iudices haberet eos, qui teſtes ijdẽ eſſe poſſent, abſolutũ iri, ijs iudicibus, qui illum ignorarent, vti maluiſſe. Fvgisti *ſententiam legis.*] quia, quod lex iubebat, non feciſti, vt in reum & ſuam, & ab eo obſeruatam tribum ederes. Qvid *diceret apud Voltinienſes.*] Voltiniã tribũ quam corruptã eſſe clamitas, ſi edidiſſes: nihil haberet Plancius quod apud eos iudices diceret: ſiquidẽ, vt ais, ea tribus ab eo corrupta: cur igitur non eam edidiſti? nimirum, quia iudicibus ignotis vti, quã notis, & in tenebris, quam in luce, cauſſam verſari maluiſti. Tribvles *ſuos*] ex Terentina tribu. Tacitvm *teſtem*] iudicem ex illis neminem tacitum teſtem haberes: teſtimoniũm enim de Plancij innocentia omnes dicerent. Avt *vero etiam excitares?*] quia dixerat, Haberes, non contentus eo verbo ſubiunxit: Excitares: ideſt quemcũque tu ex ijs excitares, & exurgere iuberes, de Plancij integritate teſtimoniũ diceret. Non *edidiſſet.*] ſine interrogationis nota. eſt enim ironia. Qvem *habet,*] quaeſitorem. Non *fuiſſe fugiendum tribulem huic iudicem.*] ſi Terentinam tribum Laterenſis edidiſſet, iudicem Plancius habuiſſet Alfiũ, & quidem libenter, cũ eundem quaeſitorẽ libenter habebat, cui ſe tribuli ſuo notiſſimũ eſſe ſcit & cuius erga ſalutẽ ſuã ſimilis meae volũtas apparet. Alfius hic nominatur interrogatione in Vatinium. Conſilivm *ſenatus*] mentem ſenatus, qui cenſuit, in crimine ſodalitij, tribũ rei, & ab eo obſeruatas, edi ab accuſatore debere, ideſt eos, quibus reus optime notus eſſe poſſet, & qui, iudices editi, teſtes ijdem eſſe poſſent. Sancire] lego, Sanciri. non enim ſanciebantur leges a ſenatu, ſed a populo. Reſicere] reddere, reſtituere pro tribu ab ipſis accepta. Hoc verbo vſus eſt in extremo Paradoxo: Hoc propoſito, numquã eris diues, antequã tibi ex tuis poſſeſſionibus tantũ reficiatur, vt eo tueri quatuor legiones, & magna equitũ, ac peditũ auxilia poſſis. In Verr. lib. III. Villicoq. delectetur, quod tanto ſibi plus mercedis ex fundo refectum ſit. Reſpectent.] contra exſpectent viciſſim exſpectent. Decvriatio] quia candidati ſuos tribules decuriarent, qui a reliquas tribus deſcriberent quia ſuffragia largitione deuincirẽt; inde ſic cenſuit ſenatus, inde lata lex eſt Decuriare eſt per factionẽ cogere. pro Domo: Cũ deſperatis ducibus decuriatos ac deſcriptos haberes exercitus perditorũ. Pro Sextio: Homines vicatim cõſcribere, & decuriare. Deſcriptio *populi,*] idem fere, quod decuriatio: certe vt ſimilia coniunguntur: vt in exemplo proxime adducto ex ea pro Domo. Conſcripſiſſe] deſcripſiſſe populum. Pronvnciaſſe,] promiſiſſe pecuniam. Tvm *mirabor*] nunc non miror: quia, cum haec docere, & proferre contra Planciũ nõ poſſes, ideo tribũ eius & ab eo obſeruatas, quibus notiſſimus eſſe debebat, edere noluiſti. Sodales] qui per conſenſionem magiſtratuum tribum turpi largitione corrumperent, ſodalitatem honeſte appellari ſupra dixit. In *operas*] in negotia prouincialia publicanorum. hinc operas dare, pro negotium curare, rem tractare. Haeſitantem *te*] cum, quid diceres non haberes. In, hoc *ſodalitiorum tribuario crimine*] in tribubus corruptis. Qvam *tibi commodum eſt,*] quam tibi placet. Per *quem tulerit,*] qua ratione Plancius eam ſibi ſuffragantem habuerit. Comitiis *iam ſuperioribus*] docet Cicero in Rullum & poſt eum Pedianus, maioribus placuiſſe, vt de omnibus magiſtratibus bis ſuffragia ferrentur. binis igitur tributis comitijs aedilitatem adeptus erat Plancius. nam centuriata maiorum erant magiſtratuum. Habere *coepit*] licet intelligere, poſteriora comitia aedilicia non habita eſſe a conſule: cũ de eo dicat, Habere coepit: ideſt, ſuperiora conſul habuit: quis poſteriora? aediles videlicet. Conſvl] Domitius potius, quã Appius nã ſi priore loco creatus cõſul erat. Vna *centuria praerogatiua*] in comitijs centuriatis. Conſvlaribvs] quae conſul habuit. Avt *certe*] alterius comitijs, quae non conſul, ſed aedilis habuit. In *illum annum*] in ſequentem. In *quo*] ideſt, pro quo, cuius anni gratia. nam populus hoc quidem anno ſuam voluntatem declarauit, ſed ſequentis anni cauſſa, vt aedilitatẽ Plancius gereret. Non *exigua pars populi,*] vt in comitijs centuriatis centuria praerogatiua. Comitia *tota*] illa, quae conſul habuit. Comitiis] poſterioribus. Fverint *praerogata?*] tamquam praerogatiua fuerint. Prolatis *comitijs*] non enim poſt illa ſuperiora ſtatim habita iterum ſunt. Ambitioni] multis enim ambientibus honor datur: ſed ijs iucundior eſſe debet, quorum dignitati datur.

ORATIO

QVAERIS etiam Laterenſis, quid imaginibus tuis, quid ornatiſſimo, atque optimo viro, patri tuo reſpondeas mortuo? noli iſta meditari; atque illud caue potius, ne tua iſta querella, doloŕq. nimius ab illis ſapientiſſimis viris reprehendatur. vidit enim pater tuus, Ap. Claudium, nobiliſſimum hominem, viuo patre ſuo, potentiſſimo & clariſſimo ciue, C. Claudio, aedilem non eſſe factum, & eundem ſine repulſa factum eſſe conſulem: vidit, hominem ſibi maxime coniunctum, egregium virum, L. Volcatium. vidit, M. Piſonem, in iſta aedilitate offenſiuncula accepta, ſummos a populo R. eſſe honores adeptos. auus vero tuus & P. Naſicae tibi aediliciam praedicaret repulſam quo ciue neminem ego ſtatuo in hac rep. fortiorem: & C. Marij, qui, duabus aedilitatis acceptis repulſis, ſepties conſul eſt factus; & L. Caeſaris, Cn. Octauij, M. Tullij, quos omnes ſcimus, aedilitate praeteritos, conſules eſſe factos. Sed, quid ego aedilicias repulſas colligo? quae ſaepe eiuſmodi habitae ſunt, vt ijs, qui praeteriti eſſent, benigne a populo factum videretur. Tribunus militum L. Philippus, ſumma nobilitate, & eloquentia, quaeſtor Q. Coelius, clariſſimus, ac fortiſſimus adoleſcens, tribuni pl. P. Rutilius Rufus, C. Fimbria, C. Caſsius, Cn. Oreſtes facti non ſunt: quos tamen omnes conſules facti ſcimus eſſe. quae tibi vltro pater, & maiores tui non conſolandi tui gratia dicerent, neque vero quo te liberent aliqua culpa, quam tu vereris, ne a te ſuſcepta videatur; ſed vt te ad curſum iſtum tenendum, quem a prima aetate ſuſcepiſti, cohortentur. nihil eſt enim, mihi crede, Laterenſis, de te detractum: detractum dico? ſi mehercules vere, quod accidit, interpretari velis, eſt aliquid etiam de virtute ſignificatum tua. noli enim exiſtimare, non magnum quendam motum fuiſſe illius petitionis tuae, de qua, ne aliquid iurares, deſtitiſti. denunciaſti homo adoleſcens, quid de ſumma reip. ſentires; fortius tu quidem, quam nonnulli defuncti honoribus; ſed apertius, quam vel ambitionis, vel aetatis tuae ratio poſtulabat. quamobrem in diſſentiente populo noli putare nullos fuiſſe, quorum animos tuus ille fortis animus offenderet: qui te incautum fortaſſe nunc tuo loco dimouere potuerunt, prouidentem ante, & praecauentem nunquam certe mouebunt.

EXPLANATIO

AP. CLAVDIVM,] patrem P. Clodij. C. CLAVDIO,] qui cum M. Perperna conſulatum geſſit. FACTVM *eſſe conſulem:*] cum P. Seruilio, cui poſtea cognomen Iſaurico fuit. L. VOLCATIVM,] Tullum, qui conſul cum M'Lepido fuit, & adhuc viuebat. M. PISONEM,] a M. Seio in aedilitatis petitione ſuperatum. IN *iſta aedilitate*] in qua tu quoque offenſiunculam accepiſti. SVMMOS *honores*] conſulatum. is enim ſummus honor fuit. Sed miror, cur dixerit: Vidit pater tuus: cum vtrumque Laterenſis videre potuerit. quamquam aedilitatis petitionem adoleſcẽtulus, & fortaſſe puer vidit. P. NASICAE] Scipioni Serapioni, qui Ti. Gracchum priuatus interfecit. ideo ſequitur: Quo ciue neminem ego ſtatuo in hac rep. fortiorem. CONSVLES *eſſe factos.*] Caeſarem cum P. Rutilio Lupo, Octauium cum L. Cinna, Tullium cum Cn. Dolabella. BENIGNE *a populo factum*] quia, aedilitate omiſſa, maiores magiſtratus petierunt. L. PHILIPPVS] qui conſul fuit cum Sex. Iulio Caeſare, anno ante bellum ſociale. ELOQVENTIA] poſt Craſſum & Antonium ei primas defert in Bruto. Q. COELIVS] C. non Q. legendum. is enim eſt C. Coelius Caldus, qui conſul fuit cum L. Domitio Ahenobarbo. P. RVTILIVS *Rufus, C. Fimbria, C. Caſſius, Cn. Oreſtes*] Rufus cum Cn. Mallio, Fimbria cum C. Mario, Caſſius cũ Cn. Domitio Ahenobarbo, Oreſtes cum Lentulo Sura conſul fuit. NON *conſolandi tui gratia,*] iacturam enim tuae dignitatis nullam feciſti, vt conſolandus eſſe videaris. NEQVE *vero quo te liberent aliqua culpa,*] liberarent, pro liberent, & infra, cohortarentur, pro cohortentur, videtur eſſe rectius. Quae vero haec eſt culpa, quam Laterenſis verebatur, ne a ſe ſuſcepta videretur? nulla: nihil enim turpe commiſerat: ſed quia repulſam paſſus erat, verebatur, ne quid culpae ſuſcepiſſe videretur, eaq. repulſa dignitati ſuae labem aliquam aſpergeret. ideo dixit ſupra: Quaeris etiam Laterenſis, quid imaginibus tuis, quid ornatiſſimo atque optimo viro, patri tuo reſpondeas mortuo? Patet igitur ſenſus. Non haec ideo dicerent quo te liberarent aliqua culpa, quam ſciret a te commiſſam non eſſe. DETRACTVM *dico?*] Detractum, a me additum ex ingenio: quam recte, lector iudicet. mihi illud abſurdum, & ineptum videbatur: Dico, ſi mehercules. at hoc quam concinnum: Nihil eſt de te detractum: detractum dico? ſi mehercules. Eadem eſt figura lib. 1. in Verrem. Dictum hoc eſt in Cn. Dolabellae iudicio: dictum? etiam aeſtimatum. Et pro Ligario: Quae fuit igitur vnquam in vllo homine tanta conſtantia? conſtantiam dico? neſcio, an melius patientiam poſſem dicere. Et in ep. ad Lentulum: Erat hoc mihi dolendum, ſed multò magis illud, quod inimicum meum, meum autem? immo vero legum, iudiciorum, otij, patriae. bonorum omnium, ſic amplexabantur. MAGNVM *quendam motum*] in populo ex illa tribunatus pl. petitione, de qua, ne iurares in agrariam Caeſaris legem, in qua de populi commodis agebatur, deſtitiſti. Hac de re ſupra. QVAM *nonnulli defuncti honoribus;*] curulibus qui iurarunt in eam legem. IN *diſſentiente populo*] in eo populo, qui non idem ſentire ſolet vniuerſus.

ORATIO

ANte illa argumenta duxerunt? dubitabitis, inquit, quin coitio facta ſit, cum tribus pleraſque cum Plotio tulerit Plancius? an vna fieri potuerunt, ſi vna tribus non tuliſſent? cum nonnullas punctis paene totidem: quippe cum, iam facti prope ſuperioribus comitijs, declaratique, veniſſent. quamquam ne id quidem ſuſpicionem coitionis habuerit. neque enim vmquam maiores noſtri ſortitionem conſtituiſſent aediliciam, niſi viderent accidere poſſe, vt competitores pares ſuffragijs eſſent. Et ais, prioribus comitijs Anienſem a Plotio, Terentinam a Plancio tibi eſſe conceſſam; nunc ab vtroque eas auulſas, ne in anguſtum venirent. Quam conuenit, nondum cognita populi voluntate, hos, quos iam tum coniunctos fuiſſe dicis, iacturam ſuarum tribuum, quo vos adiuuaremini, feciſſe; eoſdem, cum iam eſſent experti quid valerent, reſtrictos, & tenaces fuiſſe? etenim verebantur, credo, anguſtias: quaſi res in contentionem, aut in diſcrimen aliquod, poſſet venire. ſed tamen tu an Plotium, virum ornatiſſimum, in idem crimẽ vocandum iudicas? an dicis, eum te arripuiſſe, a quo non ſis rogatus? Nam, quod queſtus es, plures te teſtes habere de Voltinia, quam quot in ea tribu puncta tuleris: iudicas, aut eos teſtes te adducere, qui, quia nummos acceperint, te praeterierint; aut te ne gratuita quidem eorum ſuffragia tuliſſe. Illud vero crimen de nummis, quos in circo Flaminio deprehenſos eſſe dixiſti, caluit re recenti, nunc in cauſſa refrixit. neque enim, qui illi nummi fuerint, nec quae tribus, nec qui diuiſor, oſtenderis. atque is quidem, adductus ad conſules, qui tum tu crimen vocabatur, ſe inique a tuis iactatum, grauiter querebatur. qui ſi erat diuiſor, praeſertim eius, quem tu habebas reum: cur abs te reus non eſt factus? cur non eius damnatione aliquid ad hoc iudicium praeiudicij comparaſti? ſed neque tu habes haec, neque iis confidis. alia te ratio, alia cogitatio ad ſpem huius opprimendi excitauit. magnae ſunt in te opes: late patet gratia: multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuae: multi huic inuident: multis etiam pater, optimus vir, nimium retinens equeſtris iuris, & libertatis videtur: multi etiam communes inimici reorum omnium: qui ita ſemper teſtimonium de ambitu dicunt, quaſi aut moueant animos ſuis teſtimonijs, aut gratum populo R. ſit, aut ab eo facilius ob eam cauſſam dignitatem, quam volunt, conſequantur. quibuſcum me, iudices, pugnantem meo more priſtino non videbitis: non quod fas ſit quidquam effugere, quod ſalus Plancij poſtulet: ſed quia neque neceſſe eſt me id perſequi voce, quod vos mente videatis; & quod ita de me meriti ſunt illi ipſi, quos ego teſtes video paratos, vt eorum reprehenſionem vos veſtrae prudẽtiae aſſumere, meae modeſtiae remittere debeatis. illud vnum vos magnopere oro, atque obſecro, iudices, cum huius, quem defendo, tum communis periculi cauſſa, ne fictis auditionibus, ne diſſeminato diſperſoq. ſermoni fortunas innocentium ſubijciendas putetis. multi amici accuſatoris, nonnulli etiam noſtri iniqui, multi communes obtrectatores, atque omnium inuidi multa finxerunt. nihil eſt autem tam volucre, quam maledictum: nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius diſſipatur. neque ego, ſi fontem maledicti reperietis, vt negligatis, aut diſſimuletis, vmquam poſtulabo: ſed, ſi quid ſine capite manabit, aut ſi quid erit eiuſmodi, vt non exſtet auctor, qui audierit; aut ita negligens vobis eſſe videbitur, vt, vnde audierit, oblitus ſit; aut ita leuem habebit auctorem, vt memoria dignum non putarit; huius illa vox vulgaris auditu ne quid reo innocenti noceat, oramus.

EXPLANATIO

PLERASQVE] eaſdem. CVM *nonnullas*] ex perſona Laterenſis. PVNCTIS,] ſuffragijs. Horatius: Omne tulit punctum. QVIPPE *cum*,] ex perſona Ciceronis. PROPE] non omnino; cum ſupereſſent altera comitia, ſed prope, cognita populi voluntate. VENISSENT ad poſteriora comitia. SORTITIONEM *aediliciam*,] duo creabantur aediles cur. fieri tamen poterat, & vt plures, quam duo, peterent, & vt plures etiã pares ſuffragijs eſſent. quod ſi accideret, conſtitutũ eſt a maioribus, vt ſortirentur, quinã ex ijs aedilitatem gererent. ſin autẽ ſoli duo totidem ſuffragia tuliſſent, ſortitio locum non habebat: ij enim aediles renunciabantur: cum duos tantum aediles eſſe oporteret. ANIENSEM] Plotij tribum. AVVLSAS,] a Laterenſi, quaſi per vim. NE *in anguſtum venirent.*] ne, ſi tibi eaſdẽ poſterioribus comitijs concederent, de ſua creatione in dubiũ venirent infra: Verebantur, credo anguſtias: quaſi res in cõtentione; aut diſcrimẽ aliquod poſſet venire. NONDVM *cognita populi voluntate.*] ſuperioribus comitijs: cum Plotius, & Plancius de populi erga ſe voluntate, quam poſtea, latis ſuffragijs cognouerunt, certi nihil ſcirent. CVM *iam eſſent experti, quid valerent,*] cum iam ſuperioribus comitijs aediles deſignati eſſent. RESTRICTOS *& tenaces*] poſterioribus comitijs: cum eaſdem tibi tribus, vt ais, concedere noluerint. IN *idem crimen vocandum iudicas?*] quia deſignatus ipſe quoque ſit aedilis. EVM *te arripuiſſe,*] te Plancium accuſaſſe. A QVO *non ſis rogatus?*] vt eũ ne accuſares. quod ſi nõ es ab eo rogatus: argumento hoc eſſe poteſt. quia ſibi conſcius eſſet innocentiae ſuae, ideo te rogare noluiſſe. EOS *teſtes,*] nam ſi plures, quam puncta: pars eorum in ſuffragijs corrupta fuerit, neceſſe eſt. AVT *te ne gratuita quidem eorum ſuffragia tuliſſe.*] aut, ſi corrupti nõ sũt, ne gratis quidẽ tibi ſuffragatos eſſe. vtraque igitur ratione patet, eos teſteſq; adducere quibus haberi fidẽ nõ oporteat, quippe quos vel Plãcius corruperit, vt te praeterierint, vel tu ipſe, cum te iam praeterierint, pecunia emptos ad dicendum teſtimonium adducas CALVIT] ſermonibus peruulgatũ eſt. Coelius ad Ciceronẽ: Illi rumores de comitijs tranſpadanorum, Cumarũ tenus caluerunt.

caluerunt. R *recenti*,] ſtatim poſt comitia aedilicia. N E C *quae tribus*,] quae nummos acceperint. I T A *ſemper teſtimonium dicunt*,] non iudicio, & recta ambitus damnandi voluntate. Q V A S I *aut moueant animos*] iudicum: quos non mouent & cum non moueant, cur in eo perſeuerant? M E *id perſequi voce*.] me accuſare eorum iniquitatem. vos enim, quales ijs ſint, (ſunt enim inimici reorum omnium) mente ipſi cernitis.

ORATIO

SEd venio iam ad L. Caſſium, familiarem meum: cuius ex oratione illum quidem Iuuentium tecum expoſtulaui, quem ille omni & virtute & humanitate ornatus adoleſcens, primum de plebe aedilem curulem factum eſſe dixit. in quo, Caſſi, ſi ita tibi reſpondeam, neſciſſe id populum R. neque fuiſſe, qui id nobis narraret, praeſertim mortuo Longino; non, vt opinor, admirere; ſum ego ipſe non abhorrens a ſtudio antiquitatis, me hic id ex te primum audiſſe confitear. &, quoniam tua fuit perelegans, ac perſubtilis oratio digna equitis R. vel ſtudio, vel pudore? quoniamq. ſic ab his es auditus, vt magnus honos & ingenio, & humanitati tuae tribueretur. reſpondebo ad ea, quae dixiſti: quae pleraque de ipſo fine fuerunt: in quibus ipſi aculei, ſi quos habuiſti in me reprehendendo, tamen mihi non ingrati acciderunt.

EXPLANATIO

L. C A S S I V M;] ſubſcriptorem Laterenſis. N E *illum quidem Iuuentium tecum expoſtulaui*,] quem expoſtulare debui, & negare verum eſſe, quod Caſſius ait, primum de plebe aedilem cur. eſſe factum. Laterenſis autem Iuuentiae gentis erat. N E S C I S S E *id populum Romanum*,] cum de Laterenſe aedilitatem petente, ferret ſuffragia.

ORATIO

QVaeſiſti, vtrum mihi putarem, equitis R. filio, faciliorem fuiſſe ad adipiſcendos honores viam, an futuram eſſe filio meo, qui eſſet familia conſulari? Ego vero, quamquam illi omnia malo, quam mihi, tamen illi honorum aditus numquam faciliores optaui, quam mihi fuerunt; quin etiam, ne forte ille ſibi me potius peperiſſe iam honores, quam iter demonſtraſſe adipiſcendorum putet, haec illi ſoleo praecipere, quamquam ad praecepta aetas non eſt gnati, quae ille a Ioue ortus ſuis praecipit filiis: Vigilandum eſt ſemper: multae inſidiae ſunt bonis. noſtis cetera. quae non ne id, quod multi inuideant. quae ſcripſit grauis ille, & ingenioſus poeta, ſcripſit, non vt illos regios pueros, qui iam nuſquam erant, ſed vt nos, & noſtros liberos ad laborem, & laudem, excitaret. Quaeris, quid potuerit amplius aſſequi Plancius, ſi Cn. Scipionis fuiſſet filius? magis aedilis fieri non potuiſſet; ſed hoc praeſtare, quod ei minus inuideretur. etenim honorum gradus ſummis hominibus, & infimis, ſunt pares, gloriae diſpares. quis noſtrũ ſe dicit M'. Curio, quis C. Fabricio, quis P. Duillio parem? quis Atilio Calatino? quis Cn. & P. Scipionibus, quis Africano, Marcello, Maximo? eoſdẽ ſumus honorum gradus, quos illi, aſſecuti. eſt enim in virtute multis adſcenſus, vti is gloria maxime excellat, qui virtute plurimum praeſtet. honorum populi finis eſt conſulatus: quem magiſtratum iam obtingenti fere ſonſecuti ſunt. horũ ſi diligenter quaeras, vix decimam partem reperias gloria dignam. ſed nemo vmquam ſic egit, vt tu: cur iſte ſit conſul? quid potuit amplius, ſi L. Brutus eſſet, qui ciuitatem dominatu regio liberauit? honore nihil amplius, laude multum. ſic igitur Plancius nihilo minus quaeſtor eſt factus, & tribunus pl. & aedilis, quam ſi eſſet ſummo loco natus. ſed haec, pari loco orti, ſunt innumerabiles alii conſecuti.

EXPLANATIO

M O R T V O *Longino*;] C. Caſſio Longino qui conſul fuit cum Cn. Domitio Ahenobardo. is videtur antiquitatis peritus fuiſſe. M E *hic id ex te primum audiſſe confitear*:] modeſte refellit eum vt mendacem E Q V I T E S *Romani*] nondum ſenatorium ordinem adeptus erat Caſſius. D E *ipſo fine*] non eo de crimine, quo accuſatur Plancius, verum de ipſo comitiorum exitu, quod Plancius, equitis Romani filius, Laterenſi, qui eſt ex familia conſulari, praepoſitus ſit. I N *me reprehendendo*] quia Plãcium defenderem. N O N *ingrati*,] meam enim erga bene de me meritos pietatem oſtendunt. Q V I *eſſet familia conſulari*:] hoc ſignificabat Caſſius faciliorẽ ſine dubio eſſe viã ad honores ijs, qui familia eſſent conſulari quã equitũ Romanorum filijs; quod cũ in Laterenſe contra cecidiſſet, cõijci licere, gratuita comitia non fuiſſe. Q V A M *mihi fuerunt*:] cui fuerunt facillimi: vt eoſdem illi optare debeam. A D *praecepta aetas non eſt gnati*,] quia puer adhuc erat, annos vndecim natus. I L L E *a Ioue ortus*] Atreus fortaſſe, Iouis pronepos. Ioue enim Tantalus, Tantalo Pelops, Pelope Atreus natus eſt. quem poetae ſceleſtum, atque impium fingunt: hiſtoriae ingenio excelluiſſe, & ſolis eclipſim praedixiſſe narrant. M V L T A E *inſidiae ſunt bonis*.] eadem in oratione pro Sextio. Q V A E *non ne id, quod multi inuideant*.]

hoc mendoſum: illud ſincerum in ea pro Sextio: ſed te id, quod multi inuideant. QVAE *ſcripſit*] aut hic, aut inſra, ſcripſit, inducendum. POETA,] nomen ignoratur. REGIOS *pueros*] Agamemnonem fortaſſe, & Menelaum, Atrei, Mycenarum regis, filios. CN *Scipionis*] eius fortaſſe, cui Aſinae cognomen fuit: qui poſt alterum conſulatum de Poenis triumphauit. PRAESTARE] meliore condicione eſſe. EI *minus inuideretur*.] patris enim gratia factus videretur: nunc ei, quia equeſtri loco natus aedilitatem obtinuerit, inuidetur. P. DVILIO] non dubito, quin C. non P. legendum ſit. is enim eſt, qui primus de Poenis naualem triumphum egit. HONORE *nihil amplius*,] eundem enim honorem equitis Romani filius eſt adeptus, laude tamen & gloria diſpari.

ORATIO

PRoferс triumphos Ti. Gracchi, & C. Marij; & quaeris, quid ſimile in Plancio. Quaſi vero iſti quos commemoras, propterea magis laude fuerint digni, quod triumpharunt, & non quia commiſſi ſunt ijs magiſtratus in quibus re bene geſta triumpharent. Rogas, quae caſtra viderit: qui & miles in Creta, Metello hoc imperatore, & tribunus in Macedonia militum fuerit, & quaeſtor tantum ex re militari detraxerit temporis, quantum in me cuſtodiendum transferre maluerit. Quaeris, num diſertus. Immo, id quod ſecundum eſt, ne ſibi quidem videtur. Num iuriſconſultus. Quaſi quiſquam ſit, qui ſibi hunc falſum de iure reſpondiſſe dicat. omnes enim iſtiuſmodi artes in ijs reprehenduntur, qui, cum profeſſi fuerint, ſatisfacere non poſſunt; non in ijs, qui abfuiſſe ab iſtis ſtudijs confitentur. virtus, probitas, integritas in candidato, non linguae volubilitas, non ars, non ſcientia, requiri ſolet. vt nos in mancipijs parandis, quamuis frugi hominem ſi pro fabro, aut pro textore emimus, ferre moleſte ſolemus, ſi eas artes, quas in emendo ſecuti ſumus, forte neſciuerit; ſin autem emimus, quem villicum imponeremus, quem pecori praeficeremus, nihil in eo, niſi frugalitatem, laborem, vigilantiam, eſſe curamus: ſic populus R. deligit magiſtratus, quaſi reip. villicos: in quibus ſi qua praeterea eſt ars, facile patitur; ſin minus, virtute eorum, & innocentia contentus eſt. quotus enim quiſque diſertus? quotus quiſque iuris peritus eſt? vt eos numeres, qui volunt eſſe. quod ſi praeterea honore dignus nemo: quidnam tot optimis, & ornatiſſimis ciuibus eſt futurum? Iubes Plancium de vitijs Laterenſis dicere. nihil poteſt: niſi eum nimis in ſe iracundum putabis fuiſſe. Idem effers Laterenſem laudibus. facile patior id te agere multis verbis, quod ad iudicium non pertineat; & id te accuſantem tamdiu dicere, quod ego defenſor ſine periculo poſſim confiteri. atqui non modo confiteor ſumma in Laterenſe ornamenta eſſe; ſed te etiam reprehendo, quod ea non enumeres; alia quaedam inania, & leuia conquiras. Praeneſte feciſſe ludos. quid? alij quaeſtores non ne fecerunt? Cyrenis liberalem in publicanos, iuſtum in ſocios fuiſſe. quis negat? ſed ita multa Romae geruntur, vt vix ea, quae fiunt in prouinciis, audiantur.

EXPLANATIO

TRIVMPHOS] triumphauit bis Ti. Gracchus, duorum Gracchorum, qui propter malas leges occiſi ſunt, pater, de Celtiberis primum deinde de Sardis. TOT *optimis, & ornatiſſimis ciuibus*] qui nec diſerti ſunt, nec iuris periti QVIDNAM *eſt futurum?*] propterea ne honores non aſſequentur? NISI *eum*] niſi hoc in eo reprehendet, quod nimis iracunde ſecum agat. PVTABIS] Putabit rectius.

ORATIO

NOn vereor, ne mihi aliquid, iudices, videar arrogaſſe, ſi de quaeſtura mea dixero. quamuis enim illa floruerit: tamen eum me poſtea fuiſſe in maximis rebus arbitror, vt non ita mihi multum ſit ex quaeſturae laude repetendum: ſed tamen non vereor, ne quis audeat dicere, vllius in Sicilia quaeſturam aut gratiorem, aut clariorem fuiſſe. vere mehercule hoc dicam. ſic tum exiſtimabam; nihil homines vnquam aliud Romae, niſi de quaeſtura mea, loqui. frumenti in ſumma caritate maximum numerum miſeram: negotiatoribus comis, mercatoribus iuſtus, municipibus liberalis, ſociis abſtinens, omnibus eram viſus in omni officio diligentiſſimus: excogitati quidam erant a Siculis honores inauditi: itaque hac ſpe decedebam, vt mihi populum R. vltro omnia delaturum putarem. at ego cum caſu diebus iis, itineris faciendi cauſſa, decedens e prouincia, Puteolos forte veniſſem, cum plurimi & lautiſſimi ſolent eſſe in iis locis; concidi paene, iudices, cum ex me quidam quaeſiſſet, quo die Roma exiſſem, & numquid in ea eſſet noui. cui cum reſpondiſſem, me e prouincia decedere; etiam mehercules, inquit, vt opinor ex Africa. huic ego iam ſtomachans faſtidiose, immo ex Sicilia, inquam. tum quidam, quaſi qui omnia ſciret, quid? tu neſcis, inquit, hunc Syracuſis quaeſtorem fuiſſe? quid multa? deſtiti ſtomachari, & me vnum ex iis feci, qui ad aquas veniſſent. ad ea res, iudices, haud ſcio, an plus mihi profuerit, quam ſi mihi tum eſſent omnes congratulati. nam poſtea quam ſenſi populum R. aures hebetiores, oculos acres, atque acutos habere: deſtiti, quid de me audituri eſſent homines, cogitare: feci, vt poſtea quotidie me praeſentem viderent: habitaui in oculis: preſſi forum: neminem a congreſſu meo neque ianitor meus, neque ſomnus abſterruit. ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem vnquam otioſum? nam quas tu commemoras,

memoras, Caſſi, legere te ſolere orationes, cum otioſus ſis; has ego ſcripſi ludis, & ferijs, ne omnino vnquam eſſem otioſus. etenim M. Catonis illud, quod in principio ſcripſit Originum ſuarũ, ſemper magnificum, & praeclarũ „putaui, clarorum virorum, atque magnorum non mi„nus otij, quam negotij, rationem exſtare oportere. ita, ſi quam habeo laudem; quae quanta ſit, neſcio; parta Romae eſt, quaeſita in foro; meaq. priuata conſilia publici quoque caſus comprobauerunt, vt etiam ſumma reſp. mihi domi fuerit gerenda, & vrbs in vrbe ſeruanda. Eadem igitur, Caſſi, via munita Laterenſi eſt, idem virtutis curſus ad gloriam, hoc facilior fortaſſe, quod ego huc a me ortus, & per me nixus adſcendi, iſtius egregia virtus adiuuabitur commendatione maiorum. Sed, vt redeam ad Plancium; numquam ex vrbe abfuit, niſi ſorte, lege, neceſſitate. non valuit rebus iiſdem, quibus fortaſſe nonnulli: at valuit aſſiduitate, at valuit obſeruandis amicis, valuit liberalitate: fuit in oculis: petiuit: eſt vſus ratione, qua, minima inuidia, noui homines plurimi eoſdem honores conſecuti ſunt. Nam quod ais, Caſſi, non plus me Plancio debere, quam bonis omnibus, quod iis aeque mea ſalus cara fuerit: ego me debere bonis omnibus fateor: ſed etiam ii, quibus ego debeo, boni viri, & ciues, aedilicijs comitijs, aliquid ſe meo nomine debere Plancio dicebant. verum fac me multis debere, & in his Plancio: vtrum igitur, me conturbare oportet, an ceteris, cum cuiuſque dies venerit, hoc nomen, quod vrget, nunc, cum petitur, diſſoluere? quamquam diſſimilis eſt pecuniae debitio, & gratiae. nam, qui pecuniam diſſoluit, ſtatim non habet id, quod reddidit; qui autem debet, is retinet alienum: gratiam autem, & qui refert, habet; &, qui habet, in eo ipſo, quod habet, refert. neque ego nunc Plancio deſinam debere, ſi hoc ſoluero: nec minus ei redderem voluntate ipſa, ſi hoc moleſtiae non accidiſſet.

EXPLANATIO

CYRENIS] vbi quaeſtor fuit, cum iam Praeneſte ludos feciſſet. ETIAM] affirmandi hoc in loco vim habet. FORVM:] mendoſe, Eorum, legebatur antea. locum Octauius meus emendauit, & alterum eiuſdem litterae mutatione ad Q. fr. ep. 1. lib. 1. pro, Qui fuit, Qui fuit, reponens. EADEM *via*] vt in oculis habitetur, forum prematur: non vt Cyrenas eatur. HVC] ad eos honores, quos geſſi. SORTE] cum quaeſtor in Macedonia fuit. nam quaeſtores deſignati ſortiebantur prouincias. LEGE [tribunus mil. a populo creatus. nam cum eſſent duo genera tribunorum mil. vnum a populo creabatur; qui comitiati vocabantur: alterum in exercitu ab imperatoribus. Aſconius. NECESSITATE] legi enim parere neceſſe eſt. Hoc *moleſtiae*] eius accuſatio, in qua gratiam reddo non ſola voluntate, ſed ipſa etiam re.

ORATIO

QVAERIS a me, Caſſi, quid pro fratre meo, qui mihi eſt cariſſimus, quid pro meis liberis, quibus nihil poteſt mihi eſſe iucundius, amplius, quam pro Plancio facio, facere poſſim: nec vides, iſtorum ipſorum caritate ad huius ſalutem defendendam maxime ſtimulari me, atque excitari. nam neque illis huius ſalute, a quo meam ſciunt eſſe defenſam, quidquã eſt optatius: & ego ipſe numquam illos adſpicio, quin per hunc me his cõſeruatum eſſe meminerim, huiusq. meriti in me recorder. Opimium damnatum eſſe commemoras, ſeruatorem ipſum reip. Calidium adiungis, cuius lege Q. Metellus in ciuitatem ſit reſtitutus. reprehendis meas pro Plancio preces, quod nec Opimius ſuo nomine liberatus ſit, nec Q. Metelli Calidius. De Calidio tibi tantum reſpondeo, quod ipſe vidi: Q. Metellum Pium conſulem praetorijs comitijs, petente Q. Calidio, populo R. ſupplicaſſe, cum quidem non dubitaret & conſul, & homo nobiliſſimus, patronum illum eſſe ſuum, & familiae ſuae nobiliſſimae, dicere. quo loco quaero ex te, num id in iudicio Calidii putes, quod ego in Plancii facio, aut Metellum Pium, ſi Romae eſſe potuiſſet, aut patrem eius, ſi vixiſſet, non fuiſſe facturum. nam Opimii quidem calamitas vtinam ex hominum memoria poſſet euelli. vulnus illud reip. dedecus huius imperii, turpitudo populi R. non iudicium putandum eſt. quam enim illi iudices, ſi iudices, & non parricidae patriae nominandi ſunt, grauiorem potuerunt reip. infligere ſecurim, quam cum illum e ciuitate eiecerunt, qui praetor finitimo, conſul domeſtico bello remp. liberarat? At enim nimis ego magnum beneficium Plancio, &, vt ais, id verbis exaggero. Quaſi vero me tuo arbitratu, & non meo gratum eſſe oporteat. Quod iſtius tantum meritum, inquis? an quia te non iugulauit? Immo vero, quia iugulari paſſus non eſt. Quo quidem tu loco, Caſſi, etiam purgaſti inimicos meos; meaeq. vitae nullas ab illis inſidias fuiſſe dixiſti. poſuit hoc idem Laterenſis. quamobrem de iſto paullo poſt plura dicam. de te tantum requiro, vtrum putes odium in me mediocre inimicorum fuiſſe. quod fuit illorum tantum? requiro. vtrum putes odium vmquam barbarorum tam immane, ac tam crudele in hoſtem? an fuiſſe in iis aliquem, aut famae metum, aut poenae, quorum vidiſti toto illo anno ferrum in foro, flammam in delubris, vim in tota vrbe verſari? niſi exiſtimas, eos iccirco vitae meae pepercisse, quod de reditu meo non timerent; & quemquam putas fuiſſe tam excordem, qui, viuis his, ſtante vrbe, & curia, rediturum me, ſi viuerem, non putaret. quamobrem non debes, is homo, & is ciuis, praedicare, vitam meam, quae fidelitate amicorum conſeruata ſit, inimicorum moleſtia non eſſe appetitam.

EXPLANATIO

OPTIMVM] a quo cõſule M. Fuluius Flaccus cõſularis & C. Gracchus tribunicius, interfecti ſunt. SERVATOREM *ipſum reip.*] periclitantis ob leges Gracchi. CALIDIVM *adiungis.*] damnatum. CVIVS] tribuni pl. vt in orat. poſt red. in ſen. SVO *nomine*] quod C. Gracchum pro communi otio necaſſet. LIBERATVS] abſolutus. nam iudices eum condemnarunt. Q. METELLVS] Numidicus, a tribuno pl. Appuleio Saturnino pulſus, quod in eius legem iurare noluiſſet. SVO *nomine*] quia remp. ſeruaſſet. NEC *Q. Metelli Calidius*] non ideo liberatus Calidius, quia ſua lege Metellum ab exſulio reuocaſſet. HOC] ſignificabat Caſſius, quãquam Plancij magna merita in Ciceronem exſtarent, nõ ideo tamen tum abſolui debere: cum nec Opimius, reip. ſeruator, nec reſtitutor Metelli Calidius, abſoluti iudicio ſint. SI. *Romae eſſe potuiſſet,*] proconſul erat in Hiſpania, cum Calidius eſt accuſatus. NON *fuiſſe factum.*] quaſi dicat: negari non poteſt, vtrumque factum fuiſſe in Calidij iudicio, quod ego nunc in Plancij cauſſa facio. FINITIMO] Fregellano. Fregellis vrbe capta. Aſconius. DOMESTICO] caeſis, vt iam dixi, domeſticis reip. hoſtibus, Flacco, & Graccho. ob quam inuidiam poſtea iudicio circumuentus eſt, & in exſulium actus. Aſconius. NON *iugulauit?*] cum ad eum Macedonia quaeſtorem lege Clodia pulſus Cicero venit. IVGVLARI] a Clodianis. TANTVM? *requiro*] etſi ferri poteſt iteratio eiuſdem verbi: videat tamen lector, an ſine, Requiro, ſit elegantius. TOTO *illo anno*] tribuno pl. Clodio.

ORATIO

RESPONDEBO tibi nunc, Laterenſis, minus fortaſſe vehementer, quam abs te ſum prouocatus, ſed profecto nec conſiderate minus, nec minus amice. Nam primum illud fuit aſperius, me, quae de Plancio dicerem, mentiri, & temporis cauſſa fingere. ſcilicet homo ſapiens excogitaui, quamobrem viderer maximis beneficij vinculis obſtrictus, cum liber eſſem, & ſolutus. quid enim? mihi ad defendendum Plancium parum multae, parum iuſtae neceſſitudines erant, familiaritatis, vicinitatis, patris amicitiae? quae ſi non eſſent; vereor, credo, ne turpiter facerem ſi hoc ſplendore, & hac dignitate hominem defenderem. fingenda fuit mihi, iudices, cauſſa peracuta, vt ei, quem mihi debere oporteret, ego me omnia debere dicerem. at id etiam gregarij milites faciunt inuiti, vt coronam dent ciuicam, & ſe ab aliquo ſeruatos eſſe fateantur: non quo turpe ſit, pro tectum in acie, hoſtium manibus eripi; nam id accidere, niſi forti viro, & pugnati comminus, non poteſt: ſed onus beneficij reformidãt, quod permagnum eſt alieno debere idem, quod parenti. ego, cum ceteri vera beneficia. etiam minora diſſimulent, ne obligati eſſe videantur; eo me beneficio obſtrictum eſſe ementiar, cui ne referri quidem gratia poſſe videatur? an hoc tu, Laterenſis, ignoras? qui, cum mihi eſſes amiciſſimus; cum vel periculum vitae tuae mecum ſociare voluiſſes: cum me in illo triſti, & acerbo luctu, atque diſceſſu non lacrumis ſolum tuis, ſed animo, corpore, copijs proſecutus eſſes; cum meos liberos, & vxorem, me abſente, tuis opibus, auxilioq. defendiſſes; ſic mecum ſemper egiſti, te mihi remittere, atque concedere, vt omne ſtudium meum in Cn. Plancij honorem conſumerem, quod eius in me meritum tibi etiam gratum eſſe dicebas. nihil autem me noui, nihil temporis cauſſa dicere. non ne etiam illa teſtis eſt oratio, quae eſt a me prima habita in ſenatu? in qua, cum perpaucis nominatim egiſſem gratias, quod omnes enumerari nullo modo poſſent; ſcelus autem eſſet quemquam praeteriri; ſtatuiſſemq. eos ſolum nominare, qui cauſſae noſtrae duces, & quaſi ſigniferi fuiſſent; in his Plancio gratias egi. recitetur oratio, quae, propter eius magnitudinem, dicta de ſcripto eſt. in qua ego, homo aſtutus, ei me dedam, cui nihil magnopere debeam, & huius tanti officij ſeruitutem adſtringam teſtimonio ſempiterno. nolo cetera, quae a me mandata ſunt litteris, recitare: praetermitto illa, ne aut proferre videar ad tempus, aut eo genere vti litterarum, quod meis ſtudijs aptius, quam conſuetudini iudiciorum eſſe videatur.

EXPLANATIO

VICINITATIS,] Arpinates enim Atinatibus finitimi erant, Plancius autem ex praefectura Atinati. QVEM *mihi debere oporteret,*] quia eum defenderem. ALIENO] militi, nulla propinquitate coniuncto. IDEM *quod parenti.*] vitam ipſam. CONSVMEREM,] quo anno aedilitas vtrique petenda eſſet. IN *his Plancio gratias egi.*] his verbis: Cuius mei ſenſus certiſſimus teſtis eſt hic idẽ, qui cuſtos capitis fuit, Cn. Plancius: qui, omnibus prouincialibus ornamentis, commodisq. depoſitis, totam ſuam quaeſturam in me ſuſtentando, & conſeruando collocauit. qui ſi mihi quaeſtor imperatori fuiſſet, in filij loco fuiſſet; nunc certe erit in parentis, cum fuerit quaeſtor non imperij, ſed doloris mei. CVI *nihil magnopere debeam,*] debere enim ſe ei, cui nihil magnopere debeatur, non aſtuti, ſed ſtulti hominis eſſet. HVIVS *tanti officij*] quod ei praeſtandum a me ſit, optime de me merito. SERVITVTEM adſtringam] ſi nihil hic mutetur, recte: nec male tamen, ſi quid mutetur. nam mihi venit in mentem legi poſſe, ſeruitute me adſtringam. CETERA] de eodem Plancio. quae tamen in illa oratione non ſunt: ſed ea litteris a ſe mandata dicit, quo gratus eſſe videatur.

ORATIO

At que etiam clamitas, Laterenſis: Quouſque iſta dicis? nihil in Ciſpio profeciſti: obſoletae iam ſunt preces tuae. De Ciſpio mihi ne tu obijcies, quem ego de me bene meritum, quia te teſte cognoueram, te eodem auctore defendi? & ei dices: Quouſque, quem negas, quod pro Ciſpio contenderit, impetrare potuiſſe? nam iſtius verbi, Quouſque, haec poterat eſſe inuidia. datus eſt tibi ille, condonatus ille: non facis finem: ferre non poſſumus. ei quidem, qui pro vno laborarit, & ipſum id non obtinuerit, dici, Quouſque. irridentis magis eſt, quam reprehendentis. niſi forte ego vnus ita me geſſi in [illegible]; ita & cum his, & inter hos vixi; ic in cauſſis patronus, ic in rep. ciuis & ſum, & ſemper fui, ſolus vt a te cõſtituar, qui nihil a iudicibus debeam vmquam impetrare. Et mihi lacrumulam Ciſpiani iudicij obiectas. ſic enim dixiſti, Vidi ego tuam lacrumulam. Vide, quam me verbi tui paeniteat. non modo lacrumulam, ſed multas lacrumas, & fletum cum ſingultu videre potuiſti. an ego, qui meorum lacrumis, me abſente, commotus, ſimultates, quas mecum habebat, depoſuiſſet, meaeq. ſalutis non modo non oppugnator, vt inimici mei putarant, ſed etiam defenſor fuiſſet, huius in periculo non dolorem meum ſignificarem? tu autem, Laterenſis, qui tum lacrumas meas gratas eſſe dicebas, nunc eaſdem vis inuidioſas videri.

EXPLANATIO

NIHIL *in Ciſpio profeciſti:*] defendiſti Ciſpium, nec tamen abſolutus eſt: nihil iam valent apud dices preces tuae. M. Ciſpius tribunus pl. fuerat, quo anno Cicero reſtitutus eſt. Poſt red. in ſen. Quid M. Ciſpius? cui ego ipſi, parenti, fratriq. eius ſentio quantum debeam: qui, cum a me voluntas eorum in priuato iudicio eſſet offenſa, publici mei beneficij memoria priuatam offenſionem obliterauerunt. Pro Sextio. Venientem in forum virum optimum, & conſtantiſſimum, M. Ciſpium tribunum pl. vi depellunt. OBSOLETAE *iam ſunt preces tuae.*] vſu iam tritae, atque conſumptae. Moneo lectorẽ, obſoletae, meum eſſe, Abſolutae, & Peruulgatorum, & veterum librorum quod cuique magis placet, id ſequatur. QVI *nihil a iudicibus debeam vmquam impetrare.*] nam ſi in Ciſpio nihil profeci, quod tu mihi obijcis: at in Plancio proficere me poſſe? non deſpero. niſi forte eum eſſe me vis, qui nihil a iudicibus debeam vmquam impetrare. SIMVLTATES, *quas mecum habebat, depoſuiſſet.*] de quo proxime locum recitaui ex ea Poſt red. in ſen. TVM] in Ciſpiano iudicio. GRATAS *eſſe dicebas,*] mihi enim, vt Ciſpium defenderem, auctor fueras.

ORATIO

Negas tribunatum Plancij quidquam attuliſſe adiumenti dignitati meae: atque hoc loco, quod veriſſime facere potes, L. Racilij, fortiſſimi, & conſtantiſſimi viri, diuina in me merita commemoras: cui quidem ego, ſicut Plancio, numquam diſſimulaui me plurimum debere, ſemperq. prae me feram. nullas enim ſibi ille neque contentiones, neque inimicitias, neque vitae dimicationes nec pro rep. nec pro me defugiendas putauit. atque vtinam, quam ego ſum in illum gratus, tam licuiſſet per hominum vim, & iniuriam populi R. ei gratiam referri. ſed, ſi non eadem contendit in tribunatu Plancius; exiſtimare debes; non huic voluntatem defuiſſe, ſed me, cum iam Plancio deberem, Racilij beneficijs fuiſſe contentum. An vero putas iudices idcirco minus mea cauſſa facturos, quod me eſſe gratum criminaris? an, cum populus R. illo S. C. quod in monumento Marii factum eſt, quo mea ſalus omnibus eſt gentibus commendata, uni Cn. Plancio gratias egerit, (vnus enim fuit de magiſtratibus defenſor ſalutis meae; cui ſenatus pro me gratias agendas putauit) ei ego a me referendam gratiam non putem? atqui, eum eum vides, quo me tandem animo in te putas eſſe, Laterenſis? vllum eſſe tantum periculum, tantum laborem, tantam contentionem, quam ego non modo pro ſalute tua ſed etiam pro dignitate defugerem? quo quidem etiam magis ſum, non dicam miſer, (natura quidem abhorret a virtute verbi) ſed certe exercitus: non quia multis debeo; (leue enim onus, beneficii gratia) ſed quia ſaepe concurrit, propter aliquorum de me meritorum inter ipſos contentiones, vt, eodem tempore in omnes, vereor, ne vix poſſim gratus videri. ſed ego hoc meis ponderibus examinabo, non ſolum quid cuique debeam, ſed etiam quid cuiuſque interſit, & quid a me cuiuſque tempus poſcat. agitur ſtudium tuum vel etiam, ſi uis, exiſtimatio, laus, aedilitas: at Cn. Plancii ſalus patria, fortunae. ſaluum tu me eſſe cupiſti: hic fecit, etiam ut eſſe poſſem. diſtineor tamen, & diuellor dolore, & in cauſſa diſpari offendi te a me doleo: ſed medius fidius multo citius mea ſalutem pro te obiecero, quam Cn. Plancio ſalutem tradidero contentioni tuae. etenim, iudices, cum omnibus virtutibus me affectum eſſe cupiam, tamen nihil eſt, quod malim, quam me & gratum eſſe, & videri. haec eſt enim una virtus non ſolum maxima, ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum. quid eſt pietas, niſi voluntas grata in parentes? qui ſunt boni ciues, qui belli, qui domi de patria bene merentes, niſi qui patriae beneficia meminerunt? qui ſancti, qui religionum colentes, niſi qui meritam diis immortalibus gratiam iuſtis honoribus, & memori mente perſoluunt? quae poteſt eſſe iucunditas vitae, ſublatis amicitiis? quae porro amicitia poteſt eſſe inter ingratos? quis eſt noſtrum liberaliter educatus, cui non magiſtri ſui, atque doctores, cui non locus ille mutus, ubi

ipſe altus, aut doctus eſt, cum grata recordatione in mente verſetur? cuius opes tantae eſſe poſſunt, aut vnquam fuerunt, quae ſine multorum amicorum officijs ſtare poſſint? quae certe, ſublata memoria, & gratia, nulla extare poſſunt. equidem nil tam proprium hominis exiſtimo, quam non modo beneficio, ſed etiam beneuolentiae ſignificatione alligari: nihil porro tam inhumanum, tã immane, tam ferum, quam committere, vt beneficio, non dicam indignus, ſed victus eſſe videare. quae cũ ita ſint, iam ſuccumbam, Laterenſis, iſti tuae orationi: in eo ipſo, in quo nihil poteſt eſſe nimium, quoniam ita tu vis, nimium me gratum eſſe concedam: petamq. a vobis, iudices, vt eum beneficio complectamini, quem qui reprehenderis, in eo reprehendit, quod gratum praeter modũ dicat eſſe. Neque enim ad negligendam meam gratiam debet valere, quod dixit idem, vos nec nocentes, nec litigioſos eſſe, quominus me apud vos valere oporteret. Quaſi vero in amicitia mea nõ haec praeſidia, ſi qua ſorte ſunt in me, parata ſemper amicis eſſe maluerim, quam neceſſaria. etenim ego de me tantum audeo dicere, amicitiam meam voluptati pluribus, quam praeſidio, fuiſſe: meq. vehementer vitae meae paeniteret, ſi in mea familiaritate locus eſſet nemini, niſi litigioſo, aut nocenti. ſed hoc neſcio quo modo frequenter in me congeſſiſti: ſaneq. in eo creber fuiſti, te icciveo in locos cauſſam conijcere voluiſſe, ne ego mea conſuetudine aliquid de tenſis miſericordiae cauſſa dicerem, quod in alijs aedilibus ante feciſſem. non nihil egiſti hoc loco: nam mihi eripuiſti ornamentum orationis meae. deridebar, ſi mentionem tenſarum fecero, cum tu id praedixeris: ſine tenſis autem quid potero dicere?

EXPLANATIO

TRIBVNATVM *Plancij*] quem geſſit Marcellino & Philippo coſ. ep. 1. lib. 2. ad Q. fr. TAM *h* *euiſſet per hominum vim, & iniuriam populi Romani ei gratiam referri.*] ſignificat Racilium populi iudicio iniuſte damnatum. IN *monumento Marij*] in templo Virtutis, quod C. Marius extruxit. pro Sextio. DE *magiſtratibus*] quaeſturam enim Plancius in Macedonia gerebat. EVM *cum vides*] cum Plancium adſpicis, cui gratiam nunc refero. A VIRTVTE *verbi*] a ſignificatione verbi, Miſer. IN *cauſſa diſpari*] tu enim perdere Plancium vis. ego conſeruare. VT *enim beneficio complectamini,*] de ſe ipſo dicit. beneficium autem, quod petit, Plancij ſalus eſt. AD *negligendam meam gratiam*] vt meam gratiam negligatis. VOS *nec nocentes, nec litigioſos eſſe,*] itaque accidere non poſſe, vt mea vobis opera in iudicijs prodeſſe poſſit. qui enim nocens non eſt, hominum eloquentium defenſione parum indiget: qui libenter non litigat, ei de oratorum gratia laborandum non eſt. QVAM *neceſſaria.*] ſunt enim in periculis neceſſaria. IN *locos cauſſam conijcere*] in locos communes, exaggerandi gratia: cum orator, vt commoueat animos iudicum, digreditur a cauſſa. DE *tenſis*] de ſacris vehiculis. IN *alijs aedilibus*] quos anno ſuperiore, item de ambitu accuſatos, cum defenderet, facta tenſarum mentione miſericordiam commouit.

ORATIO

HIc etiam addidiſti, me icciveo mea lege ex iſto ambitu traxiſſe, vt miſerabiliores epilogos poſſẽ elicere. Non vobis videor cum aliquo declamatore, non cauſſa laboris, & fori diſputare? Rhodi enim, inquit, non fui: me vult fuiſſe. ſed fui, inquit, (putabam, in Nicaeis, dicturum) bis in Bithynia. Si locus haberet reprẽhenſionis anſam aliquam; neſcio, cur ſeueriorem Nicaeã putes, quam Rhodum. ſi ſpectanda cauſſa eſt; & tu in Bithynia ſumma cum dignitate fuiſti, & ego Rhodi non minore. Nam quod in eo me reprehendiſti, quod nim iũ multos defenderim: utinam & tu, qui potes, & ceteri, qui defugiunt, vellent me labore hoc leuare: ſed ſit veſtra diligentia, qui in cauſſis ponderãdis omnes fere repudiatis, vt ad nos pleraeque confluant, qui miſeris, & laborantibus nihil negare poſſumus. Abſoluiſti etiam, quod in Creta fuiſſes, dictum aliquod in petitione ſua dici potuiſſe, me id perdidiſſe. Vter igitur noſtrum eſt cupidior dicti, egone, qui, quod dici potuit, non dixerim, an tu, qui etiam ipſe in te dixeris? Te, aiebas de tuis rebus geſtis nullas litteras miſiſſe, quod mihi meae, quas ad aliquem miſiſſem, obfuiſſent. quae ego mihi obfuiſſe non intelligo, reip. video prodeſſe potuiſſe.

EXPLANATIO

MEA *lege*] quam conſul tulit, aucta, poena, & irrogato ordini ſenatorio decem annorũ exſulio. ME ICCIRCO *mea lege ex illo ambitu traxiſſe,*] Mea lege: quam de ambitu conſul tuli irrogato decem annorum exſulio. Ex illo ambitu: qui me conſule fuit. Traxiſſe: ex illo ambitu ſumpſiſſe, & quaſi per vim traxiſſe quae in meam legẽ cõtuli. QVO *miſerabiliores epilogos poſſem dicere.*] quo plus miſericordiae, cum de ambitu accuſatos defendere, in epilogis commouere poſſem: cũ reis honorẽ, dignitatẽ, patriã ipſam, ſi damnarentur, impẽdere dicerẽ. iocabatur ijs verbis Laterenſis in Ciceronẽ, qui Rhodi, ideſt in inſula amoeniſſima, Appollonio Moloni operam dederat. ME *vult fuiſſe.*] hoc dicit, vt fuiſſe me ſignificet. IN NICAEIS] duae ſunt Nicaeae, vna in Gallia, altera in Bithynia. vtramque Cicero complexus eſt vno nomine, cum de vna tamen Bithynia loqueretur. IN *Bithynia.*] ego quoque eloquentiae cauſſa. CVR *ſeueriorem Nicaeam putes,*] hinc apparet quod ſupra dictum

eſt:

eſt: Rhodi non fuiſ ad loci reprehenſionem obiectum eſſe. I*N Creta*] non quaeſtor, (nam, Cyrenis quaeſtorem fuiſſe, ſupra demonſtratum eſt) ſed legatus. D*ICTVM aliquod*] dicere dicta, vſitatum eſt: propterea malui legere, Aliquod quam, Aliquid. I*N petitione tua*] aedilitatis. M*E id perdidiſſe.*] qui dictis delectari ſoleam. Sed cur Creta dicti occaſionẽ afferebat? opinor, quod inſula a litteris abhorrens, expers eloquentiae prorſus eſſet. I*PSE in te dixerit?*] cum admonuiſti, te in Creta fuiſſe. D*E tuis rebus geſtis*] in Creta, aut Cyrenis. Q*VAS ad aliquem miſiſſem*,] ſignificat ea, quae conſul geſſit: de quib. fortaſſe ſcripſit in Aſiam ad Pompeium. ad eum enim potius, quam ad quemquam alium, ſcripſiſſe, veriſimile videtur.

O R A T I O

SEd ſunt haec leniora: illa vero grauiora, atque magna, quod meum diſceſſum, quem ſaepe defleras, nunc quaſi reprehẽdere, & ſubaccuſare voluiſti: dixiſti enim, non auxilium mihi, ſed me auxilio defuiſſe. Ego vero fateor mehercule, quod viderint mihi auxilium nõ deeſſe, iccirco me illi auxilio pepercisse, quis enim ſtatus, quod diſcrimen, quae fuerit in rep. tempeſtas illa, quis neſcit? tribunicius me terrore, an conſularis furore mouit? decertare mihi ferro magnum fuit cum reliquiis eorum, quos ego florentes, atque integros ſine ferro viceram. conſules poſt hominum memoriam taeterrimi, atque turpiſſimi, ſicut & illa principia, & hi recentes rerum exitus declarant, quorum alter exercitum perdidit, alter vendidit; emptis prouinciis, a ſenatu, a rep. a bonis omnibus defecerant, qui exercitibus, qui armis, qui opibus plurimum poterant. cum, quid ſentirent, neſcíretur; furialis illa vox, nefariis ſtupris, religioſis altaribus effeminata, ſecum & illos, & conſules facere, acerbiſſime perſonabat. egentes in locupletes, perditi in bonos, ſerui in dominos armabantur. aderat mecum ſenatus, & quidem veſte mutata; quod pro me vno poſt hominum memoriam publica conſilio ſuſceptum eſt. ſed recordare, qui tum fuerint conſulum nomine hoſtes, qui ſoli in hac vrbe ſenatum ſenatui parere non ſinerint, edictoque ſuo non luctum patribus conſcriptis, ſed luctus indicia ademerint. aderat mecum cunctus equeſter ordo: quem quidem in concionibus ſaltator ille Catilinae conſul proſcriptionis denunciatione terrebat. at tota Italia conuenerat: cui quidem belli inteſtini, & vaſtitatis metus inferebatur. hiſce ego auxiliis ſtudentibus, atque incitatis vti me, Laterenſis, potuiſſe confiteor: ſed erat non iure, non legibus, non diſceptando decertandum: nam profecto, praeſertim tam bona in cauſſa, numquam, quo ceteri abundarunt, id mihi ipſi auxilium meum defuiſſet: armis fuit, armis, inquam, fuit dimicandum; quibus a ſeruis, atque a ſeruorum ducibus caedem fieri ſenatus, & bonorum, reip. exitioſum fuiſſet. vinci autem improbos a bonis, fateor fuiſſe praeclarum, ſi finem eum vincendi viderem: quem profecto non videbam. vbi enim praeſto fuiſſet mihi aut tam fortis conſul, quam L. Opimius, quam C. Marius, quam L. Flaccus, quibus ducibus improbos ciues reſp. vicit armatis; aut, ſi minus fortes, attamen tam iuſti, quam P. Mucius, qui arma, quae priuatus P. Scipio ſumpſerat, ea, Ti. Graccho interempto, iure optimo ſumpta eſſe defendit? eſſet igitur pugnandum cum conſulibus. nihil amplius dico, niſi illud: victoriae noſtrae graues aduerſarios paratos, interitus nullos vltores eſſe videbam. Hiſce ego auxiliis ſalutis meae ſi iccirco deſui, quia nolui dimicare, fatebor, id quod vis, non mihi auxilium, ſed me auxilio defuiſſe: ſin autem, quo maiora ſtudia in me bonorum fuerunt, hoc iis magis conſulendum, & parcendum putaui; tu id in me reprehendis, quod Q. Metello laudi datum eſt, hodieque eſt, & ſemper erit maxima gloriae: quem, vt potes ex multis audire, qui tum affuerunt, inuictiſſimis viris, conſtat bonis ceſſiſſe, nec fuiſſe dubium, quin contentione, & armis, ſuperior poſſet eſſe. ergo ille cum ſuum, non cum ſenatus factum defenderet; cum perſeuerantiam ſententiae ſuae, non ſalutem reip. retinuiſſet; tamen ob illam cõſtantiam, quae illud voluntarium vulnus accepit, iuſtiſſimos omnium Metellorum, & clariſſimos triumphos gloriae laude ſuperauit; quod & illos ipſos improbiſſimos ciues interfici noluit; &, ne quis bonus interiret in eadem caede, prouidit: ego, tantis periculis propoſitis, cum, ſi victus eſſem, interitus reip. ſi viciſſem, infinita dimicatio pararetur; committerem, vt idem perditor reip. nominarer, qui ſeruator fuiſſem? Mortem me timuiſſe dicis. Ego vero ne immortalitatem quidem contra remp. accipiendam putarem, nedum emori cum pernicie reip. vellem. nam, qui pro rep. vitam reddiderunt, (licet me deſipere dicas) nũquam mehercule eos mortem potius, quam immortalitatem aſſecutos putaui. ego vero ſi tum illorum impiorum ferro ac manu concidiſſem, in perpetuum reſp. ciuile praeſidium ſalutis ſuae perdidiſſet. quin etiam, ſi me vis aliqua morbi, aut natura ipſa, conſumpſiſſet; tamen auxilia poſteritatis eſſent imminuta, quod peremptum eſſet mea morte id exemplum, qualis futurus in me retinendo fuiſſet ſenatus, populusque Rom. An, ſi vmquam in me vitae cupiditas fuiſſet, ego menſe Decembri mei conſulatus omnium parricidarum tela commoſſem? quae, ſi viginti qui eſſem dies, in aliorum iugulum conſulum recidiſſent. Quamobrem, ſi vitae cupiditas contra remp eſt turpis: certe multo mortis cupiditas mea turpior fuiſſet cum pernicie ciuitatis.

E X P L A N A T I O

M*E illi auxilio pepercisse.*] me illo auxilio vti voluiſſe. A*N conſularis furor*] propter conſules, cum tribuno pl. Clodio coniunctos, pugnare ſe noluiſſe oſtendit. E*XERCITVM perdidit,*] Piſo: vt in ora. de Prou. Exercitus ille noſter, ſuperbiſſimo delectu, & duriſſima cõquiſitione collectus, omnis interiſt. V*ENDIDIT,*] Gabinius Alexandrino regi. in Piſonem: Se ipſum, faſces ſuos, exercitum populi Romani numen, interdictumq. deorum immortalium, reſponſa ſacerdotum, auctoritatem ſenatus,

ſenatus,iuſſu populi,nomen ac dignitatem imperij regi Aegyptio vendidit. E M P T I S *prouinciis ſuis* Clodio,qui,lege lata,Piſoni Macedoniam Gabinio Syriam tradidit. Q V I *exercitu s, qui armis,*] hoc ad Caeſarem pertinet,qui erat adhuc in Italia cum exercitu,illud autem,Qui opibus,ad Pompeiũ, & Craſſum,qui priuati erant,pertinet.pro Sextio: Ex quibus vnum habere exercitum maximum in Italia,duos qui priuati tum eſſent,& praeeſſe,& parare,ſi vellent,exercitum poſſe,idq. facturos eſſe dicebat. L V C T V S *indiſia*] atram veſtem,maeroris indicium? S A L T A T O R *illi* [illegible]] Gabinius.Poſt Red.in ſen. Cur in luſtris,& heluationibus huius calamiſtrati ſaltatoris eximia virtus,tam diu ceſſauit? Pro Domo: Campanũ illum conſulem cum ſaltatore collega.In Piſonem: Tu ex tenebricoſa popina conſul extractus cum illa ſaltatrice tonſa ſenatũ reip.occaſum atq. interitum lugere vetuiſti P R O S C R I P T I O N I S] qui L. Lamiam in concione relegauerit,&,vt ab vrbe abeſſet millia paſſuum ducenta,edixerit.pro Domo: Equitibus Romanis mortem, proſcriptionemq. minitarentur. A T *tota Italia*] At,ſine dubio abundat,fortaſſe nanim ex antecedente Syllaba. L. F L A C C V S,] conſul,C.Marij collega. I M P R O B O S *ciues*] M.Fuluium Flaccum conſularem,& C.Gracchum tribuniciũ.Opimio conſule: Saturninum tribunũ pl & Glauciam pretorem,C.Mario,L.Valerio Flacco coss. Q. M E T E L L O] Numidico. S V V M,] quia iurare noluit in legem Saturnini. S E N A T V S *factum*] quod ego defendiſſem,ſi pugnare voluiſſem. nam ſenatus coniuratos extremo ſupplicio afficiendos cenſuit: cui conſul parui. C I V I L E *praeſidium*] non.n. ei mortuus opem illam ferre poſſem. V I S *aliqua morbi*] ante exitum illum vitae,quem natura praeſcripſit. propterea ſubiungit: Aut natura ipſa. natura n.iuuenes quoque,non modo ſenes,moriuntur. A V X I L I A *poſteritatis*] auxilia quae in poſterum habere poſſet reſp. I N *me retinendo*] non,retineudo,ne iret in exſulium: non.n. ſenatus eum, populus Romanus retinuit: ſed retinendo,ideſt conſeruando,reſtituendo,in quo populus Romanus cum ſenatu egregie conſenſit. A B *omnibus eiſdem,*] vt a Caeſare,& Pompeio.

O R A T I O

NAm quod te in rep. liberum eſſe gloriatus es,id ego & fateor, & laetor, & tibi etiam in hoc gratulor: quod me autem negaſti,in eo neque te,neque quemquam diutius patiar errare. nam,ſi quis iccirco aliquid de libertate mea deminutum putat,quod non ab omnibus eiſdem,a quibus antea ſolitus ſum aſſentire, diſſentiam: primum,ſi bene de me meritis gratum me praebeo,non deſino incurrere in crimen hominis nimium memoris, nimiumque grati: ſin autem ſine vllo reip. detrimento reſpicio etiam aliquando ſalutem tum meam,tum meorum; certe non modo non ſum reprehendendus, ſed etiã, ſi ruere vellem,boni viri me,vt id ne facerem, rogarent: res vero ipſa publica,ſi loqui poſſet, ageret mecum, vt, quoniam ſibi ſeruiſſem ſemper, numquam mihi ſ fructus autem ex ſeſe, non,vt oportuiſſet, laetos, & vberes, ſed magna acerbitate permiſtos tuliſſem; vt iam mihi ſeruirem,conſulerem meis; ſe non modo ſatis habere a me, ſed etiam vereri,ne parum mihi pro eo, quod tum a me haberet,reddidiſſet. quid,ſi horum ego nihil cogito,& idem ſum in repub.qui fui ſemper: tamen ne tu libertatem requires meam? quam tu ponis in eo,ſi ſemper cum iis,quibuſcum aliquando contendimus, depugnemus. quod eſt longe ſecus.ſtare enim omnes debemus tamquam in orbe aliquo reip.qui quoniam verſetur,eam deligere partem debemus,ad quam nos illius vtilitas, ſaluſque conuerterit. ego autem Cn. Pompeium, non dico auctorem, ducem, defenſorem ſalutis meae, (nam haec priuatim fortaſſe officiorum memoriam, & gratiam quaerunt) ſed dico hoc,quod ad ſalutem reipub. pertinet: ego eum non tuear,quem omnes in repub. principem eſſe concedant? ego C.Caeſaris laudibus deſim,quas primum populi R. nunc etiam ſenatus,cui me ſemper addixi,plurimis, atque ampliſſimis iudicijs videam eſſe celebratas? tũ hercule me confitear non iudicium aliquod habuiſſe de reip. vtilitate, ſed hominibus amicum,aut inimicum fuiſſe. an,cum videam nauem ſecundis ventis curſum tenentem ſuum,ſi non ea eum petat portum, quem ego aliquando probaui,ſed alium non minus tutum,atque tranquillum; ſ am tempeſtate pugnem perículoſe potius, quam illi, ſalute praeſertim propoſita,obtemperem,& paream? neque enim inconſtantis puto, ſententiam, tamquam aliquod nauigium, atque curſum, ex reipub. tempeſtate moderari: ego vero haec didici, haec vidi, quae ſcripta legi; haec de ſapientiſſimis & clariſſimis viris & in hac repub. & in aliis ciuitatibus monumenta nobis litterae prodiderunt; non ſemper eaſdem ſententias ab iiſdem, ſed quaſcumque reip.status, inclinatio temporum, ratio concordiae poſtularet,eſſe defendendas. quod ego & facio, Laterenſis,& ſemper faciam, libertatemque quam in me requiris,quam ego neque dimiſi vnquam, neque dimittam,non in pertinacia,ſed in quadam moderatione poſitam putabo.

E X P L A N A T I O

V T. I A M *mihi ſeruirem,*] Vt,abundat: ſed iteratum apud Ciceronem ſaepe reperitur. Q V I *quoniam verſetur,*] Qui cum verſetur,puto rectius,litterarum ſimilitudo errorem fortaſſe peperit. nam,Quem,pro Cum,olim ſcribebant,vnde,Quoniam, facile fluxit. P O P V L I *Romani*] a quo Galliam citeriorem in quinquennium,inuito ſenatu,Vatinia lege accepit. S E N A T V S] a quo ſingularibus & nouis honoribus ornatus: vt in orat.de Prou. & in ep.ad Lentulum.

ORATIO

NVNC venio ad illud extremum, quod dixiſti, dum Plancij in me meritum verbis extollerem, me arcem facere ex cloaca, lapidemq. e ſepulcro venerari pro deo: neque enim mihi inſidiarum periculum vllum, neque mortis fuiſſe. Cuius ego temporis rationem explicabo breui, neque inuitus: nihil enim ex meis eſt temporibus, quod minus peruagatum, quodque minus aut mea commemoratione celebratum ſit, aut hominibus auditum, atque notum. Ego enim, Laterenſis, ex illo incendio legum, iuris, ſenatus, bonorum omnium cedens, cum mea domus ardore ſuo deflagrationẽ vrbi, atque Italiae toti minaretur, niſi quieuiſſem; Siciliam petiui animo: quae & ipſa erat mihi, ſicut domus vna, coniuncta, & obtinebatur a C. Virgilio. quo cum me vno vel maxime * cum vetuſta amicitia, tum mei fratris collegiũ, tũ reſp. ſociarat. vide nunc caliginem temporum illorum. cum ipſa paene inſula mihi ſeſe obuiam ferre vellet; praetor ille, eiuſdem tribuni pl. concionibus propter eãdem reip. cauſſam ſaepe vexatus, nihil amplius dico, niſi, me in Siciliam venire noluit. quid dicam? C. Virgilio, tali ciui, & viro, beneuolentiam in me, memoriam communium temporum, pietatem, humanitatẽ, fidem defuiſſe? nihil videlicet eſt eorum: ſed, quam tempeſtatem nos vobiſcũ non tuliſſemus, metuit vt eam ipſe non poſſet opibus ſuis ſuſtinere. tum conſilio repẽte mutato, iter a Vibone Brundiſium terra petere contendi. nam maritimos curſus praecludebat hiemis magnitudo. cum omnia illa municipia, quae ſunt a Vibone Brundiſium, in fide mea, iudices, eſſent, iter mihi tutum, multis minitantibus, magno cum ſuo metu praeſtiterunt. Brundiſium veni, vel potius ad moenia acceſſi: vrbem vnam mihi amiciſſimam declinaui: quae ſe vel potius exſcindi, quam e ſuo complexu vt eriperer, facile pateretur. in hortos me M. Lenij Flacci contuli: cui cum omnis metus, publicatio bonorum, exſilium, mors proponeretur, haec perpeti, ſi accidèrent, maluit, quam cuſtodiam mei capitis dimittere. huius ego, & parentis eius, prudentiſſimi, atque optimi ſenis, & vtriuſque filiorum manibus in naui tuta, ac fideli collocatus, eorumque preces, & vota de meo reditu exaudiens, Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi. quo cum veniſſem, cognoui, id quod audieram, refertam eſſe Graeciam ſceleratiſſimorum hominum, ac nefariorum, quorum impium ferrum, ignesq. peſtiferos meus ille conſulatus e manibus extorſerat: qui ante quam de meo aduentu audire potuiſſent, cum tum abeſſent; aliquorum dierum viam in Macedoniam, ad Plancium q. perrexi. hic vero ſimul atque me mare tranſiſſe cognouit: audi, atque attende, Laterenſis, vt ſcias quid ego Plancio debeam, confitearisq. aliquando, quod faciam, me & grate, & pie facere, huic, quae pro ſalute mea fecerit, ſi minus pro futura ſint, obeſſe certe non oportere. nam ſimul ac me Dyrrhachium attigiſſe audiuit, ſtatim ad me, lictoribus dimiſſis, inſignibus abiectis, veſte mutata profectus eſt. O acerbã mihi, iudices, memoriam temporis illius, & loci, cum hic in me inſidit. complexus eſt, conſperſitq. lacrumis, nec loqui prae maerore potuit. o rem cum auditu crudelem, tum viſu nefariam: o reliquas omnes dies noctesq. eas, quibus iſte a me non recedens Theſſalonicam me, in quaeſtoriumque perduxit. hic ego nunc de praetore Macedoniae nihil dicam amplius, niſi eum, & ciuem optimum ſemper, & mihi amicum fuiſſe, ſed eadem timuiſſe, quae ceteros; Cn. Plancium fuiſſe vnum, non qui minus timeret, ſed, ſi acciderent ea, quae timerentur, mecum ea ſubire, & perpeti vellet. qui, cum ad me L. Tubero, meus neceſſarius, qui fratri meo legatus fuiſſet, decedens ex Aſia veniſſet, easque inſidias, quas mihi paratas ab exſulibus coniuratis audierat, animo amiciſſimo detuliſſet; in Aſiam me ire, propter eius prouinciae tactum, & cum meo fratre necis inſidias comperatas, non eſt paſſus. vi me, inquam, Plancius, & complexu ſuo retinuit; multosque menſes a capite meo non diſceſſit, abiecta quaeſtoria perſona, comitisq. ſumpta. O excubias tuas, Cn. Planci, miſeras, o flebiles vigilias, o noctes acerbas, o cuſtodiam etiam mei capitis infelicem ſi quidem ego tibi viuus nõ proſum qui fortaſſe mortuus profuiſſem. memini enim, memini, neque umquam obliuiſcar noctis illius, cum tibi vigilanti, aſſidẽti, maerenti vana quaedam miſer, atque inania, falſa ſpe inductus, pollicebar; me, ſi eſſem in patriam reſtitutus, praeſentem tibi gratiam relaturum; ſin autem vitam mihi fors ademiſſet, aut vis aliqua maior reditum peremiſſet, hos, hos (quos enim ego tum alios animo intuebar?) omnia tibi illorum laborum praemia pro me perſoluturos. quid me adſpectas? quid mea promiſſa repetis? quid meam fidem imploras? nihil tibi ego tum de meis opibus pollicebar, ſed horũ erga me beneuolentiam promittebam: hos pro me lugere, hos gemere, hos decertare pro meo capite vel vitę periculo velle videbam: de horum deſiderio, luctu, querellis quotidie aliquid tecum ſimul audiebam: nunc timeo, ne nihil tibi praeter lacrumas queam reddere, quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudiſti. quid enim poſſum aliud, niſi maerere? niſi flere? niſi te cum mea ſalute complecti? ſalutem tibi iidem dare poſſunt, qui mihi reddiderunt. hunc exſurge tamen, quaeſo: retinebo, & complectar, nec me ſolum deprecatorem fortunarũ tuarum, ſed comitem, ſociumq. profitebor: atque, vt ſpero, nemo erit tam crudeli animo, tamque inhumano, nec tam immemor meorum non dicam in bonos meritorum, ſed bonorũ in me, qui a me mei ſeruatorem capitis diuellat, ac diſtrahat. Non ego meis ornatum beneficijs a vobis deprecor, iudices, ſed cuſtodem ſalutis meae: non opibus contendo, non auctoritate, non gratia, ſed precibus, ſed lacrumis, ſed miſericordia: mecumq. vos ſimul miſerrimus, & optimus obteſtatur parens, & pro vno filio duo patres deprecamur. nolite, iudices, per vos, per fortunas veſtras, per liberos, inimicis meis, ijs praeſertim, quos ego pro veſtra ſalute ſuſcepi, dare laetitiam, glorianti bus vos iam oblitos mei, ſalutisq. eius, a quo mea ſalus conſeruata eſt, hoſtes exſtitiſſe: nolite animum meum debilitare tum luctu, tum etiam metu commutatae veſtrae voluntatis erga me: ſinite me, quod vobis fretus huic ſaepe promiſi id a vobis ei perſoluere. Teque, C. Flaui, oro, & obteſtor, qui meorum conſiliorum in conſulatu ſocius, periculorum particeps, rerum, quas geſſi, adiutor fuiſti, meque non modo ſaluum ſemper, ſed etiam ornatum, florentemque eſſe voluiſti; vt mihi per hos conſerues eum, per quem · tibi, & his conſeruatum vides.

Plura

Plura ne dicam, tuae me etiam lacrumae impediunt, veſtraeque, iudices, non ſolum meae: quibus ego, magno in metu meo, ſubito inducor in ſpem, vos eoſdem in hoc conſeruando futuros, qui fueritis in me; quoniam iſtis veſtris lacrumis de illis recordor, quas pro me ſaepe, & multum profudiſtis.

EXPLANATIO

TEMPORIBVS] calamitatibus. PETIVI *animo,*] non re. nam Siciliae praetor C. Virgilius vetuit eum in inſulam ire. SICVT *domus vna,*] propter quaeſturam egregie geſtam, & beneficium Verris accuſati. COLLEGIA,] quia collegae fuerunt in praetura: poſt praeturam autem Virgilius in Siciliam, & eodem anno Q. Cicero in Aſiam profectus eſt. VOBISCVM] veſtris opibus muniti. NON *tuliſſetis,*] ceſſi enim, tempeſtatem vitans. AD. *Planciumq. perrexi.*] fortaſſe rectius, ad Plancium Q. ideſt ad Plancium quaeſtorem. LICTORIBVS *dimiſſis,*] lictoribus in vrbe non vtebantur quaeſtores: vt ait Gellius lib. XIII. c. 2. in prouincia eos habere licuit: quod hic locus declarat: cui ſuffragari videntur illa verba ad Cornificium: Illud non nimium probo, quod ſcribis, quo illi animo aequiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademiſſe. Nam ſi legatis lictores tribuuntur, cur non quaeſtoribus, honore praeſtantibus? eſt enim legatus infra quaeſtorem: vt in ep. ad M. Coelium & ad Thermum. INSIGNIBVS *abiectis,*] quaeſtorijs ornamentis. VESTE *mutata*] depoſita praetexta. ET *cum meo fratre*] poſtulat ſententia, Mihiq. & meo fratri: vel, Tum mihi, tum meo fratri. C. FLAVI,] aut hic, C. Alfi, aut ſupra, C. Alfium, legendum videtur. quaeſitorem enim eſſe conſtat. de Flauio autem magis credo: vt ſit quaeſitor editus a Laterenſi. nam Alfium, vt opinari licet ex orat. in Vatinium, praetorem huius anni, veriſimile non videtur a Laterenſi quaeſitorem editum fuiſſe: cum praetorum ſua cuiuſque propria, ſorte data, quaeſtio eſſet, vnde abduci nec poſſent, nec in Plancij cauſſa neceſſe eſſet, data accuſatori in crimine ſodalitij, quos ei commodum eſſet, edendi vel iudices, vel quaeſitorem, licet praetor non eſſet. MAGNO *in metu meo,*] cum de Plancij ſalute vehementer timeam. SVBITO] ſtatim poſtquam veſtras vidi lacrumas. Atque hoc dicit, non quia iuſtitiae, cauſſa iam ſatis diſputata, & defenſa, diffidat, ſed vt iuſtitiae miſericordiam addat.

FINIS

INDEX
RERVM, ET VERBORVM
LOCVPLETISSIMVS
quae in ſecundo Ciceronis Orationum volumine continentur.

IOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

A

AB aliquo dare. pag. 171
Abdicare ſe praetura 130
Abdicauit ſe magiſtratu 131
Abdit ſe litteris 210
Abducere aliquem a negotio 182
Abducere aliquem a fide 180
Aberrant aliquot dierum viam 311
Abhorrere a nuptijs 25
Abhorrere a ſuſpicione Staleni perſona ab nulla turpi ſuſpicione abhorrebat 36
Abhorret: non abhorret a conſuetudine 158
Abhorret tantum ab hoc homine facinus 55
Abiecit haſtas 152
Abiecerit conſilium belli faciendi. pag. 124
Abieciſſent ſe ad pedes lenonis 230
Abiecta metu filia 134
Abiecta quaeſtoria perſona, comitiſque ſumpta 311
Abigere ſibi partū medicamētis 26
Abijt tempus illud 142
Abiudicabit Alexandriam a populo Ro. 82
Abligurrierunt ſuas fortunas 123
Abſterrere neminem a congreſſu meo neque ianitor meque neque ſomnum abſterruit 304
Abſtrahebat me ab omni illa cogitatione ambitio, & forenſis labor. pag. 188
Abuti alicuius lenitate 193
Abuti deorum immortalium numine ad hominum timorem 266
Abuti patientia aliquorum 114
Accedit proxime ad deorum numen iudicium, poteſtas 102
Acceſſerint in cumulū manubiae 86
Accipere detrimenta 17
Accipere pecuniam ob rem iudicandam 40
Accepi dolorem 261
Accepit vulnus vehemens & mortiferum 197
Accipiatis in veſtram fidem 218
Accepimus morem praeclarum, & diſciplinam a maioribus 167
Accipitum detrimentum 6
Accepta calamitas 187
Accepta in Ponto calamitate ex proelio 13
Accommodare oportet ad nouos caſus temporum, nouorum conſiliorū rationes 16
Accuſator non debet in iudicium afferre nimiam potentiam, non vim maiorem &c. 156
Accuſatoris iudicium in rerum pro aliquo praeiudicio valere non oportet 156
Accuſationem & petitionem conſulatus idem nemo diligenter adornare atque inſtruere poteſt 152
Acerba memoria temporis illius & loci 311
Acerbius, criminoſius, turbulentius. pag. 39
Acerbum genus iudicij 397
Acerrimus ad efficiendum 34
Aceruatim reliqua dicam 26
Acerui ciuium miſeri, atque inſepulti 136
Acerui facinorum 198
Acidini 86
Acquirere ad fidem 125
Actus in crucem exſecta lingua 57
Aculei, quos habuiſti in reprehendendo, mihi non ingrati acciderunt 303
Aculei reconditi, non excuſſi 193
Acutiſſimus ad excogitandum 34
Ad cumulum accederet ſententia ſeptima decima 34
Ad zuturnae 40
Addebat noua quaedam vulnera ad ea, quae erant in cauſſa 31
Addere aliquid de ſuo —— nihil addo de meo 282
Adduceres ciuis optime meriti fortunas foedere prouinciarum 231
Addictus Hermippo 173
Addictū pecunia fanum bonae deae Brogitaro tradidit Clodius. pag. 278
Adducerentur facile pecuniae magnitudine vt velint vendere 89
Adducere in diſcrimen 257
Adducere iniquum in diſcrimen dignitatem ſuam 290
Adduci in diſcrimen 73
Adducitur in veteris fortunae diſcrimen 155
Adduxerat eum in ſummam inuidiam concionibus ſeditioſis, & turbulentis 40
Adductus fide, atque officio defenſionis 23
Adductus in iudicium de dolo malo. pag. 178
Adductus non accuſatorio animo, non oſtentatione, aut gloria, ſed nefarijs iniurijs 22
Adepta ignominia foediſſimi criminis 201
Adeptus eſt ordinē ſenatorium 172
Adeſſe iuſſus neque adeſſe iuſſus, neque citatus, neque accuſatus Cicero 251
Adeſt praeſens 250
Adeſtote animis, qui adeſtis corporibus 191
Adhaereſceret ſeditionis funeſta fax in materiem ſeditionis 244
Adhibere in hominum fortunis miſericordiam: in reip. ſalute ſapientiam 102
Adhibere manus vectigalibus 82
Adhibere poſset cum res geſtas, tum etiam ſtudium, & aures 206
Adhibere vos arbitros volo 142
Adieciſſent cupiditatis oculos ad omia veſtra 77
Adimere ſpem aliquibus 10

Aditus ad honores numquam faciliores optauit filio Cicero, quam ſibi 303
Aditus, atque aſcenſus primas ad popularem iactationem Clodio fuit quaeſtura 282
Adit laudis optimo cuique maxime patuit 2
Aditum habere poſſe ad aures alicuius 242
Adiumento fuit patri in periculis ſolatio in laboribus gratulationi in victoria 143
Adiumentum —— negas tribunatum Plancij quicquam attuliſſe adiumenti dignitati meae 308
Adiungere noctem & ſolitudinem ad ſuos caetus occultos 74
Adiunxit totam Ciliciam ad imperium populi Ro. 10
Adiutorem me L. Flacci honorum potius, quam miſeriarum deprecatorem ſperabam 165
Adminiſter conſiliorum tuorum 178
Adminiſtrare prouinciam —— o conditiones miſeras adminiſtrandarum prouinciarum 180
Admiſit fraudem capitalem 107
Amouent manus vectigalibus populi Ro. 6
Admouere animos, menteis ad haruſpicum vocem 277
Ad autum veſtrum 95
Adoleſcentiae laudi dari ſolet, ſi hominum periculis non deſit 30
Adoptare is demum poteſt, qui per aetatem liberos procreare non poteſt 249
Adoptio debet imitari ſuſcipiẽdorum liberorum veritatem 249
Adoptio —— in adoptione nulla calumnia, nulla fraus, illius dolus adberi debet 249
Adoptio non poteſt ea pontificio iure facta, ſi eius qui adoptat, ea aetas ſit, vt per aetatem pater eſſe non poſſit eius, qui adoptatur 249
Adoptionis ius quod ſit 248
Adoptionem hereditates nominis, pecunias, ſacrorum ſecutae ſunt pag. 249
Adornata a matre omnis teſtium copia 23
Adornauit duo maria Italiae maximis claſſibus, firmiſſimiſque praeſidijs 10
Aduentitiae copiae 8
Aduentus eorum, qui mittũtur in prouinciam, nõ multum ab hoſtili expugnatione differunt 5
Aduerſariam adiutrix opponuntur pag. 89
Adulta reip. peſtis exſtinguetur 121
Adumbrare auctorem non potuiſti meliorem, ne ementiendo quidem pag. 258
Adumbrata ſuffragia ad ſpeciem, atque ad vſurpationem vetuſtatis 80
Aduocationem hominis improbiſſimi ſella curuli atque ornamentis & ſuis & conſulatus honeſtauit pag. 199
Aduocatus 199
Aduolauit Romam huius opprimendi cauſſa 23
Aedes non priuatorum domicilia, ſed quae ſacro nominantur 266
Aedes telluris curationis fuit Ciceronis 280
Aedilitas curulis maxime taeri ſolet ſacra bonae Deae 278
Aegypti regnum teſtamento regis Alexandrini, populi Ro. factum pag. 82
Aenus 170
Aeoles 175
Aequabilitas decernendi 151
Aequimelium 262
Aequiſſimo iure ac foedere ciuitas pag. 207
Aequitas animi 68
Aerarium reliquerunt 46
Aes alienum contractum in popinam 122
Aes alienum eius diſſolutum 194
Aes alienum negotij gerendi ſtudio contractum 195
Aeſtimatio litium non eſt iudicium pag. 44
Aeſtimantem & tergiuerſantem iudicio perſequitur 13
Aetas, & honos augent dignitatem pag. 265
Aetatula —— primam illam aetatulam ſuam ad ſcurrarum locupletium libidines detulit 282
Affectare iter aliquo 65
Afficerat commodis omnibus 57
Afficit iudices maximis praemijs pag. 136
Affectus beneficijs ampliſſimis 15
Affectus graui morbo 26
Afferre dolorem, odium 187
Afferre medicinam conſilij atque orationis ſingulis aegris 125
Affers facem nouam 177
Affert aliquam deprecationem aetas pag. 107
Afficiebatur ſummo honore 207
Afficere magnis ornamentis 80
Affici turpitudine 17
Affingere alicui falſam laudem 4
Affines ei turpitudini 46
Affines facinori 139
Affines huius ſuſpicionis 189
Affines huic ſceleri 197
Afflictus & profligatus maeror 122
Afflicta fortuna 200
Afflictantur malo grauius, & vehementius 121
Afflixeritis eum veſtris ſententijs pag. 162
Afflictus eo caſu iacet 196
Affluens vrbs eruditiſſimis hominibus, libera ſignisque ſtudijs 206
Affluentia omnium rerum 94
Affluit decreto ſcribendo 172
Africanum cum eius ſupremo die laudaret. Maximas gratias egit dijs immortalibus, quod ille vir in rep. potiſsimum natus eſſet 160
Agamenon cum exercitu ad Caicum erraſſet, niſi ducem Telephum inueniſſet 177
Ager propter ſterilitatem incultus propter peſtilentiam vaſtus, atque deſertus 89
Agri opimi, ac fertiles 83
Agebatur honos ampliſſimae familiae veſtrae 193
Agere cum populo —— negant augures fas eſſe agi cum populo cum de caelo ſeruatum ſit 250
Agere cum populo tamquam ex ſyngrapha 151
Agere gratias parum cumulate 228
Agere ſuum negotium 180
Agi ſecum praeſtare arbitratur 99
Agitat rem militarem 145
Agantur coram res magnae 3
Agitur A. Cluentij proprium periculum 20
Agitur in eo populi Ro. gloria, ſalus ſociorum 3
Aggrediar ad crimen 20
Aggrediar ad ſingulas ciuitates 170
Albanus ager 87
Alere ſpem improborum mollibus ſententijs 121
Alexander Magnus multos ſcriptores rerum ſuarum habuiſſe dicitur 214
Alexandri dictum cum ad Achillis tumulum veniſſet 214
Alienigenae 175
Alieniſſimo tempore 99
Alienus a ſanitate 199
Aliſanus ager 87
Aliud agere 171
Allicere beneuolentiam cibo 159
Allicere voluntates populi alienas pag. 290
Alliſanus tractus 293
Alligare populum nouo quaeſtionis genere auſus non eſt Sulla 52
Alligari noua lege 52
Alligat omnes mortales quaeſtio de veneno 51
Alligatum nuptijs 56

Alligat

Alligat ſe ſselere 172
Allobroges maximarum rerum veriſſimi indi scs Catilinam coarguerunt 189
Allobrogum ſollicitatio 132
Aman:an lum eſſe Catonem 256
Amandare in vltimas terras familiariſſi num ſuum 195
Amandatus infra omnes mortuos pag. 223
Ambuſtus religioſis ignibus 264
Ambuſtae fortunarum mearum reliquiae 264
Amisitia cuinſquam ad propulſanda perisula impediti non debemus 193
Amicitia cum graue eſt tuere accuſari in amicitia, tum etiam ſi falſo acsuſeris, non eſt negligendum. pag. 142
Amisitia non poteſt eſſo inter ingratos 307
Amicitia —— quae poteſt eſſe iusunditas vitae ſublatis amiciujs? pag. 307
Amicitia vetus & magna eſt mihi cum Murena 142
Amicitiae iuſtae & verae lex, ut idē amici ſemper velint 289
Amisitiae nullum eſt eertius vinculum, quam conſenſus, & ſocietas conſiliorum & voluntatum pag. 289
Amita Auiti 26
Amittere nomen iudicis 20
Amittere rem atque fortunas nō poſſunt multi in una siuitate, ut non plures ſecum in eandem calamitatem trahant 6
Amittere ſesundas fortunas, in aduerſis ſine ullo remedio atque alleuamento, permanere 196
Amiſſo tempore: re integra opp. 152
Amiſus urbs Ponti 8
Ampla ſunt poetarum ſcripta ÿs, de quorum rebus ſcribuntur, 214
Amplectebatur nimium remp. 172
Amplecti alicuius auctoritatem 258
Amplius —— quid amplius ad eius laudem minuendam facere potuiſſet? 283
Ancipiti sontentione diſtracti: alias diſtricti 4
Anfractus iudiciorum 52
Anguſtiae temporis 103
Anclans ſcelus 122
Anilis ſuperſtitio 262
Animaduerſio cenſoris, non eſt iudicium 44
Animus adoleſcentis nondum conſilio & rationae firmatus 23
Animus eximius in remp. 183
Animus in periculis a rep. propulſandis mihi non eſt defuturus 226
Animus praeſenſis in poſterum 216
Animus ſapientiſſimi cuiuſque illa praeſenſis in poſterum, vt nihil niſi ſempiternum ſpectare videatur 108
Animorum motus incredibiles 212
Animis aut libentibus, aut aequis 20
Annibalem Capuae luxuries corrupit 70
Annibalem luxuries Capuae armis cum inuictum voluptate vicit 94
Anio —— hoſtis eſt non apud Anienem: quod bello Punico grauiſſimum viſum eſt, ſed in vrbe 161
Annonae caritas 244
Anſam reprehenſionis habet locus al. cauſſam 455
Antelucanae cenae 126
Antiochia 206
Antiochus —— bellum cum Antiocho 150
Antiochus claſſe a Romanis victus. pag. 15
Antiquiorem memoria tua ſuſcepiſti cauſſam 107
Antiquitatis ſtudium —— ab antiquitatis ſtudio non abhorrens 303
Antiſtites ſacrorum 276
Antiſtites ceremoniarum, & ſacrorum 262
Apamea 176
Aperiebatur tota eius vita 40
Apollonidienſes 177
Apparare bellum 10
Apparere quaeſtioni 50
Appellare homines aſperius 87
Appellare legatum ſuperbius 5
Appellare meipſum debetis, vt debitorem 95
Appetentes gloriae 3
Appetere, alicuius inimisitias non ſolum ſuſcepit P. Clodÿ inimicitias propter ſalutem meam, verum etiam appetiuit 273
Appetere ſibi aliquid praecipue 86
Appetitus lapidibus 244
Appius Claudius 193
Appius Claudius viuo patre ſuo C. Claudio aedilis non eſt factus: idem ſine repulſa factus eſt conſul pag. 31
Audaciter 247
Audire ſilentio 53
Auditor ſuae gloriae 255
Audiui, vox vulgaris 302
Auerſari, & iam vix ferre poſſe 56
Auerſus a Muſis 213
Auerſus a uero 131
Augemur hoc caeleſti ſpiritu 286
Augere diuitÿs 89
Augere & ornare oratione beneficiorum acceptorum magnitudinem. pag. 221
Augeri honore 286
Augurari —— quantum ego opinione auguror 15
Auidi laudis 3
Auloedi ſint qui citharoedi eſſe non poſſint 147
A. Gabinius legatus Cn. Pompeio 15
A. Plotius 292
A. Thermus bis uno anno, Cicerone defendente abſolutus eſt 183
Aurelia via 122
Aurelÿ gradus 38
Aurelÿ gradus 176
Aures cuiuſquam non reſpuunt, Catilinam coniuraſſe 197
Aures conuicio defeſſae his conquieſcunt 220
Aurum ex Aſia ne exportari liceret Flaccus ſanxit edicto 176
Auſpices nuptiarum 23
Autronius 188
Autronÿ uita, & mores 197
Autronio adfuit Cicero 189
Autronio ut occuparet Etruriam praeſcriptum erat 194
Autronium ſua conſuetudo & vita ante acta conuincit 197
Auulſum eſt praeter ſpem, quod erat ſpe deuoratum lucrum 175

B

Bellicum canere. 147
Belliſsimum putarunt, dicere amiſſas litteras 171
Bellum acerbum, & inteſtinum pal. internecinumque 255
Bellum adminiſtrare 16
Bellum ciuile, Africanum, tranſalpinum, Hiſpanienſe, ſeruile, nauale, & alia a Pompeo geſta & confecta 9
Bellum domeſticum 123
Bellum, Karthaginienſe, Corinthium, Numantinum 91
Bellum in bello utilitati parebant Ro. in pace conſuetudine 16
Bellum extrema hieme apparuit, ineunte vere ſuſcepit, media aeſtate confecit 10
Bellum facere alicui 123
Bellum fugitiuorum 91
Bellum graue & periculoſum 3
Bellum inexpiabile 273
Bellum iuſtum 122
Bellum maritimum Pompeio gerendum datum eſt. 170
Bellum maximum, & formidoloſiſſimum 16
Bellum Mitridaticum 175
Bellum Mitridaticum magnum atque difficile ab Archia expreſſum pag. 213
Bellum omni imbutum odio 255

Bellum quid mali efferat, ſi hoſtium copiæ non longe abſint 6
Bellum conficere 16
Belli terrore ſæpe totius anni fructus amittitur 6
Bella cum ſocijs, Fregellanum, Marſicum 92
Bella geſta cum regibus Philippo, Antiocho, Perſa, Pſeudophilippo, Ariſtonico, Mithridate 91
Belluæ ex portentis immanes, ac feræ formas homines indutæ 198
Bene, ac feliciter mihi ea res eueniret 141
Benemeriti colendi 225
Beneficium —— ſtulti eſt fateri, aut etiam prædicare ſe eſſe maximis beneficij vinculis obſtrictum, cum ſit liber & ſolutus 306
Beneficij gratia, leue onus eſt 307
Beneficij memoriam non eſt æquum tempore, & die definire 225
Beneficio iſto legis, benignitate decemuirali nihil vtitur Pomp. 86
Beneficio victum videri, inhumanum 308
Beneficia vera homines diſſimulant, ne obligati eſſe videantur 306
Benigne, attenteque audire 20
Benigne defendere 174
Benigne fecit multis 297
Benigne ijs a populo factum videtur, qui præteriti ſunt ædilitate 301
Beſtiæ fame dominante plerumque ad eum locum, vbi paſtæ aliquando ſunt, reuertuntur 34
Binis comitijs de ſingulis magiſtratibus iudicabant Ro. 79
Blanditia popularis. 294
Bonæ deæ ſacra ſiquis vir, vel imprudens aſpiceret, & oculos perdere putabatur 281
Bonæ deæ nomen quidem ſcire fas eſt 281
Bonæ deæ, ſeu matri deorum vota faciebant Romani Imperatores in maximis periculoſiſque bellis, eaque in ipſo Peſinunte ad illam ipſam principem aram in illo loco, ſanoque perſoluebant. 278
Bono te animo dicere exiſtimauis 15
Bonum a dijs oblatum & datum 15
Bona eius publice venierunt, quia populo non ſoluebat 172
Bonis temporibus —— minus bonis temporibus 143
Bonianum 59
Bonillana vicinitas. 293
Brogitarus Gallogræcus 278
Bromius 175
Brundiſium 311
Byſantij exſules reducti lege Clodij pag. 253

C

Cadit hoc verbum in eum, qui ſit vnus omnium mortalium ſine vlla dubitatione deterrimus pag. 286
Cadit in eos maleficij ſuſpicio 281
Cadere acceptis à forti aduerſario vulneribus aduerſis, & honeſtis. pag. 282
Cadere in iudicio 156
Cecidiſſent tibi oculi, vultus, verba. pag. 268
Caduca & mobilia, bona externa pag. 270
Cæcatus argenti & ſupellectilis alienæ cupiditate 255
Cæcitas luminis, cæcitas libidinis. pag. 281
Cæcus amentia 285
Cæca cupiditas 201
Cæcum me & præcipitem ferri confitear 290
Cædis vniuerſorum ciuium Ro. miſera vno puncto temporis 174
Cæti huius ſpiritus 175
Calla atque horreum agri Campani Capua 91
Cæremonias ſtatas & ſolennes Pontificatu contineri voluerunt maiores 277
Cæcus, quo in loco Agamemnon cum exercitu errаſſet, niſi ducem Telephum inueniſſet. 177
Caia 146
Caiete portus 10
C. Alfius. 197
C. Antonium collegam ſuum defendit Cicero 250
C. Antonius. damnatione ſepulchrũ L. Catilinæ floribus ornatum, hominem audaciſſimorum, ac domeſticorum hoſtium conuentu, epuliſque celebratum eſt 182
C. Atinius bona Q. Metelli, qui eum ex Senatu cenſor eiecerat, conſecrauit, foculo poſito, adhibitoque tibicine 266
C. Cæſaris laudes populi Ro. & Senatus plurimis atque ampliſſimis iudicijs celebratæ 311
C. Cæſaris ſententia contra coniuratos 135
C. Caſſius cenſor 267
C. Caſſius in tribunatu præteritus, conſul factus eſt 301
C. Caſſius integritate, virtute, conſtantia ſingulari 17
C. Caudinus 41
C. Cethegi furioſa temeritas 131
C. Claudius 106
C. Cornelius ab Antronio immiſſus, qui Ciceronem in ſuis ædibus trucidaret 189
C. Coſconius 193
C. Curio ſummis populi Ro. beneficijs vſus 17
C. Fabritius 303
C. Falcidius tribunus pl. 17
C. Fimbria 106
C. Fimbria in tribunatu præteritus conſulatum obtinuit 301
C. Flauius Puſio 52
C. Gracchus, agrarios concitare conatus eſt 134
C. Gracchus clariſſimo patre natus, auibus maioribus 114
C. Gracchus legem tulit ne de capite ciuium Rom. iniuſſu veſtro iudicaretur 104
C. Gracchus quo ingenio? quanta vi? quanta grauitate dicendi? vt dolerent boni omnes non illa tanta ornamenta ad meliorem mẽtem, voluntatemq. eſſe conuerſa 282
C. Gracchum mors fraterna, pietas, dolor, magnitudo animi ad expetendas domeſtici ſanguinis pœnas excitauit 282
C. Lelius 211
C. L. Domitij 106
C. Mæcenas 52
C. Manlius ſatelles Catilinæ 116
C. Marius vir fortiſſimus municeps Ciceronis 225
C. Marius cum Iugurta, cum Cimbris, cum Theutonis bellum adminiſtrauit 16
C. Marius cuſtos ciuitatis, atque Imperij Rom. 223
C. Marius duabus ædilitatis acceptis repulſis ſepties conſul eſt factus pag. 301
C. Marius fiſtulas, quibus aqua ſuppeditabatur Iouis optimi maximi templis ac ſedibus præcidi imperauit 108
C. Marius inimicos ſuos vltus eſt armis 225
C. Marius obſidione remp. liberauit. pag. 108
C. Marius oppreſſo Senatu eſt reſtitutus 223
C. Marius parua nauicula traiectus in Africam 225
C. Marius ſubijt indigniſſimã fortunã præſtantiſſima ſua gloria 222
C. Marius tempeſtate ciuili expulſus eſt 237
C. Marius tum erat ſplendidior, cum eum C. Glaucia iratus vituperabat, quam cum laudabat 283
C. Meſſinius 233
C. Octauius conſul armis ex vrbe collegam ſuum expulit 132
C. Oreſtes in tribunatu præteritus, cõſul factus eſt 301

C. Piſo

C. Piſo gener Ciceronis 237
C. Piſo Cicerone defendente abſolutus eſt 182
C. Sacerdos legatus in Creta 294
C. Septimius 233
C. Serranus 106
C. Verres prætor vrbanus, homo ſanctus & diligens 38
C. Virgilius Siciliam obtinebat, cum Cicero a Clodio in exſilium pulſus eſt 311
Calmiſtratus ſaltator 231
Calamitoſum cęlo & loco vectigal. pag. 90
Calatini 87
Caluit illud crimen de nummis recenti, nunc in cauſſa refrixit 302
Calidius damnatus eſt 305
Calidij lege Q. Metellus reſtitutus eſt 301
Caligo temporum 311
Calliditas non ſępe cum audacia coniuncta eſt 57
Callidi ad fraudem, non fere ſunt audaces 57
Calumniam non effugiet 14
Camers ager 194
Campania propter abundantiam rerum omnium, ſuperbiam genuiſſe dicitur 69
Campanus ager 91
Campanam arrogãtiam Romani ad inertiſſimum & deſidioſiſſimum otium perduxerunt 92
Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum & fructuum 94
Campanum ſupercilium 94
Campus conſularibus auſpicijs conſecratus 134
C. Martius P. Lentulo legem de Cicerone ferente inaudita multitudine omnis generis hominum floruit 257
Candidatus accuſationem meditans honorem deſperaſſe videtur 152
Candidatus —— quę artes requirantur in candidato 304
Candidati, nomine appellant ciues ſuos 160
Cãdidati, qui in campo accipere conſueuerunt, ijs candidatis, quorum nummos ſuppreſſos eſſe putant, inimiciſſimi ſolent eſſe 35
Candidatorum natio officioſiſſima. pag. 158
Cantus buccinarum te exſuſcitat. 146
Cantus gallorum 146
Cantu flectuntur beſtię immanes, atque conſiſtunt 213
Capenas ager 177
Capillatior quam ante, barbaque maiore 74
Capillatus —— nõ minus bene nummatus, quam bene capillatus 85
Caperes fructum ex eius miſerijs maiorem videndo, quam audiendo, ſi eſſes crudeliſſimus 201
Capere alicuius rei coniecturam de. pag. 142
Capere —— caſus eſt in capiendo, locus, euentus, occaſio 170
Capere vnius tribuni mil. animos & ſpiritus non poſſunt ciuitatet 17
Capio animo magnam moleſtiam ex eius incommodis 187
Capit hoc conſilij, vt, &c. 34
Cappadox modo abreptus de grege venalium 231
Captatur occaſio 284
Captus omnibus membris, ac debilis. pag. 106
Captus vno verbo voluptatis 231
Capua cur non ſit a Romanis deleta. pag. 91
Capua domicilium ſuperbię, & ſedes luxuria 94
Capua domicilium ſuperbię 94
Capua propter vbertatem agrorum, abundantiamq. rerum omnium, ſuperbiam & crudelitatem genuiſſe dicitur 69
Capua Senatum, & conſilium commune, & magiſtratus ſuſtulerunt Romani, quia ſi quod reip. veſtigium illis mœnibus contineretur, vrbem ipſam videbant imperio domicilium prębere poſſe 70
Capuam receptaculũ aratorum, nundinas ruſticorum, cęllam, atque horreum Campani agri voluerunt eſſe Romani. 91
Caput atrocitatis & inuidię 22
